№ 6
9-0
24

Sotto il Doge Silvestro Valier fu la prima
volta commesso con Decreto Pubblico che fosse scritta
l'Istoria dell'Università di Padova. Per qualche
motivo venne differita l'esecuzione, ma finalmente non avendone
mai il Magistrato de' Riformatori intermesso il pensiero
et scelto Comneno Papadopoli primario Lettore di Jus Cano-
nico nel 1726 adempì il pubblico comando stampandone la
Storia in Venezia due Tomi in Foglio. Si pretende non ha corrispos-
to alla espettazione e al desiderio de' dotti. Per ciò otto anni sono
ne fu di nuovo commessa la cura all'Ill.mo Ab.e Jacopo Facciolati
di già stato [illegible] a leggere la Logica che per molti anni aveva
in quello Studio insegnato con grido. Dalla sua penna curata avrà
[illegible] allo scrivere in questa lingua latina e dà a sperare che sarà
trattato quest'argomento con impareggiabile felicità; e che
saranno poste in chiaro molte oscurità prodotte parte dalla
negligenza, e parte dalla mancanza di buona Critica negli Scrittori
nostri. Antonio Riccoboni nel secolo [illegible]
[illegible] decimo-quinto ne diede [illegible] anni fa poi Jacopo
Filippo Tommasini mostrossi due [illegible]
Per incidenza fà menzione di quella Università Bernardino
Scardeone nel libro delle antichità; e più diffusamente il Portenari
in quella della Felicità di Padova. Moltissimi ajuti [illegible]
[illegible] in Polantino nel Costruzione [illegible]
[illegible] Padovani, e specialmente negli archivi Pubblici e privati
di quella Città; in questi [illegible] abbiamo una no-
tizia [illegible] in MSS. assai opportuno [illegible]
raccolto dall'Ill.mo Abate Antonio de Conti [illegible]
[illegible] Vedi Marco Foscarini della Letteratura Veneziana
Pag: 45. e Nota 129.

6-3-0-34

NICOLAI COMNENI PAPADOPOLI
HISTORIA
GYMNASII PATAVINI

Poſt ea, quæ hactenus de illo ſcripta ſunt, ad hæc noſtra tempora pleniùs, & emendatiùs deducta.

CUM

AUCTARIO

De Claris cum Profeſſoribus tum Alumnis ejuſdem.

TOMUS I.

22



VENETIIS, MDCCXXVI.

Apud Sebaſtianum Coleti.

SUPERIORUM VENIA, ET PRIVILEGIO.

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS.

REI LITERARIÆ TRIUMVIRIS

CAROLO RUZINO Equiti & D. Marci Procur.
ALOYSIO PISANO Equiti & D. Marci Procur.
JOANNI PETRO PASCHALICO

Cæteriſque & Singulis ex eodem Ordine Triumvirali Ampliſſimis Senatoribus

NICOLAUS COMNENUS PAPADOPOLI

εὐδαιμονεῖν καὶ εὐδαιμονίζεσθαι.

[library stamp]

QUam juſſiſtis, quam imperaſtis, CELSISSIMI PATRES, imò etiam exegiſtis, Continuationem Hiſtoriæ Gymnaſticæ, hanc pro ingenii mei tenuitate, pro obſequii, quod vobis profiteor, ac debeo, reverentia, peregi, effectamque dedi. Eam Excelſo Magiſtratui veſtro effectam, perfectamque ſiſto; nonut offeram, vel commendem, (Quis enim, quod veſtrum undequaque eſt, vobis offerat, vel commendet? (ſed ut Vobis, SENATORES EXIMII, conſtet, mandatorum veſtrorum, quæ recepi, me fidem exolviſſe meam,

paruiſſe Imperio veſtro , ſupremo Arbitrio veſtro commiſiſſe qualemcunque induſtriam laboris mei , quem , ſi , qua eſtis ſapientia , probabitis , ſi , qua Clementia cenſemini , benignè ac humaniter excipietis , abunde præmii & gloriæ erit mihi , cui hoc unum olim propoſitum eſt , votum hoc unum , hoc decus unicum , veſtris nutibus obſequi , veſtro judicio contentum eſſe , de veſtra erga me charitate gloriari . Ii eſtis , quibus non diſplicuiſſe , magnum eſt : placuiſſe , maximum ; eaque Virtutis veſtræ , Fortunæ veſtræ ac Sapientiæ , ſublimiumque munerum veſtrorum ac dignitatum opinio viget , ut quemadmodum extra judicium veſtrum nulla laus eſt , ita in uno judicio veſtro maxima ſit , & ampliſſima commendatio . Impleſtis Magnarum Gentium Aulas regias Veneti Nominis , Venetæque & Prudentiæ & Magnificentiæ admiratione : ab ipſa Barbarie ac nota Infidelitate humanitatem & fidem extorſiſtis : Publico bono præeſtis omnes , in iiſque ſedetis Auguſtæ Sapientiæ Subſelliis , unde Populorum Felicitas , Conſilia Senatus , communis utilitas , Reipublicæ fauſtitas ita in omnes effunditur , atque omnes ſoſpitat , ut peculiariùs Gymnaſio noſtro proſpiciat . Ex hoc enim tam Excelſo Collegio ad Præfecturam Gymnaſii proceditis

ceditis

ceditis omnes: ut qui re, nomine, ac dignitate Sapientes Maximi eſtis, Maximo huic Italæ Sapientiæ Conditorio, Promptuarioque, ut munificè facitis, conſulatis. Conſulitis autem diligentia mirabili, amabili poteſtate, amore, cura, ſtudio indefeſſo, quo fit, ut hæc omnium diſciplinarum Sedes & Officina corruptam vetuſtatem ex novis legibus exuat, majore in dies augeatur frequentia, niteat privilegiis amplioribus, ornamentis ſemper certioribus illuſtretur; eaque ſui nominis, ſui uſuſque, & fructus gloria cum Nationibus exteris innoteſcat, tum perennet ad Poſteros, quam reipſa claram veſtra auctoritas, patrocinium veſtrum, veſtra Purpura, multò efficit, atque olim efficiet clariorem. Teſtimonium horum dabit ſuo loco ipſum hoc opus noſtrum, atque illa de Vobis omnibus, & ſingulis dicet, quibus præclariſſima merita veſtra, quorum magnitudinem brevitas Epiſtolæ hujus non capit, ex inſtituto noſtri Operis metietur.

P R Æ F A T I O.

QUod aliis ſolemne eſt, ut vulgandorum Operum rationem benevolis lectoribus edant, eoſque rerum tractandarum in anteceſſum admoneant: id mihi tecum, VIR ILLUSTRISSIME & Sapientiſſime AUGUSTINE GADALDINE à Secretis Decemviralibus, & Triumviralibus, peculariùs uſurpandum cenſui, ut in Fronte Operis acturi de Gymnaſio Patavino, quantum tibi debeat Patavinum Gymnaſium, brevi aliqua verborum complexione profitear. Innutritus à primâ ętate literis optimis, artibuſque, in hoc ipſo Lycæo, eruditiſſimam juventutem præcipuorum Magiſtratuum venerandis Officiis impendiſti: mox ad Arcana vocatus Maximi Sapientum Collegii, probatuſque ex doctrinâ, fide, morum integritate, & prudentiâ Senatûs Auguſti judicio, Secretis Triumviralibus Miniſter eximius datus es, quò propiùs qui Sapientiæ Regnatricis Conſiliis aderas, illi ſubjectam Sapientiam, in hac noſtrâ Academiâ, curâ, miniſterio, diligentiâ juvares, tuereris, augeres.

Præſtitiſti hæc tu olim, præſtas autem etiamnum, quamvis majoribus laborum oneribus obligeris ad altius munus evectus, admiſſuſque in penetralia verendi Magiſtratûs, cujus excelſâ Decemvirali poteſtate premuntur Crimina, Pax & Tranquillitas publica cuſtoditur. Mirari ædepol ſubit, quî tot muneribus, ac negotiis unus ſufficias: nec te aut labor aſſiduus laſſet, aut deterreat multiplex cura, quin ſemper officioſus & perſpicax bono publico ſervias citra privatorum incommodum, privatorumque votis te morigerum præſtes ex publica utilitate. Experitur hanc artem ſolertiſſimæ Prudentiæ tuæ Gymnaſium noſtrum, teque poſt excelſa Triumvirorum Subſellia, quorum numine regimur, auctorem & curatorem prædicat ſoſpitatis, felicitatis & gloriæ ſuæ. Hanc ut ad ſeros quoque nepotes produceres, id etiam præſtandum curaſti, quod ſpectat ad Opus hoc noſtrum, in eamque mentem traxiſti immortalis memoriæ Principem Silveſtrum Valerium, ut ex Auctoritate Triumvirali juberet, Acta Gymnaſii, quę priſcorum Scriptorum calamus vel immiſcuerat incertis, vel falſis obduxerat, vel omnino neglexerat, edi certiùs, caſtigatiùs, iiſque ſepoſitis, quæ alii tradiderant, in eam, quam nunc explicant, faciem revocari.

Profiteri liceat: ſi quid auctoritas Publica peccare poteſt, in eo peccatum, quòd me legerit, qui juſſa ejus effecta darem; tantoque oneri non idoneos humeros ſubjicerem, præſertim vivis adhuc atque florentibus magnis illis Calliachiis, quibus pares literaturæ humanioris artifices, & quæret diu Gymnaſium noſtrum, & perdiu deſiderabit. Refragari publicis Decretis juſſiſque noſtrum non erat; ea tamen non alia conditione recepimus, quàm ut adeſſet, qui dicenda, ſcribenda, colligeret, qui excuſſis ſcriniis privatis, ac Tabulariis Publicis, ea promeret, in quibus quaſi nervis atque oſſibus poſſet Hiſtoria conſiſtere. Nec defuit, qui ſe ultrò labori offerret, magnaque ſe præſtiturum promitteret: ſed homo ſubleſtæ fidei, nec vivus protulit quicquam, nec mortuus reliquit, quod uſui eſſet: hæſitque Opus injunctum diu, quamvis exigeretur identidem à Literariis Triumviris, urgeremurque ad ipſum ſæpiſſimè elegantiſſimis & humaniſſimis Epiſtolis tuis. His legitimam excuſationem objecimus, donec licuit. Nam tandem acceſſit neceſſitas imperio potens, quæ rejectis conditionibus, etiam à ſolo, quod juſſum fuerat, extorqueret. Huic ſuccubuit obſequium noſtrum, expertumque eſt, quod apud Apoſtolium docuit Sicyonius Alcidamas, Deorum æquè atque Principum imperia efficacia eſſe: quę ſcilicet parituris, quam non habent, facultatem magnificè tribuant; atque ubi reipſâ non ſuppetunt, vires faciant peragendi quod imperatur.

Ergo Opus varium, difficile, multiplex, nec niſi pluribus lectis, annotatis, excerptis exantlandum aggreſſi ipſo menſe Aprili Anni MDCCXXI., intra menſem Novembrem Anni hujus, quo ſcribimus, perfecimus: & quidem muneribus publicis & multis & permoleſtis impediti, curis domeſticis anxii, ægro etiam corpore, atque animo in plurimis occupato: ut nobis ipſis ante alios mirum ac penè non incredibile videatur, tam brevi, tantâque, ſi minus eloquentiâ curâque elocutionis, certè ſedulitate ac diligentiâ & fide, tot res, tam diverſas, invicem diſparatas ſejunctaſque colligi, æſtimari, ordinari, conſcribi potuiſſe, atque in eam redigi faciem, quam in Fronte Operis profitemur.

Profitemur autem Hiſtoriam ſuppleturam ea, quæ hactenus de Gymnaſio Patavino Clarorum Virorum labor exhibuit: latina quidem ac nitida in Riccobono, ſed pauca, ſed jejuna, ſed levia, nec Majeſtatem Gymnaſii referentia: in Tomaſino verò fuſiora ſanè

&

& peculiariùs ad hiſtoriam Gymnaſii pertinentia, at incerta, gratis propoſita, obſoleta, ſubobſcura, ac planè perturbata; & ſi unum & alterum Catalogum excipias; qui de Profeſſoribus eſt, aut literarios Triumviros non integrè nominat, ita rebus alienis immiſta, ut Patavinam potiùs, quàm Scholaſticam Chronologiam contexere videantur. Hinc propoſito noſtro convenire viſum, ut quæ in his certa ſunt, clara & utiliter evulgata, illibata nobis, & apud ipſos legenda, noſcenda remaneant: quæ verò vel ſecus traduntur, vel omnino cenſentur omiſſa, ea veniant in penſum Operis, quod ſcribimus, quodque in Libros Quinque diviſimus, in quorum duobus prioribus ad certam Originis Epocham Gymnaſium deduximus, Statum ejus, mox incrementa, & horum auctores diverſos oſtendimus, ſplendorem autem ac majeſtatem ſub immortali Republicâ Veneta, uti decebat, deſcripſimus; quibus ex inſtituto, quà gloriam Gymnaſii augent, productis explicatiſque, adjecimus, quæ ad Hortum Botanicum, Collegia cum privata, tum publica, eorumque mores ac leges, miniſtros & Præſides pertinent, indicta aliis aut neglecta, dicenda tamen omnino notandaque.

Jam Magiſtratuum, qui Gymnaſio præſunt, nulla apud alios notio eſt; delituitque hactenus tenebris obſitum præcipuum in Gymnaſio illud, quo ſtat, claretque præ cæteris, ſummâ Providentiâ, Ordine, Curâ, Judicio, Auſpicio gubernatum. Horum omnium rimati Primordia, ignota jam nunc, munera, poteſtatem, officium ita Poſteritati noſtræ ſigillatim tradidimus, ut & Prætorum Patavinorum, quorum auctoritate diu Res Scholaſtica viguit, Catalogos emendatos; & Principum Venetorum, quorum ſub nomine Senatûs Imperium exercitur, Acta, decretaque: initia quoque ac ſeriem integram Triumviralis Magiſtratûs, & claros in eo, dignoſque æternâ memoriâ Senatores ad hanc uſque diem laborioſè ſignaverimus. Addidimus & Dignitatum, quarum juriſdictione Patavii Gymnaſium proximè regitur, Faſtos; expunctiſque aut caſtigatis pluribus mendis, queis hactenus turpes in publicam lucem prodierunt, ita rem difficilem & perplexam edidimus, ut qui honoribus deinde præſtitere cæteris, qui de Publica, privataveSapientia optimè ſuere meriti, cognoſcantur: & ne quid Argumento Tituli deſit, in eos quoque ſe labor noſter extendit, quorum in Collegiis auſpicium ſacrum eſt, magnos nimirum Cancellarios Gymnaſii, Præſules Sanctimoniâ, vel Sapientiâ, & plerunque Purpurâ Romanâ latè conſpicuos.

Exigebat poſt hæc operam noſtram Res ipſa Gymnaſtica: huic illam admovimus, & eodem libro, uti licuit, complexi ſumus leges ac mores Gymnaſii, non ſanè vietos illos & antiquatos, quos vel deſuetudo damnavit, vel experientia utilium magiſtra ex uſu non eſſe conſtituit, ſed recentiores, queis utimur, queis vivimus, quibus hodieque ſubjicimur. Conſtant autem Senatusconſultis, & Reſcriptis Triumviralibus, quorum Sanctionibus decernuntur Profeſſorum, Diſcipulorum, Miniſtrorumque onera, officia, Privilegia, immunitates & præmia: ipſa etiam ſtudiorum Ratio cum docentibus tum diſcentibus ſublimis, utilis, perfecta præſcribitur, quæ reipſa hodierni Gymnaſii noſtri faciem atque indolem ingenuam repræſentat. Hæc ut ex præcipua ſui parte memoretur, celebreturque glorioſiùs apud futuras ætates, propoſitis Profeſſorum, quos Tomaſinus recenſere non potuit ab an. MDCLIII. ad hunc noſtrum nominibus, horum conductiones, iterata & aucta ſtipendia, obitum, ac ſucceſſiones notavimus integra fide, ſedulâ diligentiâ, labore ingenti, cujus tamen neque plenam laudem, neque ex toto meritum nobis aſſerimus.

Fateri enim hìc licet, quod fatendum eſſe nos monet cum æquitas, tum grati animi ſenſus, hanc laudem, meritum hoc magna ex parte, & in hoc libro ejuſque hac parte deberi Bartholomæo Sellario Patavino, JurisConſultorum & Collegii Gymnaſtici Cancellario, Viro optimo, integerrimo publici Juris cuſtodi, Rei Gymnaſticæ peritiſſimo, ejuſdemque, ſi quis alius, amantiſſimo, qui ſummâ curâ, ſtudio ſingulari, ſolerti prudentiâ in moribus legibuſque Gymnaſii colligendis ac recenſendis diu multumque inſudavit: ſeriem ipſam Profeſſorum, quam dedimus, Quæſtorios Codices, monumentaque Gymnaſii ſcrutatus calamo noſtro illuſtranda, & vulganda exhibuit: dignus profectò, quem ob hoc ipſum & Benignitas publica foveat, & Gymnaſium felicitati ſuæ diu ſoſpitem, & incolumen optet.

Suppleviſſe videbamur his, quæ Operis noſtri poſtulabat Inſtitutum, & paruiſſe imperatis Triumviralibus, & quam habet nunc ſpeciem, majeſtatemque Gymnaſium Patavinum, priſcæ parem futuris ætatibus objeciſſe. Verùm cùm fruſtra res magnas oſtentes, ni unà earundem explices uſum utilitatemque, & ex utroque gloriam demonſtres & comprobes, operæ quam præſtandam ſuſcepimus, pretium eſſe duximus, ea ſubjicere, quibus manifeſtè conſtet, nullum in Italiâ Gymnaſium, aut majoribus in omni diſciplinarum genere Doctoribus claruiſſe,

ruiſſe,

fuiſſe, aut doctiores illuſtrioreſque Diſcipulos aluiſſe, & ad ſapientiæ numeris omnibus abſolutæ nomen ac famam inſtituiſſe. Hujus accuratè ſatagit Tertius cum duobus libris ſequentibus. Hanc operis noſtri Partem, jure Auctarium dixeris, quòd noſtri Gymnaſii decus augeat; quòd ſcriptis aliorum nihil attexat, ſua tantùm depromat; quòd appendix quædam duplo major & auctior ſit noſtri laboris. Qui ne in immenſum excreſceret ex amplitudine Tituli, & clariſſimorum Nominum numero prorſus obrueretur, illud oppido curavimus, ne nos eorum omnium lux detineret, & ad ſcribendum pelliceret, rati intra certos fines Argumenti materiem infinitam coercendam eſſe, ut non omnes præſtantiſſimi Viri, quorum vel adhuc floret in vitâ gloria, vel poſt obitum præter nomen & laudem nihil extat, in cenſum veniant Hiſtoriæ noſtræ, ſed ii tantum, quorum poſthuma quidem gloria eſt, at & quæ vel probata ſit, vel probari poſſit ex maximis Dignitatibus, ſancitiſve Divorum honoribus, præſertim verò ex libris conſcriptis aut editis, quorum fama in ore ſit & in oculis poſterorum. Horum nos, ut nobis innotuere, breviſſimè non ad elogiorum ampullas, ſed ad veritatem hiſtoricam, Acta notavimus, merita, & virtutem expendimus, dignitates deſcripſimus, Sapientiam ante omnia, atque eruditionem ſignavimus, videndam æſtimandamque in tot doctiſſimis lucubrationibus, quarum qualem qualem, ut deprehendere licuit, Catalogum nominibus ſingulis adjecimus; utque hæc tanta Virorum in omni ſcientiarum, maximarumque Dignitatum, ac virtutis rariſſimę genere illuſtrium multitudo ex ordinę perſpectior ſit, hanc quoque Operis Partem ex ordine Chronologico diſtribuimus: atque libro III. complexi ſumus claros in hoc Gymnaſio Juriſprudentiæ Profeſſores, Claroſque Artium Doctores: Clariſſimos libro IV. Juris Alumnos; Alumnos itidem Artium celeberrimos Quinto.

Hoc Operis noſtri Argumentum, hæc ratio eſt, quam Tibi, vir Illuſtriſſime, tuoque judicio committimus, quo ſiquidem, pro ea, qua erga nos noſtraque es humanitate ſingulari, probata fuerit, ſperamus fore, ut labor noſter ſanis ingeniis minimè diſpliceat; indeque potiori jure, quod olim facit, deſpiciat poſticas quorundam ſannas, quorum unum opus eſt, aliena carpere, ſua mirari tantùm, nec aliam elocutionem ac latinitatem ratam, ſanctam, ac probandam exiſtimare, quàm quæ aut nitori grammatico ſervit humillimè, aut corraſis undequaque corrogatiſque phraſibus veſtiens quæ pauca & vulgaria tractat, alieno ſplendet, ſi tamen ſplendet, ornatu, non ſuo.

TOTIUS

TOTIUS OPERIS CONSPECTUS.
TOMI PRIMI
LIBER PRIMUS.

DE Origine, incremento, & ſplendore Gymnaſii Patavini, eique præfectis Magiſtratibus. p. 1
Sectio I. De Origine, incremento, & Splendore Gymnaſii. ibid.
Caput I. De Origine Statuque primo Gymnaſii. ibid.
2. De Incremento Gymnaſii primo. 2
3. De Incremento, Dote, & Privilegiis Gymnaſii ſub Carrarienſibus. 4
4. De Splendore, & felicitate Gymnaſii ſub immortali Republica Veneta. 5
5. De Regia Reip. Venetæ Munificentia erga Gymnaſium. 7
6. De Incremento Ærarii Gymnaſtici, & ejus officiis. 8
7. De ſingulari Munificentia Senatus Veneti erga Profeſſores univerſim. 9
8. Venetæ liberalitatis erga clari nominis Profeſſores exempla. 11
9. De Horto Botanico. 13
10. Horti Botanici deſcriptio ex Epiſtola v. cl. Julii Pontaderæ. 16
11. De Collegiis ad Gymnaſium pertinentibus. 23
12. De Collegio gymnaſtico, ejus antiquitate ac ſymptomatibus ad initium ſæculi 17. ibid.
13. Collegii gymnaſtici reſtitutio, ejuſdemque in Venetum nomen adoptio. 26
14. Præſidum Collegii gymnaſtici dignitas, & eorum catalogus. 29
15. De Collegio Patavino Pontificio Juriſconſultorum. 31
16. De Patavino Collegio Medicorum, & Philoſophorum, ſive Artiſtarum. 33
17. De Collegio Patavino Theologorum. 35
18. De Collegiis Diſcipulorum. 36
19. De Græcorum Collegiis, præſertim Cottuniano & Veneto. 37
20. De Academia Equitum Deliorum. 41
Sectio II. De Magiſtratibus Gymnaſio Patavino præfectis. 43
Caput I. De Prætoribus Patavinis Gymnaſio præfectis ad an. 1329. ibid.
2. Prætores Præfecti Gymnaſio ad an. 1405. 46
3. Duces Veneti, quorum auſpiciis Gymnaſium ſtetit ad an. 1485. 49
4. Duces Veneti præfecti Gymnaſio ad an. 1570. 53
5. Duces Veneti Gymnaſio præfecti ad an. 1605. 57
6. Veneti Duces Gymnaſio præfecti ad an. 1654. 61
7. Duces Veneti præfecti Gymnaſio ad an. 1683. 64
8. Duces Veneti præfecti Gymnaſio ad an. 1725. 67
9. De Triumviris Patavini Gymnaſii Moderatoribus. 70
10. Faſti Triumvirales ad an. 1572., & in iis, quos ad an. 1652. Tomaſinus recenſet, notæ. 72
11. Moderatores Gymnaſii ab an. 1655. ad 1725. 76
12. Qui ex his Triumviris virtute, ac rebus geſtis præſtiterint, & præſtent. 78
13. De Rectoribus Urbis Patavinæ præfectis gymnaſticæ diſciplinæ ad an. 1499. 81
14. Rectores Patavini præfecti Scholaſticæ diſciplinæ ab an. 1500. ad 1600. 84
15. Rectores Patavini præfecti Scholaſticæ diſciplinæ ab. an. 1601. ad 1725. 87
16. De Rectoribus, Pro-Rectoribus, & Syndicis Gymnaſii. 91
17. Gymnaſiarchæ Patavini ab an. 1432. ad 1600. 94
18. Gymnaſiarchæ Patavini ab an. 1601. ad an. 1723. 98
19. De Magnis Gymnaſii Cancellariis. 104
20. De Magnis Gymnaſii Cancellariis ſub Venetis. 108
21. De reliquis Magnis Cancellariis Patavinis ad an. 1722. 111

Tomi Primi Liber Secundus.

De Ratione Studiorum, officiis, & oneribus, ac privilegiis in gymnaſio Patavino, deque ejuſdem Profeſſoribus. 118
Sectio I. De numero, ordine, & ratione ſtudiorum Gymnaſii. ibid.
Caput I. De numero, ordine, ac ratione Sedium J.V. doctrinam profitentibus. ibid.
2. Schediaſmus Patavinæ campanulæ ſonitum per annum diſtribuens. 119

3. De

3. *De Prælectionum materia, quæ noſtro tempore ab exedris I. C. exponitur.* 120
4. *Rotulus hodiernus Juriſconſultorum.* 121
5. *De numero, ordine, & varietate Profitentium Artes, deque diſciplinis, & ſcientiis, quæ ab his in Gymnaſio traduntur.* 123
6. *Interpretationes præſcriptæ D.D. Profeſſoribus Theologiæ, Philoſophiæ, ac Medicinæ Archigymnaſii Patavini.* 124
7. *Sedium, quæ Artes profitentur, ordo, tempuſque Prælectionum ex rotulo.* 126
8. *De Annali curriculo ſtudiorum.* 127
9. *Ephemeris Scholaſtica.* 128
10. *De Officiis, & Oneribus Profeſſorum ex S.C. & reſcriptis Triumviralibus ad an. 1674.* 131
11. *Onera Profeſſorum recentioribus Conſtitutionibus confirmata, vel innovata ad an. 1687.* 133
12. *Onera Profeſſorum reliqua ad annum, quo ſcribimus, ex Senat. Conſ. & Reſcriptis.* 136
13. *De Privilegiis Profeſſorum.* 138
14. *De Officiis & Privilegiis Diſcipulorum ad an. 1680.* 139
15. *Reliqua Diſcipulorum Officia, & privilegia.* 142
16. *De Officiis & Privilegiis Miniſtrorum Gymnaſii ab an. 1653. ad 1724.* 146
17. *Mantiſſa ad Profeſſores à Riccobono, & Tomaſino omiſſos.* 149
18. *Profeſſores Jureconſulti omiſſi.* 150
19. *Profeſſores Artium omiſſi.* 151
Sectio II. *De Profeſſoribus juris & Artium ad an. 1653. ad 1724.* 153
Caput 1. *De Profeſſoribus juris Canonici mane in 1. loco ab an. 1653. ad 1724.* 154
2. *Profeſſores Juris Canonici Matutini in 2. loco ab an. 1653. ad 1724.* ibid.
3. *Profeſſores Juris Canonici Matutini in 3. loco ab an. 1653. ad 1724.* 155
4. *Profeſſores Iuris Canonici Sero in 1. loco ab an. 1653. ad 1724.* 156
5. *De Profeſſoribus Iuris Canonici Veſpertinis in 2. loco ad 1724.* ibid.
6. *De Profeſſoribus Juris Canonici Veſpertinis in 3. loco ad 1724.* 157
7. *Profeſſores Matutini Juris Civilis in 1. loco ab an. 1724.* ibid.
8. *Profeſſores matutini Juris Cæſarei in 2. loco ad an. 1724.* 158
9. *Profeſſores Juris Ceſarei in 1. ſede veſpertina ad 1724.* 159
10. *Profeſſores in 2 ſede veſpertina Juris Cæſarei ad 1724.* ibid.
11. *De Profeſſoribus Juris Civilis veſpertini in 3. loco ad 1724.* 160
12. *De Profeſſoribus Criminalium diebus extraordinariis ab an. 1653. ad 1724.* 160
13. *De Profeſſoribus Pandectarum & Codicis diebus extraord. ab an. 1653. ad 1724.* 161
14. *Profeſſores inſtitutionum imperialium in 1. loco ad 1724.* ibid.
15. *Profeſſores Inſtitutionum Imperialium in 2. loco ad 1724.* 162
16. *De Profeſſoribus Inſtitutionum in 3. loco ad 1724.* 163
17. *Profeſſores Feudorum diebus extraord. ad an. 1653. ad 1724.* 163
18. *De Profeſſoribus Authenticorum diebus extraord. ad an. 1724.* ibidem
19. *De Profeſſoribus Regularum juris diebus extraord. ad an. 1724.* 164
20. *De Profeſſoribus Artis Notariæ diebus extraord. ad an. 1724.* ibidem
21. *Profeſſores Theologiæ in Via D. Thomæ ad an. 1724.* 165
22. *Profeſſores Theologiæ in Via Scoti ad an. 1724.* ibidem
23. *Profeſſores S. Scripturæ ab an. 1653. ad an. 1724.* 166
24. *Profeſſores Metaphyſicorum in Via D. Thomæ ad an. 1724.* 167
25. *Profeſſores Metaphyſicorum in via Scoti ad 1724.* ibid.
26. *Profeſſores Medicinę Theoricę in 1. loco ad an. 1724.* 168
27. *Profeſſores Theoricæ Medicinæ in 2. loco ad 1724.* 170
28. *Profeſſores practicę Medicę in 1. loco.* 171
29. *De Profeſſoribus practicæ Medicinæ ordinariæ in 2. loco.* 172
30. *Profeſſores Philoſophię ordinariæ in 1. loco ad 1724.* ibid.
31. *De Profeſſoribus ordinariæ Philoſophiæ in 2. loco.* 173
32. *Profeſſores ad Anatomen cum Ordinariis, & ad Chirurgiam in 1. ſede ad 1724.* 174
33. *De Profeſſoribus in Anatomen in 2. loco.* 176
34. *Profeſſores ad Theoricam Medicinam extraord. in 1. loco.* ibid.
35. *Profeſſores ad Theoricam Medicinam extraord. in 2. loco.* 177
36. *Profeſſores ad Theoricam Medicinam extraord. in 3. loco.* ibid.
37. *De Profeſſoribus ad Practicam extraord. med. in 1. loco.* ibid.
38. *De Profeſſoribus ad Practicam extraord. Medicinæ in 2. loco.* 178
39. *De Profeſſoribus practicæ Medicinæ extraord. in 3. loco.* ibid.
40. *Profeſſores Philoſophiæ extraord. in 1. loco.* 180
41. *Profeſſores Philoſophię extraord. in 2. loco.* ibid.
42. *Profeſſores Philoſophiæ extraord. in 3. loco.* 181

43. Pro-

Digitized by Google

43. *Profeſſores Philoſophiæ Moralis ad* 1724. 181
44. *Profeſſores ad Aſtronomiam, & Meteora ad* 1724. 182
45. *Profeſſores Chirurgiæ ordinariæ in* 1. *loco ad* 1724. 183
46. *Profeſſores Chirurgiæ in* 2. *loco*. *ibid.*
47 *De Profeſsoribus ad explicationem Simplicium ad* 1724. 183
48. *De Profeſsoribus præfectis Horto Botanico ad* 1724. 184
49. *De Profeſsoribus ad Theoricam Medicinam extraord. diebus Vacantibus ad* 1724. 185
50. *Profeſsores ad* 3. *Avicennæ in* 1. *loco ad an.* 1724. 185
51. *Profeſsores ad* 3. *Avicennæ in* 2. *loco*. *ibid.*
52. *Profeſsores Logicæ in* 1. *loco ab an.* 1653. *ad* 1724. 186
53. De Profeſsoribus *Logicæ in* 2. *loco ad* 1724. 187
54. De Profeſſoribus *Logicæ in* 3. *loco ad* 1724. *ibid.*
55. *Profeſsores ad Mathematicam ab an.* 1653. *ad* 1724. 188
56. *Profeſsores humanioris literaturæ Græcæ & Latinæ ad* 1724. 190

Tomi Primi Liber Tertius.

De Claris Profeſsoribus Gymnaſii Patavini.
Sectio I. *De Claris Profeſsoribus Juriſconſultis Gymnaſii Patavini in* 31. *cap. digeſtis à* 192. *ad* 276.
Sectio II. *De Claris Artium Profeſsoribus in Gymnaſio Patavino in* 38. *cap. recenſitis à* 277. *ad* 388.

Tomi Secundi Liber Primus.

De Claris Alumnis Juriſprudentiæ Patavinæ in 49. *Capita diſtributis à pag.* 5. *ad pag.* 150.

Tomi Secundi Liber Secundus.

De Claris Alumnis Artium in Gymnaſio Patavino in cap. 56. *relatis à p.* 151. *usque ad finem.*

NOI

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Tommaſo M. Gennari Inquiſitore nel Libro Intolato HISTORIA, & SUPPLEMENTUM AD HISTORIAM STUDII PATAVINI Authore D. Nicolao Comneno Papadopoli publico Profeſſore, non v'eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro, niente contro Principi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Sebaſtian Coleti Stampatore, che poſſi eſſere Stampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 28. Aprile 1725.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Ref.
(Andrea Soranzo Proc. Ref.
(Pietro Grimani Kav. Proc. Ref.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

20. Luglio 1725.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſs. degli Eſſecutori contro la Beſtemmia.

Antonio Canal Nodaro.

HISTO-

HISTORIÆ GYMNASII PATAVINI

TOMUS I.

LIBER I.

DE ORIGINE, INCREMENTO, ET SPLENDORE GYMNASII PATAVINI, EIQUE PRÆFECTIS MAGISTRATIBUS.

ACcuro mihi de iis, quæ in Gymnaſii noſtri deſcripeione, & hiſtoria vel incurioſiùs omiſſa ſunt, vel ad hanc noſtram ætatem pertinentia ſciri à priſcis Scriptoribus, aut exponi minimè potuerunt, illud præcipuum eſſe viſum eſt, ut ejuſdem Gymnaſii exortum, & quaſi natalem Annum certa aliqua temporis Epocha ſignandum conſtituam, mox ejus & ſtatum, & incrementum varium, ac multiplex probem, iis additis, & curioſiùs perpenſis, quæ ad Magiſtratuum, queis regitur, dignitatem pertinentia mihi omnia ſcrutato clariùs innotuere, patentque nunc omnibus, atque hoc nobiliſſimum diſciplinarum omnium, Artiumque bonarum Promptuarium in eum ſenſum ſplendorem, decus, ac majeſtatem provexere, qua major nulla nunc eſt in Italia. Id hoc primo hujus Operis libro enitar pro viribus; ſimul expediam cauſas quoque, ac præſertim Publicam Venetæ Reipublicæ & Munificentiam, & curam, qua factum eſt olim, fitque adeo etiamnum, ut Patavinum Lycæum Sapientiæ omnifariàm gloria ſemper floruerit ac floreat.

SECTIO I.

DE ORIGINE, INCREMENTO, ET SPLENDORE GYMNASII.

CAPUT I.

De Origine Statuque primo Gymnaſii.

I. QUæ de Archilycæo Patavino magnificè quidem, at ex conjecturis non planè probandis poſt (1) Riccobonum deducit & explicat (2) Tomaſinus, ſplendida ſunt magis, quàm vera, & ex more Genealogorum ad Originem primam res vetuſtiſſimas revocantia. Si non ex philautia decipimur, ariolantur potiùs, quàm quòd ponunt, conſtituunt. Neque enim quòd alicubi literarum, ſcientiarumque amor exarſerit, quòdque ibidem Legum, Artiumque liberalium Studia floruerint, idcirco ibi Lycæum, &, uti loquimur, *Univerſitas* agnoſcenda erit. Quippe idipſum jure ſuo, nomine ſcilicet eodem, ſibi urbes aliæ quampiurimæ aſſerent, & apud Italos, & in Græcia: quibus in locis non defuere diſciplinarum omnis generis præceptores doctiſſimi, diſcipulorum verò copia tanta, tam frequens, ut non majorem unquam viderit ulla ex iis, quæ inter Academias Sæculis ſequioribus conſtitutas celebrantur. Et Latini quidem hos diſcentium, docentiumque labores nullo ære publico, privilegiis plurimis, & immunitatibus munivere: at apud Noſtros, præter ſtipendium collatitium ex diſcipulorum Symbolis confectum, publicum additum; probatque hoc latè vir doctiſſimus Thomas (3) Diplovatacius eo ipſo in libro, quo de Claris Juris Conſultis Græcis ad Nicolaum Comitem Lavaniæ, Sabinienſem Epiſcopum, S.R.E. Cardinalem de Fliſco ſcribens, ante tempora Karolina nullam literariam Palæſtram publicis erectam auſpiciis aſſerit, præter tres in Oriente claras, Athenienſem in Græcia, Rhodiam in Aſia, & Berytenſem in Syria.

(1) de Gym. Pat. lib. 1. c. 2.

(2) de Gym. Pat. lib. 1. c. 2.

(3) in Præf.

Digitized by Google

II. Hinc exiſtimamus Archilycæi Patavini non ante obitum Actiolini Tyranni, declinante Sæculo XIII, circa annum MCCLX, initia ponenda eſſe, cùm nuſquam appareat certum veſtigium aliquod, aut confluentium ad hanc Urbem diſcipulorum, aut Præceptorum, quos ad capeſsendum docendi munus publica, vel privata ſtipendia conduxerint. Denique nullus Academiæ Rector, nulla lex, omnia diu, multumque rimatis occurrit; nullumque à Supremo Principe quoquam Diploma, quo poteſtas tribuatur Doctoribus provehendi emeritos ad gradus, & laureas, quibus Coronis imponitur Studioſorum laboribus.

(4) Catal. R::t Gym. infra.

(5) Tomaſ. ibid. c. 3 p. 3. & ſeq.

(6) ibi. & in Chronol. lib. 4. p. 558.

(7) d. c. 3 p. 3

(8) ad Annum 1261.

III. At poſt annum illum Goſaldus quidam (4) Hiſpanus Juris Conſultis ac Medicis, Artibuſque univerſim curandis præficitur, ſancitque multa: mox Rectoribus binis, altero Juris Conſultorum, Medicorum, Philoſophorum, cæterorumque Diſcipulorum, quos vocabulo barbaro *Artiſtas* dicimus, altero, Henrico nimirum à (5) S. Petronilla Friſio, & Franciſco Novara, Canonico Patavino Ciſalpino, res Academiæ ſeorſim à Repub. Patavina, duumvirali Magiſtratu adminiſtratur. Nec diu poſt Joannes Tranſalgardus Patavinus Epiſcopus, quod ipſa videtur Univerſitas diſcentium decreviſſe, ſe moderatorem Gymnaſii quadamtenus dixit, ac Rectoribus annuentibus, mox etiam concione habita ſancientibus, ſibi auctoritatem aſſeruit, Magiſtros, vel Doctores pronunciandi; functuſque ea precariò eſt, donec, quod Univerſitas ſanxerat, Urbani IV. P. M. Diplomate perennavit. Hæc ex (6) Tomaſino contra Tomaſinum ipſum producere libuit, ut hujus Academiæ primordia certa aliqua Epocha clauderemus, quam revera ſignandam exiſtimamus anno Æræ communis MCCLXIII, quo datum eſt Urbani Diploma apud Urbem veterem, anno Pontificatus III, qui non MCCLXII, ut annotat (7) Tomaſinus, ſed Annus eſt MCCLXIII, vel MCCLXIV, ut colliges ex (8) Baronio.

(9) lib. 1. c. 1. p. 1.

(10) d. c. 1, p. 4.

IV. Nec tamen abnuerim, vel ante ſignatum proximè tempus fuiſſe Patavii quædam Studiorum liberalium veſtigia, queis factum, ut à longa conſuetudine, cujus memoria non extet, Patavini Gymnaſii repetantur initia Doctorum auctoritate, Jacobi ab Arena, Bartoli, Cardinalis Panormitani, aliorumque, quos ad idipſum producunt & (9) Riccobonus & (10) Tomaſinus. Nam idem comprobant, tum quæ inferiùs trademus de paucis aliquot, qui, quòd Patavii litteris operam dederint ſub initium Sæculi XIII, accenſentur alumnis Patavini Gymnaſii, tum ipſum Friderici III. Cæſaris, notatum in quibuſdam priſcis Gymnaſii tabulis, Diploma, datum Joanne Ruſca Novocomenſi Prætore Patavino II. Anno ſcilicet MCCXXII, quo *Studium Generale* ab everſa propè Bononia transfertur Patavium.

V. Verùm hæc ipſa, ni fallimur, nullo teſtimonio, ratione nulla confirmant, fuiſſe longa, & diuturna conſuetudine, cujus ignoretur initium, conſtitutum in hac urbe Lycæum, Academiam, publicumque Gymnaſium: cùm & qui feruntur Patavio viri doctiſſimi produiſſe ante Ann. MCCLX. privatim docentibus uti potuerint, alumnique Gymnaſii noſtri dicantur, quòd Alumnis ejus præluſerint: & Diploma Friderici Cæſaris adeo non probat fuiſſe ante Ann. MCCXXII. Studium Generale Patavii, ut comprobet non fuiſſe, quando tunc illud Bononia transfertur Patavium, quò certè transferendum non erat, vel ineptè ſanè transferebatur, ſiquidem ibi fuiſſet jampridem. Quid quòd, ut illud Diploma Friderici recipias, de quo non injurià dubitare licet, non attamen certè conſtitues id, quod illo ſanciebatur, effectum fuiſſe: imò, ſi placeant veriora, & notitiæ temporum illorum conſentanea magis, non ambiges, omnia in medio fuiſſe, turbatis nimirum ubique totius Italiæ rebus ipſius Friderici perfidia, & inconſtantia, mox ſuſdeque everſa planèque peſſundata Patavina Republica Tyrannide Actiolini, quæ deſiit in Annum MCCLVI, poſt quem Patavinis in priſtinam libertatem reſtitutis, cogitatum ſit de Gymnaſio ex Friderici Diplomate conſtituendo; ut verum & certum ejus initium ante Annum MCCLX, quem deſignavimus, poni minimè poſſit, nec ſignari ſtatus ejus legitimus ante Annum Urbani IV. tertium, reparatæ ſalutis MCCLXIII.

CAPUT II.

De Incremento Gymnaſii primo.

I. CRevit deinde Lycæum, ut rei novitas in rudi Sæculo tulit, mirum in modum, paulatimque ſub Rectoribus gravis, & rei, cui præerant, augendæ ſtudioſis, alacri diſcipulorum frequentia clarebat. Magiſtri domi ſuæ pro ſua quiſque diſciplina dictabant, diſceptabantque: cum gradus erant conferendi, ornandaque Doctoralibus laureis emerita

emerita Sapientia, coventu habito coram Epiſcopo, Studiorum Præſide, vel ejus Vicario, Candidatus à Magiſtris dumtaxat ſubibat examen, ac ſecretis probabatur ſuffragiis, factaque ab Epiſcopo facultate, dignitatis Inſignibus ornabatur ex Formula.

II. Quibus poſt hæc incrementis mactum Gymnaſium ſit uſque ad Ann. MCCCXVIII, quo cœpit ſub Jacobo Magno Carrarienſi Reſpub. Patavina Principes habere, certa aliqua notione, & in ea, quæ refert nullo vetuſtatis documento propoſito (1) Tomaſinus, inquirere anceps fuerit. Hoc certum, intra annos circiter quinquaginta præfuiſſe Rectores Academiæ nonnullos virtutis eximiæ, ſpectatæque prudentiæ Viros, Joannem Præpoſitum Germanum, Petrum Gebennenſem, Nicolaum Polonum Cracovienſem Archidiaconum, Archidiaconum Aquilejenſem Joannem de Monte-longo, Philippum de Spetiariis Veronenſem, qui intra annos MCCLXVII. & MCCLXXXIV. in re Gymnaſtica procuranda, augenda, ornanda, admodum laborarunt, atque hos, re compoſita cum Patavinis Decurionibus, penes quos tunc Urbis imperium ſummum, multa de Profeſſorum ſtipendiis, de iis eligendis, eorumque Domibus ære publico conducendis, de tempore, quo ſtudiorum initia eſſent capienda, & ab illis quando eſſet vacandum, ſanxiſſe: nec videtur Gymnaſium interpellatum ab An. MCCLXXXIV. ad An. MCCC, quemadmodum credibile (2) Tomaſino viſum eſt, Interdicto Sacrorum per Nicolaum IV. P. M. Patavinis indicto; nam & Nicolaus IV. non ante annum MCCLXXXVIII. Pontificatum iniit, & ab An. MCCLXX. ad An. MCCXCIII. docebat Patavii, diſputabatque Accurſius è Regio Lepidi JC. cum Jacobo ab Arena Parmenſi, & Rolando de Placiola Patavino, ut inferius docebimus. Circa illud tempus floruit quoque Medicæ Artis gloria, evocatus Patavium è Gallia, magno per eam ætatem ſtipendio Aponenſis Petrus, qui diu in Patria publico Artium magiſterio perfunctus è vivis exceſſit triennio ante Carrarienſium Principatum.

(1) in Chronol. Gym. lib. 4. p. 358. & ſeqq.

(2) lib. 1. Gym. c. 3. p. 10.

III. Horum primus Jacobus Magnus, publica Civium ſuffragatione ad gerendam ſumma cum poteſtate Rempublicam adſumptus, ſavit mirum in modum Patavino Gymnaſio; quod ſenſim à primævo cultu, ſtatuque, injuria infeſtiſſimorum temporum delapſum, ad priſtinum decus reſtituere cogitabat, reſtituiſſetque, atque etiam auxiſſet, ni bellorum undequaque ingruentium tempeſtas, & vitæ brevitas interceſſiſſet. Idem impedimentum objectum Marſilio Patavinorum Principi II, qui Civium fortunis, quas Veronenſes Scaligeri per annos undeviginti miſerè vexaverant, reſtitutis ex fœdere cum Venetis, & Florentinis icto, ſuſceptum Principatum vix integro biennio tenuit, ac vita defunctus Ubertino reliquit. Hic ille eſt, cui præ cæteris maximè ſuam debet Gymnaſium noſtrum, quaſi proximam pubertati pueritiam. Quippe is egregia liberalitate, ac ſtipendiorum munificentia, celeberrimos Juris conſultos ad palæſtram literariam evocavit: is ſtudioſam Juventutem privilegiis auxit, confirmavit Rectorum in diſcipulos poteſtatem, quamque ex Urbani Diplomate Pontifices Patavini ſibi in provehendis ad gradus diſcipulis aſſeruerant, auctoritatem æqui bonique habendam cenſuit; ratus ferendum, quod mos invexerat, & rerum Sacrarum auſpicium conſecrarat. Neque enim id planè probaſſe videtur, atque hoc munus ad Principem pertinere, ex annotationibus præfixis Sanſoni (3) Diario, quod habemus, privatis ſermonibus affirmabat.

(3) p. 3.

IV. Hinc Ildobrandinus Patavinus Epiſcopus nova dignitati ſuæ munimenta quæſivit, curavitque, quod primo Urbanus IV. conceſſerat, ut novo Diplomate Clementis VI. confirmaretur. Extat hoc à (4) Riccobono ac (5) Tomaſino propoſitum, datumque apud Villam novam Avenionenſis Diœceſis XVII. Kal. Julii, Clementis ipſius anno V. qui non eſt annus MCCCXLV, ut exiſtimat (6) Tomaſinus, ſed annus MCCCXLVII; ut colliges ex anno initi à (7) Clemente Pontificatus. Ità planè, plenèque Jus inaugurandi Doctores & Magiſtros in hoc Gymnaſio perennavit in Pontificibus Patavinis, quorum deinde vel inſtitutione, vel patientia factum, ut quæ ſolis publicè profitentibus, ſeu Magiſtris in hoc Gymnaſio poteſtas examinandi Diſcipulos coram Epiſcopo, eoſque ſuo judicio ad lauream provehendi conceditur Diplomatibus Pontificiis, ad Patavinos Doctores duodecim protenderetur: unde Sacra Patavina Collegia, quorum ſapientia, nobilitate, gravitate, ac prudentia, non Urbi dumtaxat, ſed & ipſi Gymnaſio quantum laudis, exiſtimationis, atque ſplendoris acceſſerit, & accedat, nemo non videt.

(4) lib. 1. Gym. c. 2. p. 3.

(5) lib. 1. c. 4. p. 11-16.

(6) d. c. 4. p. 12.

(7) Continuator Baronii ad An. 1342.

V. Re ipſa non ante ſignatum proximè tempus ſtetiſſe Patavii Collegium aliquod, quod his privilegiis frueretur, ex eo maximè conſtat, quòd neque in Sylloge Jurium ad Collegium Juriſconſultorum pertinentium edita, Priore Franciſco Saviolo Anno MDLXIX, ullam legem invenies latam ante Sæculum XIV. & qui plus cæteris & antiquiùs in eadem Sylloge ſtatuiſſe dicitur, Joannes Ludovicus Lambertaccius, quamvis notetur Prior Anno MCCCLXXXII, ad Sæculum XV. omnino ſpectat, profeſſus in Archilycæo noſtro

Juriſprudentiam intra Sæculum XV. Extant Catalogi plures apud Portinarium Collegarum hujuſmodi Cætuum, nec tamen inde fas erit colligere, unde mox evenerit, ut Adſcriptorum his præclariſſimis Cætibus nomina, in eum numerum, ſupra duodecim, quos appellant Seniores, excreverit. Quamobrem ſenſim impetrata Epiſcoporum venia id remur accidiſse, qua munita Collegia, ipſo Sæculo XIV. deſinente, cœperint ultra Doctores duodecim, primò octo in Album Collegarum ſuorum adſcribere, mox tredecim, octodecim deinde: tandem data cuicunque Civi, vel Nobili Patavino, vel in Oppidis urbi Patavinæ ſubjectis honeſtè degenti, poteſtas petendi, obtinendique, propoſitis ſuppliciter precibus, quas probaſſet legitima Patrum ſuffragatio, ad Collegium ingreſſum. Id planè deprehendes ex legibus ejuſdem Collegii, ex quibus idipſum conſtitutum legitur Priote Jo. Ludovico Lambertaccio, quem exemplaria modo ad An. MCCCLXXXII. referunt, ut ſuperiùs notavimus, modo trahunt ad An. MCCCCIX. & fortè utroque anno Collegio præfuerit. Ut ut ſit, Collegia poſt hos annos creverunt, decreveruntque ex libito, ac deinceps in eum numerum, dignitatem, ac ſplendorem venere, quem ex merito obtinent, & bono publico conferunt, tum Urbis, tum noſtri Gymnaſii, quod ſuis virtutibus, ſuis exemplis, moribuſque ad gravitatem ac benignitatem compoſitis, augent, & illuſtrant.

CAPUT III.

De Incremento, Dote, & Privilegiis Gymnaſii ſub. Carrarienſibus.

I. QUæ hactenus de Gymnaſio noſtro dicta ſunt, ad ejus pueritiam pertinent, qua infantiam egreſſum poſt Annum MCCC. ſpeciem quamdam maturioris ætatis reddidit, & ad integram juventutem adolevit, faventibus Carrarienſibus Principibus, Jacobo Majore, Jacobino, & Franciſco Seniore. Et primus quidem Jacobinus ſummo ſtudio rem literariam proſecutus ad hoc Gymnaſium primi, & maximi nominis Doctores ingentibus undequaque ſtipendiis accerſivit: iiſdem familiariſſimè uſus, ea privilegia conceſſit, quæ deinde in utilitatem Studentium redundarent. Univerſam Academiam, arteſque in ea liberales ita in complexu, oculis, auribus habuit, ut quod in Epiſtola Franciſci Petrarchæ, cujus particulam (1) Tomaſinus exhibet, omittitur, verum ſit, eum pluties faſſum, ſibi non aliam præſertim ob cauſam Principis nomen, ac poteſtatem placere, quàm quòd ex ea poſſet magnificentiùs liberalitatem ſuam in literatos homines, & eorum alumnos effundere. Ex eadem Epiſtola colligere licet, quod alibi (2) Tomaſinus aſſerit, ad noſtri Gymnaſii gloriam pertinere divinam Petrarchæ poeſim. Is enim idcirco à Jacobo Minore, ſeu Jacobino Carrarienſi, nunciis, literis, tot ac tantis precibus fatigatus eſt, & Patavium accitus, ut hìc lectiſſimam Juventutem, undequaque, ut ad bonarum Artium Emporium confluentem, humanioribus inſtitutis imbueret, & ad latinam, atque italam eloquentiam, Muſarumque amorem alliceret. Mitiores enim literas docuiſſe videtur Pettarcha Patavii, quod tradit (3) Salomonius ex Pignorio, & antiquis inſcriptionibus noſtri Gymnaſii: hanc ob cauſam a Principe omnibus officiis cultus ad Canonicum Eccleſiæ Majoris Sacerdotium ejus beneficio provectus eſt, ejuſdemque muneribus ac ſtipendiis ampliſſimis auctus.

(1) lib. 1 Gym. c. 4. p. 16.

(2) in Athen. Præf.

(3) in collect. Inſcript. Gymnaſii.

II. An hic idem Jacobus Minor cenſu certo primus Gymnaſium dotaverit, dubium eſt: & fortè id ipſe conceperit animo, nec tamen effectum dare potuerit, à Guillelmo Carrarienſi ſenioris Jacobi filio notho interfectus. Nam ex Tabulario Patavino, cujus apographon edidit (4) Porcellinus, prima mentio Cenſus hujusmodi eſt Prætore Patavino Joanne Foſcari Veneto, qui eo magiſtratu fungebatur ipſo anno MCCCLI. primo itidem Jacobini, & Franciſci ſenioris: ut jure conſtitui poſſit, ab his ſtatos Gymnaſii tedditus fuiſſe decretos, arcamque poſitam, unde ſtipendia Profeſſoribus, intacto Principis Ærario, ſolverentur. Huic adjecta vectigalia Plauſtrorum, ac Bovum (unde Boccatici nomen) quod, ex notulis Apographo additis, toto Sæculo XIV. ultra viginti quatuor millia librarum Venetarum ſtetit, aliquando minus reddidit: quippe poſtremis Carrarienſium temporibus vix tria millia Ducatorum argenteæ monetæ Venetæ in Arcam Gymnaſticam intulit, (5) ut conſtat ex Decreto Senatus Veneti XIII. Septembris Anni MCCCCXCVII.

(4) in Notulis ad Matriculas Gymnaſii.

(5) apud Tomaſ. lib. 1. Gym. c. 3. p. 19.

III. Dotatum Gymnaſium iidem Principes Privilegiis cumulavere, & primò domum ab Ubertino Artium Univerſitati donatam Jacobus Junior in tantum auxit, ut partem ejus Juriſconſultorum Communi locandam cenſuerint Rectores, gravi per eam ætatem locario Aureorum Venetorum triginta ſex: quo tandem onere Juris Conſultorum Univerſitas exempta eſt beneficio Franciſci ſenioris, qui eidem dono dedit domum

pari

pari cum illa, quam Artium ſtudioſi obtinebant, amplitudine. Eam ad Templum, ſeu Sacellum potiùs D. Margaritæ M. ſtetiſſe, partemque fuiſſe ædium Carrarienſium, quos Papafabas appellabant, ex (6) Ungarello cognoſces, ex quo habet etiam (7) Tomaſinus, hoc Jacobi Minoris munere, Juriſconſultorum Univerſitatem à debito, quod cum Studioſis Artium contraxerat, liberatam, Rectoribus Franciſco Mella Capellano Tranſalpino, & Joanne Fuſuda Calabro. At hoc munus, & alia quàmplurima per Franciſcum Seniorem aucta ſunt privilegiis, quæ hìc recenſere ſigillatim longum ſit, atque etiam ſupervacaneum, cum ea latiùs exponat Tomaſinus ex Diplomatibus Pontificiis, & vetuſtis Apographis MSS. Tria tamen annotanda ſunt, quæ videntur ipſi Carrarienſes intra Sæculum XIV. extra cæterorum ordinem conceſſiſſe. Primum eſt immunitas à quacunque præſtatione Vectigalium, quæ inſigni (8) Diplomate Jacobini dato Magiſtris, ac Profeſſoribus Publicis, ad ſtudioſos Juvenes producta eſt à Franciſco Seniore tanta Munificentia, ut vel in pretiis rerum venalium pars illa detraheretur, quæ ſolutorum Vectigalium nomine à venditoribus exigebatur. Extat hoc Privilegium in calce Chronicorum Ongarelli, quæ habeo, ſignaturque Prætore Corteſio de Lambertaciis Brixienſi, ac teſtibus Arcuano Buzzacarino, & Frigerino Capivaceo: quamobrem ad Annum MCCCLXXV. pertinet, quo ex Indice inferiùs proponendo Præturam gerebat Corteſius, (9) florebantque virtutis bellicæ fama Arcuanus, & Frigerinus.

(6) in fine in Actis Zilii.

(7) lib. 1. Gym. c. 4. p. 18.

(8) Ext. in Collect. Salom. ad Inſcript. Gymn.

(9) Scard. lib. 3. Claſ. 13. p. 312-321.

IV. In eodem Diplomate immunitas eadem protenditur ad hoſpites Scholaſticorum, quibus ex onere Vectigalium dimidium condonatur, quo minore pretio Studioſæ juventuti operam locent ad alimenta, & habitationem. Secundum Privilegium Jacobum juniorem auctorem habet, eoque confirmata poteſtas eſt Gymnaſii Rectoribus in diſcipulos & Magiſtros, ut hi à Rectoribus in Comitiis annalibus Conſiliariorum, habita ſuffragatione, confirmarentur, vel dimitterentur: conducerentur certo ſtipendio alii, alii dimiſſis, vel abeuntibus ſufficerentur, ſalva Principis auctoritate, qua celeberrimi tota Europa Profeſſores extra ordinem legebantur. Ex hac erga Gymnaſiarchas clementia Carrarienſium proveniſſe credimus, ut, quod nuſquam legimus conſtitutum, ad hos Diſcipulorum judicia (10) referrentur, exceptis Majoribus cauſis criminalibus, in quibus ita de reo quæſtio habebatur, ut, non niſi præſente Rectore, crimen in examen, & in illud ferri ſententia poſſet. Hinc iiſdem Rectoribus datum, ut arma ipſi ad tutelam honeſtam ferrent, ac ſtipatoribus ferenda ſuis concederent: neque enim Diſcipulis ea unquam fuere permiſſa, eorumque Studioſæ Juventuti uſus interdicto ſemper publico vetitus eſt.

(10) Vid. Tomaſ. lib. 1. c. 20. p. 56. c. 22. p. 60.

V. Tertium Privilegium fuit, quo maximè ſignificarent, quanti Gymnaſium facerent noſtrum, quantoque, cum in eo profitentes, tum ipſos diſcipulos amore complecterentur. Permiſſum enim utriſque, ut, ſi libuiſſet, jure Civium Patavii domicilium ponerent, probata Natalium honeſtate apud ſuos, & ſuffecturo ad vitam, & familiam liberaliter ſuſtentandam cenſu conſtituto. Quantum ex his privilegiis Gymnaſio Patavino decus acceſſerit, patebit inferiùs, ubi de Claris Profeſſoribus, aliiſque, qui tum humanioribus, tum ſeverioribus diſciplinis Patavii navarunt memorabilem apud poſteros operam, agendum erit.

CAPUT IV.

De Splendore, & felicitate Gymnaſii ſub immortali Republica Veneta.

I. ANno MCCCCV. cum jam biennio res Gymnaſii, atque unà Urbis Patavinæ ſub Franciſco Juniore Carrarienſi penè non ad interitum vergerent, miſerati Cives afflictam cladibus publicis, & extremo Artium bonarum excidio Civitatem, Venetorum ſe fidei, ac poteſtati permiſere XV. Kal. Decembris, urbem, urbanumque cum Clavibus Vexillum Michaeli Steno Venetorum Principi tradentibus XVI. Viris, quorum illuſtriſſimo, ac nobiliſſimo Magiſtratu ſtat communis Utilitas. Conſilii Prudentiam docuit, ac probavit eventus: pax enim, quies, atque felicitas, & publica in rebus omnibus fauſtitas, unà cum Imperio Veneto urbem intravit, brevique res Patavina non reviviſcere ſolùm, ſed & revireſcere, quaſi reddita juventute, cœpit, atque in primis hoc noſtrum Archilycæum; quod deinceps non ſolùm ad omnem Scientiarum gloriam excrevit legibus optimis, & pro varietate temporum peropportunis, de quibus agendum erit ſuo loco; verùm etiam inſigni docentium præſtantia, ſumma diſcentium frequentia, privilegiis ampliſſimis, magnificis ædificiis, ac cenſu publico ad ſtipendia corrogato, auctoque

ſin eam copiam, qua etiamnum ad ſumptus egregiè ſuſtinendos munificentiſſimè inſtruitur.

II. Enim verò cùm perorante V. Clar. Franciſco Zabarella poſtea Cardinali, Oratione (quam præ manibus habemus non ſatis tanti Viri famæ parem) dedentes ſe Venetæ poteſtati Patavini Cives, tria petiiſſent; Municipalium ſcilicet Jurium, & Conſuetudinum patriarum, ut ſalva, ſanctaque ratio haberetur, ut Ordines Lanificii iis legibus, ac privilegiis uterentur, quibus ad eam diem utilitati publicæ militaverant; utque Gymnaſii Patavini decora, jura, immunitates, & libertates confirmarentur; præeunte in verba Principe Steno, Senatus reſpondit, omnia ſibi rata eſſe, ac fore perpetuò; at quæ ad Gymnaſium ſpectabant, ea peculiariùs auctoritati ſuæ Senatum ſeponere, curaturumque ſe, ut illi major è Veneto Patrocinio gloria contingeret. Ita vel ab iuito Euganeæ Urbis Imperio, Reſpublica Veneta ſe altricem, ac patronam Gymnaſii noſtri profeſſa eſt. Quippe ex ingenio Gentis ſtudioſiſſima Sapientiæ, qua, ſi parcendum invidiæ cenſeas, æquè atque armis enituit; ſi placeant veriora, longè majoribus ornamentis, quàm petitis ex Armorum luce, tum apud ſuos, tum apud exteros claruit. Nam & domi à Sapientibus regitur, omnibuſque, quotquot adverſæ fortunæ ictibus preſſi Venetias confugiunt, literatis hominibus benignum, ac ſalutare ſemper hoſpitium paravit ac parat; & foris penè non omnium Italicarum Urbium libertati prætoria poteſtate præfuit, ac præſertim Patavio, in cujus prætoriis Faſtis, qui præ manibus omnium ſunt, intra Sæculum XIII. & XIV. præfectos juridicundo quinquaginta ordine propoſitos, notatoſque reperies: ut non ſit mirum, ſi ex ingenio ad Sapientiæ ſtudium propenſa immortalis Reſpublica, receptis in fidem Patavinis, id ſibi præ reliquis ad gloriam, & majeſtatem Imperii ſepoſuerit, ut ex ipſa Principatùs, quem inibat, fide, huic Sapientiæ Sedi celeberrimæ, communique in tota Italia bonarum artium Emporio, profuſiùs, clementiùſque faveret.

III. Quid quod, ſi recipimus, quæ ſuperiùs dicta ſunt de initiis certis Gymnaſii, ejuſque primæva, quæ non ambiguis argumentis probari poteſt, conſtitutione, fato quodam contigiſſe crediderim, ut Patavinum Gymnaſium, quod ad publicam utilitatem, ac decus Venetis beneficiis, Veneta claritate, ac munificentia provehendum erat, in Urbe nondum Venetis ſubjecta, auſpiciis Venetis prodiret in publicum. Notandum enim, eo ipſo anno (1) MCCLX. quo, quandam veluti infantiam tranſgreſſum, diximus cœpiſſe hoc Gymnaſium quaſi pubeſcere, Patavii prætoria poteſtate functum Marcum Quirinum, quem mox excepit Joannes Baduarius, ſucceſſione proxima ad eundem Magiſtratum evecto Laurentio Theupolo, qui ad Solium publicæ Libertatis provectus anno MCCLXVIII. Princeps Principis Filius, iteratò inſignia Venetæ Majeſtatis in Sereniſſimam Familiam intulit, ex qua Triumviralem Ordinem Gymnaſio præfectum auget hac noſtra ætate Laurentius Theupolus Eques, & D. M. P. nunc, cùm ſcribimus, extra ordinem Legatus in Gallia.

(1) Vid. inferius Catalog. Pret. Patav. hac par. lib. 2. c. 1. nu. 1.

IV. Sed hæc obiter dicta ſunt, quò conſtet, non ſine quadam Numinis providentia ſingulari lectam Venetorum Rempublicam, ut & certum initium Gymnaſii ſignaret, & incrementum auguſtius, plenamque felicitatem, qua deinceps floruit, ſtudioſioribus curis, ac pleniore beneficentia ſanciret. Profectò quanta Senatus Auguſti erga Gymnaſium Patavinum propenſio fuerit ſtatim à recepta hac Urbe, quam antiqua monumenta regiam ſemper appellant, manifeſtum eſt ex (2) Decreto ad Thomam Mocenicum primum pro Republica Veneta Patavii Prætorem, mox Ducem Venetum, dato, quo Gymnaſium (3) Vicentinum, cujus habemus qualem qualem ex Jacobo Marzario apud (4) Riccobonum notitiam, abrogatur: quod autem erat frequens Tarviſii, Patavium revocabatur. Ibi enim ſatis apertè ſe prodit Venetæ Reipublicæ amor erga hanc bonarum Artium Patriam, quam in ampliſſima ditione unam voluit, unam ſanxit, unam ſingularibus beneficiis aucturam ſe, ornaturamque pollicita eſt. Reipſa Gymnaſium, quod pauperrimum reperit, ditiſſimum fecit, quod privatis in ædibus habitabat, ac penè non in gurguſtiis exedras Magiſtrorum collocaverat, regio Ædificio erecto, produxit in publicum, & quaſi in Baſilico domicilio juſſit Sapientiæ merces exponere: munivit Sanctiſſimis legibus, privilegiis, immunitatibus auxit, & quod præcipuum & maximum, accitis ingenti ſumptu Scientiarum omnifariam Profeſſoribus tota Europa clariſſimis, in illam ex Sapientia famam provexit, ut cùm, antequam in Venetam ditionem veniret, clarum per ſe, par fuerit cæteris per Italiam Gymnaſiis, deinceps ſub Venetis auſpiciis ſupra reliqua omnia frontem erexerit, & cætera majeſtate ſui nominis, abſit verbo invidia, quodammodo oppreſſerit.

(2) ext. lib. P. de Stud. Pat. mihi ex Secreta exhibito p. 8. 4 April. An. 1407.
(3) V. Tom. lib. 4. Gym. p. 378.
(4) Gym. lib. 1. c. 1. p. 1. ter.

CAPUT V.

De Regia Reipub. Venetæ Munificentia erga Gymnaſium.

I. UT quæ diximus ad facti trutinam revocata, manifeſtiùs appareant ex adſumpti Operis inſtituto, dabimus, quæ à Riccobono, ac Tomaſino vel omiſſa, vel ſubobſcurè notata, vel ſparſim obiterque propoſita Venetam Munificentiam vel non referunt, vel iniqua ſpecie referunt. Stante Patavina Reſpublica vel ſub Tyrannide gemente, vel quadamtenus florente ſub Carrarienſibus, Gymnaſii ſedes erat ad D. Blaſii, humilis, & anguſta. Jus ejus ad *Artiſtarum*, (quo nomine vulgo Philoſophorum, Medicorum, ac Theologorum ſtudioſa Societas cenſetur,) Univerſitatem, quæ canonem, ſeu locarium ſolvebat privatis dominis, pertinebat. Hujus porro pars altera Juris conſultis, quos *Juriſtas* appellant, ſublocabatur, cenſu annuo conſtituto, ut ibi Scholas habere, & ad Magiſtros audiendos, habendoſque conventus, coire diſcipulis liceret. Cenſus hujuſmodi, atque locarium ipſum Symbolis, ære ſcilicet collatitio diſcentium, ac Doctorum conficiebatur, non ſine gravi Gymnaſii totius diſpendio, & onere, quo tamen ſub Carrarienſibus liberatum eſt. Nam ex integris actis, quæ vidimus, Tabellionis Zilii, à (1) Tomaſino laudati, colligere licet, Rectores Scholarum, & Canonem Ædium, ære in totum ſoluto extinxerunt, & accepta domo, quam Juris-Conſultis Franciſcus Carrarienſis donaverat, annali ſolutione hos pro conductis ad D. Blaſii Scholis exemerunt: inolevitque tunc firmiùs, quæ ſenſim irrepſerat, conſuetudo non unum, ſed geminos Gymnaſio Rectores præficiendi, quorum Artibus alter, alter Legibus præeſſet; donec juſtas ob cauſas, ut diſſidia conquieſcerent, & quæ literas alit, quies ſtudioſæ Juventutis animos demulceret, Veneti Senatùs providentia abrogata eſt, decretumque, ut unum ex duabus Univerſitatibus Gymnaſium unius Magiſtratu ſupremo, ac jurisdictione regeretur, quem alternis, modo Artibus deditum, modo Juriſprudentiæ operam dantem Univerſitas utraque nominaret, ſuumque communiter in re Gymnaſtica Principem agnoſceret; ex ea tamen claſſe nuncupandum, quam profitebatur.

(1) lib. 1. Gym. c. 4. p. 18.

II. Id non ante annum MCDL. videtur fuiſſe conſtitutum. Quamobrem, quæ de Juris-Conſultorum Domicilio mutato, translatoque ad proſpectum Ædium D. Antonio ſacrarum traduntur communiter à Scriptoribus, non ſunt ante annum illum ad cenſum Hiſtoriæ referenda, cùm conſtet illis Juris-Conſultorum Ædibus, quas vetuſtas labefactaverat, reſtaurandis (2) initium factum An. MCDXLVII. Rectore *G. Bernardo*, finem verò An. MCDXLVIII. Rectore *Jo. Paulo de Bernabucciis*. Id quod ulteriùs comprobatur ex Apographo venditionis, quo ab eadem Univerſitate Ædes, ipſi à Carrarienſibus donatæ ad D. Margaritæ, conceduntur in Emphyteuſim Joanni Pariſino de Mediis Comitibus, qui obiit An. MCDX. Indictione II. die Martii XV, ut ex lapide apud (3) Salomonium videndo.

(2) Tom. in Chronol. lib. 4. Gym. p. 390.

III. Porro hæc diſtantia Scholarum, ac geminæ Univerſitatis, qua conſtabat Gymnaſium, plena diſtractio, præterquam quòd Magiſtris ac diſcentibus incommoda, litium rixarumque cauſa perpetua erat, prænſabanturque hinc inde Auditores, ut frequentioribus, quæ dabantur publicitùs documenta, concionibus exciperentur. Spectacula quoque edebantur creberrimè ad opum, ac nobilitatis jactantiam: unde Univerſitatum mutuà, nec utilis æmulatio, diſcipulorum à curis literariis alienatio, eorumdemque ſumptus privatis fortunarum ſumptibus iniqui; ſæpè etiam à Magiſtris ipſis inſolenter extorti. Legimus Orationèm ſatis, ut illa tempora ferebant, lutulentam Jo. Ludovici Lambertacii in funere Ottonelli Diſcalcii Senioris, quem ſcimus An. MCDIII. fato functum, in qua contra Scholaſticorum auſus hujuſmodi acriter invehitur, atque inde Ottonellum laudat, quòd his conſtantem ſemper animum oppoſuerit, eoſque, qua tum apud Carrarienſes, atque ipſos diſcipulos pollebat, gratia, tum etiam gravitate morum, & Sapientiæ auctoritate opportunè compeſceret.

(3) Inſcrip. Pat. p. 23. nu. 123.

IV. Ergo ſæpe de eo cogitatum, ut in unam Sedem Gymnaſium conveniret, & quaſi in foro publico Sapientiæ nundinas poneret; ſed & locus idoneus tanto Operi deerat, & Arca Gymnaſii tenuis admodum, ſumptibus Ædificio deſtinandis minimè ſuffectura videbatur. Occurrit utrique neceſſitati Munificentia Veneta, & quod ante illam intra cogitationem ſteterat, ac ſpem, & decrevit & fecit. Nam & locum aptiſſimum erigendo Lycæo reperit, & in Ærarium Gymnaſii eas opes intulit, quibus parando Domicilio, quod auguſtum animo conceperat, par eſſet. Debemus hoc Veneriæ Familiæ; quæ,

licet

ſicet iteratis Principum Venetorum Inſignibus, Regia, Senatorum ſetie nunquam interrupta venerabilis, pluries Triumvirali poteſtate Archilycæum Patavinum ſit moderata in (4) Franciſco Venerio, in (5) Sebaſtiano, in (6) M. Antonio, ætate noſtra in Nicolao, & Sebaſtiano D.M. Procuratoribus ampliſſimis; hoc etiam nomine memorabilis Patavio erit, quod Gymnaſio noſtro ad certas ſedes revocando, auſpicium prima prætulit, prima ſecit, ac poſuit initium. Nam Antonius Venerius Prætor Anno MCDLXXXVI, & MCDLXXXVII. ad hoc ipſum decernendum induxiſſe Senatum (7) dicitur, & Marinus (8) Venerius Prætor MCDXCIII. à Bolzaninis accepto in Emphyteuſim Bovis hoſpitio, Scholas ad Forum Vinarium, è regione dicatatum D. Martino Ædium tranſtuliſſe.

(4) Anno 1575.
(5) Anno 1631.
(6) Anno 1539. 1545. 1549.
(7) Salom. in Collect. Inſcript. Gymn.

V. Habes hæc omnia brevitet ſignificata pet (9) Antonium Riccobonum, latiùs & ambitioſiùs expoſita per Tomaſinum, ut non ſit opus hic aliquid addere, prætet erectam Ædificii ſrontem, & Ichnographiam ſi placuerit proponendam, atque unà quantitatem pecuniæ extruendæ Moli plane baſilicæ datam annotare. Eam ex notulis perantiquis deprehendimus ſupra trecenta ac decem librarum millia Monetæ Venetæ, atque adeo Ducat. Millia quinquaginta aſcendiſſe: cui ſumptui per ea tempora maximo, mirum eſt, Æratium Gymnaſii, unde depromptus aſſeritur, ſuffeciſſe, ni Veneta Munificentia, quod pauperrimum invenerat, ditiſſimum feciſſet.

(8) V. Tomaſ. lib. 1. c 9. p. 35.
(9) lib. 1. Gym. c. 4. p. 9. 10. ibid.

CAPUT VI.

De Incremento Ærarii Gymnaſtici & ejus Officiis.

I. DOtem Gymnaſio conſtitutam à Carrarienſibus diximus, aſſignato Buccatico, capitationis nimirum in ruſticos diſtributæ, & bovum, atque adeo plauſtrorum omnium vectigali. Summam id Millium octodecim, ac ſexcentorum pondo minoris Veneti non exceſſiſſe certum eſt, quando potita Patavinæ urbis Reſpublica Veneta, non plus vectigal illud teddidiſſe faſſa eſt, ſuccurrendumque cenſuit Gymnaſio, adjectis de ſuo Nummis Ducatis mille, ut intra quatuor millia illius Monetæ Publici Profeſſores conducerentur. Mira deinde induſtria in id curandum incubuit, ut ejuſmodi cenſus augeretur, egitque, (1) ut intra Sæculum XV. Arca Gymnaſii proventu librarum ſexaginta quinque millium ſexcentatum viginti ſeptem diteſceret. Cui eodem Sæculo exeunte ex aliis vectigalibus addixit ejuſdem ptetii pondo quatuor mille, & (2) quingenta: mox etiam Inſtrumentorum, ac Teſtamentorum Vectigal æſtimarionis librarum quatuor millium ducentarum triginta ſeptem: denique ſolutiones è Schedulis Peregrinorum, quæ valent libras quadringentas quinquaginta novem, ut ipſo anno MD. cenſus Gymnaſii ad librarum ſeptuaginta quatuor millia ſupra octingentas viginti quatuor excreverit.

(1) ex Tabular. Quæſtorio Cod. 1 à p 64.
(2) ex Fod. Tabul. in not.

II. Nec deinceps ceſſatum ab eodem cenſu augendo. Nam ab Anno (3) MDC. ad hæc noſtra tempora plus minus librarum centum octoginta ſex millia in Arcam, temque Gymnaſii vertuntur, ac millibus Ducatæ Monetæ triginta, quæ ad illam pertinent, locantur, locarique poſſunt.

(3) ex not. ab Advoc. Fiſc. traditis.

III. His opibus, prætet Profeſſorum ſtipendia, & ptæmia, ſtipendiorumque, ac præmiorum auctaria (quibus ptæcipuè addictæ ſunt) Gymnaſii Periſtilia latè & eleganter impluvium complexa, camerata pro duplici contignatione, ac prorſus in porticus extenta ambulacra, Scholæ cum pluteis, ac ſubſelliis peramplæ, ſarta tecta, Horologium, nolaque cuſtodiuntur, ſervanturque: Majeſtati, copiæ, cultuique Hotti Botanici conſulitur, ſalaria Miniſtris ſolvuntur, earumdemque particulis alitur Collegium Græcum, & Nobiliſſimæ Deliorum Equitum Academiæ fertur honorarium ſubſidium. Si quid tot ſumptibus ſupeteſt, ſanctè ſeponitur ad utilitatem dumtaxat Gymnaſii, tanta, tam religioſa cuſtodia, ut inde aliquid ad uſum publicum alium delibare, ne ipſis quidem inconſulto Senatu, (4) Rectoribus urbis liceat, quibus Venetias à Magiſtratu regreſſis acceſſu ad urnam Comitiotum intetdicitur, ni prius legitimè probaverint, ſe Patavinæ urbi, intacta Gymnaſii Atca, præfuiſſe.

IV. Nempè publicæ providiſſimæ Liberalitatis plutimum intereſt patatas ad præmia divitias, expeditaſque ad Stipendiorum ſolutionem opes in promptu habere, unde in optimè meritos eroget pto cujuſque virtute, fama, labotibus, & quod maximè Principem decet, & ex ingenio eſt Reipublicæ Venetæ, parcitatem contemnat, ſacris literarum otiis inimicam, in ſubitis neceſſitatibus trepidam, ad concipienda magnificè, capeſſendaque providè Opera non idoneam. Hoc ipſo, quo hæc ſcribimus, An. MDCCXXII, laxatis, effractiſque plectis, unde pendebat Æs campanum Gymnaſii, quo præcone ad

(4) lib. 2. Decret. p. 12. 13. 20. 18. Aprilis in Rog. & 1677. 27. Nov. in Rog. Decr. eod. lib. p. 198. 199.

ad prælectiones evocantur diſcipuli, ſonus per urbem univerſam latiſſimus, jucundiſſimus conticuerat poſt annum, ex quo cœperat literarias Conciones indicere, duodevigeſimum ſupra centeſimum. Occurrit ingrato ſilentio Arca Gymnaſii, ac jubentibus Jo: Franciſco Mauroceno Equite, Franciſco Superantio D. M. Procuratore, ac Petro Grimano Eq. & D. M. Procuratore Triumviris literariis, ampliſſimis Senatoribus, nola ex horaria Turri demiſſa, conflata, atque iterum fuſa eſt, adjectis pondo MCCC. Æris Corinthii.

V. Nec alia ſpe cœptum Bibliothecæ Gymnaſticæ nobiliſſimum Ædificium. Ejus originem, ſedem, & Codicum copiam deſcribit appoſitè (5) Tomaſinus, ut ſupervacaneum ſit aliquid addere, niſi quod attinet ad ejus Præfectos, & deſtinatum illi recens locum ex Triumvirali Decreto. Præerat Bibliothecæ Gymnaſii, poſt Felicem Oſium peſtilentia circa annum MDCXXX. è vivis ereptum, & poſt obitum Alexandri Synclitici Anno MDCXLVII, Octavius Ferrarius, cui extincto An. MDCLXXXII. ſuffectus eſt extra Profeſſorum ordinem primus Vir eruditus, & rei biblicæ gnarus Thomas Herculanus Canonicus Aquilejenſis florenorum numiſmatum trecentorum ſtipendio. Hoc agente, numerus librorum utiliter auctus, curata omnia diligenter, & uſui publico expoſita, donec vires ſuperfuere: ubi urgente extrema ſenectute Silicernio ſe proximum ſenſit, cura quidem Bibliothecæ apud illum elanguit, at Bibliothecæ redditus ex Coronatis duobus, conferendis in rem ejus à quolibet laurea donando, aut recipiendo in quævis Collegia Venetæ ditionis, crevere, Præfecto ejus Hieronymo Comite Frigimelica, Viro pari nobilitatis, ac doctrinæ gloria conſpicuo.

(5) lib. 1. c. 73. à p. 211.

VI. Hoc admonente, atque etiam ingerente, pro ea, qua eſt in munere illo gerendo, perſpicaci, ſanctaque prudentia viſum eſt non ſatis bono loco eſſe publicam Bibliothecam in Aula (quam ad Ædes Urbani Præfecti ab appictis illuſtrium Virorum iconibus Gyantum vulgò Aulam appellant) ubi quaſi hoſpitio recepta degeret, non pateret publicitus opportunè, atque Conventibus obligata Nobilium Academicorum, quos *Recovratos* vocant, neque in ſuo pro dignitate, nec tuto in loco eſſet: quippe ſæpe expoſita publicis concionibus, quas ritu ſolemni, plenaque totius urbis celebritate Academici ex libito habent. Hinc actum, ut eidem Aulæ conclave recipiendæ Biblicæ ſupellectili idoneum adſtrueretur, in quod Bibliotheca translata cognoſceretur ex titulo peculiari, propriis eſſet in ſedibus, commodoque diſcentium liberiùs deſerviret.

VII. Interceſſere Operi deſignato Collegiorum Gymnaſticorum Præſides, profeſſi coram literariis Triumviris, non alio in loco libris Gymnaſticis transferendis domicilium ponendum eſſe, niſi in ipſo Gymnaſio: ibi eos collocandos, ubi docentium præſto ſint uſui, diſcentes alliciant, pateant omnibus ad Gloriam, Majeſtatemque Gymnaſii, ad cujus Jus pertinent, cujus in bonis ſunt, cujus utilitati ab origine militant. His rationibus, aliiſque, quas locupletiſſimè protulerunt Viri doctiſſimi, evictum, ut ex Triumvirali Decreto, in Gymnaſio Bibliotheca Gymnaſii eſſet. Empta eſt area ad latus Meridianum ejuſdem: ibi poſita ſunt Fabricæ nobilis fundamenta; ſurrexitque ſumptuosè, ac magnificè ſurgit Ædificium, quod Gymnaſii noſtri regium decus æquet, fortaſſis & ſuperet. Ejus egregium ſpecimen, transferendorumque in illud Codicum copiam, ordinem, rationem, uſum, atque cuſtodiam deſcribent poſt nos alii, quibus dabitur Operis eximii ſtructuram ad faſtigium deductam aſpicere, eaque felicitate frui, qua, ſi vera volumus, Gymnaſium hactenus caruit, carebitque, donec Scientiarum, Doctrinarumque Promptuarium Bibliotheca extra Gymnaſium poſita & egebit, ut hactenus, &, ut hactenus, erit inutilis.

CAPUT VII.

De Singulari Munificentia Senatus Veneti erga Profeſſores Univerſim.

I. GYmnaſii Patavini decus in eo maximè ab origine ſtetit, ut Magiſtrorum Doctorumque præſtantia diſcentium utilitati, votiſque ſuppeteret. Hinc vix, quæ Anno MCCXXII. Patavium translata per Fridericum II. diximus, Jura Bononienſis Academiæ uſurpari ſenſim cœpere, cùm à Republica Patavina ſummo ſtudio curatum, ut ad natum recens conſtitutumque Gymnaſium Viri celeberrimi, ſi qui vel domi privatis auſpiciis, vel foris ad exteras nationes, doctrinas, & ſcientias profitebantur, ſtipendiis propoſitis accirentur. Horum aliquos (1) Rolandinus, qui declinante Sæculo XIII.

circa

1. in fine Chron. ad ann. 1262.

circa Annum MCCLXII. non ſine fama raræ per ea tempora Sapientiæ hoc munere fungebantur. His clariores, eo, & ſequenti Sæculo ad eamdem operam evocavit Carrarienſium liberalitas: ſed clariſſimos & poſteritati maximè memorabiles ſibi conciliavit ingenti præmiorum munificentia regium Venetæ largitatis ingenium. Hujus tanta cura, tàm ſedula in his apparandis, exhibendiſque fuit, ut non ſolùm, quod ſuperiùs notabamus, ad id præcipuè Lycæi dotem auxerit, paremque fecerit decernendis ad magnorum ingeniorum illicium ſtipendiis honeſtiſſimis, ac certiſſimè perſolvendis; verùm etiam, ſi quando, temporibus difficillimis, ex injuria Morborum, Bellorumve, imminuta Gymnaſii arca damnum, aut egeſtatem pati viſa eſt, erogatis aliundè pecuniis, illam inopiâ prohibuerit, porrectoque extra ordinem ſubſidio, amantiſſimè ſublevarit.

II. Biennio poſt receptum in fidem Patavium anno ſcilicet MCDVII. aureos ſupra redditus Arcæ Gymnaſticæ mille conducendis Doctoribus (2) adjecit, ex eoque Ærarii auctario dati ſunt C. Henrico de Alano, Danieli à S. Sophia ducenti, quindecim ſupra ducentos Blaſio Parmenſi, Franciſco Zabarellæ trecenti, quingenti Raphaeli Fulgoſio, Jacobo Forolivienſi ſexcenti, totidemque Benedicto Plumbinati Clariſſimis Profeſſoribus.

(2) SC. 13. Sept. 1407.

III. Anno MCDXII. ingruentibus bellis Ferrarienſi, atque Pannonico, ne quod Gymnaſio periculum, damnumve inferretur infeſti Martis inſultibus, ei, ejuſque doti (3) conſultum ſumptibus publicis, ac Centumvirali Decreto evocatis ad Foſſam Clodiam, quam Clugiam appellant, Diſcipulis & Magiſtris, his quidem ex Ærario Veneto ſoluta ſtipendia, illis ad convehendas ſarcinas ſuas, & remiſſum portorium, & pretium expenſarum oblatum.

(3) Decr. 4. April. 1412. & Cod. 1. de ſtud. Pat.

IV. Anno MCDLI. X. Kal. Februarii ob incommoda bellica, quibus Reſpublica ditionibus aucta, vires tamen attriverat, (4) vetuit ſalaria per menſes ſex ſolvi inerentibus extra Urbem Prætoribus, Præfectis, Vicariis, Caſtrorum Cuſtodibus, univerſim omnibus. Ea tamen parſimonia nihil obſuit Profeſſoribus; ſtetitque, ut doctis laboribus in ſolidum decreta ſtipendia ſolverentur. Quin etiam An. MCDLIII. XVI. Kal. Novembris Senatus-Conſulto (5) ſancitur hoc ipſum, adjecta regiæ planè munificentiæ appendice, quâ Senatorius Ordo profitetur, ſolvendum eſſe ex Ærario Reipublicæ, ſi quid à coactis Profeſſoribus fuiſſet extortum.

(4) S.C. 1451 23. Januar. in lib. Triumvir. Magiſt. p. 20.
(5) SC. 1453 17. Octob. lib. cod. p. 21.

V. Et hæc ſanè ad tempus data ſubſidia, ſanctum, ac vel ipſi Principi venerabile ſtipendium Magiſtrorum voluere. Itum deinde ad ejuſdem perennitatem conſtituendam, (6) decretumque An. MCDLXI, ut Ærarium Veronenſe libras mille ſingulis menſibus, Bergomenſe quingentas, totidem Tarviſinum in Arcam Profeſſorum honorariis obligatam Patavii inferrent. Cùm poſt annos undeviginti Æraria Veronenſe, & Bergomenſe non eſſent ſolvendo, (7) imperatum, ut manente onere Tarviſino, quod Bergomenſes & Veronenſes excuſſerant, Ærarium Patavinum ſuppleret. Hoc ſtudio, his Sapientiſſimi Senatus beneficiis Arca Gymnaſii munita, & ſuffecit conducendis, honorandiſque Doctoribus publicis; in eas autem vires excrevit, & in tanta pecuniarum abundantia vixit initio Sæculi XVI. ut potuerit vel ipſam ſibi Rempublicam obligare. Novimus An. MDXXXII. mutuo data neceſſitatibus publicis ab Arca Gymnaſtica ſupra quadraginta Ducatorum nummûm millia, quæ Senatus Venetus An. MDLXI. jubet (8) reſtitui annali ſolutione, quingentorum ejuſdem Monetæ.

(6) SC. 1461 18. April. lib. cod. p. 29.
(7) 1480. 23. Octob. ex cod. lib. p. 49.
(8) 1561. 21. Junii cod. lib. p. 238.

VI. Hinc porro ſumma ſemper liberalitas fuit, & Senatûs ampliſſimi, & Officii Triumviralis erga Profeſſores omnes, non in modo tantùm conductionum, ac ſolutionum, qui omnes communiter afficit, ſed etiam in earumdem quantitatibus, auctibuſque. Nam cùm olim ex privilegio, vel conſuetudine Carrarienſium obtinuiſſet in hoc Gymnaſio, ut quoque anno diſcipulorum ſuffragiis Magiſtri eligerentur, confirmarenturve, atque ex eorumdem arbitrio præmia poſitis operis, ponendiſve decernerentur, tulit morem (9) hujuſmodi Sapiens Reſpublica diu, reſervato ſibi jure ad majores Exedras conducendi Doctores celeberrimi nominis, eorumque ſtipendia ex merito laborum augendi. Cœpit deinde mos ille publicam utilitatem corrumpere, damnoque eſſe, ac dedecori gloriæ ac Majeſtati Gymnaſii, quarum prætextu olim irrepſerat; prenſabanturque ſuffragatores, ambitus abibat in rixas, nec meritis dabantur ſuffragia, ſed gratiæ, aut Nobilitati ad patrocinium lucrumve ſtudia partium efflagitanti, vel præmercanti.

(9) 1480. 30. Maii cod. lib. p. 50.
(10) 1438. 8. Maii in cod. lib. p. 14. ter.
(11) S C. 1477. 26. Junii apud Tomaſ. Gy. lib. 1. c. 72. p. 220. & lib. 4. p. 395
(12) 1487. 15. Mart. in Rog. cod lib. Magiſt. Triam p. 61

VII. Ergo viſum, ſenſim occurrere corruptelæ, ac primò vetitum (10) Senatus Conſulto, ne quis aut Patavinus, aut ex gente Venetorum Patricia ſuffragationibus intereſſet ad eligendos Gymnaſiarchas, ne quis eorumdem in eum Magiſtratum legeretur. (11) Placuit deinde, ne Patricius Venetus publicè Scientias profiteri Patavii, aut ad Exedram aliquam Gymnaſii adſpirare poſſet: illud quoque (12) ſancitum, ut quicunque ex Veneta

Nobi-

Nobilitate bonarum Artium ſtudiis in Gymnaſio vacarent, adſcriptique Albo Diſcipulorum Sapientiæ militarent, octavo die ante Comitia ad conducendos confirmandoſque Doctores, & eligendos Gymnaſiarchas haberi ſolita, Venetias redirent, interdicto intra octadem illam dietum regreſſu Patavium. Paulatim quoque (13) interceptum, ac ſenſim adeptum eſt Studioſæ Juventuti Jus eligendi Doctores, cautumque, ut Exedræ quoque minores, quarum Stipendia intra ſexaginta Florenos Venetos eſſent, Senatus arbitrio concederentur. Extra quod habitæ ſunt Tertianæ, quas (14) olim Civibus dumtaxat Patavinis, taxato ſtipendio Flotenorum viginti, nunquam augendo, ſanxit Senatùs, ac ſuffragationi reliquit Rectorum Urbis, Quæſtorumque, Rectorum ſeu Syndicorum Gymnaſii, & unius è nobili Decurionum Ordine delegato ad Paravinæ Civitatis utilia. Sic tandem à ſervitute duriſſima ac penè non turpi, qua diu præclariſſimus Magiſtrorum Ordo ſe minorum arbitria toleraverat, liberum erexit caput, & publicam experiri cœpit regiam planè Munificentiam, quam omni deinceps ævo ad hæc noſtra tempora viguiſſe certis, quæ hic notabimus, exemplis, documentiſque ſiguabimus.

(13) V. Tomaſ. lib. 4. p. 396. 403. 410. 411.

(14) 1467. 28. Januar. in Rog. lib. Magiſt. Triumvir. p. 34

CAPUT VIII.

Venetæ Liberalitatis erga Clari nominis Profeſſores Exempla.

I. QUod neque in hoc Gymnaſio antequam in Venetam poteſtatem veniret, neque in aliis per Europam quamvis eximiis, niſi perrarò uſurpatum eſt, ut & peramplis ſtipendiis conſtitutis ad exedras Sapientiæ ſingularis Viri conducerentur, & eorumdem eruditis laboribus auctaria magnificè decernantur, id Academiæ noſtræ peculiare ac præcipuum eſt, legibuſque, Senatus Conſultis, & more etiamnum obtinente conſtitutiſſimum. Nam ubi Reſpublica Veneta Jus eligendorum Doctorum ſibi prudenter aſſeruit, atque Ordini noſtro vindicias ſecundum libertatem decrevit, eo unà tranſtulit curas omnes regiæ Providentiæ, ut & Gymnaſium clariſſimis in omni Scientiarum parte Magiſtris inſtrueret, & profitentibus certum conductionis tempus ſanciret, poſt quod bene, ac ritè, & ex Gymnaſii gloria atque utilitate poſitis operis præmium daret.

II. Hinc ad ſexennium ita Principi locamus operas, ut intra Quadriennium obligatio mutua ſit, nec liceat aut Principi, niſi pœnæ nomine ob delictum crimenve à pacto tecedere, aut nobis inconſulto, invitove Principe, munus, quod profeſſi ſumus, deſerere. At, quod reliquum ſexennio eſt, biennium ſcilicet, cum obſequio Principis obligatum ſit, Principi liberum eſt, ut ex arbitrio dimittere poſſit, quos illi conductio mancipat toto Sexennio. Dicuntur ergo Profeſſores conduci per annos ſex, quorum quatuor ſint certi, duo debitam Principi reverentiam obſequiumque reſpiciant. Poſt hos iteranda conductio petitur, ſperanturque pro meritis præmia, quæ certè ſumma æquitate, ac juſtitia In omnes ac ſingulos effunduntur: at in eos, quos fama Sapientiæ Virtutiſque, & in literaria Republica ſingularis gloria commendat, m gnificè.

III. Conſtat Anno MCDVII. biennio poſt receptum in fidem Patavium Bartholomæum Salicetum, Benedictum Plumbinatem, ac Jacobum à Foro Livii ſexcentis aureis, quingentis Raphaelem Fulgoſium Jura profeſſos. Eoſdem ſupra millenos meruiſſe ante obitum, ex monumentis Quæſtoriis colligit (1) Porcellinus, Fulgoſium verò ad trecentos ſupra mille pertigiſſe intra Ann. MCDL; quæ ſummæ quanti cenſerentur eo Sæculo, nemo non novit.

(1) in Not. ad Matric. Juris Conſultorum.

IV. Intra idem itidem (2) Sæculum Paulus Caſtrenſis ad Civilium Jurium explanationem conductus Anno MCDXXXI. mercede Coronatorum octingentorum, Alexander Tartagnus nongentorum, Bartholomæus Cæpolla ſeptingentorum, mille ac trecentos ante obitum meruere. Angelus Caſtrenſis, Pauli clariſſimus Filius, à tenui Florenorum biſcentum, auctariis ad mille ſexcentorum ſtipendium pervenit, annis quadraginta Jus docens.

(2) lib. 1. Dec. p. 60. 104. 139. 205.

V. Jam Jaſoni Mayno, Alexandro Nævo, Bartholomæo Socino Mariani Senioris Filio ad Gymnaſium evocatis (3) mille ſtatim Floreni decreti ſunt, auctique deinde ſexcentis additis, ad quod honorarium etiam intra Sæculum idem provectus eſt Joannes Campegius, Mayni ſucceſſor, profuſioribus præmiis augendus, ſi revocatus Bononiam non valedixiſſet Patavio Anno MCDXCVIII.

(3) d. lib. 1. p. 216. 230. 290.

VI. Philippum (4) Decium Anno MDII. Flor. ſeptingentis docuiſſe, notant publica Gymnaſii documenta, ejuſque mercedem duplo auctam intra Ann. MDV, quo ad Lycæum Ticinenſe à Rege Galliæ Franciſco I. accitus eſt. Eo Sæculo XVI. Jus Cæſareum explicabant matutinis horis Chriſtophorus Albericus, Jo. Antonius de Rubeis, Hiero-

(4) ibid. p. 291. 302. 315.

Hieronymus Cagnolus, Tiberius Decianus, quorum honorarium ſupra ſcutatos mille productum eſt: nec minora præmia decreta legimus Carolo Ruino, Petro Paullo Pariſio, Mariano Socino Juniori, Hieronymo Torniello, Guido Pancirolo, Sfortiæ Oddo, Joanni Cephalo, qui ſuffectus Julio Salerno legebat hic mercede aureorum quingentorum, quibus propediem augendis, ut præproperum fatum obſtiterit, non obſtitit publicæ liberalitati, quæ, (5) quod ab emortuali die lucro ceſſurum erat mortuo, mæſtis Profeſſoris egregii Filiis conceſſit.

(5) ibid. p. 327.

VII. Quid ſi recenſeam alia Sæculi ejuſdem ampliſſima (6) præmia? M. Antonio Othelio ſtipendium ad Flor. ſexcentos datum, trecentis auctum, mox ducentis, trecentis iterum, denique quadringentis, ut in mille, & octingentis Juriſprudentiæ militaret. Bartholomæus Vecchius veſpertinam Juris Exedram tenuit mille quadringentis Florenis: totidem Carbonchius Carbonchius; Julius Pacius mille & ducentis Scutatis. Nec aliter actum ad hæc noſtra tempora. Nam Alexander Syncliticus mille ac ſexcentis Jus Canonicum ac Civile docuit, Lælius Mancinus totidem, totidemque M. Aurelius, & Joannes Galvani; Jacobus Sala mille & quadringentis: mille quoque aucti additis quadringentis Aloyſio Aldrighetto, quingentis Scipioni Gonemio, ducentis Paulo Docto, Antonio Vairæ, nongentis Jacobo Caimo: quibus longè majus conſtitutum deinceps fuiſſet ſtipendium, ni largitati Senatûs Munificentiſſimi, Mors, aut à Gymnaſio diſceſſus interceſſiſſet.

(6) lib. 1. Decret. p. 3. 9. 12. 24. 32. 33. 333. 337. 376. 383. 406. 465. 392, & ſeqq.

VIII. Similis liberalitatis exempla ex ea parte Gymnaſii, quæ ab Artibus nomen habet, liceret adducere, ſi non corrupta priſcæ fidei monumenta nobis proponerent Quæſtorii Codices, quos ſummo labore verſavimus. Quæ tamen ab Anno MD. ad noſtram ætatem certa ſuperſunt, pro publica, quam habent, auctoritate ſatis equidem indicant, integro ante XVI. Sæculo, Artium Magiſtris pari præmiorum acceſſione ſtipendia fuiſſe decreta. Nam cùm poſt annum illum plurimos notatos (7) legamus millenorum conſtituta mercede, atque illos præſertim, qui millenis merentes, vel immatura morte prærepti ſunt ulterioribus beneficiis, vel à ſummis Principibus evocati abdicarunt ſe ſpontè Magiſterio Patavino; turbam ingentem licebit percurrere in Catalogis Profitentium Artes, qui millenos tranſgreſſi ſunt, non paucos, quorum ſtipendium duplo, vel duplo plus auctum.

(7) Decret. lib. 1. p. 295. 300. 305. 340. & ſeqq.

IX. Franciſcus Victorius Bergomas, quem Aldus Manutius celebrat, mille ac ducentis (8) docebat Theoricam Ordinariam An. MDXX, totidem Matthæus à Curte vel Curtius poſt Ann. MDXXX. Benedicto Victorio Faventino Theoricam explananti octingentis Coronatis, duplum oblatum, rejectumque, ut in Patriam rediret. Illi Joannes Baptiſta Montius Bononienſis millenorum mercede ſuffectus eſt An. MDXLVI, cui, quòd Urbinati Duci, quo tunc Armorum Præfecto Veneta Reſpublica utebatur, operam ſuam præſtitiſſet, conceſſum, ut abſens frueretur tàm amplo ſtipendio. Victorem Trincavellum immortuum honorario mille ac ducentorum obſervat (9) Tomaſinus, totidemque meruiſſe Baſſianum Landum Placentinum, cui mors à Sicario per nefas illata obſtitit, ne duplo majore mercede augeretur. Idem ſtipendium Bernardino Paterno, Horatio Augevio, Hieronymo Mercuriali, Alexandro Maſſariæ, Euſtachio Rudio, Roderico Fonſecæ, Andreæ Argolo, Thomæ Ziliolo, Benedicto Sylvatico, & Hermenegildo Peræ iteratis auctariis datum. Georgio quoque à Turre, Stephano Angeli, Matthæo Veglenſi Theologo, Nicolao Calliachio noſtra ætate ſupra mille Venetos nummos argenteos merces excrevit.

(8) V. lib. 1. Decret. p. 347. 349. 360. & ſeqq. lib. 2. per totum.

(9) Gymn. lib. 3. c. 10. p. 398.

X. At mille trecentis docuit Fortunius Licetus viridi adhuc ætate, totidem non planè ſenex Dominicus Guglielmini, mille quadringentis Claudius Berigardus, mille quingentis Sanctorius Sanctorius, Hieronymus Frigimelica, Gualterus Carletonus, Antonius Molinettus mille ſexcentis & quinquaginta. Philoſophos explicabat auctus noſtra ætate Joannes Cottunius mille, ac nongentorum acceſſione, Carolus Rinaldini mille octingentis, ac Medicam praxim Raymundus Zanfortius expoſuit bis mille; bis itidem mille humaniores litteras Octavius Ferrarius illuſtravit.

XI. Hoc numero & copia honorariæ mercedis, cui parem nuſquam alibi ullam invenies, militavit, militat, ac militabit in hoc Gymnaſio Sapientia: id, quod quantæ, quàm profuſæ munificentiæ, qua regimur, documentum ſit, cum per ſe conſtet, non eſt, ut expendat Hiſtoria, cui ſupereſt annotaſſe, liberalitate, atque amplitudine præmiorum ſtare Gymnaſia; nec aliam ob cauſam decreviſſe quæ magna fuerunt, & maxima, ac raro jampridem cultore jacere, niſi ob præmiorum circumſpectam nimis, ac difficilem parcitatem, qua magna torpent ingenia, ſtudiorum labefactatur alacritas, hujus in locum ſubit deſidia, incuria, atque internecina liberalibus Artibus illiberalis lucri aliunde captandi cupiditas, vel neceſſitas.

CA-

CAPUT IX.

De Horto Botanico.

I. HOrtum Botanicnm Danielis Batbati Aquilejenſis Patriarchæ cônſilio factum Patavii ſcribit Bellonius non uno (1) in loco, recipitque, quod ille ſcribit facilè (2) Tomaſinus. Verùm cùm certum ſit, ipſo Tomaſino teſte, hoc opus egtegium SC. fuiſſe decretum Ann. MDXXXIII. ad conſilium Danielis pettinere minime potuit nati An. MDXV, atque adeo anno ſignato duodevigeſimum agentis. SC. à Tomaſino notatum ſecutum eſt plenius aliud, & efficacius Ann. MDXLV, propoſitum pridiè Kal. Sextiles, eoque & ſedes Horto poſita, & ſumptus in eo ædificando, plantandoque decretus, & Cuſtos ac Miniſtri, à quibus coleretur, & regiones, unde quærendæ transferendæque Patavium ſtitpes eſſent, nominatæ. Mox An. MDLX. poſt alios, qui minoribus auſpiciis, nec tamen diligentia, & utilitate minore, rem eandem curavere, præfectus eſt Horto jam conſtituto poſt Franciſcum Bonafidium, Aloyſium Mundellam, & Aloyſium Anguillaram, quos tres ptimos Horti Cuſtodes nominat (4) Tomaſinus, Melchior Guilandinus Boruſſus, Jacobus Cottuſius Patavinus, Proſper Alpinus Maroſticenſis, Joannes Prævotius Rauracus, Joannes Veslinghius Mindanus, Georgius à Turre Patavinus, de quibus, notis itidem (5) Tomaſino, agemus inferiùs, ſupplementum hujus hiſtoriæ daturi ex inſtituto.

(1) lib. 3. Obſer. c. 50. & lib. de neglecto ſtirpium cultu Problem. 20.
(2) lib. 1. Gym. c. 32. p. 84.
(4) Gymn. lib. 1. c. 34. p. 97.
(5) d. p. 97. 98.

II. His Jacobus Pighius Veronenſis ſuffectus eſt, alibi laudandus, atque hunc excepit Felix Abb. Vialius Patavinus, de quo ſuo loco, ſenex in re Botanica verſatiſſimus, cui Hortus debet, præ cæteris deceſſoribus admodum, prætet èam, quam habet ex adjectis magno ſumptu ſtructuris, majeſtatem, ac ſpeciem. Succeſſit Vir Cl. Julius Pontadera Piſanus, quo nunc præſide maximè vernat, floretque, ac publicæ utilitati diſcentium diteſcit. Profeſſor Botanices peritiſſimus, & rei herbariæ indagatot doctus, & laborioſus, ab Horto clauſo, quod ſupereſt ad nives, & glacies, tempus montes diſſitos, ac valles remotas pererrans quærendis, veſtigandiſque ſtirpibus impendit, quarum in naturam inquirat, ac plenam certamque ad uſum notitiam oculis diſcipulorum exponat, & auribus.

III. Hinc nuperrimè provocavit Senatus Auguſti Munificentiam ad publicum ſtudiorum ſuorum, ac laborum teſtimonium, quo auctum illi eſt extra ordinem, & præter morem ſtipendium duplicatum. Provocat, autem provocabitque deinceps ad ſui, Operumque ſuorum præconium Eruditorum magni nominis calamos, jampridem ad laudem, & auctoritatem memoratus in Actis *(6)* Lipſienſibus, in (7) Adverſariis V. Doctiſſimi Jo. Baptiſtæ Morgagni, in Oratione (8) Laurentii Heiſteri de Incrementis Anatomiæ, in *(9)* Ephemeridibus Literatorum Italiæ, in (10) Prodromo ſtirpium Agri Bononienſis Joſephi Monti. Plurima enim, Deo propitio ad Sapientiæ cenſum editurus in poſterum, edidit hactenus

Compendium Tabularum Botanicarum, in quo Plantas CCLXXII. à ſe nuper in Italia detectas recenſet.

Epiſtolam ad Cl. V. Guillelmum Therandum Anglum, Botanicum noſtræ ætatis principem, de iiſdem Tabulis, & aliis deinceps edendis.

Anthologiam, ſive de Floris natura libros III, quos inventis, & obſervationibus plurimis auxit, ac Tabulis æreis exornavit.

Diſſertationes XI. Botanicas, ex iis, quas habuit in Horto Patavino An. MDCCXIX. ad rem Botanicam, ac ſubinde Medicam illuſtrandam perutiles.

(6) Anno 1719. p. 21. & ſeqq. An. 1721. p. 80. & ſeqq.
(7) Adverſ. 3. p. 75. Adverſ. 6. p. 70.
(8) p. 9.
(9) Tom. 29. p. 393. & ſeqq.
(10) pag. 51.

Hoc Præfecto igitur ac Soſpitali Curatore, & priſca Horti noſtri gloria nunc ſtat, & validiore opum vi creſcit, & ad ſpem maximorum erigitur. Eam, ut olim erat, latè tum fabricis deſignatis, tum Catalogis herbarum propoſitis Tomaſinus deſcripſit. Aucta eſt Ædificiorum venuſtas, ac ſpecies, manet eadem rei Botanicæ copia, quam poſteri curioſiùs amplificarunt, & utilitati diſcentium, inventis Medicinæ recentioribus, laborioſiùs, ſtudioſiùs aptaverunt, ut ſi ex merito loci agendum ſit, edere librum oporteat, integram Horti noſtri Botanici majeſtatem, divitias, decora complectentem. Hanc ob cauſſam ſatius viſum, & brevitati, quam profitemur, accomodatius, rem totam ſummis capitibus committere, eamque ipſi Præfecto Cl., precibus interpoſitis, delegare. His ille perbenignè ac pereleganter ſatisfecit duabus Epiſtolis, quarum altera Hortum, ejuſque noſtro hoc tempore ſumptuoſum Ectypon exhibet, altera impendendum deſcriptioni, & enumerationi Plantarum eruditiſſimè laborem excuſat ſic ſcribens.

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro

Nicolao Comneno Papadopoli Abb. S. Zenobii ac Juris Canonici in Patavina Academia Profeſſori Primario

JULIUS PONTADERA S.P.D.

IV. *Quod tibi, Vir Clariſſ., Patavini Gymnaſii hiſtoriæ perſequendæ munus à Sapientiſſ. Triumviris Literariis demandatum eſſet, non mediocriter lætabar, tum quòd Hortum hunc noſtrum Patavinum tuis monumentis immortalitatem quandam conſecuturum ſperabam, tum etiam quòd ad hoc opus exornandum, ut acri tuo judicio reſponderet, multum temporis neceſſarium eſſe conjiciebam. Noram enim quàm in litteris, diſciplinisque excolendis, quàm in Jure explicando ſis occupatus, quàm publicis muneribus aſſiduè detineare. Quapropter, ut liberè dicam, non in contexendis Horti commentariis, quod à me flagitaſti, ſed in ſtirpibus undequaque colligendis, quo refertiorem Hortum tibi tradere poſſem, Æſtatem, Autumnumque conſumpſi. Sed quæ fama de iſta tua Hiſtoria, me nuper ex Alpibus redeunte, percrebuit? Vera ne nunciantur, rem tam difficilem, gravem, & plurimi otii, quo maximè indigere ſolemus, te ad exitum perduxiſſe, extremaque manu perpolire? Imparatum me, & nihil tale cogitantem nimiâ celeritate oppreſſiſti. Quid ergo conſilii jam capiam, aut quo me vertam? Tua iſta non dicam cura, diligentia, ſcribendique facilitate, de quibus nullus unquam dubitavi, ſed incredibili quadam animi corporiſque contentione & meam, & omnium etiam, qui, quàm operoſum, & quanti negotii hiſtoriam conſcribere ſit, norunt, expectationem viciſti.*

V. *In cæteris profectò artibus, diſciplinisque quidquid animo fueris complexus, dum ad id validè incumbas, facilè te aſſecuturum video. At res geſtas conſcribere, Annalium memoriam revocare, commentarios quaquaverſum conſectari, non diligentia tantùm, cura, ingeniique beati ubertate, ſed & tempore conficiuntur. Ancipiti itaque animo verſor, atque diſtrahor. Iſtud ne opus, quod in tantis graviſſimarum rationum curis diligentia incredibili, & celeritate confeciſti, & dum hæc ſcribo, fortaſſe etiam limaſti, quò tardius in manus hominum perveniat, debitæque laudis fructum percipiat, ut meos commentarios adjiciam à fundamentis, ut ita dicam, extruendos, cunctationem interponam? Hoc ſanè neque in me, neque in bonorum quemquam cadere poſſe exiſtimo. Quin etiam neque abs te peterem, neque ultro datum acciperem. Scribam ne his rerum, temporumque anguſtiis diſtentus, meamque fidem liberem? Quid poſſum in tanta Stirpium multitudine, tot curis impeditus, tot occupationibus interpellatus? Res Botanica, non brevi, ut vetus hic extat ſermo, circumſcribitur ſpatio, ſed longè latèque excurrit, atque diffunditur, poſtquam patefactis hinc inde terrarum finibus, ingens plantarum multitudo importata fuit, tantâque diligentiâ ad ipſam colendam, atque fovendam animum ſolertiſſimus quiſque adjecit. Quare magnum quiddam, ac prope immenſum ille præſtiturus videtur, qui toto vitæ ſuæ curriculo laborando univerſalem ſtirpium hiſtoriam fuerit complexus. At hoc à me non exigitur.*

VI. *Quid ni? Quæ pars eſt Botanicæ in Horto non culta? Quot ex imperfectis ſtirpibus (de incertis enim mitto dicere, quæ tamen clariſſimorum virorum auctoritate, & conſuetudine eſſent commemorandæ) & coluntur in Horto, & nullo cogente etiam naſcuntur? Quatuor ſupra octoginta Muſcos anno proximè elapſo auditoribus meis publicè exhibui, quorum viginti quatuor erant ex Horto. Similiter cùm de Lichenibus diſſererem, ſexdecim in Horto inveniri, vulgòque naſci, palam oſtendi. Et tamen quid Muſcis Lichenibuſque humilius? quid minus commemoratu dignum? Quotuſquiſque hortus invenitur, qui tanta Filicum, Lonchitidum, Filicularumque copia ſit refertus, quàm noſter! Jam verò, ut ad Floriferas ſtirpes tranſitum faciam, quot Gramina ex maritimis, paluſtribusque locis, quot ex Alpibus, quot ex peregrinis oris in Hortum importanda curavi? Quinos dies cerealium ſtirpium hiſtoriæ explicandæ, earumque affinibus oſtendendis quotannis publico munere fungens attribui; quæ, ut erat Horti conſuetudo, ne attingebantur quidem. De his profectò mihi eſſe dicendum, dum Horti ſtirpes recenſeo, neminem inficiaturum puto. Quamquam quid hujuſmodi plantas commemoro floris elegantiâ cum reliquis non conferendas? Ad illas veniamus, quæ floris gratià commendari ſolent.*

VII. *Et primùm, quantum mihi in bulboſis ſtirpibus recenſendis, quæ flore, aut monopetalo, aut polypetalo ornantur, hærendum eſſe exiſtimas, quarum plurimæ cùm in Horto colerentur, plurimas alias undequaque delatas adjeci? Quoties enim ego de his commentariolum ſcribere aggreſſus, rerum multitudine ab incepto ſum revocatus? Ranunculorum autem, Anemonum, Delphiniorum, Aquilejarum, & hujuſmodi, quæ ob florum varietatem, & elegantiam maximè expetuntur, quis numerum, formas, diſcrimina recenſere numerando poterit? Quid de Leucoiis, Heſperidibus, Amarantis, Orchidibus, Roſis, Malvis, Campanulis, Convolvulis, Primulisveris, Auriculis urſi, Caryophyllis,*

Lychnidibus? Quid de illis, quæ ferè omnes priſcæ Genti ignotæ fuere, Cereis, Euphorbiis, Ficoidibus, Sedis, Opuntiis, & de tam referto Aloes genere eſſet ſcribendum? Nam eas, quæ inter olera conſeruntur, mitto; pomiferas prætereo, glandiferaſque, & quæ florem per oram in labia diſtinctum ferentes, odore commendantur; nihil de Hieraciis dico, Abrotanis, Chamæmelis, Coroniſſolis, Carduis, Cyanis, Aſteribus, Jacobæis, Virgis aureis, Elichryſis, Scabioſis ſive indigenis, ſive ex ultimis terrarum partibus devectis; nihil quoque de Linariis, Plantaginibus, Solanis, Capſicis, Veronicis, Trifoliis Phaſeolis, Medicis, Lotis, Melilotis. De quibus ſi mihi eſſet, dum publico tradendæ Botanices muneri vaco, plene diſſerendum (facerem quidem, niſi temporis anguſtiis prohiberer) nullus dubito, quin ſingulis ſingulos dies eſſem attributurus. Verùm brevi, ut Horti conſuetudo fert, ſpatio circumſepti plurima prætermittere cogimur, privatis exercitationibus explicanda; tres quidem ſupra quadraginta dies ſtirpium hiſtoriæ explicandæ (ex quibus multum ob Cœli intemperiem, viciſſitudineſque ſæpè detrahi non ignoras), attributos fuiſſe accepimus.

VIII. *Hæc itaque dum homines rerum imperiti ſpectant, tempuſque dimetiuntur, artem noſtram, ut ante dixi, anguſtius coarctari ſtatuunt. Quæ opinio quantum à veritate aliena ſit, ex his, quæ ad te ſcribo, cognoſcere poteris. Quod autem ad tempus, quo plantarum hiſtoria transſigenda eſt, pertinet, cogitanti mihi ſæpenumero, cur Anteceſſores mei, quorum multa ſapienter, atque optimè inſtituta mirari ſoleo, tam exiguum ſpatium ad tantarum rerum molem pertractandam ſatis eſſe duxerint, multa ſanè, quibus illorum morem, atque conſuetudinem ab reprehenſione vindicare poſſum, occurrunt. Et primùm, ipſa Plantarum paucitas, quæ, ut illa tempora ferebant, in Horto colebantur; hic enim licet eſſet ea amplitudine conditus, ut innumeris ſtirpibus aptam Sedem præbere poſſet, altera parte cultu ſubacta, inculta reliqua, futuris ſæculis reſervabatur. Poſtquam verò majori ſtudio Botanica agitari cœpit, externique Principes, Auguſti Senatûs Veneti exemplo permoti, hortos parare, ſtirpes undequaque inquirere, viros hujus diſciplinæ peritos magnis honoribus afficere inſtituerunt, illi, qui in hoc Horto rem Herbariam explicabant, quoniam alii naturalem hiſtoriam in Gymnaſio docebant, alii humanorum Cadaverum anatomen profitebantur, tantum tradendæ Botanicæ tempus impendebant, quantum à graviſſimis illis muneribus detrahere poterant. Fuere etiam nonnulli, quos, cùm aliis curis nequaquam addicti ſolo docendæ Botanicæ munere fungerentur, alia de cauſa intra illud tempus rem transſigere anniſos exiſtimo.*

IX. *Siquidem Ciſalpina Gallia, ut noſti, inæquali plagæ ſubjecta eſt, in qua cum Ver nivalibus ventis aſperum præcedere ſoleat, ſtatim calor & æſtus ita vehemens contingunt, ut ſtirpes, quæ diuturno veris frigore affectæ ſub terra latent, vi Solis fervidiſſimi brevi erumpant, adoleſcant, perficiantur, contabeſcant. Quò factum eſt, ut neque ante Kalendas Maii, quoniam ſtirpes nondum decorem ſuum, & formam adeptæ ſunt, neque ab Idibus Junii, cùm, plurimis plantis tabefactis, illas oſtendere in promptu haud eſſet, tradendæ in Horto Botanicæ opportunitatem eſſe exiſtimarunt. Hæc fuiſſe ſuſpicor, quibus immortales Viri coacti, cum intra tantas temporis anguſtias clauderentur, de arboribus, de fructibus, de incertis ſtirpibus, de illis, quæ ab extremis provinciis importatæ fictilibus cuſtodiuntur, de floribus denique, ſeminibuſque dicere poſſe deſperarunt. Satis ſuperque videbatur illa Horti pars, quæ primis initiis, plantis colendis attributa fuerat, temporis brevitati.*

X. *Verum hæc omnia, ut in illis ea tempeſtate non deſiderabantur (aliis enim in rebus florebant) ita in me in hac præſertim tanta Botanices luce non ſolùm petuntur, ſed etiam, ſi qua ex illis, cogente neceſſitatis telo, declinarem, quis æquo animo ferret? Quapropter totum Hortum à principio colere cœpimus, noviſque ſtirpibus ornavimus, ultra Idus quoque Junias aliquando evecti ſumus, longioreſque exercitationes, feſtis diebus non intermiſſis, inſtituimus, nullâ morâ aut requie interpoſitâ, niſi quæ à pluviis induceretur. Quanto enim ſingulis propè diebus Ars hæc amplior evadit, atque effunditur, tanto mihi intenſiori curâ, ac diligentiâ laborandum eſſe judicavi. Neque tamen hæc ad te, Vir Cl. ſcribebam, ut alicujus gloriæ laudem aucuparer, ſi, quæ Sapientiſſimi Viri pro rerum difficultate, & temporis conditione, non attingenda ſibi eſſe judicarunt, ego ſciens volenſque ſumpſiſſe ultro, ac de iis & egiſſe hactenus, & acturum profiterer. Deum immortalem ita mihi propitium velim, ut jactantem animum in me foveri nunquam patiar. Verùm eo conſilio hæc exaranda exiſtimabam, quò pleniùs excuſationem meam accipere poſſes; tibique ſic eſſe perſuaderes (pro mea erga te voluntate, ſtudio, obſervantiâ abs te peto) cùm temporis anguſtiis, tùm potiſſimum rerum amplitudine me ab iſta deſcribendæ Horti hiſtoriæ ratione non prohiberi ſolùm, ſed etiam deterreri.*

XI. *Nam quod ad tempus ſpectat, quantum ad hanc rem conficiendam eſſet neceſſarium, tua liberalitate ac benevolentia mihi te conceſſurum videbam. Tamen tanta eſt Stirpium, quæ in Horto coluntur, multitudo, & tantis, iiſque aſſiduis occupationibus quotidie diſtineor atque diſtrahor, ut tale materiæ genus nullo tempore circumſcribi poſſit. Expertus loquor; tuæ enim voluntati, atque monitis obſequi aggreſſus, et ſi rem magnam, difficilem, & plurimi laboris me complecti non ignorabam, tamen omnia tentare conſtitui, totiſque viribus, quantum mea imbecillitas ſineret, conniti, quo celeriùs exitum aliquem mihi expedirem. Quid pluribus te moror? Dies octavus hic eſt, ex quo rem ſuſcepi, nullâque interpellatus curâ in hanc unam incubui: nihil tamen profeci. Dum quæ in Horto coluntur,*

dum quæ in Botanophylaciis foventur, animo recenſeo, atque in ordinem digerere incipio, abiere di[illegible]. *Incredibile autem eſt, quot mihi eodem tempore in mentem venirent, & me circumſtarent: multa de ſtirpium, quo diſtribuuntur, ordine eſſe dicenda, multa de flore, fructu, ſemine; nonnulla de cultu, & de culturæ modo, plurima de plantis nuper ex India miſſis, quæ profectò, cujus generis ſint, & quo nomine recenſendę, nondum editis floribus, fructibuſque, incertum videbam.*

Hæc omnia dum uno veluti intuitu mente perluſtro, tota ingenioli mei acies perſtringitur, animuſque collabeſcit, nec quid primum commemorem, nec quid poſtremum adjiciam, habeo exploratum. Tunc quid ſuſciperem, cujus difficultatis, cujus operæ, cujus otii, & quid ſuſtinere poſſem in illa animi fluctuatione probè cognovi. Audaces itaque animos inflectere ſum coactus, & ſcribendi ſententiam deponere, cùm ad hæc omnia etiam hominum ſtudia acceſſiſſent, iſtud tuum opus abs te quamprimùm flagitantium, à quibus ſi mea cunctatio interponeretur, vehementer reclamatum iri proſpiciebam.

XII. *Habes, Vir Opt.; ut breviſſimè potui, quæ me à recenſendis ſtirpibus potiſſimùm impediunt. Hæc te oro etiam atque etiam, & obteſtor, ut non perinde accipias, ac ego ſcribendo ſentiebam. Hoc ſi mihi, ut ſpero, præſtabis, confido, fore ut non ſolum vitio, quod nihil ſcripſerim, ut deſtinaram, mihi non vertatur, ſed etiam laudi, ac moderationi detur, quod me, cum incredibili quodam ſtudio tenerer, ut Hortus meus ſcriptis, & monumentis exornetur, ac celebretur tuis, cohibere potuerim. Pro certo enim habeas, ſi qua ratione hoc me aſſecuturum viderem, in id omne ſtudium, curam, diligentiam, operam, cogitationem fuiſſe collaturum. Sed quoniam in has temporis anguſtias incidimus, quibus aliqua contentione efficere quicquam non poſſumus, malui Hortum debita laude privari, quam feſtinando aliquid emittere, quod neque loci dignitas, neque materiæ ratio, neque tui muneris amplitudo pateretur.*

XIII. *Hæc cùm conſtituiſſem, omnemque ſcribendæ Stirpium hiſtorię ſpem abjeciſſem, nihil mihi potius, & antiquius fuit, quàm te per literas certiorem facere, ut maturares, librumque quàm primum emitteres. Quod ut facias, teque, nomenque tuum his etiam ſcriptis immortalitati commendes, hortor, atque ſuadeo; pulchrum eſt enim ſuſceptarum rerum fructum, meritaque gloriæ præmia percipere; ſed, ut junioris Plinii verbis utar,* tuæ ipſius poſteritati intereſſe quam diutiſſimè, pulcherrimum. *Cui ne moram ampliùs afferre videar, finem huic Epiſtolæ imponam, te tamen Vir Clariſſ. pro tua erga me voluntate, ac benevolentia rogando, atque obſecrando, ut induſtriæ, ac diligentiæ meæ conatus, quos in hunc Hortum exornandum, atque illuſtrandum conferre pro mea virili ſoleo, per te poſteritas intelligat, ſuſceptoſque, ac ſuſcipiendos in perquirendis ſtirpibus labores, ſumptus, ac vitæ diſcrimina, ſi quis dabitur locus, ab hominum oblivione vindicare ne recuſes. Hoc autem, quod abs te quàm ſtudioſiſſimè peto, ejuſmodi eſſe exiſtimes velim, ut ſi impetravero, omnia in poſterum libentiori animo ſim ſubiturus. Quod tamen ut facias, in tua humanitate, animique inductione poſitum nos habere ſcito. Vale.*

D. ex Horto X. Kal. Novembris MDCCXXII.

CAPUT X.

Horti Botanici Deſcriptio Ex Epiſtola Viri Clar. Julii Pontaderæ Botanices Prof.

Clariſſ. Doctiſſimoque Viro Nicolao Comneno Papadopoli Abb. S. Zenobii ac Juris Canonici in Patavina Academia Profeſſori Primario

JULIUS PONTADERA S. P. D.

I. *VEnetiis mihi Idibus Novembris redeunti literæ tuæ, Vir Cl. pridie datæ, ſtatim redditæ ſunt; quibus & ſuperioris meæ Epiſtolæ excuſationem te accepiſſe libenter, & propoſitum meum probaſſe ſignificas. Incredibile eſt, quàm mihi hæ jucundæ fuerint, quantâ me lętitiâ cumulaverint, non ſolùm quòd omni humanitate, ac officio refertæ te à te ipſo nunquam alienum oſtendebant; verùm etiam, quod tuæ auctoritate meam magni voluminis rem cum feſtinatione non ſuſcipiendi opinionem comprobari judicabant. Quid plura? Me tibi devinctum eſſe fateor, habeoque gratias quàm maximas, & habebo, nihil, quo grati animi officium tibi ſignificare valeam, prætermiſſurus. Illud etiam adjiciam, ex illis te unum eſſe, quos mihi in hoc Gymnaſio ad imitandum propoſuerim, quorum conſilio, auctoritate, exemplo omnes actiones cogitationeſque meas moderandas eſſe judicaverim. Quare ſi erga te eo ſtudio ac voluntate ſemper fuerim, quo omnes boni, tuique ſtudioſiſſimi eſſe debent, qualem me*

lem me futurum exiſtimas, poſtquam tuam erga me humanitatem, ac benevolentiam hac quoque in re non ſignificaſti ſolùm, ſed etiam præſtitiſti. Sed de his ſatis, vel coram.

II. Venio ad alteram tuæ Epiſtolæ partem. Scribis, ut poſtpoſita Stirpium hiſtoria, de ipſo Horto, quoniam Auguſti Senatûs Veneti Munificentiâ plurima hac tempeſtate ornamenta accepit, præcipua ac magis memoratu digna in quoddam veluti commentariolum contracta ad te mittam. Morem tibi geram; ſiquidem æquum pro tuo jure video, atque adeo tanquam debitam rem exigere. Nulla enim ratione, quæ recentiſſima, Triumviris Literariis referentibus, Ampliſſimus Ordo in Hortum contulit, ſilentio eſſe involvenda cenſeo. Initium porro ſumam à Deceſſore meo Abb. Felice Viali, qui ultimo ſenio, & infirma valetudine confectus hoc anno è vivis exceſſit. Hunc namque alterum à Franciſco Bonafidio Horti veluti parentem colere debemus, totiſque viribus conniti, ut de illius in Hortum ſingularibus meritis nulla conticeſcat Vetuſtas. Ipſe profectò Horti reparator extitit, ipſe hoc ſibi ampliſſimum pulcherrimumque duxit, ſi Hortus Patavinus, quoniam antiquitate, & amplitudine cæteris facilè præſtabat, nobilitate etiam, Architecturæ elegantiâ, fontium numero, Botanophylaciorum pulchritudine, primus & haberetur, & vocaretur. Quod cùm ſibi propoſuiſſet, toto vitæ ſuæ curriculo in hoc uno laboravit, monendo, rogando, procurando. Cujus votis boni publici ſtudioſiſſimi Gymnaſii Moderatores obſequentes, Hortum in ampliſſimam formam redigendum Patavinis Præfectis demandarunt.

III. Anno itaque MDCXCIV. cùm ad literarum ſtudia Triumviri deputati eſſent Sebaſtianus Fuſcarenus Eq. & D. Marci Procurator, Hieronymus Baſadonna D. Marci Procurator, & Hieronymus Aſcanius Juſtinianus è Collegio Sapientiæ Majoris, horum auſpiciis à fontibus, quoniam plantarum culturæ nihil aliud tam neceſſarium eſt, quàm aqua, Horti reparandi, atque ornandi initio ducto, eos in magnificentiorem formam, ut nunc cernitur, Ampliſſimus Senator Alexander Molinus Patavii Præfecturam gerens reſtituit, numeroque auxit. Amplæ enim rotæ circumactu aquam ſurſum evectam, & deinde per infundibulum deſcendentem per tubos plumbeos in ſexdecim fontes, ex quibus cum impetu ſurſum emitti ſolet, derivavit. Horum duo primi ab Orientalis januæ pilis naſcentes hinc atque inde unus aquas in lapideas conchas contra Occaſum effundunt. Ternus ex his deductus Botanophylacio exteriori inſervit, aquam ad nobiliores ſtirpes irrigandas in puteum emittens. Quatuor ad parietem poſiti ab januis cùm æqualiter dirimantur, ſinguli ad ſingulas prope parietem Horti areas ſpectant; ex quorum uno inter occaſum & Septemtriones poſito quintus oritur, qui aquam ad interiora Botanophylacia derivat. Tres in atriis ſepoſiti ſunt, unus in Horti umbilico. Sed elegantiores ſunt, quos in illis quatuor magnis Horti areis videmus. Ex ſummo enim ſtirpis (ſed nempè majoris arboreſcentis CB Ketmiæ Chinenſis, fructu ſubrotundo, flore pleno Tourneſ. Aloes Americanæ, floridę Ald & Ari maximi Ægyptiaci, quod vulgo Colocaſia CB.) ex ære elaboratæ caule aquam ſurſum propellunt, quæ deſcendens in amplam lapideam pelvim, excipitur in craterem mox delabens. Omnibus porro crateribus hac ratione aqua repletis, quod ſupereſt, per ſubterraneos ductus in duas piſcinas, in quibus aquaticas ſtirpes colere ſolemus, derivatur.

IV. 'A fontibus ad Hydraulicam machinam redeo, quæ vetuſtate jam confecta dedit operam egregius Abb. Viali, ut in ampliorem molem, quo major aquæ copia ad tot fontes corrivaret, reſtitueretur. Quod Anno MDCCII. Aſcanii Juſtiniani, & Stephani Quirini Urbis Patavinæ Moderatorum auſpiciis factum ex lapide marmoreo in ædicula extra Hortum contra occaſum poſita (Qua, ut etiam Tomaſinus commemorat, machina illa continetur) parieti inſerto, & ita notato habemus.

ASCANIO JUSTINIANO
PRÆTORE
STEPHANO QUIRINO
PÆFECTO
ANIMORUM CONCORDIA CLARIS
HYDROPHYLACIUM
INNOVATUM
Æ. C. A. MDCCII.

V. Hanc machinam anno quoque MDCCXV. rurſum vidimus reſtitutam, tectoque etiam munitam; quoniam ſole, imbribuſque facilius corrumpebatur. Dedit hac de re literas ad Triumviros Ampliſſ. Eques Joannes Piſaurus Præfectus Pro-Prætorque, ac ſibi demandatum munus incredibili celeritate confecit; ideoque lapis Hydrophylacio his literis coaptatus fuit.

D. O. M.
JOANNE PISAURO EQ.
PATAVII PRÆFECTO ET PRO-
PRÆTORE
HYDRAULUM HORTO RESTITU-
TUM
NOVOQ. TECTO MUNITUM
ANNO CHRISTI MDCCXV.

VI. *Poſtquam ſtirpium cultui tot fontibus ſatis proviſum fuit, eaſdem muniendi cura acceſſit. Tot enim mortalibus undique in Hortum affluentibus, plantas evelli, conteri, eripique videbant. Quare octo illas areas, in quas Hortus dividitur, ſtirpibus refertas, firmiſſimis, & ferreis cancellis circumdari ac circumſepiri Triumviri decernunt. Hortulus pariter ad vetus Botanophylacium, in quo per æſtatem fictilia cuſtodiuntur, eodem vallo munitur.*

VII. *His, quæ ſtrictim, & curſim enarravi, collatis in Hortum ornamentis de Occidentali Janua reparanda, qua in Hortum ipſum patet ingreſſus, Sedulus Vir Abb. Viali Triumviros continuò monuit. Quibus annuentibus, jubentibuſque, eam Præſtantiſſ. Senator Sebaſtianus Venerius, qui eo tempore Patavinam Civitatem Præfectus obtinebat, extruere inſtituit. Quare validis ſubſtructis baſibus, pilæ duæ quadrato ſaxo utrinque una magnitudine, ac ſtructura, firmiſſimè conditæ fuerunt, quibus ſummis acroteria deinde impoſita. Pilis à fronte, à latere, à tergo nonnulla inſculpta leguntur: dexteræ quidem contra Occaſum hæc:* HINC MANUS: *ad Septemtrionem* ANNO MDCC. *ad Orientem*: FULMINIS: *ſiniſtræ verò, qua parte Occidentalem regionem ſpectat*: HIC OCULI: *qua Meridiem*: SEBASTIANO VENERIO PRÆFECTO: *qua denique Orientalem plagam*: OPUS: *quæ legendo ita conjunguntur.*

Hic Oculi Hinc Manus
Sebaſtiano Venerio præfecto
Anno MDCC.
Fulminis Opus.

Quæ poſtrema verba, tacta è Cælo porticu perantiqua januæ impoſita, atque adeo incenſa, novam molem, ac venuſtiorem veluti fulminis beneficio erectam fuiſſe poſteritati teſtantur. Porro fores huic Operi ferreæ acceſſere, ea elegantia, quæ tanto Horto, tam munificis Viris, tamque Auguſtæ Reipublicæ reſponderet, elaborata.

VIII. *Eodem anno cùm tranſmiſſis undique ſtirpibus vetus Botanophylacium peregrinas plantas non caperet, quatuor Hybernacula extra Hortum prope Præfectorum Horti Ædem, quæ totum meridiem exciperent, plurimoque Sole perfunderentur, vitreis clathris munita, ab ipſo Venerio Præfecto inchoata lapis Botanophylaciis inſertus, hiſque notis exaratus poſteros monet.*

SEBASTIANO VENERIO
PRÆFECTO
INCOEPTUM.
ANNO MDCC.

Cùm autem Hortus circulari pariete clauderetur, in quatuor partes, tribus aliis interpoſitis januis, forma, magnitudine, ceteriſque thyromatis primę ſimilibus atque ęqualibus, parietem dividi placuit. Quo Opere inſtituto, Anno MDCCIV. Vir Ampliſſimus Franciſcus Superantius, quo anno Prefectus Patavio preerat, Septemtrionalem Januam à fundamentis ędificavit, cujus ſingulis Pilis hęc inſcribuntur.

FRANCISCO SUPERANTIO
PRÆFECTO
ANNO MDCCIV.

Acroteria quoque in Occidentali janua, hoc Prefecto, facta invenio, duo ſcilicet magna è ſaxo vaſa ſingulis pilis ſingula ſuperpoſita, atque Ananaſſam Acoſtę celeberrimam hac ætate ſtirpem ex ęre fictam ſuſtinentia, in quorum abacis hęc notantur: pilę ſiniſtrę à fronte:

FRANCISCO SUPERANTIO
PRÆFECTO

Dexterę à fronte pariter:

ANNO CHRISTI MDCCIV.

Meridianam ſimiliter januam inchoavit. Nam in pila dextera Superantii nomen notatum video. Verum Prefecturę munere optimè perfunctus, & in Patriam revocatus (in qua ad ampliſſimam D. M. Procuratoris dignitatem evectus, & mox inter Triumviros literarios cooptatus, priſtinam erga Hortum voluntatem, ac ſtudium retinet) januam abſolvendam Hieronymo Juſtiniano Pretori reliquit. Quo curante altera pila cum hoc titulo ſubſtructa fuit.

HIERONYMO JUSTINIANO PRÆTORE
ANNO MDCCIV.

Meridianę, & Septentrionali januis perfectis, Nicolaus Contarenus, qui Anno MDCCV. & MDCCVI. Prefectus, & Propretor Patavinam adminiſtrationem gerebat, acroterea adjecit; Meridianæ duo vaſa cum duobus liliis floribus reflexis, montanis CB *ex ęre fictis; Septentrionali ejuſdem generis ornamenta, ſed ſtirpibus diſſimilibus ornata; nam vaſa* Coronam imperialem ſuſtinent triplici corona *C. H. L. In horum vaſorum abacis inſcriptum eſt.*

NICOLAO CONTARENO PRÆFECTO
ET PROPRÆTORE.
ANNO CHRISTI MDCCVI.

Orientali

Orientali quoque Janua eadem paravit, vaſa nempe duo cum duabus Yuccis Indicis, foliis Aloes C.B. quæ à ſucceſſoribus pilis impoſita Nicolai Contareni nomen, ac Præfecturam in abacis oſtendunt. Illud etiam inter neceſſaria eſt ſcire, hoc Præfecto, & Pro-Prætore Botanophylacia, quæ Sebaſtianus Venerius inchoavit, exædificata fuiſſe, ut lapis hiſce quatuor verſiculis ſignatus oſtendit.

NICOLAO CONTARENO
PRÆFECTO & PRO-PPÆTORE
PERFECTUM
ANNO MDCCVI.

Iiſdem Botanophylaciis alius inſertus lapis hæc ſervat.

D. O. M.
PEREGRINIS PLANTIS EXCI-
PIENDIS
HYEMALE XENODOCHIUM

IX. *Hæc ſunt, Vir Clariſſ. quæ duodecim annorum ſpatio præcipua in Horto facta ex illis, quæ in ipſo extant, monumentis deprehendi: nunc reliqua perſequar; & primùm de Orientali Janua, quam ultimam fuiſſe conditam video M. Antonio Memmo Præfecto, ſcribam: dextera enim pila hæc habet à tergo inſcripta:*

M. ANTONIO MEMMO PRÆFECTO.

Siniſtra verò, quę ad Meridionalem plagam converſa eſt.

ANNO MDCCVII.

In hujus quoque janua pilis Barboni Mauroceni, qui anno MDCXCVI. Patavium Præfectus rexit, nomen ita exaratum cernitur: in pila ſiniſtra contra Orientem ſolem:

BARBONO MAUROCENO PRÆFECTO

In dextera qua parte Septentriones ſpectat:

ANNO MDCIIIIC.

Materiam ſiquidem, ex qua pilæ illæ ſubſtructæ ſunt, Mauroceni Præfectura invectam invenio, atque informatam. Singula ſingulis januis (una excepta) atria, in quæ ipſa patent, foreſque aperiri ſolent, ſtatim adjecta ſunt, Septentrionali unum, Meridianæ alterum, tertium Orientali. Circulari forma hæc ſunt, & Carpine in parietem arte circumducto ambiuntur, teguntúrque. In centro lapideo labro, ut dixi, ampli poſiti fontes, in quos per ſiphones aqua corrivari ſolet cum impetu ſurſum profiliens. Atriis clariſſimorum Botanicorum imagines deſtinantur baſibus imponendæ; ideoque in Orientali Atrio Salomonis Regis Jo. Dominicus Theupolus, qui cum totius Antiquitatis peritiſſimus ſit, literas, diſciplinaſque omnes ſingulari benevolentia amplectitur anno MDCCX. Urbis *Præfectus molitus eſt, ut ſtylobata indicant.*

JO. DOMINICO THEUPOLO PRÆ-
FECTO.

In quo Simulachro Hebraicis ac latinis literis ſaxeo libro inſculpta hæc.

A CEDRO
QUÆ EST IN LIBANO
USQUE AD. C.
REGUM. III.

Federicus autem Venerius, cui Præfecturam Patavinam per manus tradidit Theupolus, Septentrionale Atrium Theophraſti imagine exornavit, adjecto titulo.

ΘΕΟΦΡΑΣΤΟΣ ΕΦΕΣΙΟΣ

Et in ſaxeo libro

HISTORIA PLANTARUM.

Hujus egregii Senatoris beneficia in Hortum collata, plura ſunt, ſed hęc in Statuę baſi ad hunc modum poſteritati mandantur.

FEDERICO VENERIO
PRÆFECTO.

Atrium Meridianum ornandum reſtat, in quo prima ſedes Dioſcoridi Anazarbęo debetur: hujus ſimulachrum ante omnia ut ponatur, curabimus.

X. *Nunc poſſem tibi multa alia commemorare, quę eodem tempore adjecta fuere, ſed mihi ante oculos majora obverſantur, quę me ad ſe rapiunt, atque adeo illa veluti minora relinquere monent. Nam cùm veteres Horti parietes ornari placuiſſet, in hoc opus podia cum coronarum projecturis ex lapide cęduntur parieti imponenda. Hęc ſeptem conſtant columellis per ſtylobatas inter ſe connexa alternatim inęquales, ab uno ſcilicet latere majores, quorum ſcapis Civitatis Patavinę Præfectorum nomina inſcribuntur, ab altero minores: illis optimi cujuſque Botanici ſimulachra ſuſtinenda deſtinantur, his vaſa lapidea cum ſtirpibus ex ęre fictis. Quapropter circulari parietis ambitu, quatuor interpoſitis januis in quatuor ſegmenta diducto, vicena binaque podia ſingulis partibus ab una janua pila*

ad al-

Digitized by Google

ad alterius pilam inter ſe perpetuo ordine conjuncta interſerunt. Qua partes quoniam quatuor, duo de nonaginta podia excipiunt, quibus totus Horti partes coronatur. Quantum autem pulchritudinis, quantum ornamenti ob manianum hoc opus Horto acceſſerit, neque tam facilè verbis complecti poſſum, neque te docendum exiſtimo, qui toties in Hortum ingreſſus es, cùm meis etiam exercitationibus publicis (quod tua fuit humanitas) interfueris nonnunquam. Amphitheatrum profectò quoddam ſtatim introeuntibus offertur, non Hortus; ita omnia pulcherrima, atque arte ornatiſſima à fronte, à tergo, à latere occurrunt, ut quòcunque oculi inciderint, Auguſtę Reipubl. Venetę majeſtatem, ac animi magnitudinem in eo obtutu mirari debeamus, quę medius fidiùs tot impenſas in hunc Hortum exornandum contulit, quaſi non ſtirpibus ſedem, ſed veterem, Imperatorum atque Regum more, publicis muneribus edendis locum pararet. Illud etiam me rapit, & admiratione perfundit, non publico tantùm conſilio, ſed etiam privato ſtudio hunc Hortum adeo complexam eſſe, ut Ampliſſimi Senatores, in totius Reipublicę adminiſtratione clariſſimè verſati, nomen ſuum in Horto notari, atque ſcribi non recuſarint. Sed ad rem redeo.

XI. *Anno MDCCVII. podia M. Antonio Memmo Pręfecto inchoata accepimus, cujus auſpiciis duo poſita fuere ad Januam Orientalem pilis proxima; hinc inde unum, ut ex majoribus ſtylobatis ſic exaratis habemus.*

ANTONIO
MEMMO
PRÆFECTO
ANNO SAL.
MDCCVII.

Qui ſtylobata, & Fabii Columnæ dimidiatam (à capite ſcilicet ad umbilicum) imaginem ſuſtinent, cum hoc titulo:

FABIUS COLUMNA LYNCEUS
NEAPOLITANUS GENERE

Majores ſiquidem Stylobata, & pilis proximi, vaſis ornantur lapideis. His podiis Anno MDCCX. Jo. Dominicus Theupolus Patavii Prafecturam gerens quatuor annectenda, bina ſingulis Memmi duobus minoribus ſtylobatis (quibus lapidea vaſa ſuperpoſita ſunt) ſejuncta, & inter duos majores ab unę latere comprehenſa, qui hiſce quinque verſiculis inſcribuntur.

JO. DOMINICO
THEUPOLO
PRÆFECTO
ANNO SAL.
MDCCX.

In horum uno ad auſtrum converſo Saraceni Botanici olim Clariſſimi imago collocata fuit, illi, quam de Columna ſcripſimus, perſimilis, & hac imagini inſculpta.

JANUS ANTONIUS
SARACENUS
LUGDUNENSIS

Theupoli exemplum ſecutus proximus in Prafectura Patavina Federicus Venerius quatuor podia facere inſtituit, qua ubi illa Theupoli deſinunt, inde incipiunt, eodem ordine diſpoſita, in quorum majoribus ſtylobatis hac:

FRIDERICO
VENERIO
PRÆFECTO
ET PRO-PRÆTORE
ANNO SAL.
MDCCXI.

Secutus eſt annus MDCCXII, qui Joannem Corrarium Patavinum Prafectum, & Pro-pratorem habuit; de hoc ſex in ſtylobatarum ſcapis extant inſcriptiones: dua anno MDCCXII. ad hunc modum inſculpta.

JOANNE CORRARIO
PRÆFECTO ET PROPRÆTORE
ANNO SAL.
MDCCXII.

Quatuor anno MDCCXIII. non abſimiles.

JOANNE
CORRARIO
PRÆFECTO
ET PROPRÆTORE
ANNO SAL.
MDCCXIII.

Quę,

Quæ, hoc Præfecto jubente, duodecim podia hinc & hinc ſex, illis Venerii connexa, parieti fuiſſe ſuperpoſita, teſtantur.

XII. *Aloyſii quoque hoc nomine tertii Mocenici (qui nuper ob multa in Rempublicam merita ad Supremam dignitatem evectus fuit, Principsque ac Dux conſtitutus) poſt Corrarium Præfecturam obtinentis hæc quatuor in Horto leguntur monumenta*

ALOYSIO
MOCENICO III.
PRÆFECTO
ANNO SAL.
MDCCXIIII.

Adjectis, hoc Præfecto, octo podiis, quatuor ad Meridiem vergentibus, quatuor vero contra ſeptentrionalem regionem.

Anno MDCCXV. quo Patavium Eques Joannes Piſaurus Præfectus miſſus fuit, ingens ad podia ædificanda materia in Hortum invecta fuit; quare anno MDCCXVI. Hortus maximum incrementum accepit XV. Podiis ornatus, quorum ſeptem ad januam Auſtralem collocata ſunt, quinque nempè pilæ Orientem ſpectanti proxima, duo oppoſitæ, quæ ad Occaſum convertitur cum quatuor ita notatis Stylobatis.

JOANNE
PISAURO
EQUITE
PRÆFECTO
ANNO SAL.
MDCCXVI.

Reliqua ad januam Septentrionalem ſic diſponuntur: quinque ab Occidente januam attingunt, tria ab Oriente. In quibus Stylobatorum majorum ſcapi eaſdem, quas commemoravi, inſcriptiones oſtendunt.

XIII. *Joannis Piſauri benevolentiam ac ſtudium erga Hortum Franciſcus Garzonus ſucceſſor anno MDCCXVII. imitatus undeviginti podia extruenda curavit, quæ omnia ab janua Occidentali verſus ſeptentriones diſpoſita cernuntur, octo anno MDCCXVII. conditis, ut ex quatuor ſtylobatis conſtat.*

FRANCISCO
GARZONO
PRÆFECTO
ET PROPRÆTORE
ANNO SAL.
MDCCXVII.

Hæc illis, quæ Eques Piſaurus ponenda juſſit, proxima ſunt; decem autem, quæ ad Occidentalem januam perducuntur, anno MDCCXVIII. erecta vidimus, in quorum quinque ſtylobatis notantur.

FRANCISCO
GARZONO
PRÆFECTO
ET PROPRÆTORE
ANNO SAL.
MDCCXVIII.

His podiorum ordinibus tres parietis partes ornantur. Quarta reſtat, quam ab Equite Piſauro inſtitutam Præſtantiſſimi Senatoris Leonardi Delfini, nunc Patavinæ Civitatis Moderatoris (cujus ſtudium erga artem noſtram ſingulare eſt) auſpiciis abſolutum ſperamus.

XIV. *Hæc itaque omnia, & plurima alia, quæ Epiſtola claudi nequeunt, quatuor ſupra viginti annorum ſpatio Abb. Viali curante (cujus ſedulitas, diligentia, amor in Hortum adeo præcipua fuere, ut omnem ferè induſtriæ meæ locum præripuerit) in Horto facta vix fidem apud poſteros invenient. Quare jure meritoque de egregio Viro omnis locutura eſt ætas, dum Hortus erit, quem immortalem futurum ſpero, & ut ſit, tua benevolentia ne deſit, oro, & dum lapis decumanæ januæ contra Orientem inſertus hæc legenda ſervabit.*

SILVESTRO VALERIO PRIN-
CIPE
IIIVIR. LITER. SC. JUBEN-
TIB.
ALEXANDRO MOLINO PRÆ-
FECTO.
APOLLINEÆ INSULÆ DECUS
ADDITUM

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HOR-

HORTUS DUPLO AUCTUS CLA-
USTRISQ. FERREIS MUNITUS.
PLANTÆ EX UTRAQ. INDIA INVECTÆ
PERENNES EXCITATI FONTES
LUCUS CONSITUS
OMNIA VETERI SQUALORE
DETERSO NITIDIORA
CURANTE
FELICE VIALI PUB. PROFESS.
LOCIQ. PRÆSIDE
A CHRISTO NATO SÆCULI XVII.
ANNO VIC.
A CONDITA REPUBLICA SÆCU-
LI XIII. ANNO LXXII.

Habet, Vir Clariſſ., peculiaria monumenta, quę poſt editam Tomaſini hiſtoriam in Horto poſita inveni. His duo addenda reſtant, quorum unum Georgius à Turre Publ. Prof. ac Horti Pręfectus ponendum juſſerat, Horti Pręfectorum ędi à fronte impoſito marmore, cui hæc inciſa:

ANGELO MARCELLO
QUOD MUSARUM VIRETA
SILVESCENTIA IN-
TERLUCAVERIT, ATQ. ARESCE-
NTIBUS HERBIS CAS-
TALIOS LATICES INDUXERIT NU-
DISQ. STIRPIBUS
FLORUM CORONAMENTA NATU-
RÆ MUN-
DUM ADJECERIT QUO TEMPORE
URBIS PRÆFECTUS
ERADICATO OMNIS HOSTILITA-
TIS ACONITO PACI-
FERAS OLEAS LAURIS TRIUM-
PHALIBUS INSEREBAT
GEORGIUS A TURRE
REI HERBARIÆ PROFESSOR OR-
DINARIUS HORTIQ.
PUBLICI PRÆFECTUS. R. M. P.

Alterum nos Ampliſſimo Senatori Vincentio II. Piſano Pręfecto & Propratori erigendum curavimus; nam anno MDCCXX. cum Botanophylacium exterius vetuſtate confectum eſſet reparandum, in id Vir ille pręſtantiſſimus omne ſtudium contulit, munificentiamque. Ideoque non ſolùm fuit reſtitutum, verum etiam longè ampliùs atque ornatius exędificatum, ut in columna ad Botanophylacium erecta exaratur.

VINCENTIO II.
PISANO PRÆF.
ET PROPRÆT.
BOTANOPHYLACIUM
VETUSTATE JAM
CONFECTUM IN
MAGNIFICENTIOREM
FORMAM RESTITUTUM
MDCCXX.

Hæc ad te, Vir Celeberr. de Horto ſcripſi pluribus ſanè, quàm tua literæ à me poſtulare videbantur, ſed pro rerum multitudine paucis; nam in id pro virili totus incubui, ut quàm celerrimè rem tranſigerem, tuaque tempora, epiſtolâ, quantum fieri poſſet, brevi morarer. Quod profectò intelliges, ſi Senatus Conſulta (ne te ad Hortum vocem, in quo plurima & tua prædicatione digna à me prætermiſſa primo intuitu ingredientibus occurrunt) & Triumvirorum decreta, quibus & hæc, & alia multa, quæ tacitus omitto, in Hortum collata ſunt, evolveris, atque inſpexeris. Hæc cùm cognoveris, tunc mente aſſequi poteris, quæ eram neceſſariò dicturus, ſi totum Hortum, ſi ſtirpes omnes, ſi flores, ſemina, fructus, non potiſſima excerpendo, ſed omnia rimando, atque colligendo ſcribenda ſumpſiſſem. Ad hæc itaque omnia, cùm animum adjeceris, neque mei conſilii, quo à tanta rerum mole pertractanda ſum revocatus, neque tua in me

humani-

humanitatis, qua excuſationem meam accepiſti, fore ut te unquam pœniteat, exiſtimo. Fac ut valeas.

D. ex Horto XII. Kal. Decembris MDCCXXII.

CAPUT XI.

De Collegiis ad Gymnaſium pertinentibus.

I. PRæcipuus Archilycæi noſtri ſplendor eſt à Collegiis, quibus vel ad virtutis certam ſpem adoleſcit, vel certæ jam & adultæ virtutis gloriam ſibi conciliat. Sunt enim veluti Officinæ quædam, in quibus aut pretium Sapientiæ facit, & alumnos ſuos ad maxima provocat, aut præmia Sapientiæ in emeritos erogat, cenſoriâque poteſtate in Doctorum Senatum legit Scientiarum antiſtites. Hinc horum quædam Collegia publica ſunt, privata quædam: In his vel ſumptu privato ſtudioſa pauperies alitur, ne non cuique Juventutis Ordini, licet fortunæ opibus deſtituto, Gymnaſium pateat; vel de virtute profectuque diſcentium judicatur; vel ære gymnaſtico commoda parantur lectæ Nobilitati, ut liberalibus præclariſque Artibus operam det, profuturam bello ac paci, quibus parens vitiorum otium, & indolis ad publicam utilitatem natæ blanda peſtis inertia plus ſatis inſidiatur.

II. Collegiorum hujuſmodi apud (1) Riccobonum vix tenuis quædam & perfunctoria notitia eſt: at de iiſdem (2) Tomaſinus multa, ſed enim ſubobſcurè, jejunè, &, ſi dicto parcas, non ſubleſtè tantùm, verùm etiam non verè: ut ex officio ſit pleniorem Hiſtoriam profeſſi, ea hic tradere, quæ veriora, clariora, firmioraque, & publicis monumentis penitùs conſentanea ſunt, faciuntque ad ſplendorem & gloriam noſtri Gymnaſii.

(1) de Gym: lib. 1. c. 7. p. 10.
(2) de Gym. lib. 1. c. 52. 57. 61. 66. p. 171. 194. 204. 211.

CAPUT XII.

De Collegio Gymnaſtico, ejus Antiquitate ac Symptomatibus ad initium Sæculi XVII.

I. GYmnaſii Collegium jure antiquiſſimum, & primæ Archilycæi noſtri inſtitutioni coævum in ejus (1) legibus appellatur. Quippe hoc eſt, in quo uno per integrum Sæculum probatæ ac emeritæ diſcipulorum Virtuti gradus honorum, & laureata Magiſtrorum Inſignia data ſunt, ante quàm ullum Patavii Collegium haberetur. Hoc itidem eſt, in quo uno ſemper, citra laurum, probatur eorumdem Sapientia; iique renunciantur etiamnum Prolytæ, quos *Baccalaureos*, & *Licentiatos* appellant; vocabulo barbaro à facultate ipſis conceſſa, ut in quolibet approbato Gymnaſio nomen ac titulos Doctoris adſumant.

(1) Stat. Coll. Vener. in Proœmio

II. Porro Collegium hoc, ab exortu ſuo, ſolis conſtabat Profeſſoribus publicis, & quidem non omnibus, ſed iis dumtaxat, qui ab ipsâ Origine Gymnaſii noſtri conſtitutas Exedras obtinebant: Ordinarias nimirum quatuor Majores, ſeu primas, minores totidem ſeu ſecundas. Huic Collegio vel Prætor Patavinus, vel Princeps præerat, auſpiciumque dabat; atque ad trutinam examinis revocatos, ex arcanâ Magiſtrorum ſuffragatione, probatos, reprobatoſve declarabat ſumma religione, & conſtantiâ, quam mox officia enervarunt, debilitavit partium ſtudium, & non ex merito erga Candidatos affectio.

III. Cùm enim ſenſim & Prætores, & Principes auſpicium hujusmodi Palatinis Comitibus demandarent, paulatim omnia corrumpi, & peſſum ire: donec ex privilegiis non bene intellectis eo uſque vitium invaluit, ut Palatinis Comitibus licuerit, ſi fas ita loqui, papyraceam, atque coëmptam non magno laurum tribuere.

IV. Quæ dicimus de Gymnaſio noſtro, & annotat (2) Porcellinus, eadem de Bononienſi narrat (3) Maſtajus; additque, hæc ipſa uſuveniſſe tum in Peruſino, tum in Senenſi, ac Piſano, aliiſque per Italiam Gymnaſiis ſub Imperatoribus Fridericis, apud quos Comitum Palatinorum ſumma gratia fuit. Abſtulit hoc dedecus à Bononienſi Gregorius IX. admonitu, ut idem (4) auctor tradit, S. Raymundi de Pennafort; editiſque Decretalibus libris; & in Bononienſe Gymnaſium invectis, Collegia quoque Pontificio nomine congreganda conſtituit, quæ, munita Præſulum auctoritate, labem hanc abſtergerent, vel certè quadamtenus diminuerent.

(2) in not ad matric. ſub init.
(3) De Gymn. Italiæ lib. 1. c. 7.
(4) ibid. lib. 1. c. 3.

V. At Patavii Collegium Gymnaſii viguit ſemper, tametſi Profeſſores ipſi, quorum

V. At

tunc maxima pars Patavini erant, clam palam egiſſent, ut Inſigniorum tradendorum auſpicia penes Patavinos Antiſtites haberentur. Id quod Urbanus IV. profiteri videtur (5) apertiſſimè, cùm hujuſmodi Statutum, aut morem confirmat, præficitque Doctorum auſpiciis Patavinum Antiſtitem Diplomate edito. Nam in eo ſolis Magiſtris, non autem aliis, Jus excutiendorum provehendorumque ad gradus meritos diſcipulorum convenire propalam prædicat; ut dubio verti minimè poſſit, quin toto Sæculo XIII. ac parte Sæculi XIV. ſolis Profeſſoribus Legum, & Artium Gymnaſii Patavini Collegium conſtiterit.

(5) apud Riccob. de Gym. lib. 1 c. 2. p. 5. Tomaſ. de Gym. lib. 1. c. 3. p. 9.

VI. Cœperunt deinde in illud irrepere Patavini Doctores ipſo Sæculo XIV, annuentibus Profeſſoribus ipſis, magna ex parte Patavinis, & agente Hildobrandino Antiſtite; primùmque recepti duodecim, quorum par cum Gymnaſii Magiſtris Jus eſſet in examinandis ac probandis coram Epiſcopo Doctoralis laurûs Candidatis; atque horum exeunte Sæculo XIV, & deinceps auctus in tantum eſt numerus, ut jure jam non Collegium Gymnaſii, ſed Pontificium, ac Sacrum Patavinorum appellari meruerit, ut infra notabimus. Id ſanè non videntur æquo animo tuliſſe Carrarienſes Principes, quorum juri derogabatur: Quamobrem, ut ut diſſimulandum eſſe putaverint, ne quibus per ea tempora urgebantur anguſtiis, jurgiorum aliunde moles accreſceret; attamen conſultò caverunt, ne quod poteſtati ſuæ in Gymnaſium ſenſim inde damnum contingeret; perrexeruntque ejus ſatagere, ut extra Collegium Epiſcopi Magiſterii decus ac privilegium à ſolis Gymnaſii Doctoribus, intra Civilis Magiſtratûs auſpicium, traderetur.

(6) ibid. not. 9.

VII. Quæſtum de hoc, ſcribit (6) Porcellinus, non ſemel Pileum de Prata Cardinalem, tunc ſacris Patavinis præfectum, incaſſum tamen: quippe ſtetiſſe Jus illud Gymnaſio, uſque illo fuiſſe Profeſſores creberrimè; atque indicto conventu tum in privatis Ædibus Civium, tum in domo Gymnaſticâ ad D. Blaſii, Doctores, ac *Licentiatos* pronunciaſſe, præſidentibus vel Prætoribus urbanis, vel Comitibus Palatinis. Idipſum uſu, ac perpetuâ conſuetudine receptum fuiſſe tunc quoque, cùm in Jus Venetæ Reipublicæ ceſſit Patavium, certiſſimum eſt ex iis, quæ inferiùs annotabimus, quæque apertè docebunt, poſt annum MD. multos Viros Clariſſimos Patavii lauream aſſecutos, aut factam illis fuiſſe poteſtatem ad Magiſteriorum gloriam aſſurgendi, quin in Collegio ex Pontificum auctoritate ſuborto eos gradus honoris eamve poteſtatem acceperint. Certè in altero Codicum, qui ad hoc ipſum Opus, quod juſſu publico feſtinamus, exantlandum nobis exhibiti ſunt, in ea parte, quæ Decreta continet ad Gymnaſium pertinentia intra Sæculum XVI. plura paſſim (7) occurrunt ſancita circa Doctorum inſignia, Graduſque conferendos Patavii coram Prætore, & Palatinis Comitibus, quæ, ni fallor, clarè conſtituunt Magiſtrales laureas, ne dum quas *licentias* vocant, in Gymnaſio extra Pontificia Collegia fuiſſe collatas. Et alioqui adeo idipſum apud nos receptum fuit, ut diſputatum ſit, an etiam Theologicam laurum tribuere liceret coram Prætoribus Patavinis, & Palatinis Comitibus? (8) Reſponditque Viglius Zuichemus clarus XVI. Sæculo Jure conſultus, & Profeſſor Gymnaſii noſtri, licere; quippe id more in Gymnaſio comprobato ſanciri. Ejus ſanè ſententiam elevat (9) Nicolaus Noalius, non tamen refellit, imò potiùs confirmat, cùm aſſerit, id tunc obtinuiſſe, cùm nondum Pii IV. Diploma morem hujuſmodi reprobaſſet.

(7) Decret. lib. 1. p. 9. ter. p. 14. p. 48. ter. p. 99. ter. p. 150.

(8) Conſil. 3. Vol. 1. edit. Antuerp.

(9) Conſil. 20. Venet. Edit. apud Somaſchum.

VIII. Hoc ut intelligas, atque inde cognoſcas, unde ſit factum, ut antiquiſſimum Gymnaſii Patavini Collegium deſtitui paulatim, tandemque per annos fermè quinquaginta, re factoque antiquari contigerit, obſervandum eſt, Anno MDLXIV, ſecundo poſt peractam Synodum Tridentinam, editum fuiſse Diploma per Pium IV, quo caveatur, ne quis deinceps in Italia, vel alibi ad gradus & Inſignia Magiſteriorum in Jure utroque, in Medicina, vel Theologia provehatur, quin prius profeſſus Fidei Dogmata ex formula, quæ proponitur, ea, quæ profeſſus eſt, jurejurando confirmet. Ejuſmodi Conſtitutio promulgata eſt eodem Anno IV. Nonas Martii, ac diſcipulorum Gymnaſii noſtri concuſſit animos, Germanorum præſertim, quibus addere licet etiam Tranſmarinos. Nam hanc ob rem tragœdias movet Margunius ad (10) Hœſchelium ſcribens, & ſe unum ex undequadraginta diſcipulis Græcis dicit, qui ob illam cauſam ſe ſubduxere Patavio.

(10) Epiſt. 22.

IX. Nec aliter, atque Græci, concuſſiſſe ſe videntur Germani, cùm apud (11) Tomaſinum hi ante omnes, (quippe Natio cæteris numeroſior, non ſubjecta Venetis, ſingularibus privilegiis fulta, & Cæſareo patrocinio potens) auſi multa ſunt propalam, jamque diſceſſuros ſe minabantur; fortè & abjerant plerique. Quamobrem à Rectore Gymnaſii ad Triumviros literarios ſcriptum.

(11) Gym. lib. 4. p. 413

X. Hujus Epiſtolæ apographon inter ea, quæ mihi reliquit (12.) Salomonius habeo, ſigna-

(12) in miſcell. ad Inſcript. Gymn.

ſignatum XIII. Kal. Aprilis Anno MDLXV. inſcribiturque nomine Petri Pineti, qui tunc Diſcipulorum Collegiis præerat, in Urbe Apuliæ Dauniæ Manfredonia natus. Is plura congerit, quibus evincat, rei novitate perculſos omnes, eàque nihil aliud effectum iri, niſi ut Gymnaſium ſolveretur, & ad unos Italorum greges redigeretur. Eâ Jura Gymnaſii convelli, nec deinceps in illo quenquam *conventuari*, hoc eſt examinari, & ad gradus provehi poſſe, cùm Jusjurandum Fidei non interponi dumtaxat, ſed & coram Epiſcopo, vel ejus Vicario, interponi jubeatur. Eodem Decreto exteros omnes, & ſiqui ſe liberos à Romani Pontificis poteſtate dixere, ad utrumlibet adigi, ut aut perjurio ſe alligent, aut diſcedant, atque alibi quærant ſcientias liberales, quas Juſiurandum, quod jubebatur, illiberales faceret, nec libero homine dignas. Plura ibi & audacter propoſita, quæ cùm Italo, & Orthodoxo non admodum conſentanea ſint, ex officio potiùs, quàm è ſententia ſcribentis videri poſſunt.

XI. Hinc, ut annotat Tomaſinus, hæc Epiſtola reſponſum nôn meruit; miſſique ſunt Germanorum præcipui, qui coram Magiſtratu diſceptarent: ſed horum querelas officioſè compeſcuit Vir Sapientiſſimus, & in rebus gerendis ingenio comi ac verſatili Marinus de Caballis literarius Triumvir, pollicitus intra tres menſes rationem habendam exterorum, ac Germanorum in primis, atque in horum gratiam vim Diplomatis mitigatum iri, ne quâ parte Juribus Gymnaſii obeſſet, aut libertatem Scholaſticam læderet. Verùm tres hi menſes ad Kalendas Græcas abiere, cùm nullum poſtea hac ſuper re decretum proditum ſit, quo collapſis Gymnaſii juribus conſuleretur. Ergo paulatim numerus diſcipulorum diminui, & exterorum pauci admodum titulum ſumere, ac peracto Studiorum curriculo, vel diſcedere, vel cenſuræ notam à Profeſſoribus publicis expoſcere, vi cujus in liberioribus Gymnaſiis, in quibus Pontificium Diploma non erat receptum, graduum Magiſtralium honores conſequerentur.

XII. Videbant hæc Moderatores Archilycæi noſtri prudentiſſimi, referebantque Senatui, ut annotavi non uno in loco, lecto (13) Primo Codice, quem ſuperiùs laudavi ex duobus, qui quæ ſpectant ad Studium Patavinum complectuntur. At in re perdifficili ſatius viſum, quod erat deliberandum protrahere, quàm ſanctione quapiam aut fucum facere piè decretis à Romano Pontifice, aut Scholaſticum Populum in deſperationem adducere. Diſſimulatum igitur altè, prudenterque, ac ſenſim actum, non quò Gymnaſii collegium abrogaretur, ſed quò tandiu quieſceret, donec locus ac tempus idoneum eſſet ſanciendi, ac meliorem in formam revocandi, quod interim negligi videbatur. Sed enim diſcentium animi his conſiliis non acquieſcebant; Exterique penè non planè defecerant: ſi qui reliqui, horum nulla petitio Doctoralium Inſigniorum, Titulorumve, aut Graduum: abhorrebant omnes à juramento tantâ vel conſtantiâ, vel pertinaciâ, ut (14) viſum ſit è re Profeſſorum eſſe, Germanos impellere, ut iterum Collegii Gymnaſtici antiqua jura repeterent; actumque primùm cum Urbanis Rectoribus, mox cum Triumviris, atque etiam cum Principe Veneto, ut publicæ utilitati, ac libertati proſpicerent; cùmque fuiſſet reſponſum, Jurisjurandi abrogationem neque penes Triumviros, neque penes Principem eſſe, ſed penes Pontificem, tumultuatum eſt, coactuſque Stephanus Cereola Colonienſis, Gymnaſii Rector illo ipſo anno, qui MDLXXVII. fuit, non in Templo Majore, ut mos erat, ſed in Antoniana Baſilica cucullum dignitatis, quem *Capuccinm* appellabant, ſolemniter ſumere. Quippe palam profeſſa eſt turba Scholaſtica, ſe in auſpicium Rectoris nomen minime daturam, nec deinceps acceſſuram ad Scholas, ſi apud Epiſcopum Rector Inſignia poteſtatis accepiſſet: id quod adeo Profeſſores terruit, ut clam Rectori perſuaſerint, ut, prætextu aliquo objecto, tum juri ſuo ac dignitati, tum Gymnaſii ſaluti conſuleret.

(13) p. 69. ter. p. 150. 168. 195. 199.

(14) Tomas. ibid. lib. 4. p. 420.

XIII. Conſtant hæc ex Diario (15) Sanſoni, quod autographum apud me eſt, noſque docet, quod aliunde refert (16) Tomaſinus, ut rem prorſus obſcuret: ea nimirum ſolemnia ad D. Antonii habita in gratiam Cardinalis Urbini Principis, qui valetudinis recuperandæ cauſa illuc diverterat, illum ipſum colorem fuiſſe, quo ſeceſſio illa Diſcipulorum contecta ad poſteritatis memoriam venit. Cæterùm his jurgiis deinceps actum creberrimè, ac celeberrimum eſt illud, quod more ſuo implicat (17) Tomaſinus; explicandumque eſt, ut intelligas, quantâ prudentiâ, quantâque patientiâ Summi Senatûs religio egerit, ut opportunitatem expectaret reſtituendorum Jurium Collegii Gymnaſtici.

(15) ad ann. 1577.

(16) ibd. lib. 4. p. 420.

(17) l. lib. 4. p. 422.

XIV. Anno MDLXXX. cùm (18) conſulti Triumviri, utrum Jura priſca Patavini Gymnaſii ſalva & integra vellent, generalibus, ut mos habet, verbis reſpondiſſent, innovandum nihil eſse, & ex more planè ac ſemper recepto, in omnibus procedendum, quidam Georgius Croſner Badenſis Suevus petiit, à Profeſsoribus Medicinæ laureâ in

(18) Diar. Sanſoni An. 1580. 3. Mart.

ipſo Gymnaſio, quod jam ſtabat apud S. Martinum, inſigniri; jamque omnia parata erant, cùm Fridericus Cornelius Cardinalis Pontifex Patavinus, re cum Aloyſio Grimano Prætore communicatâ, per Curſorem publicum vetuit, citra Jurisjurandi religionem, & præſentiam Antiſtitis lauream conferri; ſi quid ſecus fieret, infectum dixit; pœnas addidit ſacras Profeſſoribus, qui Actis hujuſmodi interfuiſſent. Hoc interdicto res diſcuſſa; adjecitque poſtridie, ſummæ per ea tempora & pietatis & auctoritatis Pontifex, edictum prolixum ſatis, quo mores Diſcipulorum ad normam probitatis Orthodoxæ revocabat, ac multa, quæ de Germanis populari ſermone propoſita malè audiebant, accuratè perſtrinxit; edictumque ſuum litteris tribunitiis, quas Advocatorias appellant, iterum iterumque confirmari curavit. Quid ad hæc Natio Germanica egerit, quantis ambagibus circumducta ſit, ut quietem amaret, ex (19) Tomaſino, ne ab illo ſcripta repetamus, agnoſces; hoc tantum nota, deferbuiſſe, Romam ſecedente Cornelio, controverſiam de Jurejurando Fidei, quo tandiu concuſſum fuerat Gymnaſium, cujus in conferendis laureis citra Patavinorum Antiſtitum auſpicium jura & mos antiquiſſimus ſæpè deinceps obtinuit, ut ex relato Diario deprehendimus.

(19) d. p. 422. 423.

XV. Duo exempla, quæ celeberrima fuerunt, ſubticenturque in Diario Sanſoni, habemus: alterum ex Monumentis (20) Ultramarinis anno MDLXXXVI. in Jacobo Savoniano Nauplio ex Peloponneſo, qui Doctor Medicus dictus eſt in ipſo Gymnaſio à Profeſſoribus publicis præſente Prætore (qui poſtea Princeps Reipublicæ fuit) M. Antonio Memmo; alterum ex ipſo (21) Tomaſino, apud quem VII. Idus Majas Anno MDXCVII. Matthæus Jacobeus Ripenſis Danus, Pro-Rector Artiſtarum, eximio rerum uſu Vir pollens, magna cum ſolemnitate ab Alexandro Maſſaria Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctoratum accepiſſe dicitur in Domo D. Sigiſmundi Capiliſtii Comitis Palatini, præſentibus Lycæi Profeſſoribus. Plura recenſeri alia poſſent, quibus manifeſtè conficitur, exeunte Sæculo XVI. & ineunte XVII. Jura Collegii Gymnaſtici, quod ſolis Profeſſoribus publicis conſtaret, ſtetiſſe paſſim recepta, palamque probata, quo liceret nolentibus in Pontificium Diploma jurare, coram Comitibus Palatinis, aut Prætoribus Venetis ad titulos, & honores doctrinæ debitos provehi, uno Doctorum Gymnaſticorum ſuffragio.

(20) Auct. Nicol. Coref. ad ann. 1586.
(21) d. lib. 4. p. 436.

XVI. Quin etiam per idem tempus diſputatum eſt, an Theologos quoque pronunciare fas eſſet, Prætoribus aut Comitibus ad auſpicium evocatis. Apud (22) Salomonium in Schedis mihi relictis reperio, tres è ſacra, doctiſſimaque Prædicatorum familia diſputationi huic occaſionem præbuiſſe, quos Prætor Patavinus Jo: Baptiſta Bernardus auſpex, facta in cœtu Profeſſorum poteſtate, coronaverat, Philoſophis, ac Theologis Gymnaſii ſuffragantibus in ipſo D. Auguſtini Cœnobio: fallique Tomaſinum, qui refert communi DD. conſenſu deciſum, id non licere; cum ſteterint pro utraque parte multi, quorum ſcripta aliquot vidimus, nec vacat de iis cenſere. Hoc unum dicimus, rationes inficiantium in eo verſari, ut oſtendant, citra Pianum Diploma Doctores renunciari non poſſe: quaſi ad unum Pontificem Max. intercepta Principum laicorum poteſtate, qua uſi ſunt ab origine, ſpectet doctis laboribus præmia decernere. At contra referebant aſſerentes, eo jure Principes laicos abſtineri non poſſe, nec alios Piana Conſtitutione ligari, quàm quos in Pontificiis Collegiis Autoritas Antiſtitum provehebat: eſſe non ſolùm Comites Palatinos Lateranenſes & Romæ, & extra Romam ab Epiſcopis dictos, quorum eadem poteſtas, eadem ratio conferendi Doctorum inſignia ſit: & alioqui conſulendum eſſe tum libertati Gymnaſiorum, tum diſcentium ſumptibus, qui longe majores in Collegiis Pontificum faciendi ſunt, quàm apud Comites Palatinos, & Collegia Gymnaſtica; nec ſatis videri conſultum Majeſtati, & frequentiæ Gymnaſiorum, ſi ab iis arceantur, interdicto laborum ac ſtudiorum præmio, ii omnes, qui Romani Pontificis poteſtati ſe ſubjicere detrectant.

(22) ad Inſcrip. Gym.

CAPUT XIII.

Collegii Gymnaſtici Reſtitutio, ejuſdemque in Venetum nomen Adoptio.

I. QUæ proximè diximus, omnia, dubitare nefas, quin fuerint à Prudentiſſimis Triumviris, & Sapientiſſimo Senatu accuratè perpenſa; ſuntque in libris, quos hic ſæpe citavimus, veſtigia non pauca conſultationum hujuſmodi, atque illud in (1) primis, quo Libelli ſupplices à Joanne Aner Artiſtarum Rectore porrecti ad Triumviros remit-

(1) lib. 2. Decret. 1606. 4. Decemb. in Rogatis.

remittuntur, ut cenſeant quid circa Collegium Gymnaſticum, & Comites Palatinos Herculi Eq. Saxoniæ ac publico Medicinæ Profeſſori, vices Rectoris, qui dudum diſceſſerat, obeunti, atque eo nomine reſponſum efflagitanti, eſſet reſpondendum. Quid Triumviri (quos fuiſſe Franciſcum Molinum Eq. & D. M. P. Hieronymum Capellum, & Antonium Quirinum ſcimus ex Triumvirali Catalogo) reſponderint, non conſtat: conſtat decretum nihil uſque ad annum MDCXVI. (2) quo tandem Senatus conſtituit Gymnaſii Collegio formam perennaturam ad poſteros dare, illud ſua auctoritate munire, & quaſi in adoptionem accipere, quò Juribus ſuis intra fines certos frueretur.

(2) d. lib. 2, 6. Febr. 1616. in Roga'is.

II. Et primò quidem (3) decretum hoc eſt pro Artium ac Medicinæ Studioſis ipſo Anno MDCXVI, mox poſt anno XIX. idem ſancitum pro Jureconſultis. Utriuſque Decreti ac Sanctionis cauſam Senatus non aliam affert, niſi quæ primævam Collegii hujus Originem, & Gymnaſio ſuppar Jus profitetur, quod ne obſoletis ex diuturnitate temporum legibus ulteriùs labefactetur, & corruptelis pluribus obnoxium tandem intercidat, ſua auctoritate confirmat, inſtituit, ſanctumque, ac perenne, ſuo nomine, ac publicæ Poteſtatis Inſignibus exornat, ut Gymnaſii Collegium deinceps Venetum nuncupetur, indeque diſcernatur à Pontificio. Quamobrem primùm quidem Palatinorum Comitum, quicunque illi cenſeantur, ſive Cæſarei, ſive Lateranenſes à ditione Veneta, quà latè patet, auctoritatem, poteſtatemque prorſus exterminat: deinde Præſidem illi præſtituit ex Majoribus Exedris Profeſſorem unum à Triumviris nominandum, qui vice Principis, & publicam repræſentet Majeſtatem, ejuſque in auſpiciis tradendorum Graduum Magiſtralium poteſtate fungatur, adjunctis Collegis ſeptem ex antiquo more Gymnaſii, qui Profeſſores Juris Canonici, & Civilis, vel Medicinæ, ac Philoſophiæ ſint Ordinarii ex Majoribus & Minoribus; & ad quos examen & approbatio pertineat laurea donandorum eo modo, qui receptus more, ac perpetua conſuetudine confirmatus viguit ſemper, ac viget in Gymnaſio Patavino, reliquiſque Patavinis Collegiis.

(3) 1616. 19. Janu. in Rogatis d. lib. 2. p. 39. 1635. 17. Mart. in Rogat. d. lib. 2, p. 64.

III. His ne qua parte videretur derogatum hac inſtauratione Gymnaſtici Collegii, illi certi fines dati, & circa quam verſaretur, Diſcipulorum certa conditio (4) ut Germanis in primis pateret & exteris, itidemque iis omnibus, quos pauperies à ſumptu faciendo in Pontificiis Collegiis abſterreret. His additi Tranſmarini omnes ex Privilegio, quamvis Veneto ſubſint Imperio, & generatim ii etiam, quos à Fide alienos Eccleſia patitur; ut nimirum, quibus in hoc Gymnaſio, quaſi in maximo Scientiarum Emporio, Sapientiam ſtudioſis laboribus licitari permiſſum eſt, atque adeo bonis artibus navare operam, Sapientiæ ac bonarum artium, quas adepti ſunt, titulos & præmia conſequi liceat. Idem poſtea beneficium productum ad Illyricos & Dalmatas; ac ſæpe ſubjectis quoque in Veneto Continenti diſcipulis ex cauſa datum eſt à Triumviris, penes quos Juris hujus arbitrium eſt; quique eo uti ſolent profuſiis parciuſve, pro rerum, cauſarum, ac temporum varietate ac ratione.

(4) ibid. p. 39. & 64: Tomaſ. lib. 1. c. 57. p. 194.

IV. Sic reſtitutum Collegium Gymnaſii, tum quod ex Medicis ac Philoſophis conſtat, tum quod Juriſconſultorum eſt, Tribunal habet, quod *Bancam* vocant, ſedentque in eo Conſiliarii duo ſuffragiis Collegarum electi, & legum Cenſor, ſeu Cuſtos; adſtat Scriba ſeu Cancellarius, præſtoque eſt Nuncius. Præſidet omnibus Præſes, cæteroſque Profeſſores (5) præcedit in omnibus functionibus didaſcalicis triennali dignitate, quam Triumviri conferunt; iſque candidatos ad obeundum diſcrimen examinis recipit, ſortitò tutores ſponſoreſve excutiendis probandiſque diſcipulis dat; hiſque fidejubentibus commendatos, ad publicam examinis ultimi aleam admittit; eàque probatos ritè ornari Doctoratus inſignibus ex auctoritate, qua fungitur, jubet. Clava utitur Gymnaſii propria: habet peculiare Sigillum in Leone Veneto alato, cui Pro-Rector, pro Univerſitatum diverſitate, Gymnaſticum addit, ut leges in excuſis à (6) Tomaſino.

(5) 7. April. 1651. in Rog. lib. 2. p. 492. ter.

(6) lib. 1. c. 26. p. 66.

V. Hæc ratio, hæc Majeſtas par cæteris, ni etiam major eſt Collegii Gymnaſtici ſeu Veneti, cui nomenclationis novitas nihil obeſt: quippe ea ordinem, adoptionem, decus ſignificat, ac Splendorem, ad quem revocatum eſt, ut perennet illuſtriùs certiùſque priſcum, primævum, atque ab origine Gymnaſii conſtitutum Profeſſorum Collegium. Hinc illi locus in ipſo Gymnaſio datus, anguſtus quidem primùm, nec tanto Conventui conſentaneus, quique ineptæ dicacitati occaſionem præbuerit, Collegium Venetum Collegiolum appellandi; quaſi Cœtus ampliſſimi ex loco, aut coeuntium numero, non ex collegarum præſtantia, ipſiuſque Magiſtratus Majeſtate, ac ſpecimine cenſeretur. Sed & huic obtrectandi licentiæ Sereniſſimi Senatûs Munificentia, non diu poſt, anſam abſtulit, cùm Collegio in ſuæ Jus adoptionis, & nominis recepto aulam in ipſo Gymnaſio elargita peramplam eſt, eamdemque ſumptu publico perornatam Conventibus

Profeſſorum attribuit: nec alio nomine tirulove Collegium à ſe reſtitutum, & ſuo nomine decoratum ſignari, appellarive juſſit, quàm quo illud in Epigraphe Januæ impoſita ex SC; dignatur hoc (7) modo.

(7) Patin. in Lycæo. p. 17.

Magnum & Auguſtum
Patavinæ Univerſitatis Collegium
In priſtinum auctoritatis gradum juſſu Sereniſſimæ Reip. Venetæ
Reſtitutum.
Quod ob Polymathiam ad lauream Studiorum cultoribus
Conferendam
Hieronymus Lando Eq. in ſua Prætura ob Philomathiam
Erexit Anno Domini MDCXXVII.
Zacharias Valareſſo in ſua itidem Prætura, &
Hieronymus Rainerius in ſua Præfectura majoris gratia decoris
Ampliori elegantiorique forma
Ad eundem uſum in omni doctrinæ genere
Conſtructum hic eſſe voluerunt.
Anno à Virginis partu MDCXXIX.

Intus

Summà curà & incomparabili Vigilantià
Illuſtriſs. & Excell. D D.
Reformatorum
Aloyſii Prioli Divi Marci Proc.
Nicolai Venerii Divi Marci Proc.
Silveſtri Valerii Divi Marci Proc. & Eq.
erectum
Anno Repar. Salut. MDCLXXIX.
Curante Carolo Renaldino Philoſopho Primæ Sedis.

VI. Quid quod ejuſdem Collegii, & Gymnaſtici, & ſui auctoritatem, & ex ſe maximam, & alia nulla certè minorem, Veneta Reſpublica conſtantiſſimè apud exteras Gentes, ſi qua muſſitare quidpiam aut obloqui viſa eſt, tutam & incolumen voluit. Cùm (8) aliquando cerebroſi quidam Medici Privilegii, ab hoc Collegio ritè conceſſi, vim dubio verterent, egit per Legatos, & Oratores ſuos, ut honor in hoc Profeſſorum Cœtu emeritis datus ubique ſanciretur. Reque ipſa Doctores in eo renunciati, non ubique dumtaxat, ſed etiam Romæ, & profitenrur, quos habent titulos, & inter præſtantiſſimos Jureconſultos habentur. Neque hoc immeritò. Quis enim ambigar, deſerendum eſſe judicio Clariſſimorum Virorum, quorum arbitrio frequentiſſimè difficillimi Cauſarum ac Civilium Jurgiorum nodi certiùs explicandi, curationes morborum graviſſimæ ſanciendæ vel à ſummis Principibus delegantur? Quis non ſummam ac planè venerabilem cenſeat auctoritatem non ex titulo, ſed ex munere factoque ipſo Doctorum, & Magiſtrorum, quibus præmia diſcentium, graduſque, & honores, & laurus committuntur, Jure Cæſareo, Jure Veneto, Jure Gymnaſii Generalis, per ipſos Pontifices Max. conſtituto, quod his Poteſtatem unicè probandorum, provehendorumque Diſcipulorum impertit?

(8) Tomaſ. lib. 4. Gym. p. 460.-462.

VII. Licet ergo gratias agere Auguſtæ Venetorum Reipublicæ, atque unà Ampliſſimo Ordini Literarii Triumviratûs, in quo ſemper Sapientiſſimi Senatores huic Profeſſorum Collegio ſedulum, efficax, munificum patrocinium impendere, rati intereſſe publicæ Majeſtatis, ſuis auctam auſpiciis Gymnaſii auctoritatem in omnes ac præſertim in exteros effundi: atque illud confirmare facto, ac re, Archilycæum Patavinum, uti eſt, quod in ejus fronte proponit Inſcriptio, GYMNASIUM OMNIUM DISCIPLINARUM, ita eſſe magnum, ac generale Virtutum Emporium, in quo omnium Gentium ſtudia Sapientiæ titulos ac decora commercentur. Memini, me hoc ipſum ſæpe dicentem audiſſe Silveſtrum Valerium Senatorem egregium Eq. D.M.P; & tunc literarium Triumvirum, mox Sereniſſimum Principem Venetorum, cujus tantus fuit erga Collegium Gymnaſticum amor,

tanta

Digitized by Google

tanta cura, tantum in omnibus ſtudium, ut ex officio grati animi fuerit, quod illi Profeſſorum Ordo debuit, ac debebit obſequium monumento aliquo profiteri. Erectumque illi jam Principi propterea Simulacrum marmoreum eſt Profeſſorum Symbolis ac pecunia collatitia in ipſo Collegio, his verbis Beneficentiam Clementiſſimi Ducis ſuæ poſteritati commendaturum.

SILVESTRO VALERIO
AUGUSTÆ VENET. REIP. SERENISS. PRINCIPI
BERTUCII PRINCIPIS FILIO RELIGIOSS. CLEM.
QUI PATRIS ERGA STUDIA CHARITATEM ÆMULATUS
NUTANTEM LITERATORUM FORTUNAM
PRÆSIDIO FIRMAVIT PATROCINIO AUXIT.
MUNIFICENTIA ORNAVIT.
JURISPR. THEOLO. PHILOS. ET MEDIC. PROFESS.
OBSEQUII PARITER AC GRATI ANIMI. M. P.
ANNO REP. SAL. MDCXCV.
CURANTIBUS
ANTONIO VAIRA S. CAN. PRIM. MATU.
ANTESIGN. ET
LEALE LEALI VERONEN. MED. SIMP. PROFESS.

CAPUT XIV.

Præſidum Collegii Gymnaſtici Dignitas & eorum Catalogus.

I. Collegio Gymnaſtico præeſſe Præſides binos, Juris conſultum alterum, alterum Artium, Medicinæ ſcilicet ac Philoſophiæ Profeſſorem, diximus. Horum ſumma in Gymnaſio dignitas eſt; quippe Supremum Principem, pro ſua quiſque Scientiæ Artiſve profeſſione, repræſentant, ac nomine Principis provehendis ad gradus Scholaſticos, provectiſque auſpicium dant. Hinc præeunt vel ipſi Rectori Gymnaſtico, Prorectori & Syndico: atque hoc obtinente Subſellium ex Ordine, cùm Collegii conventus habentur, ipſi ſedent in Solio: ipſi Candidatos Virtutis experimentum dare jubent: ipſi ſortitò ad examen Profeſſores evocant: ipſi, ſuffragatione Patrum inſpectâ, ſententiam per Scribas de merito Candidati pronunciant; juſque habent inter omnes præcipuum in adverſis ſuffragiis dimidium condonandi.

II. Non alio ad Collegium evocantur, quam Viatore Generali clavam ferente, togato, ſtolatoque, quo invitante ad Cœtus deducuntur, reducunturque. Extra Collegium præcedunt omnes, ut ſuperiùs ex (1) SC. adnotavimus, in omnibus Conventibus didaſcalicis, & ut conſtat ex more in Artium Collegio (cujus reſtitutio antiquior eſt, & primæva) recepto, quem ſequi debet Juriſconſultorum Collegium, Recitationibus Generalibus, quæ puncta vocant, aſſignant: denique Profeſſorum, ac Gymnaſii Principes atque Antiſtites ſunt: quibus ſancientibus ea omnia fiunt, quæ pertinent ad Collegia: quibus curantibus, ne quid contingat damni juribus Profeſſorum ac Privilegiis, cavetur: quibus decernentibus ii ad Collegium Candidati recipiuntur, quorum ad id jus legum auctoritate munitur. Hinc ſi quid hac in parte peccatum ſit, non ſanè Collegæ cæteri; rei unicè Præſides ſunt, ad quos unicè cognitio ſpectat.

(1) 7. April. 1653. in Rog. lib. 2. Decret. p. 492. ter.

III. Tribunal habent in omnibus Collegiorum negotiis, ſedentque medii inter Conſiliarios duos, & legum Cenſorem, quos à Collegis eligi curant, cum primùm dignitatem Præſidum ineunt; quotannis autem, his aſſidentibus, congregato Profeſſorum omnium Cœtu, hoc ſuffragante, quatuor deſignant, qui Diſcipulos in Punctis privatim exerceant: deſignatos Triumviris literariis data Epiſtola ſiſtunt, ut ex his duos jubeant ejuſmodi officio per annum integrum fungi.

IV. Porro hæc Præſidum dignitas, ut ſuperiùs innuimus, triennalis eſt ex regula, ac penè ſemper. Nam quandoque, quamvis rariſſimè, ultra triennium prorogata, juſtas ob cauſas, ſucceſſorem diutiùs expectavit; vacantibus ſcilicet ſedibus primis, aut impeditis ad hoc munus idoneis. Primarum enim Sedium Anteſignanis hic honor debetur unis; nec niſi ſemel à Reſtauratione Collegiorum ad minores deflexit, ut eximiæ doctrinæ, raræque, ac Singularis ſua ætate Virtutis Virum Joannem Galvanum in ea, qua fungebatur ſumma cum gloria, & utilitate Gymnaſii, Rei Criminalis explanatione retineret, illo quoque in eum honore extra ordinem collato, quo, non nomine dumtaxat, ſed re etiam, in minore Sede Primarios Profeſſores æquaret, quorum in Gymnaſio præcipua ex Sapientia fama & auctoritas eſt.

V. Hanc ut etiam de nomine lector agnoſcat, eorumdem Præſidum hic damus Catalogum: primum quidem illorum, qui præfuerunt, ac præſunt Artium Collegio, quod primò itidem reſtitutum eſt; mox eorum, quibus idem honor conceſſus in Juriſconſultorum Collegio, cujus reſtauratio recentior. Utrobique, ſi noſtrum excipiat, maximorum Virorum Nomina Poſteritas venerabitur, cùm quæ inferiùs de illis commentabimur, perleget.

Præſides Artium in Collegio Gymnaſtico.

1616. Sanctorius Sanctorius Juſtinopolitanus, Iſter, Theoricæ Medicinæ Ordinariæ in Prima Sede.
1619. Rodericus Fonſeca Luſitanus Practicæ Medicinæ Ordinariæ in prima Sede.
1622. Sanctorius Sanctorius qui ſupra, iterum.
1624. Joannes à Colle Bellunenſis primæ Sedis Medicinæ Practicæ Ordinariæ Prof.
1626. Eques Pompejus Caimus Utinenſis Carnus, Theoricæ Medicinæ Ord. in prima Sede.
1629. Cæſar Cremoninus Ordinariæ Philoſophiæ in prima Sede.
1632. Benedictus Silvaticus Eques Patavinus Practicæ Medicinæ in prima Sede.
1636. Joannes Veſlingius Eques Mindanus Weſtphalus ad Anatomen in prima Sede.
1639. Benedictus Silvaticus, qui ſupra, iterum.
1642. Joannes Cottunius Eques Berrhoenſis Macedo Ordin. Philoſophiæ in prima Sede.
1645. Benedictus Silvaticus Eques Patavinus, tertiò.
1652. Antonius Molinettus Venetus ad Anatomen in prima Sede.
1655. Joannes Cottunius Eques Berrhoenſis, iterum.
1657. Antonius Molinettus, iterum.
1661. Claudius Berigardus Moliſmenſis Gallus è Campania, Philoſophiæ Ord. in prima Sede.
1664. Raymundus Zanfortius Veronenſis Practicæ Medicinæ Ord. in prima Sede.
1666. Antonius Molinettus Venetus, tertiò.
1669. Carolus Renaldini Comes Anconitanus Philoſophiæ Ordin. in prima Sede.
1672. Raymundus Zanfortius Veronenſis, iterum.
1674. Antonius Molinettus Venetus, quartò.
1676. Raymundus Zanfortius Veronenſis, tertiò.
1678. Carolus Renaldini Comes Anconitanus, iterum.
1681. Hieronymus Frigimelica Roberti Comes & Eques, Patavinus Theoricæ Medicinæ Ordin. in prima Sede.
1683. Georgius à Turre Patavinus Practicæ Medicinæ Ord. in prima Sede.
1686. Dominicus de Marchettis Patavinus ad Anatomen in prima Sede.
1688. Carolus Renaldini Comes Anconitanus, tertiò.
1691. Franciſcus Jona Marchio Veronenſis Medicinæ Ordin. Practicæ in prima Sede.
1700. Pompejus Saccus Parmenſis Theoricæ Medicinæ Ordin. in prima Sede.
1702. Michael Angelus Abb. Fardella Siculus Drepanenſis, Philoſophiæ Ordin. in prima Sede.
1708. Bernardinus Ramazzini Mutinenſis Practicæ Medic. Ordin. in prima Sede.
1711. Joannes Gratiani Bergomas Philoſophiæ Ordin. in prima Sede.
1715. Antonius Valliſneri Regenſis Med. Theor. Ord. in prima Sede.
1718. Joannes Baptiſta Morgagni Forolivienſis & Rom. Patritius, ad Anatomen, in prima Sede.
1725. Joannes Gratiani Bergomas Iterum.

Præſides Collegii Gymnaſtici Juris Conſultorum.

1637. Bartholomæus Vecchius Senenſis Juris Cæſarei Veſpert. in prima Sede.
1640. Alexander Sycliticus Cyprius Jur. Cæſar. Veſpert. in prima Sede.
1642. Carbonchius Carbonchius Peruſinus Jur. Cæſar. Veſpert. in prima Sede.
1647. Lælius Mancinus Politianus Hetruſcus Jur. Canon. Matut. in prima Sede.
1652. Joannes Galvanus Patavinus Criminalium Profeſſor eximius.
1657. M. Aurelius Galvanus Ferrarienſis Jur. Civil. Matut. in prima Sede.
1661. Comes Jacobus Caimus Utinenſis Carnus Jur. Cæſar. Veſpert. in prima Sede.
1663. Jacobus Sala Canonicus Patavinus Jur. Canon. Matut. in prima Sede.
1668. Jacobus Caimus Com. Utinenſis, iterum.

1670.

1670. Joannes Michael Pierucius Bondichius Florentinus Jur. Caeſ. Matut. in prima Sede.
1678. Jacobus Caimus Com. Utinenſis, tertiò.
1679. Paulus Doctus è Caſtro Franco Dioeceſis Patavinae Jur. Caeſar. Matut. in prima Sede.
1681. Almericus Paſſatellus Ferrarienſis, Jur. Caeſar. Veſpert. in prima Sede.
1682. Antonius Vaira Venetus Juris Canon. Matut. in prima Sede.
1685. Aloyſius Othelius Utinenſis Carnus Jur. Caeſar. Matut. in prima Sede.
1689. Antonius Vaira Venetus Jur. Canon. Mat. iterum.
1693. Aloyſius Othelius Utinenſis, iterum.
1701. Joannes Baptiſta Rainis Venetus Jur. Caeſar. Veſper. in prima Sede.
1705. Stephanus Cardeira à Nivibus Luſitanus Jur. Caeſar. Matut. in prima Sede.
1708. Nicolaus Comnenus Papadopoli Cretenſis Jur. Canon. Veſpert. in prima Sede.
1711. Antonius Vaira Venetus, tertiò.
1714. Cyprianus Benalea Brixienſis O. S. Bened. Monachus Jur. Canon. Veſper. in prima Sede.
1716. Stephanus Cardeira Luſitanus, iterum.
1720. Nicolaus Comnenus Papadopoli Juris Canonici Matut. in pr. Sede. Cretenſis iterum.
1725. Cyprianus Benalea Brix. iterum.

CAPUT XV.

De Collegio Patavino Pontificio Juriſconſultorum.

I. EX his, quae diximus, ritè ſequitur diu Juriſconſultorum Collegium, quamvis auſpiciis Antiſtitum Patavinorum, vi Diplomatum Pontificiorum, liberè uteretur, unum tamen fuiſſe, ac planè Gymnaſticum, in quo ſolis Profeſſoribus publicis Jus erat coram Epiſcopo laurea donandos Juriſprudentiae ad examinis trutinam revocandi, eoſdemque arcanis ſuffragiis probatos ad honores doctrinae debitos provehendi. Qua ratione deinde ad eandem ſocietatem acceſſerint Doctores Patavini, partemque ſibi aſſeruerint examinandi ac probandi Diſcipulos, parte alia Profeſſoribus relicta, qua ſoli, quos ipſi cum Patavinis Doctoribus comprobarent, provehere poſſint, mihi ſanè obſcurum, incertumque: quippe nihil invenio, quo morem hujuſmodi, atque ejus originem, certo aliquo monumento, conſtituam. Nam quod apud Salomonium (1) quidam commenti ſunt, quò cauſam admiſſorum in Societatem hanc Patavinorum deducant ex peſtilentia, quae adeo Profeſſores afflixerit, ut tribus vel quatuor ſuperſtitibus, Doctores duodecim Patavinos adjungere aequum, aut etiam neceſſarium fuerit, nullo ſtare modo poteſt.

(1) in miſcell. ad Inſcript. Gymnaſ. p. 11.

II. Conſtat enim, ut ſuperiùs recepimus, ante annum MCCXXII. nullum Patavii Lycaeum, ſive, ut vulgò loquimur, *Studium Generale* fuiſſe; quamobrem nullum itidem Sapientûm Collegium, auctoritate publicâ probatum, nullos Profeſſores, Doctoreſve, qui titulos emeritis doctrinae darent. Conſtat etiam, intra annum MCCCL. in Collegium Patavinum Doctores Patavinos fuiſſe inductos; quando ex libro Statutorum Collegii Priores in eo Collegio Patavinos legimus, legeſque ſub ipſis latas videmus. At intra hoc temporis ſpatium centenario majus, nuſquam apparet Patavium labe peſtilentiae ullius, aut contagionis morbo ullo fontico funeſtatum. Ut, ſi conjecturae locus ſit, ſit quoque dicendum, quòd Juriſprudentiam in Gymnaſio profitentes non multi primo illo ejus Saeculo fuerint; jamque apud Epiſcopum ſaepe Conventûs Gymnaſtici ad laureas erogandas ex more per Urbanum IV. confirmato fierent, è re fuiſſe viſum atque è dignitate Collegii, ut praeter Profeſſores, quos patrocinium Candidatis impenſum ex officio ſuſpectos faciebat, alii quoque ad examen & ſuffragium probandorum evocarentur, quo ſanctior in publicum tanti judicii ſententia procederet.

III. Et ſane, ſiquidem intra terminos hos res optimè concepta ſtetiſſet, nihil erat, quominus & ratio Collegii Gymnaſtici, & Majeſtas ſibi ipſi conſtaret, atque una ex pluribus ac diverſis ad poſteros perennaret. Verùm paulatim Patavinorum numerus jam ſuperabat numerum Jus publicè profitentium; auctuſque deinde is eſt, datâ omnibus poteſtate, ſi qui ex gratiâ ſpeciali, Patavinorum, aliorumve Civium Patavini Agri, nomen dare in Collegium vellent; ut planè Collegium hujuſmodi jam non Gymnaſticum, & Legibus duntaxat Gymnaſii obnoxium dici poſſit, ſed Patavinum omnino, & à Gymnaſtico penitus aliud.

IV. Id

(1) ad Matric. Gym. not.
(2) lib. 1. Gym. c. 52. p.172.

IV. Id contigiſſe tradit Porcellinus (2), ex quo ſua Tomaſinus (3) habet, anno circiter MCCCLXXXII., notatque intra Sæculum illud in Collegarum Alba, quæ appellant *Matriculas*, veniſſe ad triginta tres Patavinos, Ateſtinos tres, è Monte Silicis duos; ex eoque numero decem publicè Leges aut Canones fuiſſe profeſſos: Eorum munera fuiſſe promiſcua: paſſimque ſortitò extractos ex urnâ, qui toti Collegio præeſſent, nullo diſcrimine habito inter Patavinos, & Advenas. Addit hoc jure actum uſque ad Annum MCDIX., quo tempore, re communicatâ cum Petro Marcello dudum ex Cenetenſi Patavino Pontifice, curatum, ut Pontificio Collegio certa quædam conſtitueretur forma, *Statuto* ac legibus conditis, ex iis, quæ antea fuerant ſancita, quibus in poſterum ſtaret. Nec dubitandum, quin tunc, atque eâ occaſione decretum ſit, ut exteri Doctores, quos *Forenſes* dicunt, à præcipuis Collegii muneribus arcerentur; ne nimirum Collegio præeſſent, ne ſenioribus annumerarentur, ne Syndicum aut Cenſorem, quem *Contradictorem* vocant, agerent, neve XII. Viris, quibus Noſocomii ad D. Franciſcum cura demandata eſt, adſcriberentur: uno verbo, ne ingenua, & innata pars Collegii eſſent, in quod attamen reciperentur jure publici ac Gymnaſtici muneris, quo ſoli probandos aptant examini, Præſidi Collegii ſiſtunt, in examine tuentur, ac ſuffragiis Patrum probatos laureatis Inſignibus datis Doctores renunciant.

(3) d.c.52. p.173.

V. Sic à Collegio Gymnaſtico ſeparatum, ſegregatumque Patavinorum Doctorum Collegium Pontificium dictum eſt, auctumque Conſcriptorum in eo Patrum Virtute, Nobilitate, Sapientia ita Gymnaſio adhæret, ut ejus præcipuum decus cenſendum ſit, & ampliſſimum Ornamentum. Notavit hæc ipſa more ſuo ſuboſcurè, ac jejunè Tomaſinus, quæ nos latiùs proponimus, ne quis veritati fucus hiſtoricæ fiat, quam brevitas, & implexa, nec expedita Scriptoris ejuſdem narratio ancipitem facit. Nam indulgentiùs (4) introductos ſua ætate ſubmuſſitat in hoc Sacrum Collegium Profeſſores Juris cum Civilis tum Canonici; quaſi id unquam his contigerit ex arbitrio Collegarum, ab iiſve alii admiſſi fuerint unquam, excluſi alii: cùm palam ſit, omni ævo, & ab ipſa origine, & conſtitutione Collegii Pontificii, omnes Jureconſultos, qui publicè Principis auctoritate Jus utrumque profeſſi ſunt, receptos exceptoſque nulla petitione propoſita, nulla interjecta ſuffragatione, ſed exhibito dumtaxat Diplomate, tum eo, quo ſe Magiſtros probant, tum eo, quo ſe vocatos ad Exedras Patavinas Senatûs Conſulto declarant. Sed parcendum Tomaſino, dum Opus deproperat ſuum, ac ſuis plus nimio favet, quæque ſcribit ex populari *Traditione* ſæpe divenditat, atque interim Ampliſſimi Coetus gloriam ſupprimit brevi Elogio, quo parciſſimè Majeſtas ejus, ac decus eximium adumbratur.

VI. Enim vero, cùm Collegium hoc præclariſſimum non ſolùm Profeſſoribus Publicis conſtet, ſed in primis tum Patriciæ Venetorum Genti, tum Antenoreæ Nobilitati pateat, ſive ea in urbe degat, ſive urbi ſubjecta oppida incolat: cùm hos ipſos, quos recipit, nonniſi publico Theſium certamine functos, mox ſeveriſſimo privatum ſubactos examine, atque iterum publicæ cenſuræ ſuppoſitos, tot ſcilicet experimentis probatos recipiat, vix fando, ſcribendoque quis exequi poterit ingentem Sapientûm turbam, quorum inſigni virtute claruit ſemper, claretque. Hoc unum jure dici affirmarique poteſt, quæcunque in altera hujus Operis parte decora Patavini Gymnaſii, quà pertinet ad Juriſprudentiam, proferimus, ad hoc inſigne venerandumque Collegium referri: in cujus præclara ſocietate Juriſconſultiſſimi Viri æternùm victura Scripta, diu noctuque verſanda doctæ Poſteritati reliquêre: in cujus nobiliſſimo ſinu illuſtrium Alumnorum Gymnaſii noſtri pars maxima virtutum ac laborum ſuorum præmia, tituloſque meruerunt.

VII. Regitur legibus ſuis ſanctiſſimis ſub uno Præſide, quem *Priorem* appellant, quadrimeſtri dignitate in eos collata, quos ab urna ſors extrahit: habet Seniores Conſiliarios quatuor, Cenſoremque, cui ſacrorum cura decretorum, atque tutela committitur: ſcribam quoque ſeu Cancellarium togatum ex Civibus lectum honeſtæ ſanctæque Fidei, ac Nuncium Curſoremve, qui Cœtuum celebrandorum Collegas admoneat. Sigillum commune cum Collegio ex Medicis ac Philoſophis congregato habet in Chriſti à funere redivivi glorioſa imagine. Clava utitur, quam accipit à Gymnaſio, cujus Rector ſive Prorector, aliuſve horum vices gerens Candidatorum probationibus adeſt, ac Præſidi, ſine ſuffragii jure, adſidet, Majeſtatem Gymnaſii auctoritatemque repræſentans; quemadmodum auctoritatem ac munus Epiſcopi, Magni in Gymnaſio Cancellarii repræſentat ejuſdem Vicarius; primo loco ſedens cùm probantur à Collegio Diſcipuli; cum judicantur Medius pro Tribunali, quod *Bancam* vocant, ſedet, & de

facta

facta ſuffragatione cognoſcit; ſeque auſpicem dat præmiorum emeritis laboribus conferendorum.

VIII. Cæterùm hoc Sacrum Collegium præter hæc, ad quæ jure Patavini Gymnaſii vocatur, aliis etiam honorificentiſſimis juribus utitur, quæ bono publico Patavinæ urbis fuere ſemper, ac ſunt. Nam ex his Conſcriptis Patribus Collegium ſublegitur Judicum, quod in Aula Maxima Civitatis clariſſimis tribunalibus Patavinæ Reipublicæ jus dicturos aſſignat. Ex eodem Ordine deliguntur Duodecim Viri, qui res Noſocomii Majoris ad D. Franciſci procurent; ii quoque, quos Patres Cenſuræ præficiunt minorum Scholarum, quas Annibalis Ruggerii pietas tabulis extremis inſtituit, & Pædagogorum ſalario munivit.

IX. Splendidiſſimum hujus Collegii decus eſt, quod illi ex publica exiſtimatione, ac doctrinæ, & Juſtitiæ gloria provenit apud omnes, tantique propterea paſſim habetur, ut hujus auguſtæ Themidis judicium in difficillimis Controverſiis & experierint Summi Principes olim, ac ſæpè etiamnum expetant. Extant in Tabulario Collegii Magna Volumina duodecim, quæ Reſponſa doctiſſima Sacri hujus Collegii complectuntur, edita à Sapientiſſimis Jureconſultis, quorum operâ doctrinâque ſpectatiſſimi Patres utuntur in decidendis dirimendiſque difficultatibus, quas diſceptantium diſcordia remedium appellationis non habituras proponit. His diſcutiendis exponendiſque eliguntur, qui ad Collegium referant, quatuor: è *Forenſibus* duo Profeſſores publici, Patavini Doctores totidem, qui cauſa cum Præſide ad acerrimum examen ex Jure, & æquitate deducta, illud conſtituunt, quod momentis à legibus, & ratione petitis confirmant affatim, confirmatumque Collegio ſubjiciunt plena ſuffragatione ſanciendum. Atque hæc de clariſſimo Cœtu doctiſſimorum Virorum, de Collegio, Antenoreæ Juris prudentiæ Domicilio, quò ſupplcamus Tomaſini in eo deſcribendo jejunitatem, dicenda erant, dictaque pro brevitate, quam profitemur, ſunto.

CAPUT XVI.

De Patavino Collegio Medicorum, & Philoſophorum, ſive Artiſtarum.

I. Collegium *Artiſtarum* Gymnaſticum antiquiſſimum eſſe, ac ſynchronum Juriſconſultorum Collegio, planèque ab ipſa Origine Gymnaſii conſtitutum dubitare nefas: idque ſuperiùs ex dictis de Collegio Veneto conſtat. At Patavinum Artiſtarum Collegium diu poſt Collegium Juriſconſultorum fuiſſe congregatum vel ex eo licet colligere, ac omnino recipere, quod Juriſconſultorum Cœtus prærogativam habet in omnibus, ſive cum ſupplicationes habentur, ſive cùm ſtati dies ad celebrandos Conventus diſtribuuntur. Statutum quoque ejus, ſeu leges, queis regitur, ſi citra ſtudium partium conſideres, ut bene Tomaſinus (1) notat, longè recentiùs, quàm quæ Jureconſultis præſcriptæ ſunt, editæ videbuntur: nec decus illud, ac ſpeciem antiquitatis referunt, quam leges, ac Statuta noſtri Collegii palam oſtentant. Cùm autem initium Collegii inde ritè probari ſoleat, undè deprehenditur *Statutum* ejus fuiſſe ſancitum, ut egregiè citatus alibi Maſtajus (2) comprobat, adducto Bartolo, Baldo, Alberico, & aliis; jure optimo conſtitui poteſt, Collegium, quo de agimus, longè recentius eſſe, quàm ut ad vetuſtatem noſtri adſpirare poſſit.

(1) lib. 1. Gymn. c. 55. p. 180.

(2) lib. 3. de Gymn. Ita. c. 6. p. 350.

II. Id ipſum ulterius evincitur ex eo, quòd in hoc *Statuto* duriùs agitur adversùs exteros Profeſſores, quorum eos tantùm eſſe in Collegio ſuo jure patitur, qui viſi ſunt neceſſarii, quò in eodem Doctorum Inſignia conferri poſſint, majorum ſcilicet exedrarum proceres, &, ut ajunt, Profeſſores Primarios, cùm reliquos non niſi munitos Veneti Senatus juſſu, & quidem poſt annos aliquot ab inito Profeſſoris munere, recipiat, eoſque à minoribus Sportulis abſtinet, ut in Cœtibus ad unam ſuffragationem conveniant. Et alioqui veriſimillimum eſt, diutiùs quàm Jureconſulti, Studioſos Artium, ac Medicinæ à Gradibus coram Epiſcopo petendis, obtinendiſque abhorruiſſe; quando ex iis, quæ ſuperiùs dicta ſunt, apertiſſimum eſt, diu, tum ante, tum poſt indictam Jurisjurandi neceſſitatem, Artium, ac Medicinæ titulos acceptos fuiſſe privatis in domibus, tametſi jam eſſet Collegium Patavinum erectum, congregatumque. Quæ ſcripta (3) ſunt etiam pro, & contra, cum agitata eſt quæſtio, an Advenæ Profeſſores inter Numerarios, ut dicunt, ſeu Seniores Collegiorum, locum habere poſſint, hoc ipſum conſtituunt. Ea inter paginas à Salomonio relictas legimus; cùmque palam fatean-

(3) Vide Tomaſ. lib. 4. Gymn. p. 395.

fateantur, Sæculo XVII. ineunte, Alba, ſeu Matriculas Artiſtarum non ultra Sæcula tria retrahi poſſe, id quod annotat ipſe Tomaſinus (1), ſimul illud conficiunt, quo conſtituitur, initium hujus Collegii vel ad exitum Sæculi XIV., vel ad ipſum Sæculum XV. referendum eſſe, ut ſaltem Collegio Juriſconſultorum ſerius ſit ſeſquiſæculo.

(1) ib. lib. 1. c. 55. p. 180.

III. Porro hæc dicimus, non quò quicquam inde gloriæ paremus Collegio Juriſconſultorum, ſed ut confuſionem Tomaſini, cujus hìc ſupplementum damus, diſcutiamus. Is enim, cùm ad hæc ipſa tempora, quæ ſignavimus, Collegium hoc videatur protrahere, alibi (2) illud idem ad tempora Rolandini Chronographi retrahit, cujus Chronicon probatum dicit ab Artiſtarum Collegio ad Ædes D. Urbani modò Anno MCCLXII., modò Anno MCCLXXXIX., quo certè Rolandinus mortalis eſſe deſierat, ereptus vitæ anno MCCLXVI., ut ex hoc Epitaphio, quod olim lectum fuiſse in Templo D. Danielis M. aſſerit Scardeonius (3).

(2) lib. 1. Gymn. cap. 51 p. 170.

(3) lib. 2. Claſ. 10. p. 232.

Grammaticæ Doctor, ſimul Artis Rhetoricorum
Rolandinus eram, nunc Rege jubente Polorum
Vermibus hic eſca jaceo: quam tu tibi ſortem
Qui legis expecta: neque fas tibi fallere Mortem;
Et bene ſcis, quod tu finem non effuges iſtum.
Ergo roga tibi, poſtque roga mihi parcere Chriſtum,
Mille ducentis Chriſti currentibus annis
Tunc ego natus eram; ſed ab his poſt Septuaginta
Sex, ſimul alma piæ redeunt cùm Feſta Mariæ,
In Februi, Menſæ Cœli peto ferçula, menſe.
Rex pie, Rex cœli nato miſerere fideli.
O' primum Flamen! tuus ſit hic ſpiritus, Amen.

Quamobrem reipſa conventus ille habitus ſit Anno MCCLXII., ut in Chronico ſignatur; nec tamen Collegii ſpeciem ullam habuerit Artiſtarum Patavinorum, cùm appareat interfuiſſe diſcipulos quoque, & Baccalaureos, & qui nominantur Magiſtri, non itidem publici Profeſſores in Gymnaſio Patavino dicantur, ſed privati quidam, qui Grammaticam, & Rhetoricam, Logicam etiam docerent, ſive Patavini fuerint, ſive Advenæ.

IV. Ergo imitatos credimus Patavinos Artium Doctores, quæ jamdiu Juriſconſulti conſtituerant, legibuſque, ac moribus firmaverant; ac cœpiſſe congregari, & cœtus celebrare auctoritate Pontificum Patavinorum, planèque in Collegium coire: quod utique licebat illis per illa tempora cum plurimos, & quidem præcipuos in fine Sæculi XIV, & initio Sæculi XV. Profeſſores Patavinos in explanatione Philoſophiæ, ac Medicinæ Gymnaſium habebat, ut ex Catalogis Tomaſini deprehendes; ſanxiſſe deinde ſibi leges egregias, atque in primis pias: ſelegiſſe ſibi Patronum peculiariùs, atque adeò alium à recepto per ipſum Gymnaſium, Lucam Evangeliſtam; denique ea omnia conſtituiſse, quæ precariò diu ſervata, cùm impugnari cœpiſsent, & à Profeſsoribus publicis concuti, vexarique ſæpiſſimè, confirmatione Senatûs Veneti tandem ſtetere, perennatura bono publico, cui militat præclariſſimum hoc, planèque venerabile Collegium.

V. Admittuntur in ejus docta ſubſellia ex Nobilitate, tum Veneta, tum Patavina patritia, èque Civibus agri Patavini Nobilibus Viri doctiſſimi, quos idem rigor, qui Juriſconſultos, eademque virtutis experimenta ad conſortium tantæ Societatis probant. Clavam accipit à Gymnaſio, ſed eodem quo Juriſconſulti Sigillo utitur, Servatoriſque Chriſti è Sepulchro ſurgentis imagine ſua Diplomata munit, ac ſacro Chriſti à funere redivivi auſpicio promovet Candidatos ad Artium præmia, & adoreas Medicinæ. Hujus unà, & Philoſophiæ, quas Patavinum Achilyeæum profitetur, in hoc inſigni Collegio reſidet decus, ſive præſtantiſſimos, & nobiliſſimos Viros, queis conſtat, ſpectes, ſive gloriam famamque conſideres ex decreta conſiliis ejus medendi methodo, quam conſultum Summatibus quandoque Principibus præſcribit. Quò fit, ut ex publico decreto, eoque modo, quem annotat Tomaſinus, Empiricis, & Pharmacopæis præſit, eorumque remedia coram Cenſoribus à Collegio datis ad trutinam Medicam revocat.

CAPUT

CAPUT XVII.

De Collegio Patavino Theologorum.

I. FLoruiſſe Theologicam laurum in hoc noſtro Gymnaſio ab ipſo ejus initio, tametſi Tomaſinus non probet, conjicit (1) attamen probabiliſſimè. Quippe dubio verti minimè poteſt, quin in eo, ſtatim aç generale, ut ajunt, Studium fuit, unà fuerit etiam poteſtas munita publicis Privilegiis, quibus ad omnes Scientiarum omnium gradus emeriti Diſcipuli proveherentur. At Collegium in eo fuiſſe Theologorum aliquod peculiare, in quo ſe Doctores Theologi cogerent ante finem Sæculi XIV., non video, quî probari poſſit, cum quæ refert Tomaſinus (2) de Collegio impetrato à Franciſco Carrarienſi, curante Petro Paulo Vergerio, neque probentur ſatis, & ex certioribus monumentis potiùs contrarium inſinuent. Nam in iis, quæ mihi ad ſupplementum hoc Tomaſini lecto, amicus meus Salomonius ſuppeditavit, Porcellinus (3) de liberalitate Carrarienſium diſſerens refert, Vergerio ſuadente, à Franciſco Seniore conceſſam domum peramplam profitentibus Theologicam diſciplinam, qui plerumque Clerici pauperes erant, in qua, ſine ſumptu, & conductionis impendio, habitarent intra vetuſta urbis mœnia ad Vicum S. Hieronymi, quà Hoſpitium Ægrorum deſinebat, quod deinceps in jus Comitum S. Bonifacii ceſſit: Eò convenire ſolitos Theologiæ Profeſſores, ut ibi degentes diſcipulos docerent, & quaſi Gymnaſio uterentur peculiari, quando eos ad D. Blaſii Scholæ non capiebant.

(1) lib. 1. c. 56. p. 188.

(2) ibidem.

(3) not. 39. ad Matric. Theol.

II. Hinc Tomaſini Collegium Theologicum non aliud fuerit, quàm ipſum Gymnaſium Theologiæ, ſedeſque pauperum Sacræ Scientiæ ſatagentium. Nec abludet à vero conjectura, ſi cenſeas inde factum, ut Theologi ſibi Patronum ab initio Doctorem Eccleſiæ maximum Hieronymum elegerint, cujus nimirum ſub auſpiciis militaret, non Collegium quodpiam Theologorum, ſed pars illa univerſi Gymnaſii, quæ Theologicam Sapientiam profitebatur. Et alioqui certiſſimum eſt ex eodem Auctore (4) vel ab initio, vel ſub initium noſtri Gymnaſii ita in idem placitum tres Diſcipulorum Claſſes conveniſſe, ut unaquæque peculiarem ſibi Patronum inter Divos nuncuparet, & pro ſe quæque nuncupatum omnium diſcipulorum concurſu quotannis magnificè coleret. Conſtat enim ab antiquiſſimis temporibus B. Caterinam Virginem & Martyrem ſtudia Juriſconſultorum ſuo nomine conſecraſſe: Redivivum à funere Servatorem profitentibus Artes patrocinium impendiſſe: Divo Hieronymo ſacram fuiſſe Theologorum familiam; inde eſſe, quod argenreæ Clavæ, que publicis Univerſitatum Conventibus, ac Solemnibus præferuntur, horum venerandis iconibus exornentur. Eſt & in ipſo Statuto, quod ſancitum (5) ajunt Io. Præpoſito Scholarum Rectore circa Annum MCCLXVIII. fragmentum quoddam ab eodem Porcellino (6) propoſitum, quo his Gymnaſii auſpicibus exhibendum taxatur annale tributum candelarum, olei, pecuniæ, eodemque jubentur omnes, die Paſchatis, quo maximus Patronorum Servator, & Dominus noſter adoratur impenſiùs, divino Euchariſtiæ ferculo expiatos ſe ritè reficere.

(4) Porcell. in Præfat. ad notas.

(5) apud Salom. in Miſc. ad Inſcript. Gymn.

(6) in ead. Præfat.

III. Hæc damus, quò tenebræ Tomaſini diſcutiantur, ſtatuaturque quod verum eſt, inter Patavina Doctorum Collegia poſtremum hoc Theologorum Collegium fuiſſe conſtitutum; veroque proximum eſt, ſi ejus initium referas ad ipſa tempora Petri Marcelli Epiſcopi Patavini, qui Collegium hoc primus coegerit, atque aulam Ædium Sacrarum illi ad habendos Conventus conceſſerit. Nam Collegia alia, hoc longè antiquiora, nullis certis utebantur Sedibus; ſæpè in privatis Domibus, plerumque in ipſo Scholarum ambitu, vel in cubiculis Antiſtitum habebantur: cum ſolemniter agenda res erat, in ipſo Templo principe Patavinæ Urbis ad ſumptum, & pompam referentium laurea, celeberrimi Cœtus explicabantur; nec ulla Theologica laurus in Templo concedebatur. Quamobrem (quod Vir Clar. cujus laboribus debemus admodum, Adamus Pivati S. Julianæ Rector, atque è Collegio Patavino Theologus in antiquis Monumentis Epiſcopalis Tabularii, quæ nobis gratificans laborioſè percurrit, obſervat), in omnibus Theologorum Conventibus, ad laureæ Doctoralis conceſſionem coactis notatur ſingulariter *Aula*, quòd hæc locus eſſet peculiariter Theologorum Collegio deſtinatus.

IV. Petrus deinde Barocius (7) Patavinus Antiſtes, tunc, (cùm, ne nimius ſumptus Candidatos averteret à petendis Doctorum inſignibus, indulgeri cœptum, datumque, ut hi, veniâ impetrata, minùs ſolemniter, ac longè minore diſpendio Titulos eoſdem conſequerentur), Triclinium commune Collegiis omnibus, amplum, & laquea-

(7) Tomaſ. lib. 1. Gym. c. 49. p. 168.

ribus

ribus exornatis magnificè, ac ſumptuosè ſpectandum aperuit, quod certa deinceps eſſet Sedes omnibus, ſingulisque; ac videtur in eo Theologis prærogativam tribuiſſe: ut, cùm alternis vicibus, & certis diebus, dum habendi Conventus ſunt, reliquis præcedere ſe invicem liceat, hoc jure cætera Collegia præcedendi perpetuò Theologi gaudeant; qui tamen, quá ſunt modeſtiæ laude præſtantes, eo jure tam prudenter utuntur, ut Cœtus ſuos ante omnes eo tempore congregent, quo reliquis impedimento non ſint. Hoc attamen illis privilegium minimè profuit, quo præire Collegiis cæteris poſſent, ut in Supplicationibus contendebant; quippe illis obſtitit Collegii novitas, quam vetuſtas reliquorum Collegiorum, & inde deducta conſuetudo demonſtrabat.

(1) Anno 1677. ex Patino in Lycæo p. 50.

V. Porro Theologi Patavini, quos ex recentiſſimo Privilegio (1), cum ſolemnia peragunt, Birrus, quem *Mozzetam* vocant, violaceus exornat, certas ſibi leges ſecere, quæ quando ſint conditæ, nullo certo argumento conſtitui poteſt: eas tamen longè recentiores legibus aliorum Collegiorum eſſe, nemo naris emunctæ non colliget ex ipſa earum lectione. Sigillum habent proprium, Chriſtum Dominum patientem, in Sepulchro ſtantem intra Sigillaris Ovi figuram. Proprio Scriba, ſeu Cancellario gaudent, ac Nuncio, ſeu Viatore Clavam Gymnaſticam præferente. Præſidet omnibus quadrimeſtri munere, & Decani Titulo, unus, quem ſors ab urnâ produxerit: adduntur que illi ad communem rei publicæ utilitatem, ac prudentius regimen Conſiliarii tres, Syndicus unus. His Collegæ omnes jubentur obſequi, quorum in numerum præter Profeſſores Theologos ac Metaphyſicos, quibus unis laureas conferre licet, cooptantur Doctores omnes, tum Patavini, tum Exteri, modo iis experimentis probati ſint, quæ à legibus præſcribuntur. Hinc patet Collegium hoc etiam quibuſcunque Sapientiſſimis Ordinum Sacrorum Theologis, quorum doctrina, nobilitate, ac dignitatibus fit, ut Patavinum Gymnaſium & claruerit præ reliquis in Italia, & etiamnum clareat. De his ſuo loco erit agendum. Interim hæc ipſa ſupererunt, ut lector intelligat ea, quæ Tomaſinus neglexit, à nobis ad pleniorem, certioremque notitiam Patavinorum Collegiorum, quorum virtute, ac doctrina ſingulari noſtrum Gymnaſium illuſtratur, fuiſſe propoſita.

CAPUT XVIII.

De Collegiis Diſcipulorum.

(2) Gymn. lib. 1. c. 61. 616. p. 204. 212.

I. Collegia Diſcipulorum enumerat ſexdecim Tomaſinus, (2) Pratenſe, Spinellum, Caucum, Arquate, Philologum, Ridium, Engleſcum, Milanum, Superchium, Priolum, Amuleum, Campionis, Feltrenſium, Brixienſium, Græcorum Venetum, eorumdemque Cottunianum, hiſque addendum eſt, quod Montis dicitur Silicis. Ea privato ſumptu erecta, dotataque diverſarum gentium pauperi juventuti ex voluntate teſtantium patent. Iiſdem addere poterat duo alia Cypriis dicata, quorum alterum Urius ædificavit in Vico S.Proſdocimi, cenſuſque ſuffecturos decem advenis Cypriis alendis conſtituit, alterum alius, de quo inferius, ſine certa ſede juſſit, decrevitque quatuor ejuſdem gentis Adoleſcentibus, qui vacare bonis Artibus poſſent. Et erectum olim quidem ab Urio, olim itidem intercidit, atque ita prorſus evanuit, ut vix ejus extet memoria in quibuſdam Scriptis, mihi à Viro Clar. Nicolao Calliachio, conterraneo meo, inter monumenta Collegii Græcorum relictis, in quibus Livii Podocathari Archiepiſcopi Nicoſienſis ſupplex libellus eſt, petens à Sereniſſ. Venetorum Republica, ut cenſus ab Urio Cypriorum Patavino Collegio jure hæreditario conſtituti ad eam ſummam redigerentur, quam temporum infelicitas diminuiſset; atque una ſpondens ſe totidem additurum, ut Cypriæ juventuti ad numerum puerorum undecim nutriendæ ſupereſsent. Id ipſum innuit Scardeonius (3), referens ſua ætate aperiendum fuiſse Collegium hujuſmodi; quod non fuiſse unquam apertum, quæcumque id cauſa vetuerit, ex facto ipſo conjicies.

(3) lib 1. Claſſ. 1. p. 12.

(4) d. c. 61. lib. 1 Gym. p. 205., & ſeq.

II. Idem fuiſse fictum, vel certè ſimile Collegiis Milano, Superchio, Spinello, Cauco, aliiſque, quorum interitus, vel vergens ad interitum lapſus indicatur à Tomaſino, (4) probabiliter credimus; nec aliam putamus ærumnarum harum cauſam præter illam, quam is Auctor de Sextariis Venetis ſubmuſſitat, niſi vel incuriam, vel fraudem dolumve adminiſtratorum, qui Collegiorum huiuſmodi redditus peſſum ire paſſi, ſceleſtæ invadentium alienă perfidiæ aditum anſamve dedere. Quamobrem ſaluberrimo Veneti Senatus Conſulto (5) decretum eſt primùm, ut de redditibus Collegiorum quæſtio accuratiſſimè haberetur per literarios Triumviros: redigeretur eorum ratio ad certos fines:

(5) 1613. 21. Sep. 1614. 4. Nov. 1615. 28. Aug. 1623. 8. Ap. 25. Oct. 1707. 28. Apr. lib. 2. Decret.

fines: tuta ſanciretur adminiſtratio; ac deinceps jàm non privatis arbitriis in hanc quotannis inquireretur, ſed Rectorum urbis cura eſſet, ut ad modum cenſuum ſumptus fiant, & ad trutinam probitatis revocetur diligens Curatorum officium. Sic, uti licuit, occurſum internecinæ cladi Collegiorum, ſteteruntque aliqua, quorum reliquiæ ſuperſunt, vel ſalva quadantenus res eſt.

III. Pratenſe Collegium à Pileo Card. de Prata Epiſcopo Patavino inſtitutum, & poſt ejus obitum erectum in proſpectu Antonianæ Baſilicæ, paucos adhuc diſcipulos in ædificio ſumptuoſo alit: Arquate Collegium latis ædibus extructum ad D. Caterinæ aliquos; totidem Ridium Collegium Cives Patavinos. At floret Collegium Campionis ſub Patrocinio Patriarchæ Veneti in Vico Vinealium, novem diſcipulis toto Studiorum tempore ſuperſutura præbens alimenta, & habitationem: Collegium Brixienſium ad S. Luciæ à Hieronymo Lamberto Medico, & Patritio Brixienſi ſex Artium, ac Medicinæ diſcipulis Brixienſibus conſtitutum: Collegium Montis Silicis, apertum ſuis Civibus quatuor à Matthæo Carbono ejuſdem Oppidi Cive, Medico, & Chirurgo clariſſimo: denique Collegium Amuleum, poſitum ampliſſimo ſumptu atque diſpendio à Card. cognomine, propinquorumque, ac Reipublicæ Venetæ ornamento dicatum ad Pratum Vallis.

IV. Ad hujus beneficium vocantur (1) & contubernium ex Amulea familia, & Patriciis aliis adoleſcentes duodecim, iiſque, præter egregium ac nobilitati recipiendæ par domicilium, alimenta, miniſtri, cæteraque curandæ inſtituendæque juventuti neceſſaria ſuppeditantur. Noſtra ætate Collegium hoc vacuum eſt, ædes ejus locantur, ſtudioſi juvenes inſtitutioni doctiſſimorum Patrum Somaſchi Ordinis traditi, in horum Cœnobio ad S. Crucis habitant: quo ceſſere ii quoque, quibus ſuppetit adhuc cenſus aliquis ex antiquis Collegiis Priolo & Cauco, quæ olim Nobilitati Venetæ ſtabant, deſieruntque injuria temporum, quemadmodum & nobiliſſimum illud Patritiæ Gentis, quod apertum Senatûs Conſulto in Ædibus Patrum Soc. Jeſu ob eorundem exilium vacuis, aliquandiu viguit, Rectore primùm Balthaſſare Bonifacio Archidiacono Tarviſino, mox Bernardino Ferrario Mediolanenſi; Viris gloria ſcriptorum, & eruditionis eximiæ præclariſſimis; denique Conſtantino Toldo, ſub quo tandem vità brevi defunctum interiit. Nec feliciùs perennare potuit inſtitutum à Patribus Societatis, poſtquam in integrum reſtituti ſunt; quippe erectis è proximo Bononiæ, Parmæ, Brixiæ, Ferrariæ ab iiſdem Patribus ingentis famæ Collegiis, Patavinum diſcuſſum, diſjectumque diſparuit.

(1) ex Teſtam. M. Ant. Card. Amulii.

CAPUT XIX.

De Græcorum Collegiis, præſertim Cottuniano & Veneto.

I. SI qua ſubjectarum Imperio Veneto Gentium pluribus ad liberalem inſtitutionem commodis inſtruitur, ea Græca Gens eſt: cui præter minores ad Elementa Græca Latinaque Scholas Gentilium ſumptu dicatas, quatuor patent Collegia; Venetiis alterum, Tria Patavii, ubi munificis piorum Teſtatorum impenſis Sapientiæ gratis vacent, & extorres jampridem Scientias in Græciam, ſedem olim ipſarum, atque ab origine Patriam, quaſi poſtliminio reſtituant. Eſt Venetiis Flanginianum Collegium pro adoleſcentibus Græcis duodecim, aliturque pecunia Thomæ Flangini Corcyræi, cum Miniſtris, & Præceptore ſtipendio conductis. Flanginianis alumnis Philippus Acris Cyprius duos addidit; acceſſeruntque his, victuri ſuis ſumptibus alii, plures paucioreſve, quos fama, & præſtantia Magiſtrorum ad Græcanicam illam Academiam è ſuis ſedibus evocabat: ut ibi minorem literaturam adepti, jamque majoribus diſciplinis idonei Patavium commearent, unde coemptis ſcientiarum mercibus dites ac laureati ad lares patrios reverterentur.

II. Ad idipſum tria ſunt Patavii Græcorum Collegia; Cyprium alterum, alterum Cottunianum, Venetum tertium, idemque cæteris majus. Horum nos hìc Originem, cenſum, rationem eò curioſiùs dabimus, quod primi quidem nulla eſt notitia Tomaſino: Secundi (2) perlevis, conditio vero hac noſtra ætate diverſa, planèque alia poſt obitum Conditoris: in Tertio verò adeò fallitur Tomaſinus, ut ſecutus, quæ vulgò feruntur, neque, unde ejus inſtitutio ſit, explicet, neque in ejus hiſtoria proponenda, niſi falſiſſimis præjudiciis, utatur.

(2) lib. 1. c. 65. p. 110. 111.

III. Collegium Cyprium Petrus Garphranus Eques inſtituit. Is nobili genere in Cypro natus (3), cùm Nicoſienſis Antiſtes Ragazzonus, de quo videnda, quæ inferiùs tradèmus, eluſa

(3) Jacob. Luſign. hiſt. Cypr. lib. I.

Turcarum cuſtodia è Cypro diſceſſit, ſuppetias in Italia feſtinaturus extremùm periclitanti Nicoſiæ, illi comes datus à Cypriis, ac ſocius eſt. Urbe illa capta, & Cypro ſubacta Turcarum armis, aliquandiu Ragazzonum ſecutus, tandem deſeruit, hæſitque Venetiis; atque ex Mercatura, qua ſibi extorres Cyprii commoda pararunt non contemnenda, ſumptuosè vixit, ac moriens, cum in Gentiles ſuos pauperes, quod ſupererat, teſtamento diſtribuiſſet, legavit pro Cypriis adoleſcentibus quatuor, quod ea tempeſtate alimentis ſufficiebat, ſingulis Argenteos Venetos quinquaginta annuos; atque Procuratoribus Marciis, quos *Supra* vocant, jus & arbitrium demandavit hos juvenes eligendi, ſimul eam pecuniam ex penſionibus, quas aſſignabat, erogandi obligationem impoſuit. Paulatim hoc legatum penè non evanuerat; unique tantùm Cyprio, ſi quis petiiſſet, ac vacare ſtudiis Patavii voluiſſet, quinquaginta dabantur. Hoc me, dum hæc ſcribo, in eam mentem induxit, ut curioſiùs exquirerem, unde hæc ſolvendi ea quinquaginta neceſſitas in ampliſsimo Magiſtratu eſſet, ac perennaret. Sperabam enim hinc aliquid expiſcari me poſſe, unde Uriani, vel Podocathariani Collegii rationem, cenſus, ac tempus agnoſcerem. Actum eſt cum Miniſtris Procurationis Excellentiſſimæ, nulluſque dubito, quin diligentia Viri Clar. & I. V. D. Joannis Xenachii, origine nobiliſſima Cyprii, ſed Venetiis nati factum ſit, ut evocatis è ſitu, & carie, quacum confli ctabantur, extremis Garphrani Tabulis, legatum hoc integrum in lucem prodierit: vi cujus à Religioſiſſimo Magiſtratu ſancitum eſt, ut integrè petituris in poſterum ſolveretur. Hos Teſtator jubet Cyprios eſſe, Patavii vivere, ac tandiu locare operam literis, donec illas exhauriant. Domicilium illis certum nullum eſt, cum duo, quæ reliqua Patavii ſunt Græcorum Collegia, certas ſedes habeant, & inempta habitatione fruantur.

IV. Nam Collegium Cottunianum è conſpectu Antonianæ Baſilicæ domum habet. Ea olim amplior erat, nunc intra neceſſitatis fines redacta, diſcipulis, ac circumſcripto eorum numero ſupereſt. Joannes Cottunius (1) Eques Berrhoenſis Macedo, Primarius in Patavino Gymnaſio Philoſophiæ, ſed & celeberrimus Profeſſor, de quo in loco multa, hoc Genti ſuæ, Græciæ ſcilicet, Phrontiſterium ex opibus parſimonia partis conſtituit: emptis ampliſſimis ædibus auxit; prædiis cenſuque opulento ditavit: extruxitque ibi Sacellum, quod rei Sacræ faciendæ, ritu Orientalis Eccleſiæ deſtinaverat; cùm morte præreptus, quæ vivens mente conceperat, explicare facto minimè potuiſſet, extremis tabulis juſſit, ali in eo adoleſcentes octo, vel etiam plures, qui Græci eſſent, non patria ſolùm, verum etiam lingua, veſte, moribus, imò & religione, quæ illos Græcis ritibus obligaret. Horum cuilibet, intra ſexennium, vel ſeptennium, ſex nummos argenteos menſibus ſingulis aſſignavit, ut quàm commodiſſimè victuri communiter tractarentur. Iiſdem Rectorem, qui unà Præceptor eſſet, impoſuit, quem Græcum itidem eſſe, & græcis initiatum Sacris optabat, ſi erudiendis adoleſcentibus inveniri poſſet idoneus. Etenim hanc Græcam juventutem inſtitui mandabat Græcis, latiniſque literis, & in utraque lingua humaniore literatura; qua probè imbuta, exceptiſque in anteceſſum ſeveriorum diſciplinarum initiis, poſt datum ipſi tempus, apta eſſet arcanis majoribus Scientiarum, quarum ampliſſimæ nundinæ ſunt in Patavino Gymnaſio.

(1) ex Teſt. ejus.

V. Sic erectum Collegium hæredem ex aſſe dixit, curamque ejus Patavino Philoſophorum, ac Medicorum Collegio demandavit; ut ab hoc certi ex Collegis ei Curatores dati, tum cenſibus ejus, tum adminiſtrationi, univerſim executioni eorum, quæ imperabat, præeſſent. Primus Cottuniani Collegii Rector ab ipſo Teſtatore nominatus eſt Hilarion Cicada Cyprius Hieromonachus, Vir omnium doctrinarum, ſed in primis linguæ Muſarumque Græcarum peritiſſimus, qui rem graviter aggreſſus Cottunianis alumnis admodum profuiſſet, ni iram Patavini Præſulis meruiſſet. Nam dum Curatores Collegii moras nectunt in aptando Sacello Græco, quod Cottunius ædificaverat, ſibi Rector Hilarion fas eſſe cenſuit, in privato Conclavi more Græco ſacrificare, divinamque Euchariſtiam in Cubiculo cuſtodire. Quod ut innotuit Epiſcopo Patavino, is eò ſe contulit, erectam aram diſcuſſit, ſacram Euchariſtiam deferri perhonorificè in Antonianam Baſilicam, ibidemque à Græcis pueris, ritè expiatis abſumi curavit, iiſque minis Cicadam exterruit, quæ illum abactum Patavio in Græciam tranſtulere, ubi diù Præconis Evangelici munere piè, ſanctèque perfunctus ad inſulas Cyprias Metropolitanas evectus eſt.

VI. Eo dilapſo, præfuere Cottuniano alii, quorum diſſimulatione diu in res Collegii Curatorum incuriane, an ſcelus, graſſatum eſt; donec, re comperta, Greci quidam & alumnorum præcipui, proximum loci excidium nunciarunt Triumviris literariis, ſi non

ſi non properè tuliſſent ſuppetias. Nec, qua ſunt, fueruntque ſemper, Senatores vigilantiſſimi cura, ac diligentia in iis adminiſtrandis, quę bono publico, pręſertimque Sapientię, dicata ſunt, delatarum rerum inquiſitionem diſtulerunt, eâque edocti lapſare omnia, palamque collabi ac ruere, amotis Curatoribus, adminiſtrationem Collegii ſibi, ad quos Supremum curarum hujuſmodi arbitrium ſpectat, ex Senatuſconſulto reſervarunt. Mox diſtractis prędiis, & domibus, aliiſque ad uſum alendę, & erudiendę Juventutis minimè pertinentibus, contractam inde pecuniam Veneriis collocarunt, ut fructum faceret, ex quo diſcipuli octo cum Rectore, & famulo ſtipendiis aſſignatis aluntur. Cùm autem animadvertiſſent, hos non commodè per Profeſſorem publicum erudiri, tractarique, noſtra ętate, interpoſita ſanctione (1) cavere, ut deinceps Gręcus Homo probus, & doctus, nullique alteri muneri obligatus, Rectoris Cottuniani officio fungeretur, cui nominando, dirigendoque, & obſervando dedere Pręſidem: me ſcilicet, quem levat admodum ab onere injuncto egregia Probitas, & Doctrina Antonii Strategi Cretenſis, quo Rectore ſedulo, & linguę utriuſque perito Cottuniana juventus ad omnem pietatis, & eruditionis gloriam adoleſcit.

(1) 3. Apr. 1703. in Rog. Decr. lib. 2. pag. non not. 41.

VII. Non idem levamen mihi oneris eſt, quo graviſſimè premor, Præſes olim datus Collegio Græcorum Veneto. Scilicet cùm Juventuti ſit imperandum, quæ nec totam libertatem, nec totam ſervitutem pati poteſt, miris plerunque vexor moleſtiis, quandoque etiam periculis pateo. De hoc Collegio quædam Tomaſinus (2), quamvis ex propoſito, obiter explicat, quæ tamen falſis, & Genti meæ injurioſis immiſcet, vulgari fama libens volens deceptus, quippe Græcis nuſquam æquus, ubique inſenſus. Emendandus eſt ex his, quæ vera, & certa proponimus.

(2) Gymn. lib. 1. c. 64. p. 208. 209.

VIII. Georgius Palæocappa illuſtriſſimo, ac ditiſſimo genere natus Cydoniæ in Creta Juriſconſultorum Rector in hoc noſtro Lycæo fuit anno MDXLIV. Duos ex fratre Nepotes habuit ipſe Cælebs, alterum Conſtantinum, qui Artium Rector Patavii deceſſit anno MDLXXIV., à Riccobono laudatus in funere, oratione, quæ extat (3): alterum Jacobum Artibus itidem Præfectum Gymnaſticis Anno MDLXXV. Hoc in patriam regreſſo, ibidemque brevi è vivis erepto, Patruus rerum humanarum pertæſus Monaſticum Inſtitutum profeſſus eſt in celebri apud nos Cœnobio Angarathi, cui poſt annos aliquot renunciatus Abbas præfuit, Vir ſanctimonia vitæ, prudentia, doctrina, & in rebus agendis dexteritate apud Indigetes maximi habitus, & ex eâdem carus Reipublicæ Venetæ. Apud hanc egit enixiſſimis precibus, ac rationibus validiſſimis, ut Græcum Epiſcopum in Inſula vellet, ne Cretenſes cogerentur ad habenda Ordinum Sacrorum initia, ſummo incommodo in Cytheram inſulam navigare. Id cùm, ut ſenſim, quaſi per patientiam quandam, atque diſſimulationem Cretenſium Præſidum fieret, obtinuiſſet, Georgius, qui Monachus Geraſimus, nomine mutato, ut mos habet apud nos, vocabatur, Ciſamenſem Eccleſiam ſuo ſumptu erigendam curavit, dotavit integro patrimonio, quod illi familiæ poſtremo dives obvenerat; atque auſpicio Byzantinorum Patriarcharum Epiſcopus Græcus à ſe conſtitutæ Eccleſiæ dictus eſt.

(3) de Gym. lib. 5. c. 4. à p. 118.

IX. Inſurrexere ad novas, & Græcas in Creta Inſulas Antiſtites Latini, hominemque pium, & Orthodoxum (quippe Dogmatum Ecteſim, quam ante annos aliquot Pius IV. ediderat, profeſſum) turbavere, donec Epiſtola Brevi Gregorii XIII. prudenter admoniti pacatiùs agere didicerunt. Narrat hæc omnia Andreas Eudæmonjoannes (4) in prolixa ad Cretenſes Epiſtola, ex qua diſcimus, Ciſami nunquam ſediſſe Latinum Antiſtitem; Titulum ejus Eccleſiæ dari ſolitum Latinis Epiſcopis, quorum ex titulo dumtaxat dignitas eſt, quique Canonum Interpretibus Nullatenentes Epiſcopi, Titulares, Anulares, & in partibus appellantur. Videat ergo Tomaſinus unde habeat: (5) *redditus Eccleſiæ Ciſamenſis ob interfectionem Epiſcoporum à barbaris illis habitantibus, in tres partes diviſos: duas vicinioribus Antiſtitibus, ſub quorum cura Diœceſis illa immanium hominum compartita, tertiam partem Collegio Græcorum conceſſam*. Nullum Antiſtitem Ciſamenſem interfectum novit hiſtoria; nec totâ Inſulâ Cretâ barbarum hominem, & immanem quiſquam audivit, donec Reipublicæ Venetæ ſubfuit. Unum Sethienſem Epiſcopum novimus interfectum, ſed à Patrefamilias, cujus filiæ pudorem corruperat. Nomini parcimus, quod Epiſtola laudata commemorat, & alioqui notum eſt nimis Genti noſtræ ex maledictis, quæ in latinos evomunt & Maximus (6) Margunius, & Meletius (7) Pegas. Redditus Sethienſis Eccleſiæ bipartitò diviſi in utilitatem Epiſcoporum Cydoniæ ac Rhethymnę ceſſere, neque ulla eorum particula conceſſa Gręcorum Collegio, quod ſolis Eccleſię Ciſamenſis, ut notiſſimum eſt, redditibus alitur.

(4) extat in Monum. Coll. Urbani Græc. in Cod. A.

(5) l. lib. 1. c. 64. p. 208. 209.

(6) lib. 1. contra Lat.

(7) Ep. 3. ad ...neſemBaſilium.

X. Nam Geraſimus cùm proximus morti ex iis, quę paſſus fuerat, deprehendiſſet,

à ſe conſtitutam Ciſamenſem Eccleſiam non diu ſtaturam; hanc quidem extremis Tabulis ex aſſe dixit rerum ſuarum hęredem, at unà cavit, ne res illę, quod dudum evenerat Sethienſibus, in commodum latinorum Antiſtitum delaberentur. Ergo ſic ſtatuit: ſi forte Ciſamenſem Eccleſiam deſtitui contigiſſet, ut quod ipſe in illam contulerat Patrimonium pingue, juri publico Sereniſſimi Principis cederet; quem rogavit, ut, eo diſtracto, pecuniam transferret Venetias, ex cujus ad fructum collocatę fœnore viginti quatuor adoleſcentes, quorum octo ex Inſulis Veneto Imperio ſubjectis oriundi eſſent, Cretenſes reliqui, literis dare operam commodè ſine ſumptu poſſent: Duodecim quidem Romę, totidem Patavii. Geraſimo è vivis erepto circa annum MDXC., cum non eſſet viſum eſſe è Republica, Ciſamenſem Gręcam Eccleſiam ſtare, quòd neque Cretenſes Roma miſſum Epiſcopum recepturi eſſent, nec Byzantinis auſpiciis datum probatura Roma videbatur; Senatus vendi patrimonium Ciſamenſe juſſit; reperitque corrogatam ex illo pecuniam vigintiquatuor Diſcipulis alendis minorem eſſe: quippe ex illo patrimonio deducenda erant Feuda, quę non Teſtatoris, ſed Principis ſunt, extincta in totum familia, & Fideicommiſſa, quę vocatis debentur. Quamobrem prudentiſſimè cenſuit, quod his deductis, duodecim diſcipulis ſuffecturum putabatur, his Romę alendis decernere; miſſique ſunt quos literarii Triumviri elegerant, & in Urbanum Gręcorum Collegium inducti, agente Eudęmon Joanne, qui paulo poſt Soc. Jeſu inſtituta profeſſus hęc ipſa narrat, quum Rector ejus Collegii latè hanc hiſtoriam proſequitur.

XI. Floruit mirificè Romanum Gręcorum Collegium hac appendice, quę tanti Romę habita eſt, ut Alumnorum veſtis tunc primum formam, quam habet, acceperit, capitis quoque operculum, quo nunc utitur Veneto. Exinde alti ſunt Romę ſumptu Ciſamenſium redditnum Gręci Juvenes, quos eò deſtinabat Patavium: nam non alii eò mittebantur, quàm qui prima rudimenta Grammaticę, & humanioris literaturę Patavii cepiſſent. Quot inde, quàm clari, & in omni ſcientiarum genere verſatiſſimi Viri prodierint, darem inferiùs ſuo loco, ni ex propoſito placuiſſet non Tyrones, ſed Alumnos Gymnaſii Patavini Poſteritati noſtrę proponere. Interea ſub Urbano VIII. hos Româ revocare Patavium placuit.

XII. Ergo Senatusconſulto decretum, ut Gręcorum Collegium ſumptibus Eccleſię Ciſamenſis inſtitueretur Patavii, atque huc, qui Romę alebantur diſcipuli, quaſi poſtliminio revocarentur. Mandatum proinde literariis Triumviris eſt, ut accuratè diſpicerent, num redditus Ciſamenſes erigendo Collegio, ſumptibus ejus conſtituendis, alendiſque duodecim adoleſcentibus ſuffecturi eſſent: cumque hi, re perſpecta, reſpondiſſent, omnia in promptu eſſe, ſuffecturoſque redditus rei, quam ſanxiſſet Senatus, novo Senatusconſulto juſſi Moderatores Gymnaſii leges inſtituendo Collegio dare à Senatu probandas. Hęc omnia ſummo labore annotavit in Apographo, quod apud me eſt, Vir Clariſſ. Deceſſor meus Nicolaus Calliachius. In eo hę ſunt leges ab Excellentiſſimo Magiſtratu Triumvirali propoſitę: Ut, ſervato duodenario Diſcipulorum numero, legerentur in eum Cretenſes ex ipſa Metropoli Creta quatuor, duo Cydonii ex urbe Cydone, totidem ex Rhethymna Rhethymnii: quatuor reliqui in quatuor Inſulas Venetis ſubjectas dividerentur, ut unus in hoc Collegio locus Corcyræo ſit, alter Zacynthio, Cephaleno tertius, quartus Cytheræo: His domus decerneretur, vel emenda, vel conducenda, habitationi adoleſcentium duodecim idonea: Famulus daretur, qui præſto eſſet cuſtodiæ domus, haberet ſocium, & uxorem, ac miniſtraret Alumnis, quæ neceſſaria ſunt ad cibos parandos, curanda cubicula, inſtruendam menſam, ſal etiam, acetum, & ligna diſcipulis inempta præſtaret: ipſi ſibi conſulerent in reliquis, ad quæ illis in menſes ſingulos per annos integros ſex decerneretur ſtipendium, nummi Ducati quinque, quos trimeſtri ſolutione in anteceſſum reciperent. Dabantur Cuſtodi in annos ſingulos centum & quadraginta ejuſdem rationis Argentei, centum & viginti locarium ad domum conducendam ſanciebantur; ut tota expenſarum ad hoc Collegium habendarum ratio Mille circiter Argenteorum ſummam excederet. Si quid ex redditibus Ciſamenſis Eccleſiæ ſuperfuiſſet, id vel Principis lucro cederet, vel improviſis Collegii neceſſitatibus impenderetur.

XIII. Has leges Senatus Venetus confirmavit, atque Collegium hoc, quod Venetum Græcorum appellari voluit, Triumviris pleno jure ſubjecit, ut hi alumnos eligant, adminiſtrent Cenſus, quod facto in his opus eſt, decernant; & ne propiore præſidio Collegium careat, poteſtatem in illud proximam ſanxit habendam à Præfecto Patavii, ad quem ex Triumvirali mandato ſpectat, ſi quid Alumni graviùs peccaverint, cognoſcere, ſi cui malo celeriter occurrendum ſit, ex ſpeciali procuratione, conſu-

conſulere; Electum à Præſide Cuſtodem, recepta priùs idonea ſatiſdatione ad Salarium admittere; Præſidem ipſum nominare, confirmandum, ſi viſum fuerit, auctoritate Triumvirali.

XIV. Hac enim Alumnis Præſes imponitur è primoribus Profeſſoribus aliquis, cujus honorario dumtaxat, ſed & oneroſiſſimo officio ad optimum finem omnia diriguntur. Is curat, ut Cuſtos, quæ debet juvenum famulatui, præſtet, eorum obſervet facta, eaque denunciet; ut juvenes bonis moribus artibuſque operam ſedulò impendant, ſatagitque eorum, quæ illis vetantur, jubenturve. Jubentur autem certa Profeſſorum teſtimonia, quibus probetur ad Gymnaſium aſſiduus acceſſus, data diligenter Scientiis opera, & in iiſdem profectus; itidemque legitima probatio, qua conſtet, eos bis in anno Sacramentis Eccleſiæ fuiſſe expiatos, refectoſque. At ſeveriſſimè vetantur rixæ, ſeditiones, vicinorum vexatio, ludus aleæ, arma domi foriſque, & fœminarum receptio intra ſepta Collegii, quod olim ad Pontem ligneum habitabat, nunc verò commodiùs conductas incolit Ædes in Vico S. Joannis ad Naves.

XV. Primus Collegii Præſes (1) anno MDCXXXIII. dictus eſt à Triumviris Joannes Cottunius Berthoenſis Macedo, Eques, notus in prima Sede Ordinaria Philoſophus, cui abdicanti poſt annos novem Joannes G lvanus Patavinus Criminalium Profeſſor celeberrimus parem cum Exedris primis obtinens locum, ſuffectus eſt: atque hunc è vivis ereptum Comes Pompejus Caimus Utinenſis in prima Sede Veſpertina Cæſarei Juris Profeſſor excepit. At hic pertæſus muneris perricoſi veniam obtinuit, datuſque ſucceſſor eſt Octavius Ferrarius humanioris literaturæ clariſſimus doctor Anno MDCLXIX. eoque mortuo Nicolaus Calliachius anno MDCLXXXII., à cujus obitu Anno MDCCVII. nos quoque onus hoc prægravat.

(1) ex Tab. Prefect. Patav. Cod. D. E.

CAPUT XX.

De Academia Equitum Deliorum.

I. HOc Nobiliſſimorum Equitum præclariſſimum, ac glorioſum Collegium, non minùs, quam reliqua, quorum hactenus notitiam dedimus, pertinet ad jura Gymnaſii noſtri: quippe hoc quoque ſimiliter, atque illa bonis Artibus nobilem ac ingenuam operam locat, Matheſi, Gladiatoriæ, Hippicæ, Strategicæ, cæteriſque, quorum ſtudio cùm generoſa juvenum indoles inſtituitur, tum adulta Virorum Virtus ad avitum Patavinæ Strenuitatis decus retinendum, & amplificandum erigitur: ſive domandi ſint Equi, ſive ineundæ pugnæ, muniendæ arces, metanda caſtra, equeſtris ac Militaris gloria procuranda. Fit adeo, ut Patavina Pallas, quæ Gymnaſio præſidet, non literis dumtaxat, ſed armis inſtructa ſit, atque ex utroque Majeſtati publicæ proſit, quam literis æquè armatam atque armis decoratam eſſe oportere Imperator, Juris Romani conditor, aſſerit (2). Hinc Equeſtris hæc illuſtriſſimorum Civium Societas Gymnaſticæ Arcæ ſtipendiis munita militat diſciplinæ, quam ſibi præſtituit, Magiſtris & Inſtitutoribus ſuis depromptam ex Ærario Scholaſtico pecuniam erogat; atque hoc ipſo propalam profitetur, ſe ad Jura Gymnaſii pertinere, cujus honeſtiſſimo ſumptu, quaſi publico præmio, conſulturo diſpendiis privatis, afficitur.

(2) in Proœm. Inſtit. in princ.

II. Ejus dignitas cùm reliquis Patavinis Collegiis præſtet, origine tamen minor eſt, nec admodum Sæculum ſuperat. Auctor ejus ex monumentis (3) ipſius Collegii jure dici poteſt Joannes de Lazara Antonii Mariæ filius in ea familia natus, quæ ſemper Virtuti dedita, magnanimi, munificique Splendoris amans, & bello, & pace, domi, foriſque, literis unà & armis inter Patavinas conſpicua claruit, claretque, ac gloriam avitam, priſcam, ac defæcatam ab origine nobilitatem veris Comitum titulis olim, atque etiamnum auget. Is primus de nobili Patavina Juventute ad exercitationes equeſtres cogenda, deque inſtituendo ad idipſum Collegio cogitavit; atque uſus conſilio Comitis Æneæ de Comitibus, & Antonii Frigimelicæ, ita rem graviter procuravit, ut ad eam juvenes ſexaginta nobiles ab ultima ſtirpe convenerint, erectamque privatis auſpiciis ac ſtipendiis Academiam Hoploſophiſtarum appellaverint; quo nomine Collegium hoc præclariſſimum conſtitutum in Ædibus ære privato conductis, ſub Equeſtri Doctore mercenario, militaribus vacavit ſtudiis ad Annum MDCVIII. Tunc ejus Virtus experimentis plurimis ludicrorum certaminum comprobata Venetum meruit Patrocinium, atque in primis Petri Duodi (4) Præfecti Patavini ſibi amorem conciliavit.

(3) extant in Actis Famil. de Lazara editis.

III. Hoc favente, illi Reſpublica Veneta locum certum decrevit eodem Anno, veterem

(4) ex Cat. Præfect. ad an. 1607. apud Salom. Inſcr. Pat. p. 571.

veterem Arcem Carrarienſium ad S. Michaelis, & Pontem ligneum è regione Portæ ad Pontem verſatilem. Ibi ſubſtructiones Collegio erectæ, quæ ſtabulum equis nobilibus, Equeſtri exercitationi aream peramplam inferam, ſuperam Aulam diſciplinis ac Cœtibus habendis contineant. Campus quoque conceſſus, in quo Simulacra pugnæ, ac Spectacula ludorum Equeſtrium ederentur. Quin & cenſus additus ex publico, pars de pecuniariis reorum pœnis ſolvenda Academiæ, quæ tunc, abdicato cognomine Hoploſophiſtarum, Deliam ſe dixit; ut deinceps Apollini Sacra, bonarum ſimul Artium Numini, ac Trojanorum Patrono, eo titulo partem ſe Gymnaſii, & quidem nobiliſſimam, & Originis ſuæ per Antenorem à Trojanis deductæ memorem eſſe, profiteretur. Nec aliunde contigiſſe crediderim, ut illi mox Auguſta Veneti Senatûs Munificentia ſtipendium annale decreverit Nummûm Ducatorum Octingentorum, quod præſtetur ab Arca Gymnaſii, niſi ut, quod ſuperiùs notabamus, facto ipſo ſanciretur, Nobilitatem Deliam ære Gymnaſii præcipuo gloriæ, ac publicæ utilitati militare.

(1) Extat in lib. Decret. n. p. 406.

IV. Conſtitutum hoc illi ſtipendium eſt Anno (1) MDCXXXI. Senatuſconſulto dato Kal. Januarii, ut merces eſſet Præceptori ad erudiendam equeſtris Ordinis Juventutem eligendo, cum onere alendi equos ad equeſtres exercitationes idoneos. Et hæc quidem ſtipendii ſumma variè diu concuſſa eſt, dilata, intercepta, tandemque poſtremo Senatuſconſulto (2) Anni MDCXCII. XI. Kal. Aprilis validiſſimè confirmata Scholaſticam Arcam, inſigni Gymnaſii cum gloria, Deliis Equitibus fecit ſtipendiariam. Sic enim quidquid ex hac illuſtri Societate in publicum bonum, decuſque provenit, ac proveniet, in Gymnaſticum cenſum redundat, ac redundabit, ut non minùs ex inermi, quàm ex armata Sapientia, domi, foriſque clariſſimum ſit Archylicæum Patavinum; eique tribuatur, quæ Deliorum Equeſtris illuſtriſſimus Ordo, vel in Exercitibus ducendis graviter, vel in tutandis difficillimo tempore Arcibus fortiter, vel in propulſandis hoſtibus feliciter geſſit, geretve.

(2) extat eod lib. p. non notata 11.

V. Et gerenda quidem dicet Poſteritas; quæ autem geſſit, tum apud exteros Principes, tum ſanè maximè pro ſuo, Auguſta nimirum Venetorum Republica, privilegiis idcirco exornatus ampliſſimis, dignitatibus auctus eximiis, exceptus laudibus, amore, gratia, patrocinio provocatus ad vices Majeſtati publicæ rependendas, cum brevitatis, quam profitemur, non ſit ſingillatim deſcribere, quilibet per ſe ipſe deprehendet ex iis, quæ ſatis accuratè recenſet Joannes Andreas Paulettus (3) Tabularii Patavini publicus Cuſtos.

(3) in Academ. Delia p. 10. -- 16.

VI. Conſtat porro Collegium (4) hoc Equitibus ſexaginta ex prima Nobilitate, planèque Patricia Patavina. Nec ſupra numerum hunc quiſquam, niſi ex indulgentia Societatis admittitur. Cooptando probatio priſcæ Nobilitatis indicitur: Cooptato onus imponitur Coronati Nummi in arcam publicam inferendi ſingulis menſibus, ut ex hac collatitia pecunia, quam auget Gymnaſtici ſtipendium Ærarii, ſumptibus faciendis ſit ſatis. Si qua extra Ordinem expenſarum neceſſitas interveniat, collatio jubetur; adduntur que pœnæ, quæ dilatæ ſolutionis negligentiam emendent. Præeſt Ordini cum Adſeſſoribus quatuor unus Magnifico Principis titulo, quadrimeſtri Magiſtratu, qui magnificentior eſt, cùm Junium Menſem complectitur. Tunc enim ſolemni ritu, die dicato Memoriæ D. Antonii Patavini, quotannis pia ſupplicantium agmina Equeſtris Deliorum pompa ſplendidiſſimè adſequitur, ſed & avidiſſimè ſpectatur à populo, præſertim hoc tempore, cum Equitum Magiſter, idemque ſocius Comes Ducius Buzzacharenus, antiquiſſimæ, clariſſimæque inter Patavinas familiæ ſurculus, & noſter olim diſcipulus, non curas dumtaxat, artemque, qua pollet maxima in erudiendis Equis, & Equitibus, verùm etiam impenſas privati cenſus opulenti confert ad augendum, ornandum, inſtituendumque Ordinem Deliorum ſuorum novus reipſa Hippodamas, & ut Græci loquimur [illegible], non ſolùm quòd Equorum domitor gaudet equis, verùm etiam, quòd gaudio, admirationi, voluptati ſpectantibus eſt, cùm publicè, privatimve acris equi feroces impetus edomat, corpus ad nutum circumagit, ſaltus jubet, aut vetat; atque animal bello natum, paci, pacatiſque ſpectaculis ſervire cogit.

(4) ex legibus Academ. à p. 3.

SECTIO

SECTIO II.

De Magiſtratibus Gymnaſio Patavino præfectis.

GYmnaſio Patavino Reſpublica Patavina præfuit ab initio ad Annum MCCCXVIII., conceſſa in illud ordinaria poteſtate Urbanis Prætoribus. Ea in his demandata ſtetit ſub Carrarienſibus Regulis, donec unà cum imperio urbis ad ſolium Venetæ Majeſtatis translatam Senatus proximè adminiſtrandam accepit ſub Principum ſuorum auſpiciis ad annum MDXXXVIII., quo ut Lycæum Patavinum peculiari procuratione gubernaretur, Triumviralis Magiſtratus inſtitutus eſt, ad quem, qui propiùs res inſpicit Prætor Patavinus, referret, atque etiam jure à Senatu delegato utitur in curanda Gymnaſtica diſciplina. Hanc quaſi Scholaſticę Juventutis Princeps profitetur, atque intra Gymnaſium ex Officio moderatur Gymnaſiarches, quem Rectorem, Prorectorem vel Syndicum appellant, eandemque ſtudiis innutritam, probatamque præmiis virtuti debitis exornat Epiſcopus Patavinus Magni Cancellarii, qua in Gymnaſio fungitur, auctoritate. Et hæc ſanè Riccobonus alicubi obiter, confusè ac perturbatè plerunque, atque aliud agens Tomaſinus delibant; ita autem inter ſe miſcent, aut aliis interſerunt, ut quid fuerint olim, aut nunc ſint, habeanturque, diſpici, vel æſtimari, quidve bono Gymnaſii contulerint, intelligi minimè poſſit. Quamobrem ad Hiſtoriam hanc noſtram ſpectat, ea diligentiùs expendere, ac ſingulorum Magiſtratuum decus ex Virorum utilitati Gymnaſticæ præfectorum præſtantia Poſteritati noſtræ proponere.

CAPUT I.

De Prætoribus Patavinis Gymnaſio præfectis ad Annum MCCCXXIX.

I. DIximus XIII. Sæculo qualem qualem Lycæi ſpeciem fuiſſe Patavini. Hoc Reſpublica Patavina fovit pro viribus, poteſtatemque ſanxit Prætoribus, quorum juriſdictione regebatur, ut ex forma juris immunitates diſcentibus, ac Magiſtris concederent, rem univerſim Gymnaſticam curarent. Ea lex apud Porcellinum (1), unde illam Salomonius habet, ſignatur, Guidone Monteforgiano Prætore Patavii: quamobrem fallitur Tomaſinus (2), qui latam ſcribit Matthæo de Corrigio Prætore, atque adèo pertinere ad Annum MCCLVIII., quo juri dicundo Matthęus pręerat poſt Joannem Baduarium I. Prætorem anni MCCLVII., cùm omnino protrahenda ſit ad annum MCCLIX. cùm Guido Prætor erat, ut habet Chronicon (3) emendatius, ex quo colligimus, primum Gymnaſii Rectorem fuiſſe Goſaldum Hiſpanum, Marco Quirino Veneto Prætore II. hoc eſt anno MCCLX., cùm videtur Academia Patavina certis cunabulis ſuis præluſiſſe hac ſerie Prætoria.

(1) in Not. ad Matric. præfat.

(2) lib. 4. Gym. pag. 358.

(3) apud Salom. Inſcrip. Pat. p. 563.

1257. (Joannes Baduarius Venetus I.
1258. (Matthæus à Corrigio Parmenſis I.
1259. (Guido Monteforgianus Regienſis.
1260. (Marcus Quirinus Venetus II.
1261. (Joannes Baduarius II.
1262. (Gibertus de Gente Parmenſis.
1263. (Matthæus de Corrigio Parmenſis II. Hoc abdicante intra Annum, ſucceſſit tum eo anno, tum

II. 1264. (Laurentius Theupolo Venetus. Hoc Prætore Gymnaſium ſibi condere leges cœpit, quæ conſtitutæ ac ſancitæ (4) notantur ſummo cum plauſu Scholaſticæ Juventutis, Prætore Laurentio Theupolo Juriſconſultiſſimo Patris Juriſconſultiſſimi filio. Is enim (5) Jacobo Theupolo patre natus, qui Venetę Reipublicę Dux XLIII. intra annum 1228., & 1249. Jura Patrię recenſuit; Tertius à Patre poſt Marinum Maurocenum, & Raynerium Zenum, vix à Prętura Patavina triennio, Italę libertatis Imperio pręfuit Dux XLVI., ac difficillimis temporibus publicę ſecuritati, ac glorię proſpexit regia planè conſtantia. Nam & de Ligure ſemper infeſto, ſemper iniquo, ad Tyrum & Ptolemaidem, claſſe licet minore triumphavit, & Piratis frumentationem impedientibus deletis ad oras Apulię, Annonę deficienti conſuluit; mox verſis adversùs ingratos Continentis

(4) Tomaſ. lib. 4. p. 358.

(5) Faſti Veneti Ducal. Jo. Pala. p. 98. 99.

tinentis Populos armis ac legibus, his jura de Portoriis intra Flanaticum ſinum, & Padi oſtia vectigalia indixit, illis reluctantes, rebellanteſque compeſcuit, Picenis, ac Bononienſibus ingenti clade perculſis, ac diruto Primario Caſtello, Cervia expugnata, receptis in fidem Iſtris, Patriæ, Familiæ ac Patavino Gymnaſio memorabilis obiit Anno MCCLXXIII. hoc priſco ſatis Elogio unà cum Patre apud Poſteros commendandus.

Quos natura pares ſtudiis, Virtutibus, atque
Edidit illuſtres Genitor Natuſque, ſepulti
Hac ſub rupe Duces, Venetum clariſſima proles
Theupola, collatis dedit hos celebranda triumphis,
Omnia præſentis donavit prædia Templi
Dux Jacobus: valido fixit moderamine leges
Urbis, & ingratam redimens certamine Iadram,
Dalmaticoſque dedit Patriæ poſt Marte ſubactos,
Grajorum pelago maculavit ſanguine Claſſes.
Suſcipit oblatos Princeps Laurentius Iſtros,
Edomuit rigidos ingenti clade cadentes
Bononiæ populos; hinc ſubdita Cervia ceſſit,
Fundavere vias pacis, forteſque relicta
Re, ſuperos ſacris petierunt mentibus ambo.

1265. Gerardinus Longus Venetus,
1266. Jacobus de Rubeis Parmenſis,
1267. Boniſacius Canoſſa Regienſis.
1268. Rolandinus Bonifacii Canoſſa Regienſis,
1269. Matthæus de Cotrigio Parmenſis III.
1270. Thomaſinus Juſtinianus Venetus,

III. Hic D. Marci Procurator fuit Anno MCCLXXXVIII, germanus frater Benedicti Juſtiniani Archithalaſſi fortiſſimi, qui crudelitatem, atque perfidiam (1) Andronici Palæologi Senioris, & in Latinos Conſtantinopoli ſævientis, & æs alienum, quod cum Venetis contraxerat, inficiati ultus eſt; invectuſque ſeptem ac viginti triremibus oram Maritimam Græco Imperio ſubjectam vaſtavit, captivos laqueo ſuſtulit, Claſſes Byzantinas diſiecit aut cepit, præluxitque tot Heroibus, qui avitam ex Origine Græca, regiamque triumphorum gloriam ſibi, ac Patriæ conciliarunt.

(1) Jo. Pal. de V. Illuſ. bell. Venet lib. 3.

1271. Bartholomæus Sago Bergomas.
1272. Matthæus de Auro, ſive Orius Venetus,
1273. Jacobinus de Rubeis Parmenſis II.
1274. Gauſredus Turrianus Mediolanenſis,
1275. Robertus de Robertis Regienſis.
1276. Guido de Robertis Roberti nepos Regienſis,
1277. Marcus Quirinus Venetus III.

Vir fuit doctiſſimus & ex Porcellino (2) amantiſſimus Gymnaſii, qui triennio, quo rem Patavinam adminiſtravit prætoria auctoritate, Profeſſores Publicos mirificè coluit, aſſiduus eorum Auditor, ac præſertim Accurſii Regienſis, quem in familiam receptum apud ſe habuit in Prætorio, filiorumque ſuorum ſtudiis præfecit. Poſt hanc tertiam Præturam fertur ab Univerſitate Gymnaſtica Venetias deductus, ac publica gratulatione patriis latibus reſtitutus, ubi anno MCCCII. laticlavum Procuratoriæ dignitatis emeruit.

(2) apud Salom. in Inſcrip. Gym. Pat.

1278. Marinus Valateſſo Venetus,
1279. Jacobus Gonzolinus Auximenſis.
1280. Matthæus de Corrigio Parmenſis III.
1281. 1282. Ubertus Freſcobaldi Florentinus.
1283. Oliverius de Circis Florentinus,
1284. Fantonus de Rubeis Florentinus per biennium,
1286. Guglielmus Malaſpina de Obiciis Lucenſis.
1287. Baro de Mangiatoribus à S. Miniato Hetruſcus,
1288. Accurſius Donatus Florentinus.

1289.

1289. Othonellus Mandellus Mediolanenſis.
1290. Principallis Mandellus Othonelli frater Mediolanenſis.
1291. Thomas Quirinus Marci filius Venetus.
1292. Lambertuccius Freſcobaldi Florentinus.
1293. Paulus Quirinus Marci filius Venetus.
1294. Gherardus Groſanus Cremonenſis.

Huic Prætori collega additus Nicolaus Maurocenus Venetus; decretumque deinceps, ut à Prætoriis IIViris & Civitas, & Gymnaſium regeretur.

1295. Conradus de Monte Magno Piſtorienſis.
Fantonus de Rubeis Florentinus II.
1296. Conradus Junior de Monte Magno Piſtorienſis.
Brunorus Brunelleſchi Florentinus.
1297. Blaſius Ptolomæus Senenſis.
Franciſcus de Cremonenſibus Piſtorienſis.
1298. Ungherus de Oddis Peruſinus.
Bertoldus Malpileus à S. Miniato Hetruſcus.
1299. Carolus Candi Piſtorienſis.
Nerius Nardi Florentinus.
1300. Nicolaus Bonſignorius Senenſis.
Nicolaus de Circis Florentinus.
1301. Brodaius ſeu Petrus Brondacius à Saxo Ferrato.
Bertolinus Madius ſeù Maggius Brixienſis.
1302. Beſenzonus de Beſenzonis Mediolanenſis
Florinus Poncaralis à Ponte Canali Brixienſis.
1303. Marinus Baduatius Venetus Juriſconſultus Clar. & DMP. 1320.
Andreas Valareſſo Venetus.
1304. Rubeus Caſtellus Mutinenſis.
Montanus Guatino Genuenſis.
1305. Pacius de Paciis Bononienſis.
Taraboturs Taraborii Anconitanus.
1306. Poncius Picinardi Cremenſis.
Baſſianus Fuſſiraga è Laude Pompeia.
1307. Federicus Ponzanius Cremonenſis.
Ungherus de Oddis Peruſinus II.
1308. Franciſcus Boninſegna Æſiſienſis.
Pyrrhus Vernacius Cremenſis.
1309. Marinus de Branca Eugubinus.
Franciſcus de Cremonenſibus Piſtorienſis II.
1310. Gentilis Philippeſius Urbevetanus.
Fellonius Corteſius Cremonenſis.
1311. Rodolfus Malpileus à S. Miniato Hetruſcus ſolus.

Hoc Prætore (1) vix non peſſum datum eſt Gymnaſium Patavinum. Diſiecti Profeſſores, ſi qui erant exteri, ſecum abduxere Patavio diſcipulorum familiam. Ad ſpeciem duntaxat pertenuem Patavinis in Lycæo reſiduis, ob ingentes ex bello calamitates. Eo Patavini Cives coacti dedidere ſe ſuaque Henrico VII. Imperatori, præfectuſque eſt Civitati Gherardus de Inzola Vicarius Cæſaris à Septembri menſe ad partem Anni ſequentis, quo Patavium ab Henrico defecit, ac Gherardum eumdem Prætorem dixit uſque ad Kalendas Junias, cùm ei ſuffectus eſt.

(1) Salom. Inſcrip. Pat. p. 364. & in Inſcr. Gym. & hiſt. Par.

1312. Jacobus de Rubeis Florentinus. Hujus Prætoris cura revocati Profeſſores, atque Diſcipuli, confirmatæ immunitates Gymnaſii, ac reſtitura ſtipendia cum auctariis, quæ damna ex mutatione Reipublicæ tolerata compenſarent.

1313. Bertus Samaritani Bononienſis
Nicolaus Calboli Forolivienſis
1314. Dinus de Rubeis Ariminenſis.
Ponzonus Ponzoni Cremonenſis.
1315. Franciſcus Calboli Forolivienſis.
Ugolinus Lazari Bouonienſis.
1316. Antonius Merlus Æſiſienſis.
Mericus de Bardavicinis Aſſiſinas.

His prorogatum imperium ad annum ſequentem, in cujus exitu cùm ſe Magiſtratu abdicaſſent, ſuffecti ſunt circa Menſem Novembrem.

Uber-

1317. { Ubertus de Cancellariis Piſtorienſis.
Rainerius Canoſſa Regienſis.

Quorum primus interemptus videtur in Clade ad Vicentiam à Patavinis acceptâ, & alter adminiſtrata Republica per Menſes duos ſponte abiit è magiſtratu. Succeſſerunt

1318. { Petrus de Parte Triduta Tarviſinus.
Joannes Molino Venetus.

(1) Verger. & alii in hiſt. Car. ad Jacob. Grandem.
(2) Ex his Salom. in Inſc. Gym.

His Prætotibus Jacobus (1) Carrarienſis cognomento Grandis dictus Patavinorum Princeps I. ante omnia ſibi Jus curandi, gubernandique Gymnaſii IX. Kal. Auguſti magnificis verbis aſſeruit, (2) profeſſus, hanc præ reliquis, quas ipſi communis Populi Patavini conſenſus faciebat, poteſtatem in re literaria gratiſſimam eſſe, ac fore. Eam tamen Molino delegavit hoc anno, prorogavitque

1319. in Marcum Gradonicum Venetum Prætorem; atque anno, ac menſibus tribus, quibus Principatum tenuit, Gymnaſium ita dilexit, ut jure illum Patavini Scriptores non minùs Patriæ, quàm Gymnaſii Patrem appellent. Ad hoc magnis ſtipendiis evocavit Profeſſores Clariſſimos, horum ingenia maximi fecit, conſortio delectatus eſt, tanta liberalitate, ac humanitate erga literarios labores, ut prælusiſſe videatur Venetę in eoſdem charitati, ac Munificentię. Vexatus inſidiis armiſque Canis Scaligeri, & Obicii Ateſtini, Principatum Civibus reſignavit; auctorque illis fuit, ut Friderico Auſtriaco Romanorum Regi ſe dederent, à quo datus Urbi & Gymnaſio Vicarius

1320. Udalricus de Valle. Reditum deinde ad Prętores.

1321. { Altinerius de Azzonibus Tarviſinus.
Nigriſolus de Anſaldis Cremonenſis.

1322. { Gerardus de Almedella Tarviſinus, cui additus Collega per menſes tres.
Conradus de Oveſtagno Vicarius Ducis Carintię, in quem Auſtriacus tranſtulerat Patavinum Imperium. Ab hoc menſe Septembri Prętor dictus

1323. Theobaldus de Caſtronovo Peruſinus.

(3) Tomaſ. Gym lib. 4. p. 366.
(4) Salom. Inſcript. Pat. p. 365. & in Inſcr. Gymn.

1324. { Altinerius de Azzonibus Tarviſinus II.
Raynaldus Ceſenas. His Prętoribus (3) obiit VIII. Kal. Decembris Jacobus Grandis ſepultus ad D. Auguſtini.

1325. Pollius Beccadellus ſolus, quem in fine Anni (4) nimis faventem ſtudioſorum petulantię Populus per ſeditionem occidit, ac ſubſtituit Bernardinum de Bucchis Brixienſem: quo Prętore penè non deletum Gymnaſium.

1326. { Bonaccurſius Ruggerius Parmenſis.
Theobaldus de Caſtronovo Peruſinus II.

1327. { Paſinus de Gryphis Brixienſis.
Gerardus Maurocenus Venetus.

(5) idem in Inſcript. Pat. d. p. 365. & Inſcr. Gymn.

1328. { Gryphus de Villandres Theuton.
Petrus de Rubeis Parmenſis. Hoc anno (5) VI. Kal. Septembr. recepto in urbem Cane Scaligero, Vicario Cęſaris, juſtitium Gymnaſii fuit. Scholę clauſę, negatis ſtipendiis exteri Profeſſores dimiſſi, Patavinis privatim gratìs docentibus.

CAPUT II.

Prætores Præfecti Gymnaſio ad Annum MCDV.

1329. { Bernardinus de Honorariis Veronenſis.
Galeottus de Magiis, ſeu Madiis Brixienſis.

1330. { Bernardinus Nogarola Veronenſis ſolus biennio.

1332. { Thaddęus de Ubertis Florentinus.
Petrus de Almeſa Veronenſis.

1333. Petrus de Almeſa ſolus.

1334. { Petrus de Almeſa idem.
Federicus de Ubertis Florentinus.

1335. Bajalardinus Nogarola Veronenſis ſolus.

(6) Salom. ibid.

1336. Idem Bajalardinus Nogarola Veronenſis. Qui cum Menſe (6) Junio Magiſtratus inſignia depoſuiſſet, ſeptem reliquis Menſibus Rempublicam adminiſtrarunt IV. Viri Judices Patavini Juriſconſulti, & Profeſſores Publici, Dominicus de Agropatis, Leonardus de Pincoris, Uzerius de Titulo, Gabriel Cortuſius.

1337. { Fridericus de Caballis Veronenſis.
Guido Riccius de Poggiano Regienſis.

Ex ſę-

Ex fędere icto à Venetis, Florentinis, & Patavinis (1) adverſùs Scaligeros, hi Patavio pulſi, duce Copiarum, & exercitûs fęderati Petro Rubeo: Albertus Scaliger Dux hoſtium, & Fridericus de Caballis Prętor capti, tradiri ſunt Legatis Venetorum, Marco Lauredano, Juſtiniano Juſtiniano, & Andreaſſio Mauroceno, qui Patavinis gratulatum libertatem venerant: Iiſdem permiſſum, ut, ſub auſpiciis Franciſci Danduli Venetorum Ducis, Principem legerent Marſilium Carrarienſem, qui Menſe Auguſto II. Patavii Princeps renunciatus Prętorem dixit Marcum Cornelium Venetum ſolum, cui ſuffectus eſt.

(1) Idem d. p. 365. & Inſcript. Gymn.

1338. Marinus Phaletro Venetus ſolus. Hoc Prętore VI. Idus Mart. Marſilius (2) mortem ſibi inſtare intelligens Ubertinum Nepotem ſucceſſorem edixit, ac Principem Patavii III., atque poſtridie, octavo poſt initum Principatum menſe, obiit, condito teſtamento, quo juſſit exuvias ſuas Carrarię ſepeliri, multa erogari ad pias cauſas: decem Ducatorum millia deponi apud Procuratores D. Marci, extruendis, dicandiſque Jacobo Apoſtolo ad Judaicam Ædibus ac Cœnobio: cenſum etiam conſtitui, quo Profeſſores Juris duo, Medicinę totidem alerentur. Succeſſor ejus Ubertinus Prętores dedit

(2) Tomaſ. Gym. lib. 4. p. 376. Sal. in Inſcript. Gymn.

1339. { Joannem Contarenum Venetum.
{ Petrum Baduarium Venetum. His permiſit, (3) ut Gymnaſio pleno jure pręeſſent; ipſe ſuprema poteſtate collapſum reſtituit: pro ejus & reſtauratione, & ſplendore multa decrevit; celeberrimos Magiſtros conduxit amplo ſtipendio, Prętoribus Venetis ejus erga Studia propenſum animum ultrò provocantibus, & quæ erant apud ipſum grata, ut Pignorius (4) tradit, penè non ad gloriam Patavinę Minervę cogentibus.

(3) Idem Salom. ib.

(4) Miſcell. de antiq. Pat.

1340. { Joannes Sanuto Venetus.
{ Petrus Zeno Venetus.
1341. { Idem Petrus Zeno ſolus.
1342. { Petrus Gradonico Venetus ſolus P. D. M. An. 1381.
1343. { Idem Petrus Zeno ſolus.
1344. { Idem Petrus Zeno. Vix inito Magiſtratu à Senatu Veneto revocatus, Claſſis Archithalaſſus dictus eſt.
Bernardus Juſtinianus Zeni ſucceſſor P. D. M. An. 1353.

1345. Guido de Cardinalibus Piſtorienſis. Hoc Prętore Ubertinus Patavii (5) Princeps III. poſt annum Principatus octavum exactum feliciter, ex morbo priapiſmi morti proximus ſucceſſorem ſibi dixit Marſilium Juniorem, cui extremis ſermonibus maximè omnium Gymnaſium commendavit, effatus hoc eſſe Patavinę Urbis pręcipuum decus, ſtaturum donec Principum liberalitas clariſſimos ad Magiſteria Doctores evocaſſet, eoſque facto docuiſſet, magna munera nunquam magnis Sapientiæ nominibus meritiſque defutura. Obiit biduo poſt reſignatum Imperium IX. Kal. April. ac ſolemni funeris pompa delatus ad Templum D. Auguſtini in Sacello Arę Majoris marmoreo tumulo conditus eſt cum Epigraphe, quam leges apud Salomonium (6).

(5) Script. Rer. Carrar. Tomaſ. Gym. lib. 4. p. 309. Sal. Inſcript. Gymn.

(6) Inſcr. Pat. p. 41. n. 8.

Eodem Prętore Pridie Nonas Maii Marſilius Junior IV. Patavinorum Princeps interfectus eſt à Jacobo, & Jacobino Nicolai Carrarienſis filiis, quorum prior Patavinum ſibi Principatum aſſeruit, adſtipulante Populo, favente Civitate V. Princeps Carrarienſis, idemque pari propenſione, ac ſtudio Gymnaſii, ac Venetorum amiciſſimus. Nam & Gymnaſium auxit, acceſſitis Cl. Virorum ingeniis, egregiamque liberalitatem ad commoda Diſcipulorum exercuit, & Prętoribus Venetis ad jus dicendum adhibitis curam, ac tutelam Gymnaſticam, quippe Viris Sapientiſſimis, demandavit. Fuere

1346. Joannes Dandulo Venetus.
1347. Andreas Maurocenus Venetus.
1348. { Petrus Baduarius Venetus II. Huic additus Collega.
1349. { Joannes Contareno Venetus.
{ Maphęus Contareno Venetus.
1350. { Marinus Phaletro Venetus II.

His Prętoribus, ac pręſertim Petro Baduario iterum, iterumque, & Maphęo Contareno actum, ut Gymnaſio cenſus certus, & Ærarium ſingulare conſtitueretur à Principe; atque is Buccatici Vectigal deſtinaverat, ſanxiſſetque, ni Marinus (7) Phaletro interceſſiſſet. Homo uſque ad furorem iracundus, & excandeſcere ſolitus; ſicubi lęſum ſe injuria quapiam credidiſſet, imò etiam odium altè concipere, atque ad vindictam quidlibet audere, cùm ad Scholas inviſendas acceſſiſſet, petulanti, ut mos habet, exceptum ſe ſibilo Diſcipulorum, ac contemptum exiſtimavit, indeque ſe ipſi Gymnaſio, quàcumque licuit, inimicum acerrimum præſtitit, non ex Veneto ingenio; pręluſitque

(7) Salom. Inſcr. Pat. ex Porcell. & Pignor.

(1) hac

(1) V. Faſtos Venet. Jo. Palat. p. 119. & ſeq.

(1) hac in Sapientiam perfidiâ non ſacrilegio dumtaxat, quo publicè alapam incuſſit Antiſtiti Tarviſino ſacra geſtanti, verùm etiam ambitioſæ temeritati, quâ Patriam perditum ivit, cum Anno MCCCLIV. III. Idus Septembr. lectus in Ducem, anno ſequenti in Tyrannidem, & cædem promiſcuam Patriciæ Gentis conjuravit; ſecuri propterea ex merito cæſus ad Gyganteos Gradus XVII. Kal. Maii, nec receptus inter auguſtas Venetorum Principum icones ad pœnæ nomen ac nominis perennem infamiam.

(2) lib. 4. Gym. p. 370.

(3) Salom. in Inſcript. Gymn.

Prætore Phaletro Jacobus minor interfectus eſt à Guglielmo notho Jacobi Grandis Carrarienſis non XI. Kalendas Januarii, ut habet Tomaſinus (2), ſed XIII. Kalend. (3) Auguſti, ac ſucceſſorem habuit fratrem Jacobinum, & Franciſcum filium VI. & VII. Patavii Principem. Hi Buccaticum Gymnaſio conceſſere, ac publicis Diplomatibus Ærarium Gymnaſticum Profeſſorum ſtipendiis præſtituere, ſatagentibus Prætoribus Venetis, quorum in Faſtis hæc nomina ſunt.

1351.	Joannes Foſcari Venetus ſolus.
1352.	Idem Foſcari ſolus.
1353.	Petrus Baduarius Venetus IV. cui adiectus Collega Omnibenius Omnibenius Mantuanus.
1354.	Idem Petrus Baduarius ſolus V.
1355.	Maphæus Contareno Venetus II. Marcus Cornelius Venetus D. M. Proc. Ann. 1362. Dux Ven. An. 1365.

(4) V. Faſtos Venet. Jo. Pal. in Marco Cornelio p. 130. & ſeq.

Sub horum Prætura Franciſcus Senior Carrarienſis Jacobino Patruo in Arcem Montis Silicis conjecto, ſolus Patavii Principatum occupavit. Non tulit hoc facinus vir æque doctus, ac Religioſus Marcus Cornelius Prætor: illud publicè deteſtatus abdicavit ſe Magiſtratu poſt Menſes tres, ac rediit in Patriam, eique ex Phaletriana Conjuratione periclitanti ſumma prudentia, & dexteritate opem tulit (4): dictus propterea tunc omnium Patriciorum ſuffragiis Pro-Princeps, atque in eo diſcrimine quaſi Dictator precariò adminiſtravit Rempublicam; ſimul, ſublatis proditoribus, armata Comitia habuit, in quibus ſe Joanni Gradonico ad Principatum ſuffragatorem exhibuit. Vixit deinde poſt tot munera & merita modeſtè, ac civili paupertate, quam Anno MCCCLXII., imperante Celſo in purpura Procuratoria tenuit, tranſtulitque mox ad Solium Venetæ libertatis lectus Dux LVIII. ineunte anno MCCCLXV. Corneliorum Principum primus. Imperavit biennio, quo Cretenſes rebellantes edomuit, coegitque jura pati, à quibus Calergio inſtigante deſciverant.

(5) Salom. in Inſcript. Gymn. ex Forcel. & Pignor.

Franciſcus Senior Venetis (5) ſemper inſenſus hos abſtinuit à Patavina Prætura, quam tamen Juriſconſultiſſimis Viris conceſſit, ac Gymnaſium mirificè auxit. Horum hortatibus Magiſtros celeberrimos Patavium evocavit, præcipuiſque diſcentium populum immunitatibus exornavit. Hi Prætores ſub illo.

1356.	Joannes de Manfredis Eq. Regienſis ad annum 1361.
1361.	Joannes Salgardus Feltrenſis.
1362.	Idem Joannes Salgardus, cui additus Collega Guelphus Guicciardini Florentinus.
1363.	Joannes Salgardus III. Feltrenſis.
1364.	Simeon de Lupis Eques Parmenſis ad An. 1368.
1368.	Onuphrius de Rubeis Florentinus.
1369.	Artuſius de Longiano Bononienſis.
1370.	Scholaris de Cavalcantibus Eq. Florentinus.
1371.	Idem Scholaris de Cavalcantibus, cui Collega datus Fridericus Lavelongus Brixienſis.
1372.	Idem Fridericus Lavelongus.
1373.	Corteſius de Lambertacciis Brixienſis.
1374.	Jacobus Rangonus Mutinenſis.
1375.	Riccardus Comes à S. Bonifacio Veronenſis ad An. 1382.
1382.	Robertus de Camporanis Aſculanus Picenus biennio.
1384.	Simeon de Lupis Parmenſis V. ejus Collega Matthæus Memo Venetus.
1385.	Andreas Thebaldi Eq. Bituntinus.
1386.	Ugolinus de Presbyteris Bononienſis.
1387.	Jacobus de Azzonibus Tarviſinus.
1388.	Ugolinus de Presbyteris Bononienſis II.

(6) Catal. Præt. apud Salom. Inſcript. Pat. p. 366. V. Script. Rer. Pat. & Carrar.

Rebus Carrarienſium (6) bello Mediolanenſi periclitantibus, Franciſcus Senior abdicat ſe Principatu, quem in Franciſcum Juniorem filium tranſtulit: ipſe ſe Duci Medio-

Mediolanenſi dedidit, à quo conjectus in vincula, captivus Modoetiæ deceſſit. Filius exul Patavio, poſt biennium, Venetorum, aliorumque Principum armis inſtuctus, preſidium Patriæ à Mediolanenſibus impoſitum depellit Anno MCCCXC. Vertit deinde in Albertum Ferrariæ Marchionem arma, quibus interceſſere Veneti, & ex fœdere percuſſo cum pluribus Italiæ Populis æquiùs indixit bellum Joanni Galeatio Mediolanenſium Duci. Hoc victo, & ad pacem coacto, Franciſcus hæres paternæ perfidiæ, contra jus faſque, Gulielmum Veronæ Principem veneno interemit, Veronam imperio ſuo addidit, quamvis in fidem receptam à Venetis; mox vertit arma adversùs Vicentinos, juſſuſque abſtinere ſe à populis, qui ſe Venetæ poteſtati dediderant, Caduceatorem, naſo auribuſque mulctatum remiſit ad Venetos, quos inſolenti reſponſione admonuit, ut pergerent intra patrias paludes piſcationi operam dare; atque Continentis imperium adminiſtrandum relinquerent Principibus, ad quos jure hæreditario pertinebat. Hæc acta ſunt intra Annum MCDIV., quo Veneti, ingenti exercitu immiſſo, Veronenſes ultro Venetum implorantes auxilium, ut ſe à Carrarienſi Tyrannide liberarent, receperunt. Captus Veronæ Princeps Jacobus Franciſci filius, Venetias miſſus in carcerem fuit: deinde converſus ad majora Exercitus Venetus, Vicentiâ copias Carrarienſis depulit, illatâ ſæpius clade, tandemque Patavium obſedit, & in eas Franciſcum anguſtias redegit, ut ſponte cum filiis Venetias profectus ſe illis dediderit, eamque ſit pœnam paſſus, quam extorſerunt à Clementiſſimo Senatu, & perfidum ingrati animi vitium, interjectis etiam contumeliis auctum, & contra Jus Gentium Fæcialis inhoneſto vulnere truncus. Periiſſet his temporibus Gymnaſium, quindecim fermè annorum turbis militaribus, nec unquam intermiſſâ bellorum ſerie vexatum, afflictumque. Stetit tamen ac floruit patrocinio fultum atque præſidio Prætorum doctiſſimorum, eorum præſertim, quos ex Veneta Nobilitate Patricia Stephanus Carrarienſis Patavinus Epiſcopus, & Gymnaſii Moderator dictus à Patre, vicarios hujus poteſtatis ſuæ renunciavit.

1389. Ubertinus Vicecomes Prætor pro Duce Mediolanenſi.

1390. { Guglielmus Soardi Eq. Bergomas pro eodem, quo pulſo
Riccardus à S. Bonifacio Comes Veronenſis ad annum 1392.

1392. Jacobus Gradonico Venetus biennio.

1394. Maphæus Memo Venetus II.

1395. Petrus Piſanus Venetus ad annum 1399.

1399. Jacobus Gradonico III. Venetus Piſano additus Collega.

1400. { Idem Jacobus Gradonico IV. additus illi Collega
Franciſcus Bembo Eq. Venetus.

1401. Joannes Mauro Venetus.

1402. Guglielmus Scalenſis Eq. Venetus.

1403. Antonius Bembo Eq. Venetus.

1404. Nerius Victorius Florentinus.

1405. Idem. Hoc poſt diſceſſum Franciſci pulſo, reipublicæ gerendę cauſa lectus eſt Publicus Profeſſor (1) Henricus de Alano Patavinus, qui Plebiſcitum tulit de permittendo Patavio poteſtati Venetorum. His rerum potitis, deſiit Jus Gymnaſii Supremum in Prætoribus Patavinis, translatumque ad Senatum, feliciter Deo propitio perennat ſub Auſpiciis Principum Venetorum: quorum proinde notitia ex inſtituto facienda eſt, ut noſtra Poſteritas norit, quibus tot beneficia debeat, atque hunc ipſum ſplendorem, hæc decora, quorum luce, atque ornamentis, gloriæ ac Sapientiæ militat Archilycæum Patavinum.

(1) Adverſ. Tab. Epiſc. per Pivat. collect. Catal. Præt. Inſcript. Salom. p. 567.

CAPUT III.

DUCES VENETI

Quorum Auſpiciis Gymnaſium ſtetit ad An. MCDLXXXV.

I. MICHAEL STENUS (2) clarâ apud Græcos (quod cognomine ſignatur) origine, clariore apud Venetos familiâ natus anno MCCCXLIV. vix jam adulta ætate induxit animum, ut ad rempublicam adminiſtrandam accederet. Literis, & ex his otio pacato addictus privata commoda laborioſis honoribus prætulit, cùm illum repentè & Patriæ diſcrimen, & fratris cædes, cunctabundum licet, ac ſegnem, evocavit ad Curiam. Receptâ Clodia Januenſes, cæſo Prætore Oppidi Petro Steno Michaelis fratre,

(2) Leo Matin. Elog. in Michaele Steno Faſti Ducal à p. 243.

civibuſquè internecione deletis, Venetis veniam, ac ſalvâ libertate pacem efflagitantibus indixerunt, ut victi libero jure victoribus ſe permitterent. Aderat Stenus, primuſque & Populum excitavit ad arma, & Populo Ducem Joannem Piſanum, quem reum non feliciter adminiſtratæ Claſſis carcer habebat, alta voce profeſſus eſt; ſecutuſque eſt Populi plauſus, & concurſus ad carcerem, unde Piſanus eductus facto ipſo fortunæ Venetæ prælufit, quæ mira rerum vice, nec miro minùs argumento conſtantiæ, victo, pulſo, profligatoque Ligure, priſcum decus, ac deinceps perennaturum feliciùs retinuit. Stenus inde in Senatum receptus, conſilio valuit, præcelluit eloquentia, tantaque apud omnes virtute claruit, ut ſub Antonio Venerio Duce inter Procuratores D. Marci relatus, huic XII. Kal. Novemb. Anni MCD. ſuffectus fuerit Dux Venetus ordine LXIII. Hoc imperante in perfidum Carrarienſem Reſpub. Veneta victricia ubique arma circumtulit, quibus iterum, iterumque victus, amiſſis omnibus expes, poteſtati ſe Venetæ dedidit, à qua traditus Jacobo Comiti Vernio Copiarum Præfecto, ex militari lege, ſalvâ Senatûs Clementiâ, pœnas luit. Receptum deinde Patavium in fidem, atque intra obſequii jura data libertate, ultro non oblatum dumtaxat Patrocinium Gymnaſio, ſed & officium tutelæ promiſſum. Extant (1) Duce Steno Senatûs Conſulta cenſum literarium augentia ad Clariſſimos Profeſſores pretioſis ſtipendiorum auctariis conducendos lata, ſplendori, gloriæ, atque ſecuritati Gymnaſii magnificè conſulentia. Id quod eò mirandum eſt magis, quòd Steno Duce, Reſpublica intenta maximè Imperio proferendo, non tam armis, quàm triumphis, Venetas Regiones, Euganeos, Carnoſque pervagata, Tarviſium, Feltriam, Utinum, Bellunum, oppida omnia, quæ latè Juliis ac Tridentinis Alpibus, atque Adriatico mari clauduntur, ſubactum ibat. His in poteſtatem redactis unum dixit, reliquis abrogatis Gymnaſium Patavii Anno (2) ipſo MCDXIII. quo ætatis LXIX. VII. Kal. Januarii vivere deſiit.

(1) 1407. XIII. Septembris 1407. XII. Febr. lib. 1. Decret. p. 6. 7.

(2) III. Decembr. 1413. in Rog. Decret. lib. 1. p. 12.

II. THOMAS MOCENICO primus hujus Familiæ Princeps ſuffectus eſt Steno VII. Idus Januarii Anni MCDXIII. Dux Venetorum LXIV. Juriſconſultus Clariſſimus, tantique habitus ex hac laude Civilis Prudentiæ, ut recepto Patavio primus à Senatu datus ſit Prætor An. MCDV. Illi commiſſa cura Gymnaſii, Studioſorumque regundorum, jus ad certius incrementum decuſque manſurum gliſcere cœpit, accitis undequaque celeberrimis viris, quorum prælectionibus interfuiſſe ad ſex millia diſcipulorum accepimus (3). A' Prætura gradum continenter fecit ad Purpuram (4) D. Marci Templo præfectam; qua dignitate inter Collegas præcipuus (5) legati munere per Italiam perpetuò functus eſt, atque abſens apud Gabrinum Fundulum Cremonæ Principem, dum de Italiæ pace, ac libertate cum Romano Pontifice Joanne XXIII. & Sigiſmundo Cæſare diſceptat, ad Patriæ Principatum evehitur. Fertur inter publicas curas, quibus egit, ut Carni ad plenum Venetæ Majeſtatis obſequium adigerentur, ut ſubiret contemptas Conſtantiæ leges perduellis Dalmata, ut timerent ſæpè ad Gallipolim cæſi, profligatique Piratæ, nihil antiquius habuiſſe Patavini Gymnaſii gloriâ, quam auxit, evocatis ad Magiſterium Legum interpretibus peritiſſimis, bis, terque in ſubſidium Arcæ Gymnaſticæ pecuniâ ex Ærario Veneto miſſa, atque iis legibus opportunè ſancitis, quibus & Quatuor viri Patavini revocando quotannis in formam Gymnaſio præfecti ſunt, & Scholaſticis turbis modus impoſitus. Imperavit annos X. & menſes III. ac propè octogenarius obiit III. Nonas Auguſti MCDXXIII.

(3) Salom. inſcript. Gymn. ex Pignor. & aliis.

(4) Salom. Catal. Præt. Inſcript. Pat. p. 567.

(5) Faſti Ducal. à p. 146. Leo Matin. Elog. in Thoma Mocenico.

III. FRANCISCUS FOSCARI Joannis (6) An. MCCCLI. & MCCCLII. Patavini Prætoris filius, liberalibus diſciplinis navavit operam Patavii, & ſi credimus (7) Porcellino, præfuit Rector Gymnaſii Ann. MCCCXCIV. Facundiſſimus natura & ingenio (8) juvenis, vix ad Rempublicam gerendam acceſſit, & Quadraginta virali Collegio adſcriptus eſt, atque adeo eloquentiâ valuit, ut Senatui auctor fuerit, quamvis Thoma Mocenico refragante, recipiendorum in tutelam ac fidem adverſus Carrarienſem Vicentinorum. Legatus iterum atque iterum ad ſummos Pontifices, quod è re publica erat, mira felicitate ſemper obtinuit. Evocatus quoque à Turcarum Imperatore Maomethe II. pacem lapſanti Græcorum Imperio neceſſariam, & Venetis utilem ſanxit. Regreſſus in Patriam, navigationem, negotiationemque Maritimam cum Orientalibus ad certas leges redegit, eo apud Senatum & merito, & plauſu, ut primus omnium ad Procuratorium laticlavum nondum planè quadragenarius pervenerit, inde, vix tranſacto decennio, quinquagenarius plenâ omnium ſuffragatione ad Solium evectus, Dux Venetorum LXV. fuit. Geſta hoc Principe brevitate, quam profitemur, majora ſunt: illa communis hiſtoria latè proſequitur, quam ſi conſules, diſces, repetitis victoriis repreſſam Vicecomitum Mediolanenſium ambitionem Italiæ Imperio inhiantem: ſecuri ad exemplum percuſſam Carmaniolæ perfidiam; additam Venetæ ditioni Flaminiæ ac Inſubriæ partem; Chryſopolim

(6) Catal. Præt. Inſcript. Pat. Salom. p. 566.

(7) Not. in Matric. Gymn.

(8) Faſt. Ducal. à p. 148. Leo Mat. Elog. in Fran. Foſcaro.

polim & Caſſandream in Aſia ereptam barbaris, pyratas in Ægeo, & Jonio deletos: Summos Principes Veneto non ſemel receptos hoſpitio eâ Magnificentiæ jactantia, quæ ſpectacula Continentis videnda dederit mari, & inter Cymbas Equeſtres ludos ediderit. Quid? cùm Græciam ad Italos navigantem excepit, ſumptu publico aluit, regio planè commeatu juvit, deduxitque Ferrariam, ac redeuntem Florentiâ, poſt abolitum in OEcumenica Synodo grande Eccleſiæ utriuſque diſſidium, claſſe publica reduxit Byzantium. Hoc à barbaris expugnato, Græcis profugis clementiſſimum ſemper Auguſtæ Reipublicæ Dux Magnanimus ſinum aperuit, atque (1) hortante Beſſarione, Sapientibus noſtris latinam linguam diſcere cupientibus, tutam, ac privatis munifici Principis, & doctiſſimi Cardinalis impenſis percommodam ſtationem fecit Patavii: qua in urbe, atque urbis Gymnaſio docta latinè loqui extorris, ac mendica Græcia ſuæ linguæ, eruditionis ſuæ, humanioris univerſim literaturæ, ſuarum ſcilicet opum, quas unas in exilium attulerat, Italis indidit deſiderium, quo factum, ut in eam deinceps ſcientiarum laudem, ingeniorum cultum, ac Sapientiæ gloriam aſſurrexerit hoſpita Græcorum Italia, ex qua potiùs, quàm ex jejuna, & exſucca, planeque grammatica latinitate Sæculum XVI. aureum jure optimo dicitur. Ita, quod ornandis poliendiſque aſperioribus diſciplinis initium fecerit, debet Gymnaſium Foſcaro Duci, cui debet etiam auctum Ærarium, perampla ſtipendia Profeſſoribus data, imperatam ſtudioſæ Juventuti quietem, abacta pacatis literarum curis diſſidia, cum lata lege Rectoris Officium Patavinis, ac Venetis (2) vetuit, hoſque à comitiis Gymnaſticis abeſſe juſſit. Satagebat horum eximius Princeps, ſimul de teſignanda dignitate ſua, novo exemplo, cogitabat: interceſſere Conſiliarii, ut Principatum, quo ſe ſponte abdicare cupierat, invitus dimitteret, ac documentum poſteris daret, quo intelligerent, in libera Civitate, ne Principes quidem ipſos à parendi neceſſitate liberos eſſe. Senatus Conſulto per conjurationem, & inſidias propoſito, juſſus eſt ſummæ poteſtatis inſignia ponere, ſeque parem minoribus facere. Paruit, tantùm teſtatus malo hæc exemplo agi, cui optimum oppoſuit; ac ſumpta privata toga, ne Senator quidem, qui dudum Princeps fuerat, publicè coram omnibus Regiæ valedixit, lentoque ac ſenili gradu forum obambulans ſuum erga Patriam obſequium conſtanter circumtulit. Exiguum, quod vitæ ſuperfuit, domi ſuæ egit, ibique obiit Principatus XXXV. ætatis LXXXIV. Æræ communis Anno MCDLVII. Mortuo dignitatis inſignia reſtituta ſunt, quæ Succeſſor dimiſit, ut intereſſet funeri, quod memorabile facit in eo lex lata, cavens adjectâ pœnâ, ne quis quid ſimile fati in ſuperſtitem Principem poſſit, præterquam ex cauſa perfidiæ.

IV. PASCHALIS MARIPETRO ſtuduit Patavii, atque itidem præmium impenſis Juriſprudentiæ laboribus lauream conſecutus eſt. Eidem urbi ac Gymnaſio deinde Prætor præfuit Ann. MCDXLI. mox toga & ſago clarus, adlectuſque in Ordinem Proc. D. Marci Ann. MCDXLVI. ad Solium publicæ Majeſtatis aſcendit Ann. MCDLVII. (3) Juris ac Juſtitiæ apud omnes Magiſtratûs urbanos exactor aſſiduus, pacis ac religionis ſtudioſiſſimus cultor, præ omnibus habuit decus Patavini Gymnaſii, (4) cujus inopiæ conſuluit collatis ex Ærario Veneto pecuniis, queis dilabentes ob negata, vel dilata ſtipendia Magiſtri retinerentur: leges quoque dixit Sanctiſſimas, iiſque Magiſtrorum eorumdem ſanxit Auctaria, (5) auctariis addixit cenſum à ſubjectis Civitatibus conferendum: univerſim cavit, ne, dilapidato privatorum Collegiorum Patrimonio, diſcipulis indigentibus alimenta deeſſent. Sedit annos V. non integros, ac ſeptimo & ſeptuageſimo ætatis anno, Chriſti MCDLXI. Nonis Maii deſiit eſſe mortalis Dux LXVI.

V. CHRISTOPHORUS MAURO ſeu potiùs Morus, alumnus & hic Patavini Gymnaſii cenſum Gymnaſticum, & Arcam Scholaſticis præmiis deſtinatam curabat Præfectus Patavio (6) An. MCDXLII. Pietatis ac Juſtitiæ vindex acerrimus: maximè claruit ob peculiare ſtudium caſtitatis, ſi vera ſunt, quæ in Faſtis Venetis (7) leges. Ferunt ab eo adhuc juvene, & amante, Sanctimonialem Virginem, quæ illi ſeſe permiſerat, in Cœnobium, unde amens exierat, redire compulſam, adjectum quoque memorabile effatum, quo profeſſus eſt nec Virginis Chriſti Sponſæ decorum, datam fidem ſtupro corrumpere, nec ſibi famulo Chriſti Deum rivalem habere. Addunt magnanimum facinus prodigio ſtatim probatum, atque ex icone lignea Servatorem Chriſtum, inclinato capite, gratias egiſſe prætereunti. Ut prodigio fidem abroges, & Criticorum leges ſecutus narrationis teſtem idoneum expectes; at hoc verum eſt, Chriſtophoro Chriſti Sponſam reverito datum, ut Rempublicam Virginem Sponſam haberet, & a Procuratoria D. M. dignitate ad ſolium Principatus aſcenderet An. MCDLXII., quo inauguratus eſt Dux Venetus LXVII, datum etiam, ut Chriſti fidem vexatam, acciſamque à barbaris in Oriente utcunque defenderet, icto fœdere Sacro, quod, ni mors Pii II. Rom. Pontif.

(1) Ep. ad Philantropon.

(2) 8. Maii 1438. in Rog. lib. Triumvirali p. 14. tergo, & p. 43.

(3) Leo Mat Elog. in Maripetro. Faſti Duc. à p. 160.

(4) 10. Sept. 1458. in Rog. lib. 1. Decret. p. 39.

(5) 9. Oct. 1459. in Rog. ibid. p. 46.

(6) Catal. Prætor. ibi. p. 568.

(7) p. 162.

diſſolviſſet, Dux Venetus, & Imperator claſſe invectus in Turcas, vel recuperaturus erat, quæ abſtulerat Impietas Pietati, vel pro hac, & Patria moriturus. Ergo ad pacatiores curas converſus, poſt confirmatas Univerſitatum leges, cautumque, ne tertiariæ Patavini Gymnaſii Sedes, niſi Patavinis, concederentur, ejuſdem cenſus auxit, & Arcam inopia laborantem ære undequaque collato ditavit; Collegiorum patrimonia defendit, diſcipulis Marcianam bibliothecam aperuit, ac literariam Beſſarionis hæreditatem utilitati publicæ conſervavit; tandemque anno MCDLXX. deceſſit, tumulatus in Ædibus Jobo ſacris, quas cum adſtructo Cœnobio ipſe privato ſumptu conſtruxerat.

(1) Catal. Præt. apud Salom. Inſcript. Pat. p. 568.
(2) Faſt. Duc. à p. 168. Leo Mat. in Throno.

VI. NICOLAUS THRONUS. Debet huic Venetæ Reipub. Principi Gymnaſium, quæ à Chriſtophoro Mauro beneficia ipſi collata ſunt, quippe hoc auctore, cùm Præfectus Patavii (1) An. 1462. arcam Gymnaſticam procurabat, propoſita & ingeſta, mox & ſancita Venetiis hoc agente vel in Purpura Marciana, vel è Solio publicæ Felicitatis. Hac maximè claruit Reſpublica Nicolao Duce, quo (2) imperante ictum fœdus cum Uſſuncaſſane Perſarum Rege adverſus Turcas: arx Smyrnæa uno impetu expugnata: latæ ſuppetiæ Cilicum Regulis, eorumque jura defenſa, ſubactis Coryco ac Seleuciâ: propugnaculum Mycræ fortiſſimum ad deditionem coactum; quæſitaque nuptialibus auſpiciis Venetorum Imperio Cyprus: quæ omnia denique vix integro Sæculo exantlata credas, ea inita, geſta, peracta ſunt intra menſes viginti, poſt quos eſſe deſiit Princeps optimus, Patronus Gymnaſii memorandus, V. Kal. Auguſti Anno MCDLXXII. ætatis LXXVII. Dux LXVIII.

(3) Leo Mat. Elog. in Marcello. Faſt. Duc. à p. 170.
[4] 1473. 29. Decembr. in Rog. Decr. lib. 1. p. 240.

VII. NICOLAUS MARCELLUS eodem anno Idibus Auguſti Principatum iniit Dux LXIX. (3), quem competitoribus maximis prætulit Pietas, Utilitas publica, obita graviter, crebrò, & ſumptuosè legatio, atque ipſa ſenectus, quæ in non hæreditariis Imperiis comparandis admodum poteſt. Vix menſes quindecim ſumma auctoritate ſunctus, vita quoque deſunctus eſt Anno ætat. LXXIX. Kal. Decembr. Felix tamen in brevi dignitate tum Reipublicæ, tum Gymnaſio, quorum alteri oppreſſis, quæ à Ferdinando Neapolitano Rege ſtruebantur inſidiis, Cyprum ſervavit, Scodramque trecentis Turcarum millibus obſeſſam, ſuſis obſeſſoribus, liberavit; alteri verò immunitates ac Privilegia confirmavit, auxitque, atque illud ſanxit (4), ne quis Arcam ejus quacunque ex cauſa delibaret inconſulto Senatu, cujus unius auctoritati regiæ ſubjectam dixit, ac Sanctam omnibus voluit.

[5] Faſt. Duc. à p. 173. Leo Mat. in Petro Mocen.
[6] 19. Febr. 1475. in Rog. Decret. lib. 1. p. 270.

VIII. PETRUS MOCENICO Thomæ Ducis nepos, Secundus in Familia, Venetæ verò Reipublicæ LXX. Dux, lectus XVIII. Kal. Januarii Anni MCDLXXIV. ætatis LXIX. non ultra (5) Annum, menſes duos, & dies novem ſedit in Solio, atque in tam brevi Principatu admodum profuit Gymnaſio, cùm lege lata primus (6) edixit, ne ſubditorum quis alibi, quàm Patavii, & à Profeſſoribus ære publico merentibus Inſignia Doctorum ſumeret, appoſita pœna, qua quidquid factum contra eſſet infectum, ac tale quid auſus fore obnoxius Fiſco dicebatur. Scilicet geſta magnanima, & martialibus curis exercitam ante Principatum ætatem hac erga Gymnaſium charitate coronavit, probavitque penes Patres, queis præerat, hunc eſſe triumphorum fructum, ut Sapientiæ commodis conſulatur. Obiit VII. Kal. Martii An. MCDLXXV. in otio glorioſo, quod ſibi ante Principatum paraverat Imperator, eorumque clariſſimorum facinorum auctor, quæ ſub Deceſſore patrata illius auſpiciis, hujus autem virtuti, tribuenda ſunt.

(7) Faſt. Duc. à p. 177. ex Sanſon. Sabell. & aliis.
(8) Hiſt. Pat. lib. 3.

IX. ANDREAS VENDRAMENUS, quod Reſpublica familiæ debebat, præmium retulit Dux (7) LXXI., intulitque Solio nomen, & agnomen Patrui, qui bello Clodienſi cum liberis, opibus, armiſque in publicum datis, Patriæ columen fuit. Angelerio (8), & Cortelerio teſtibus, primus de Gymnaſio à privatis Ædibus, conductiſque extra priſcę urbis mœnia, ad Sedes proprias, locumque toti Civitati conſpicuum transferendo cogitavit; ac ſeponi pecuniam juſſit operi magnificè conſtruendo, quod & incohaſſet, ni & Principatus obſtitiſſet brevitas, & interceſſiſſent res adverſæ Reipublicæ. Hujus exercitus internecione delectus ad Antigoniam Macedoniæ Oppidum, quod Crojam vocant, arcem illam Thracibus mancipavit: mox copiæ poſt victoriam ab iiſdem acciſæ ad Liburnos, mærenti Principi, ac meliora merito vitam eripuere anno ætatis octogeſimo ſexto, Æræ communis MCDLXXVIII. Pridie Nonas Martii.

(9) Faſti Duc. à p. 177. Leo Mat. Elog. in Jo. Mocenico.

X. JOANNES MOCENICO, Thomæ Principis nepos, Petri Principis Frater, Familiæ tertius, Venetorum Dux LXXII. peſtilentia graſſante compulſus (9) quod ſuppetiæ Chriſtianorum omnino deeſſent, pacem & commercium, Scodræ ac Lemni deditione, à barbaris licitatus eſt, atque arma pro libertate Florentinorum vertit in Aragonium: Ferrarienſem Dynaſtam affinitate tumidum Aragonia fregit, multatumque Rhodiginâ

Penin-

Peninſulâ ad pacem compulit. Ferdinandum ipſum Aragonium Neapolis Regem, expugnara Callipoli, Apuliæ & Calabriæ oppidis occupatis, ab alienis abſtinere ſe docuit; & quod ad nos attinet, poſt auctum in Dalmaticis oris Imperium, Veneto prorſus ingenio, regalis Providentiæ curas tranſtulir ad Gymnaſium. Ab hujus Exedris lege (1) lata Patriciam nobilitatem amovit, quam facto ipſo quodammodo monuit, ut Patavii Sapientiam diſceret, non quam doceret, ſed quam amaret, ac patrocinio tueretur. Hanc ille interea Senatui penitus mancipavit, cùm Jus qualecumque, quod ad eam diem penes diſcipulos fuerat eligendi Magiſtros, in ſolidum (2) abrogavit, ac vindicias libertati Doctorum, uni Senatui ſubjiciendæ, dixit adverſus turpiſſimam ſervitutem, ratus proſpectum ſatis utilitati, ac decori ſtudioſæ Juventutis, quòd renovata de immunitatibus lege à Publicanorum eos inſolenti vexatione redemiſſet. Deceſſit intra octavum Principatus annum, ætatis Septuageſimum ſextum, Chriſti MCDLXXXV.

(1) 1477. 19. Decemb. in Rog. Decr. lib. 1. p. 498.
(2) 1479. 4. Nov. in Rog. ibid. p. 501.

CAPUT IV.

Duces Veneti Gymnaſio Præfecti Ad Annum MDLXX.

I. MARCUS BARBADICO Anno MCDLXXI. Præfectus (3) Patavio, Vir graviſſimus, & Sapientiſſimus Gymnaſium ſummo proſecutus amore dicitur à Salomonio (4) ex Inſcriptionibus Gymnaſticis, & à Porcellino: quo auctore fertur prælectionibus Bartholomæi Cæpollæ interfuiſſe creberrimè purpuratus, eoque, ac reliquis Profeſſoribus comiter adeo uſus, ut hos quaſi ſocios & Collegas Magiſtratûs habuiſſe viſus ſit. Egit urgentiùs apud Senatum, Throno Principe, ut à Blaſiana vicinia Gymnaſium transferretur, obtulitque pecuniam è ſuo, appendicem pretio, ſi quod ad parandum Athenæo locum in acie fori Nobilium, quam ei ſtationem animo deſtinaverat, defuiſſet. Regreſſus in Patriam ac Marciana Purpura donatus anno 1482., eam triennio poſt Principatûs Inſignibus auxit Dux (5) LXXIII., tanto cum plauſu aſſenſuque omnium, ut vel Barbari Principes ad eum gratulatum legatos miſerint, legationeſque muneribus cumulaverint. Breve menſium novem Imperium numeroſa geſtorum gloria compenſavit, ornata Græco marmore Regia, adminiſtrata promiſcuè ſumma cum æqualitate Juſtitia, diſſidiis jurgiiſque compoſitis, diſcordia Civium, abolitis Gibellinorum Guelſorumque nominibus, urbe depulſa non ſine vitæ diſpendio. Quippe tam acri, tam fervida concione concordiam Civibus commendavit, ut ex ea morbo contracto, poſtquam ſobolem extremis verbis, quæ perennant ad poſteros, monuit præferre Familiæ Rempublicam, eſſe deſierit Anno Chriſti MCDLXXXVI., Vitæ LXXIII.

(3) Catal. Præt. apud Salom. p. 168.
(4) in Inſcr. Gym. ex Pign. & Porcell. ad Matriculas.
(5) Faſti Duc. à p. 180. ex Sanſon. Sabell. Juſtinian. & aliis. Leo Matin. Elog. in Marco Barbadico.

II. AUGUSTINUS BARBADICO Præfectus (6) Patavio anno 1482., inde D. Marci Procurator, Marco ſuffectus eſt frater fratri, anno MCDLXXXVI., Civitatemque deſiderio Deceſſoris mærentem ad intermiſſa gaudia revocavit: Rhœtico (7) bello confecto, Cypro ex hæreditate Catherinæ Corneliæ recepta, Piratis toto mari ſublatis, Rebus Italiæ poſt fractos ad Tarum Gallos, ac Ferdinandum Juniorem regno, undè exciderat, reſtitutum, compoſitis, Maritimis Apuliæ Oppidis Imperio adiunctis, tumultu Cremonæ ſedato, & Abduana Glarea à Sforriæ perfidia, à Turcarum Tyrannide Cephalenia recuperatis, feliciſſimo Reipublicæ ſtatu, ad Gymnaſii noſtri felicitatem ac decus conſilia vertit. Et primò quieri (8) ejus conſuluit, ſancito Patriciorum Venetorum Patavii ſtudentium reditu Venetias ad certum tempus, ne Comitiis Gymnaſticis intereſſent. Mox Privilegia vel confirmavit (9), vel auxit compreſſâ Publicanorum audaciâ, laudatis Univerſitatum legibus, interdictâ ſubditorum alibi morâ Studiorum cauſa, imperatoque Diſcipulorum omnium reditu Patavium. Decus Gymnaſii iteratis legibus amplificavit, cum juſſit (10) Rectores ejus pari gradu, conſeſſuque à dextris, & à ſiniſtris urbanorum Præſidum ire & quieſcere, atque ipſos Quæſtores purpuratos antecedere. Quid? cùm ſtatuit, ne Doctores niſi laureati in Archigymnaſiis ad docendum admitterentur, interceſſitque corruptelæ, qua Gymnaſia reliqua laborabant, probatos per inania diplomata Palatinorum Comitum Profeſſores ad Exedras publicas recipientia. Sed Auguſtinus Dux Gymnaſio longè memorabilis ex eo eſt, quòd, quæ pro ipſo Principes reliqui conceperant animo conſilia, effecta dedit, tandemque illud à Blaſianis gurguſtiis ad Bovem tranſtulit. Scribit de hoc Tomaſinus (11), deſcribitque plus nimio facti periſtaſes, ut de eo verbum addere ſupervacaneum ſit, ſi patiare id addi, quod omittitur à Tomaſino, emptas (12) ſcilicet Gymnaſio ſedes novas anno

(6) Catal. Præt. ibid. p. 169.
(7) Faſt. Duc. à p. 182. ex Sanſ. Sabell. Juſtin. & aliis. Leo Mat. ibid. in Auguſtino.
(8) 15. Mart. 1487 ex lib. Triumvirali p. 61.
(9) 29. Apr. 1489. in Rog. lib. 1. Decr. p. 509. ter.
(10) 16. Aug. 1490. ibid. p. 512.
(11) 6. Mart. 1491. ibid. p. 513.
(12) lib. 1. Gym. c. 9. a p. 27.

MCDXCIII., nec tamen apertas in illis fuiſſe Scholas ante annum MDI., qui fuit Auguſtino poſtremus vitæ, ad annum ſecundum & octogeſimum ætatis, Principatûs decimum quintum productæ.

III. LEONARDUS LAURETANO Alumnus Gymnaſii, quam in eo didicerat, cum Sapientia Prudentiam ad regimen poſtea contulit Patavinæ Urbis, ejus Prætor (1) Anno MCDLXXXVII., undè regreſſus in Patriam, poſt quintum, nempè 1492. Procurator D. Marci dictus anno MDI. Auguſtino Barbadico ſuffectus eſt, Dux Venetus LXXV. Pace cum (2) Bajazethe Turcarum Imper. inita, omnium propè Principum Europæ in Rempublicam Venetam conſpirantium arma, & adverſæ fortunæ impetûs conſtanter tulit, prudenter toleravit, vicit feliciter, & penè non internecinum Cameracenſe Bellum mira viciſſitudine Patriæ ſoſpitale fecit. Amiſſum infelicibus præliis in Continente Venetorum Imperium fortunatiſſimo belli exitu redit ad obſequia, & quidem auctum; factoque ipſo probatum eſt, charitate Civium, conſiliis Patrum ſubnixas Reſpublicas per damna per cædes ab ipſo ducere opes, animumque ferro. Quæ Lauretani Ducis Prudentia Patriæ contulit difficillimis temporibus commoda, contulit etiam Gymnaſio, quod bello illo concuſſum, disjectum, & intermiſſum ad priſtina officia revocavit, recuperato Patavio; utque ſignificaret, confecto bello, ac rebus glorioſè compoſitis, in id maximè à Belli Ducibus incumbendum, ut ante omnia bonarum Artium cultus felicitatem publicam auſpicetur, Alviano celeberrimo imperatori poteſtatem (3) fecit eligendorum ad Exedras Magiſtrorum; quo munere ille functus egregiè, Sydus Gymnaſii fulgentiſſimum M. Mantuam novis honoribus auxit, ut alibi dicemus. Lauretano quoque Duci debet Gymnaſium Sedium ſuarum initium. Illuſtriſſimus Abbas Daniel Gradonico Canonicus Patavinus numiſma nobis aureum videndum obtulit, effigiem Lauretani ac titulos præferens, cujus in parte poſtica hæc erat Inſcriptio: BONARUM ARTIUM HOSPITIUM ANNO MDXIX. Is tanti Principis emortualis fuit, Principatus XIX. ætatis LXXXIII.

(1) Catal. Præt. ubi. p. 569.

(2) Faſti Duc. à p. 187. And. Nauger. Orat. Funeb. Leo Matin. Elog. in Leonardo Lauret.

(3) Tomaſ. Gymn. lib. 4. p. 403.

IV. ANTONIUS GRIMANUS. Primus Diadematis Veneti decus intulit in Familiam, ad Principatum evectus mira fortunæ viciſſitudine, rerumque geſtarum varietate, qua tandem patuit, nihil non ſuperabile virtuti, cui ſervire vel invita fortuna ſolet. Adoleſcens (4) Nauticam exercuit, ejuſque ductu Orientis oras pervagatus Aſiam, Ægyptum, Africam impubes luſtravit. Reverſus in Patriam, ac ſumpta virili toga, Magiſtratus omnes tanto omnium percurrit cum plauſu, ut maximis perſunctus majora meritus videretur. Vir acris conſilii, & prudentiæ perſpicaciſſimæ, utroque Reipub. profuit; atque initâ cum Aragonio ſocietate, ſimul & hunc pluribus in Apulia apud Salentinos oppidis multavit, & Gallorum res fregit inſultantium Italiæ. Hinc ſibi quidem D. Marci Procuratoriam, ſactam Apoſtolici Senatus purpuram paravit Dominico Filio. Utraque feliciſſimus videri poterat, ſi non inde fortunę invidiam provocaſſet. Hac adverſante in Bello adversùs Bajazethem Turcarum Imperatorem Venetę Claſſis imperator victus ad Sporadas, Naupacto amiſſa, alienorum criminum, & ſuę infelicitatis reus, catena onuſtus, quam piis manibus Cardinalis filius, ne officeret gradienti, levabat, cauſam in ſupremis Reipublicę Comitiis dixit, eâque excidit; ac damnatus abrogata dignitate in Abſyrtides Inſulas deportatus eſt. Inde, Bello Cameracenſi, clam Romam fugiens ad Filium, Patrię ad extremum diſcrimen adductę, cui poterat iraſci, opem conſilio tulit; auctorque Julio II. fuit, ut, abjurato Cameracenſi fœdere, ſoſpitatem Venetis, libertatem Italię ſanciret. Hoc merito, quo ſalus publica ſtetit, revocatus in Patriam, quam amiſerat, Purpuram honorificentiſſimo Senatûs Conſulto recuperavit, ac legationibus graviſſimis ſplendidiſſimè functus, Arcanorum Publicę Sapientię Moderator, & arbiter fuit Lauretano Duce ſuperſtite, cui mortuo ſuffectus eſt Dux LXXVI. Anno MDXXI. Nonis Martii. Imperavit non integro planè biennio, quo & Ærarium Gymnaſii bello peſſundatum reſtituit, & aucto cenſu ditavit, ac decretum Senatus de reſtituendo ad priſtinam dignitatem Gymnaſio effectum dedit, evocatis ad Exedras Viris doctiſſimis, de quibus dicemus inferiùs. Obiit Anno ętatis octogeſimo octavo, Chriſti MDXXIII. Non. Maii.

(4) Faſti Duc. à p. 194. ex P. Marcello. A Mauroce no P. Juſtin. & Script. Venet. Leo Matin. in Ant. Grimano.

V. ANDREAS GRITTI. Patre doctiſſimo (5) genitus, in Caſtris autem natus, pari ad arma & literas propenſione, tum incolumitati Reipub., tum utilitati Gymnaſii contuliſſe ingenium ad utrunque habile viſus eſt. Vix poſito Patavii Studiorum Tyrocinio, cum ſatis in Scientiis profeciſſet, Byzantium à Patre miſſus mercaturam fecit, eidemque præfuit; carus autem Barbaris ex oris venuſtate, & corporis, ac membrorum amplitudine, indeque admiſſus ad eorundem arcana, Patriæ periculis obſtitit, quam Bajazethes ſimulatione malignâ perditum ibat. Hinc Turcis ſuſpectus, & quæſitus ad vin-

(5) Faſti Duc. à p. 198. Leo Mat. Elog. in And. Gritti, Bernard. Navag. orat. Funeb. Script. Ven.

ad vincula, fugâ ſibi conſuluit, ac redux in Patriam urbanos Magiſtratus feliciter iniit, ſanctè geſſit. Legatus deinde ad Bajazethem ipſum Reipub. nomine pacem firmavit, pretio redemptam Inſulæ Leucadis; mox Orator ad Julium II. Controverſias de finibus amicè compoſuit. Prætorio munere Urbibus aliquot pręfuit, ſed Patavio magnificè (1), unde ad militiam vocatus arma tractavit feliciter primùm in Rhętia, repulſis, compreſſiſque Cęſaris Maximiliani cohortibus: ſed mox, accepto Procuratorio D. Marci laticlavo, Legatus dictus in bello Cameracenſi, hoc geſſit infeliciter quidem, ſed prudenter, ac fortiter. Nam ex fuga incluſus Tarviſii eò coactis reliquiis militum devictorum urbem ſervavit, hoſtium vires attrivit, cunctandoque reſtituit rem. Poſt hęc aſtu fortiſſimo in fidem recepto Patavio, Venetę Majeſtati viam aperuit ad priſtinum, quod in Continente dudum totum amiſerat, Imperium recuperandum. Armatus Brixiam uſque pervenit, eâque receptâ, mox amiſſâ, victus abductus in Galliam eſt felici ſanè infortunio; quippe ibi, ſancito cum Gallis fędere, ſibi libertatem, priſcum Patrię decus aſſeruit. Quamvis enim iterum ab Hiſpanis non ſuâ culpâ victus vix mortem evaſerit, funibus intra Vicentiæ mœnia receptus, inde tamen egreſſus & Victores fudit, & recuperatâ Veronâ, quidquid ex totius Europę conjuratione fortuna Venetis eripuerat, ſua Virtute integrum, ac deinceps eternâ firmitate ſtaturum reſtituit, merito poſt Lauretani Principis obitum ad Pręfecturam Imperii, quod ſervaverat, reparaveratve, Patricia ſuffragatione provectus Anno MDXXIII. Dux LXXVII. In ea ſumma dignitate poſtquam abſens conſilio & opibus periclitanti ex inſidiis Turcarum Corcyrę proſpexit, ad Sapientię Sedem Patavii ordinandam, ornandamque magnanimam ſenectutem convertit. Eo auctore fundamenta per Lauretanum Gymnaſio poni cœpta creverunt ad ſoli ſuperficiem: Arca bellorum anfractibus inops ſuę copię reſtituta, & aucta: Exedrę ordinarię Pręlectionis juri Senatus unius (2) aſſertę, quibuſdam minoribus juri Diſcipulorum relictis: Statuta Univerſitatum ad nitorem priſtinum revocata, ac reſcriptis publicis conſtituta: Hortus (3) Botanicus decretus, & inchoatus: quo magnifici atque utiliſſimi Operis initio ęquè Reipublicę ac Gymnaſio memorabilis Dux, mortalitatem exuit anno octogeſimo quarto ętatis, Chriſti MDXXXVIII., Sereniſſimi Magiſtratûs XV.

[1] Catal. Præt. apud Salom. Inſcript. Pat. p. 569.

[2] Tomaſ. Gym. lib. 4. p. 403.

[3] 20. Febr. 1533. in Rog. Decr. lib. 1. p. 602.

VI. PETRUS LANDO Venetorum Dux LXXVIII. pręfuit Prętor Patavio Anno (4) MDXIX. & MDXXXIII., debetque illi Gymnaſium in prętura prima reſtaurationem ſuam, ſplendorem ac decus in ſecunda. Hoc præcone Senatus, ferali bello confecto, feliciter otium Scholarum excuſſit, docendique provinciam ex priſco more ordinavit: eodem auctore Clariſſimos Juriſconſultos ac Medicinę & humanioris literaturę peritiſſimos Viros ad publicum pręlectionum munus ingenti ſtipendiorum pretio conduxit. A Pretura miſſus (5) ad Claſſis imperium, Thraces fregit, ſubegit Apulos, Parthenopen cinxit obſidione. Bellicoſus ſenex ad ſolium provectus pacem amavit, & obtinuit, quam tamen non inermem voluit, ſive muniendi erant urbis Venetę maritimi aditus, ſive plectendi latrones Uſcochi, expectoratę feritatis gens, & rapto vivere aſſueta, quam Lando regnante primùm virtus Veneta captorum ſupplicio territam compeſcuit. Vixit Reipublicę Princeps annos circiter ſex, obiit VI Idus Novembr. anno ętatis octogeſimo tertio, Ærę communis MDXLV.

[4] Catal. Præt. ibid. p. 569. 570.

[5] Faſti Duc. à p. 202. Michael Baroc. Orat. funeb. Script. Venet. Leo Mat. Elog. in P. Lando.

VII. ERANCISCUS DONATO Primus ex nobiliſſima Gente Princeps, egregię indolis juventutem excoluit ſtudiis Philoſophię ac Juriſprudentię (6) Patavii, cujus & rem militarem, & Ærarium procuravit Pręfectus Anno MDXXIII. qua in dignitate Gymnaſium, cujus fuerat alumnus, mira charitate complexus eſt. Nam & majora (7) Scholarum Conclavia ipſe exędificanda curavit, & Arcam Studiis mancipatam, adjectis ex Senatuſconſulto Vectigalibus, ultra Buccaticum auxit; nec ante à Magiſtratu diſceſſit, quàm publicè profiteretur, ſe bono publico Matris ſuę (hoc enim nomine Vir doctiſſimus Gymnaſium appellabat) victurum. Pręſtitit, quod ſpoponderat Collegio Sapientum adſcriptus Senator, Eques & D. Marci Procurator, ac pręcipuis Magiſtratibus domì, foris magnificentiſſimis Legationibus functus: tantus ubique ęſtimator Patavini Lycei, ut hoc diceret Armamentarium Reipublicę, ęquitatis ac prudentię jura colentis in pace. Hanc Dux (8) LXXIX. Anno MDXLV. per annos circiter octo, quibus imperavit, Patrię integram, ac plenam, nec tamen otioſam, aut inertem dedit: quamvis circumſtreperent undique bella, quorum incendio conflagrabat hoc Principe, ac peribat Europa, in mutuam perniciem armata furore hęreſum impiarum, quarum ne peſte Veneta religio afflaretur, cavit latis prudentiſſimis legibus, quę neque juri Eccleſię quidpiam detraheret, & intacto jure Principis, ſecuritati publicę pietatis proſpicerent. Obiit octogeſimo tertio ætatis Anno, Chriſti MDLV.

[6] Catal. Præt. ibid. p. 570.

[7] Salom. Inſcript. Pat. Gym. ex Pignor.

[8] Faſt. Duc. ex Script. Ven. à p. 204. Joan. Donato Orat. Funebr.

VIII.

VIII. M. Antonius TREVISANO ex Porcellino (1) ſtuduit Patavii, atque hic ab Anno MCDLXXXVII., quo Nicolaus Pater ejus Patavinus Præfectus fuit, adoleſcentiam ſanctiſſimè traduxit, integer vitæ ſceleriſque purus, tantique apud condiſcipulos pudoris atque modeſtiæ habitus, ut de eo illa ipſa referantur, quæ de Bernardino Senenſi certior narrat hiſtoria. Perſunctus in Patria, eâdem integritatis conſtantiâ, honoribus omnibus fertur (2), poſt receptam Purpuram D. Marci, auctor Senatui fuiſſe, ut, qui legibus Univerſitatum Patavinarum præſcriptus jampridem apud diſcipulos diſſueverat uſus, promiſſioris habitus ad modeſtiam gerendi nova lege juberetur. Noverat ſcilicet alumnus Gymnaſii noſtri Senator ampliſſimus, quanto olim damno ſit diſcentium luxus, quanto ſemper compendio vitæ modeſtia; & divinitùs (3) juſſus parare hoſpitium decumbenti ſub dio Ignatio Loyolæ, Fundatori Sanctiſſimo Societatis Jeſu, jam tum præludebat caſtiſſimis moribus, quibus Juventutem ad Sapientiam & Virtutem educant ejuſdem Societatis Collegia, aliaque poſt Synodum Tridentinam à religioſiſſimis Antiſtitibus erecta, extra quæ inanis ac prorſus inutilis eſt adoleſcentiæ nobilis apud Pædogogos inſtitutio. Provectus ad Principatum, honorem in Patria ſummum recepit invitus, Anno MDLIII. Dux Venetus LXXX. nec niſi neceſſitate parendi coactus Solium conſcendit, quod virtutum omnium ornamentis, pietatis præſertim, ac religionis illuſtravit. In eo vix anno integro ſedit, ac prope octogenarius Anno MDLIV. vitam inter preces, & aſſiduas corporis afflictationes exactam, Sacerdote litante, in adſtantium Senatorum ſinu, ad aram Chriſti patientis poſuit, arâ ipſe quoque, poſt Servatorem Chriſtum, ac templo dignus, ni præſtaret Divorum honores mereri potiùs, quàm conſequi.

IX. FRANCISCUS VENERIUS, Sereniſſimæ jampridem ex Antonio Duce ſexageſimo primo Familiæ Principatum iterum conciliavit annno MDLIV. Dux LXXXI. Prætor Anno MDXXXVII. rem (4) Patavinam, atque Gymnaſticam adminiſtraverat, ornaverat, auxerat. Perrexitque deinde utilitati Gymnaſii conſulens per M. Antonium Fratrem, qui Triumvir Gymnaſio præpoſitus ad ejus felicitatem admodum contulit Anno MDXLIX., quo Doctor ipſe cum Collegis Doctoribus Sebaſtiano Foſcateno, & Nicolao de Ponte eo munere functus eſt tertiò. Solium (5) Franciſcus, quod ſine prænſatione, ſine ambitu, juſtitiæ dumtaxat merito, & commendatione Virtutis obtinuit, biennio tenuit, æquè pacis, ac munificentiæ ſtudioſus, quorum alteram medius inter bellantes, Reipub. ſalvam voluit, nulloque affectam Jurium Venetorum damno, alteram regia hoſpitalitate conſpicuam, exceptâ Bonâ Reginâ Sarmatiæ, poſteris memorabilem fecit. Vixit Annos ſex & ſexaginta, deceſſit IV. Nonas Junii MDLVI.

X. LAURENTIUS PRIOLO Senator inſigni ſapientia & eloquentia, quam Alumnus Patavini Gymnaſii uſque ad delicias paraverat, præceptore Mateo (6) Muſuro. Poſt obitas legationes (7) ſummas, equeſtribus ornamentis auctus Patavium redit Præfectus Urbi ac Militiæ, & Ærarii præpoſitus Anno MDXLI. (8) quo pars altera Gymnaſii, quę ad meridiem vergit, tabulato cum ſcalis adjecto ſtetit. Eo curante Andreas Turinus celeberrimus Medicus accitus ad exedram, hanc iterum illuſtravit, donec Laurentius Prefectura Patavina perfunctus Moderatorum Gymnaſii Collega fuit, An. 1543. 1548. 1551. Ex eodem Ordine Collegio Conſiliariorum adſcriptus, Marcianis Procuratoribus ambientibus Principatum, raro exemplo, ad Solium evectus eſt, Anno MDLVI. Dux LXXXII. Impetavit ferè triennio, tribuſque cum hoſtibus congreſſus Peſte, Fame, & Bello, hoc induciis, induſtriâ peſtem, famem lege Agraria de movendis Novalibus lata compoſuit; piuſque, fortis, ac prudens, & magnificè meritus de Gymnaſio noſtro, annorum autem novem & ſeptuaginta ſenex occubuit MDLIX.

XI. HIERONYMUS PRIOLO Laurentii frater ex Ordine Proc. D. Marci eodem anno fratri (9) ſuffectus eſt Dux LXXXIII. fraternę virtutis æmulus annos Principatus octo, quos impetando, non admodum prętergreſſus eſt, Juſtitię, Prudentię, Religioni, ac legum obſequio conſecravit. Pacem unicè coluit, eamque, medius inter bellantes, Exteris commendavit. Quà ſeverus, quà mitis, Princeps nimirùm & Pater, quieti ac ſoſpitati ſubjectorum conſuluit, ac prę̈ſertim Gymnaſii, in quo turbarum atque tumultuum, quos ambitus ac fordes in Profeſſoribus eligendis exciverant, averruncum ſe dixit lege lata (10), quâ facultas illa prorſus adempta eſt ſtudioſę Juventuti, ſimul indicta modeſtia ob idipſum inſolenti furori, qui planè compreſſus eſt ea publicæ auctoritatis moderatione, quę hortatu, & conſilio ſedaret animos, benignitate, & clementia pœnam remitteret. Nec aliter actum cum Germanis frementibus ob juſſum à Supremo Sacrorum Antiſtite Pio IV. jusjurandum in verba omnes articulos Fidei profitentia, prę̈ſtandumque in anteceſſum ab iis, quorum cingenda erant tempora lauru in Collegiis Antiſtiti Patavino ſubjectis. Nam fremitus illi compreſſi, ac petitiones circa plenum

peri-

(1) Not. ad Marnc. Coll. Juriſconſultor.

(2) Idem porcell. ibid. Salom. Inſcript. Gymnaſ. ex Pignor.

(3) Faſti Duc. à p. 206. Orat. in Funer. Bernard. Laurent. Script. Venet.

(4) Catal. Præt. d. p. 170.

(5) Faſti Duc. à p. 208. ex And. Mauroc. & aliis Script. Venetis.

(6) Pignor. Ep. ad Domin. Molin. de ſtud. ling. Græc. apud Salom. in ſcript. Gymnaſ.

(7) Faſti Duc. à p. 210 Leo Matin in Laurent. Priolo Leonard. Juſtin. Orat. Funebr.

(8) Catal. Præt. ibid. d. p. 170.

(9) Faſti Duc. à p. 212 ex Andr. Mauroc. & aliis Script. Vener. Leo Matin. in Hierony. Priolo.

(10) 156. 14 Martii in Rog. Decr. lib. 1. p. 62.

periculoſę alеę negotium opportunis dilationibus ita ſubactę ſunt, ut locum fecerint auguſto, nec niſi longa meditatione concipiendo conſilio, quo Collegium Gymnaſticum reſtauratum in adoptionem Veneti nominis venit. Hęc Hieronymi Prioli erga pacem tuendam, parandamve, foris, ac domi ſtudia fuere, nec minus erga religionem obſequium, quo maximè comprobatum eſt, quanta ſit Reipublicę Venetę, quàm expedita, quàm efficax Pietas. Nutabant Reges, & pendebat ubique Tridentinę Synodi promulgatio; cum, Duce Hieronymo Priolo, primus Regum omnium Senatus Venetus pariturum ſe, Deo auſpice, Sanctionibus editis profeſſus, eas in vulgus efferendas edixit, ſubjectorumque ſuorum debitum illis obſequium, ac reverentiam conciliavit. Hoc Senatuſconſulto Principatum ſuum Hieronymus coronaſſe dicitur, mortuus Anno MDLXVII. Prid. Nonas Novembr.

XII. PETRUS LAURETANO, alter ex hac Familia pręclariſſima Princeps, Dux Venetus LXXXIV. neque expectatam (1), neque quęſitam dignitatem accepit Senex annorum octoginta ſex, dum privatus domum redit à Scriba revocatus ad Solium. Imperavit biennio infeliciſſimis temporibus ex inuſitata annonę penuria, ex incendio Navalis publici, ex imminente bello adversùs Cyprum à Selymo Turcarum Imperatore. Et prioribus quidem malis proſpexit optimus Princeps ęquè, ac Juris obſervantiſſimus, frequens in Curia, in Comitiis, in Senatu: tertium pręvertit pacata morte, quàm Gymnaſio memorabilem fecit, cùm proximus morti ſancitam à Senatu legem, qua pecunia mutuò accepta ex Ærario Gymnaſtico reſtitui jubebatur (2), quamvis à deceſſore ad ſeptimum annum dilatam, implevit (3), eaque redhibitione in tantum opes Scholaſticas auxit, ut & Stipendiis ampliſſimis exhibendis ſufficeret, & abſolvendo Sapientię ad Bovem domicilio ſuperfuerit. Obiit octogeſimo ſexto ętatis anno, Chriſti MDLXX.

[1] Faſti Duc. à p. 215 Leo Matin. in P. Lauret. Ant. Stella Orat. Funebr.

[2] 21. Jun. 1561. in lib. Triumvir. p. 131.

(3) 29. April. 1569. in Rog. Decret. lib. 1. p. 604.

CAPUT V.

Duces Veneti Gymnaſio Præfecti ad Annum MDCV.

I. ALOYSIUS MOCENICO Principatum in Sereniſſimam Familiam intulit tertiò, cum antea præfuiſſet Prætor (4) Patavio Anno MDLX., quo tempore promulgatâ Senatûs lege ſtudioſam Juventutem à negotiatione turpiſſima & plena diſſidiorum prohibuit, ab indecora verò, ac ſordida ſervitute nobiliſſimas Exedras liberavit; mox ob idipſum tumultuantes diſcipulos citra vim, ac pœnam prudenter coercuit. Nolariæ quoque Turri ædificandæ fecit initium. Comitate ac benignitate ſingulari Profeſſores Publicos complexus dicitur (5), quorum aliquos comites & contubernales & optavit & obtinuit, annuente Senatu, in legationibus plurimis, quibus ex voto (6) Reipublicæ functus magnificè, & utiliter ad Regem Turcarum Selymum, Adrianum VI. Pont. Max. & Carolum V. Cæſarem Equeſtres titulos & Procuratoriam D. Marci purpuram promeruit Anno MDLXV. ex eaque aſcendit ad Solium quinquennio poſt, Lauretano ſuffectus Dux LXXXV. nec diu moratus à dignitate recepta claſſicum cecinit, Chriſtianos Principes evocans ad Fidei tutelam in Cypro periclitantem. His cunctantibus, & ex cunctatione illa Cypro amiſsâ, cum Europę victor Solymanus inhiaret, & ad veros timores adigeret Italię proximę Dominos, Mocenico per Legatos agente, navale fœdus ictum, eodem in Comitiis declamante, pecunia ad belli ſumptus ex collatione Civium, mutui contractu, atque honorum venditione coacta, itumque adverſus Turcarum Claſſem ducentis ac viginti triremibus roſtratis, quinqueremibus maximis ſex, navibus quinque ac viginti, liburnicis, ac celocibus plurimis; quarum invicta fortitudine illa ad Echinadas inſignis victoria relata eſt, quâ quatuor horarum, nec ampliore ſpatio, die Juſtinæ V. & M. ſacro, triginta Thracum millia cęſa, quatuor circiter Chriſtianorum in libertatem aſſerta, capta navigia centum, & nonaginta, octoginta combuſta, præda ingens, & ex hac manubiæ poſteris memorabiles factæ; atque is terror injectus barbaris, qui poſſet ab illis extorquere vi dudum ablata, ni (qui ſolet exitus eſſe fœderum Chriſtianorum) diſcordia, & publicæ libertatis incuria ſpes ex tanta victoria conceptas excuſſiſſet. Ex tanto ergo naufragio tutò ſtetit in littore Byzantinus Tyrannus, cui etiam licuit pacem cum Venetis licitari, quâ, ut neceſſitas compulit, conſtitutâ æger animi Mocenicus non tamen à nativâ Munificentiæ indole deſcivit. Hanc potiùs ad Majeſtatem, decus, & gloriam Reipublicæ, cui præerat, explicandam volens libens adduxit. Extant monumenta ejus admiranda, dicendaque poſteris in reſtauratione Curiæ, quam ignis immenſa conflagratione conſumpſerat: in hoſpitio regio ſumptu parato, exhibitoque Galliarum Regi Henrico III., quem è Regno Sarmatico ad Gallicum redeuntem excepit ſplen-

[4] Catal. Præt. apud. Salom. Inſcrip. Pat. p. 570.

[5] Pignor ep. ad Domin. Molin. apud Salom. Inſcript. Gymnaſ.

[6] Faſti Duc. à p. 218. Orat. Fun. Laur. Maſſa Leo Matin. in Aloyſ. Mocenico.

ſplendidè tractavit, curavitque magnificè, ac diſcedentem ad quadrageſimum ab urbe ſtadium deduxit perhonorificè. Quid? cùm graſſanti Venetiis peſti ſæviſſimæ pius, liberalis, & ad omnem pacando malo implorandam à Superis opem intentus, curas omnes, & Imperii majeſtatem convertit, devotumque Redemptori Chriſto Templum abſolverdum à poſteris & ſucceſſoribus poſuit primus, atque eo pretioſæ religionis officio iratum Numen placavit; ut urbe ſervatâ, Gymnaſio quoque conſuleret. Hoc penè non conticuerat, defeceratve dilapſis diſcipulis ex formidine Peſtilentiæ, quæ Anno MDLXXVI. Patavium quoque afflixit graviſſimè, ac Profeſſoribus ægrotantibus, horrendo prope juſtitio tenebatur. Juſſit illud cum Senatu Princeps & vivere, & loqui; ac propoſitis amplioribus præmiis, Primarios Profeſsores aliquos, quibus Peſtilentia pepercerat, evocavit ad Exedras, reliquis otium ac ſeceſsum permiſit, quibus æquè ac docentibus integrè ſtipendium erogatum, ſolutumque ſtatis temporibus, tantâ conſtantiâ, ut Patavii propè intermortua Civitate, unum Gymnaſium vivere videretur anno MDLXXVI. MDLXXVII., quo æquè proſperis atque adverſis rebus clarus Princeps occubuit.

II. SEBASTIANUS VENERIO Familiæ Sereniſſimæ III. Venetæ Reipub. Dux LXXXVI. in breviſſimo menſium novem, & quidem non integrorum, Principatu nihil Gymnaſio contulit, cui tamen admodum gloriæ conciliavit, eùm ſe ſuaque illi ſe debere profeſsus eſt. In quadam Epiſtola, quam in Miſcellaneis ex Pignorio habet Sanſonus (1), dataque Venetiis eſt Kal. Septembr. Anni MDLXXVII. Franciſcus Piccolomineus Melchiori Guillandino, ſcribit ſibi gratulanti, quòd ingentibus meritis dignum tribuiſset Reſpublica præmium, reſpondiſse publicè Venerium Principem, ſe hoc ipſum, ſuaque omnia accepta referre Gymnaſio Patavino, undè doctrinam retuliſset, & ex doctrina fortunæ conjunctam induſtriam. Reipſa Venerius adoleſcens literis (2), humanioribus ſtudiis, ac Juriſprudentiæ in Gymnaſio noſtro non brevem navavit operam, indeque regreſsus in patriam diù vitam egit (3) pro roſtris Actor cauſarum, reis ac litigantibus in foro patrocinium præſtitit: conſenuiſsetque in toga pacatæ militiæ Veteranus, ni eum patriæ periculum ad ſagi, armorumque gloriam evocaſset. Miſsus Corcyram Legatus, ut Inſulanos & Claſſiarios ad bellum, quocum Cyprus dudum conflictabatur, accenderet, non eſt paſsus milites otiari, ſed in Epirum eductis copiis Cæſtriam munitiſſimum Theſprotiæ ad fines Chaoniæ urbem obſedit, expugnavitque, ac Patriæ Provinciam ſubdidit; mox circumlatis effusè, ac pugnaciter exercitibus vicinam Macedoniam exterruit, meruitque his geſtis abſens D. Marci Procurator dici Venetiis, ac Legatus Archithalaſso Venetorum Zanio ad Cyprium bellum publica ſuffragatione decerni. Eò ſe ille ſtatim cum claſse convertit, tuliſsetque opportunas ſuppetias Inſulæ pereunti, ni Fœderatorum ſocordia, quamvis Venerius inſtaret, urgeretque, inſeliciter obſtitiſset. Ergo Cypro in poteſtatem à Turcis redactâ, ac rebus trepidis, evocato Venetias ad quæſtionem Zanio, imperator dicitur; eoque Duce prælium celeberrimum inter Oſtia Acheloi, & Promontorium Anaxum ad Echinadas initum Claſsem Turcicam, ducentis triginta triremibus, ſexaginta biremibus ſinûs Corinthiaci oras occupanrem profligavit: nec dubium, quin ea victoria virtuti Venerii tributa ſit; unde livor fœderatorum, & ex aliis cauſis prætextus, & occaſio rixarum, quas ut averteret Senatus, dato Succeſſore, Venerio Adriatici Maris delegavit imperium. Ex hoc poſt biennium revocatus in Patriam, eo receptus eſt modo, quo olim Roma trabeatos Conſules ac Dictatores de victis hoſtibus triumphantes. Vixit poſt hæc privatus, donec mortuo Principi Mocenico ſuffectus, plena ſuffragatione Patrum communique Populorum plaudentium judicio, quaſi manu publica ductus ad Solium eſt, quod quamvis breviſſimi temporis, adverſis æquè ac proſperis claruit. Nam hoc imperante præcipua Regiarum ædium conclavia conflagrarunt; attamen ſumptuoſiore magnificentia reſtaurata ſunt. Abſoluta Redemptoris Baſilica, nec dum ſolemni ritu dicata luem graſſantem compeſcuit, diſpulitque: Creati Cenſores ad coercendos legationum ſumptus: dati Ædiles Urbi, qui Annonam curarent; reſtituta Curia, & ornata magnificè, atque hæc intra brevem octo circiter menſium periodum cœpta, perfectaque, poſt quam V. Nonas Martii An. MDLXXVIII. victurus æternùm gloriæ Princeps naturæ conceſſit.

III. NICOLAUS DE PONTE quàcunque ſpectetur Patavini Gymnaſii eſt & Filius, & Patronus, & Præſes, & Moderator, & Princeps. Bonis artibus (4), ac præſertim Philoſophiæ, Eloquentiæ, ac Juri utrique diuturnam in eo navavit operam, abſolvitque, ac laureâ emeritæ Sapientiæ receptâ redux in Patriam Doctor (5), Philoſophos ibi ex Senatuſconſulto docuit; quo ex munere ad honores gerendos adſumptus exemplo probavit, Sapientiæ nihil intereſſe, ſive doceat, ſive imperet. Forum igitur Julii dictatorio Magiſtratu gubernavit egregiè, inde ad ſummos Principes legatus

(1) In Diario Coll. Juriſconſultor. p. 29.

(2) Laurent. Maſſa in Orat. Funebr.

(3) Faſt. Duc. à p. 226.

(4) Diar. Sanſ. ad An. 1530.

(5) Faſti Duc. à p. 231. ex Script. Ven. & aliis.

tus pluries, Reipublicæ admodum profuit, traductuſque à legationibus ad ſubjectarum Urbium præfecturas, Patavinam (1) poſtremam adminiſtravit Anno MDLVIII., atque in illa pari Civitatis ac Gymnaſii decus charitate complexus, hoc quidem interioribus ambulacris, ac periſtyliis ornatuque magnificè addito auxit, ac cenſu ditavit ampliore, illam adſtructis (2) foro Nobilium ſumptuoſis Ædibus, erectoque ad ſubſidium annonæ, miſerè per ea tempora laborantis, pecuniæ depoſito (Montem Charitatis appellant) tanto tam præſenti opportuni muneris beneficio ita Civium animos ad amorem, & admirationem ſuæ virtutis pellexit, ut pari gratæ concertationis officio, tum à Gymnaſio facundiſſima Speronii oratione publicè fuerit laudatus, tum à Civitate, Optimatum decreto, inter populares plebejoſque plauſus donatus ſit aureo vexillo, quo per inſcriptam epigraphen publica perpetuò Charitas ſpondebatur Fundatori perpetuo Charitatis. Rediit poſt hæc ad ſolita Legationum officia, quemque jam pridem, Venetorum primus, à Paulo III. Ordinem Equitum acceperat, Senatorium fecit, ac recentioribus meritorum titulis auxit, cùm ad Tridentinam Synodum miſſus Bavariæ Legatis anteire Venetos poſtulantibus efficaciter obſtitit; ſimul Patres admonuit, ne quid in explicando Matrimonii Sacramento adversùs caſtos Græcorum mores ſancirent; atque ita ſe geſſit in omnibus, ut & Juri Veneto proſpexerit, & Venetæ Pietatis obſequium ſacerrimo Cœtui, ejuſque decretis conciliarit. Hinc Marcius Procurator æquè Patriæ gratus, atque Pontifici Gregorio XIII., hujus quidem ſubirati ob conceſſas conſtitutaſque cum Turcis inducias pacavit animum, legatus extra Ordinem, at à Patria ſupremum virtutis præmium Principatum, fruſtra prænſantibus multis, obtinuit, Dux LXXXVII. XIV. Kal. Aprilis An. MDLXXVIII. Gratulatum eſt illi Gymnaſium honorem eximium, miſſo Ant. Riccobono, ex quo pleraque horum, quæ adnotavimus, damus, plurima omittimus, quæ ſatis probant, Principem Pontium in fortuna privatâ Patavini Gymnaſii decus fuiſſe, ſive conjunctam Sapientiæ facundiam ſpectes, qua creberrimè, ac ingenioſiſſimè diſputavit, & oravit eloquentiſſimè, ſive laudes armata dexteritate conſilia, quibus rem publicam optimè, domeſticam utiliter adeo, ſanctèque adminiſtravit, ut maximas divitias ſimul & maximos honores, incredibili ſemper integritate, & æquitate perfunctus, comparaverit. Magnificus quoque in Principatu, & è Solio Princeps graviſſimus utrique virtuti ſuffecit, legibus prudentiſſimè latis adversùs ambitum, & ſumptuoſam vivendi licentiam, ædificiis extructis, vel ſplendorem publicum augentibus, vel profeſſis privatam religionem, vel publicam liberalitatem teſtantibus, quam in primis in uſum educatoris (3) ſui Gymnaſii noſtri contulit, cùm, petente Bartholomæo Silvatico Canonum Profeſſore Primario, antiquum Privilegium, ſed perpetuis Publicanorum inſidiis attritum, everſumque, planè conſtituit, ac Profeſſores & eorum familias ab omnium vectigalium ſolutione immunes voluit, dato publico mandato, ut Publicani Privilegium hujuſmodi effectum darent, idipſumque in ipſa Vectigalium locatione reciperent. Sedit in Solio ultra annos octo, deceſſitque perſenex anno ætatis XCIV., Salutis MDLXXXV.

IV. PASCHALIS CICONIA, Dux Venetus LXXXVIII. ditiſſima natus in domo majorem pueritia ætatem (4) egit Patavii, undè præter honeſtatem vitæ, morumque modeſtiam, & juſtitiæ, ac religionis amorem retulit nihil. Sacrum Cruciferorum Ordinem (5) profiteri cogitavit adoleſcens in Patria, ſed à Parentibus coactus rempublicam gerere, ſine pietatis diſpendio, quà ducebatur, eundum exiſtimavit. Triremi præpoſitus Piratarum biremes ad Monopolim expugnavit, Quæſturam Utinenſem prçclariſſimè geſſit: Arci Corcyreę pręfectus fertur Sacratiſſimam Euchariſtiam ex ara, atque ex ipſis Sacerdotis manibus evolantem ſuis ipſe manibus excepiſſe: mox Rhethymnę Prçſes infeſtos piratarum in eam irruentium impetus non ſemel repreſſit, ac fregit. Datus deinde Prætor ac Prçfectus Tarviſio admirabilem in juventute prudentiam ità incredibili propè juſtitia temperavit, ut ex utraque grande aliquid, & maximis adminiſtrandis idoneum Nobilitas Veneta de illo conceperit. Hinc Dux Cretenſi Colonię dictus, cùm eam plurimis, maximiſque periculis exemiſſet, toti Inſulę ſummo cum imperio prçfuit decennio, quo tam ſedulus, tam operoſus, ac indefeſſus Provinciam procuravit, ut & illam poſuerit extra ſpem ac vota ſuperbię Turcicę, poſt Cyprum ſubactam, Chriſtianis ditionibus inſultantis; & in illâ Matrem urbium Cydonem, ex fame, ac militari ſeditione penè non pereuntem, à prçſenti periculo liberaverit: ſtatua Equeſtri propterea in foro Cydonio poſita donatus. Poſt hęc rem Patavinam adminiſtravit, anno (6) MDLXXVI., iis nimirum virtutibus inſtructus, quas ſolas ibi & in ejus Gymnaſio didicerat. Si credendum Ænec Piccolomineo (7) Franciſci nepoti, quo perorante coram Senatu Paſchalis Ciconię Principis funus habitum eſt, is peſtilentiâ Patavium

(1) Calal. Præt. ibid. p. 570.

(2) Jo. Carolus Scaramella Orat. Funeb.

(3) Riccob. Orat. Gratulat.

(4) Mar. Trivisan. Orat. Gratulat

(5) Faſt. Duc. à p. 135. è Script. Ven. Riccob. Gym. lib. 6. p. 129. & ſeq.

(6) Catal. Præt. apud Salom. Inſcript. Pat. p. 571.

(7) ext. apud Salom. Inſcript. Gym

vium funeſtante pauperum Pater, laborantium morbo illo ſontico Medicus, circumire urbem, adſtare morientibus, curare cadavera, ſacras etiam ſuppetias moribundis parare. Aderat ubique nunc ſolus, nunc ſocius Clericorum, nunc Veſpillonum comes, ſæpè ſatellitum cuſtodientium compita ab inſidiis latronum in vigiliis nocturnis purpuratus commilito. Præcipua ejus cura fuiſſe traditur (1), ne quid incommodi res Gymnaſtica pateretur, ne Scholæ penitùs conticeſcerent, ne Magiſtris poſt fugam ſtudioſæ Juventutis, præſtanda ſtipendia deeſſent; quæ Prætor ipſe decumbentibus domum ferebat, dilutamque aceto pecuniam in ciſtulâ è feneſtris fune demiſsâ numerabat. Hac diligentiâ, hoc ſtudio Senatoriæ Charitatis, Vir poſteris memorandus Patavinæ ſaluti conſuluit, & ut Riccobonus refert (2), è ferreis peſtilentiæ unguibus Patavinam Civitatem eripuit, ſibique ipſi tanto meritorum pretio Marcianam Purpuram comparavit, è qua triennio poſt, dum in ſacra Cruciſerorum Æde Chriſtum religioſo, attentoque animo coleret, ab uno & quadraginta Viris ad Principem eligendum congregatis dignus judicatus eſt, qui ad Principatum eveheretur Anno MDLXXXV. Imperavit prope decennio, quod pari utilitate ac magnificentia ſumptuum publicorum illuſtravit. Nam & ampliſſimam ac tutiſſimam Palmæ adversùs Barbarorum incurſiones in Carnis Arcem extruxit, & Rivi alti undas ligneum indignatas marmoreo Ponte concluſit. His incubat ſignata Ciconiæ Principis nomine moles immenſa, miroque fornice utramque ripam complexa, domos & officinas utrinque diſpoſitas portat, ſi Poetas audias urbs penſilis, ſi ſeria placeant, miraculum advenis. Nobis ex eo Ciconiæ Principatus venerabilis eſt, quòd gloriæ (3), ſecuritati, quieti Gymnaſii noſtri contulerit admodum, pacatis Studioſorum rixis, compoſitis Profeſſorum diſſidiis, caſtigatis tumultuantium furoribus, Publicanorum inſidiis detectis, damnatiſque, demum quòd clariſſimum publicæ Sapientiæ Domicilium tandem abſolverit (4), inſcripſerit, dedicaverit Anno MDXCI. poſt quem exacto in bona ſenectute quadriennio, ſex circiter & octoginta ætatis annos emenſus, ad Superos evolavit, reparatæ Salutis MDXCV.

(1) Piccolomin. ibid.
(2) d. p. 129.
(3) Piccolom. ibid.
(4) Salom. Inſcr. Gym.

V. MARINUS GRIMANUS alter eſt Princeps ex ea familia ortus, ut annotat (5) Riccobonus, in qua Sacrorum Antiſtitum plurimi, Patriarchæ, ac Purpurati Principes ſplendidiſſimè floruerunt, in qua præter Antonium Venetum Ducem, multi alii Civitatum ac Provinciarum Præſides, ſummi Claſſium imperatores, Publicorum Conſiliorum Myſtæ, D. Marci Procuratores, atque inter cæteros Hieronymus Marini Pater, Marcius Procuratot, Princeps Senatûs, ſummuſque Reipublicæ, ſi diutiùs vixiſſet, florentiſſimè claruerunt. Horum ſecutus exempla Marinus (6), poſt datam Patavinæ Sapientiæ, ac liberalibus ſtudiis adoleſcentiam ad publicas virtutes convertit animum, atque in horum ampliſſimo numero eas chariſſimas habuit, quæ maximè omnium magnanimum familiæ decus, & inſitam ingenio vim ad bonum publicum conferunt conſilio, eloquentia, Sapientia & probitate procurandum; adſcriptuſque Sapientum Ordini, mox Oræ continentis adminiſter, inde Sapienriæ Majori Præpoſitus, ac XVirûm in Collegium cooptatus, ejuſque Senator perpetuus, tum etiam Conſiliarius, tot eximiis muneribus non ſatisfecit ſolùm, ſed illud addidit rarum, ac ſummum, ut majot cæteris, parem ſe omnibus ferret, civilemque modeſtiam in tanta dignitatum luce retineret. Legatus ad Sixtum V. P. M. ejus animum mitigavit in tantum, ut ab eodem ſplendidiſſima Ordinis Equeſtris inſignia reportarit. Poſt hæc Præfecturis urbium adhibitus poſtremò (7) præfuit Patavio Anno MDLXXXVIII., ac ſcelus Mediolanenſis (8) diſcipuli ultus, non ſine Gymnaſii terrore, petulantem ſtudioſorum juvenum licentiam compeſcuit: mitis cæteroqui, clemens, & in audiendis, exaudiendiſque hominum querimoniis, ac dirimendis diſſidiis comis, & patiens adeo, ut videtetur ad literariam Rempublicam adminiſtrandam factus, cui propterea poſt receptum anno ſequenti Marcianæ Procurationis laticlavum admotus eſt Gymnaſii Patavini Moderator. Ex hoc ampliſſimo eximii muneris Ordine ad Principatum provectus eſt Anno MDXCV. quem integro decennio geſſit, ex his memorandum, quòd Uſcochos mari prædabundos immiſsâ Claſſe profligaverit, quòd exundantia flumina, ac ruptis aggeribus alluvione crebra faciem agrorum immutantia, ire intra alveos compulerit, quòdque alia laude geſſerit digna legenda in faſtis Ducalibus. Mortuus eſt Anno ætatis LXII. æræ communis MDCV.

(5) Gym. lib. 6. c. 4. p. 129. terg.
(6) Herc. Saxon: orat. Gratulat.
(7) Faſti Præt. in d. Catal. p. 571
(8) Tomaſ. Gym. lib. 4. p. 428. 429.

CAPUT

CAPUT VI.

Veneti Duces Gymnaſio Præfecti ad Annum MDCLIV.

I. LEONARDUS DONATO Familiæ principis Dux ſecundus, Venetorum LXXXX., ſive Sapientiam operoſam, ſive conſtantiam infractam ſpectes, jure Cato Venetus dici poteſt. Nemo illo fortiùs, feliciùſve pro majeſtate Patriæ in Principatu ſtetit, nemo ante Principatum utiliùs præſentiùſve pro dignitate Patriæ laboravit. Gymnaſium Patavinum (1) majori adoleſcentiæ parte coluit, ibique omnium diſciplinarum ornamentis capacem animum inſtruxit. Mox ne ſcientiarum opes in otio ſolius meditationis marceſcerent, huic vim actuoſam experientiæ addidit; ac poſt perlectos, & recenſitos omnes hiſtoricos Græcos, atque Latinos, totam peragravit Europam, antiquis moribus, & artibus recentes ac noviſſimas comparans, ut his illas corrigeret, novaretve, atque ex hac opportuna rerum, exemplorumque notitiâ non umbratilem prudentiæ uſum acquireret. Hinc nondum (2) ætate major Sapientum Ordinibus adſcriptus, eâ ſenilium Orationum gravitate, eo rationum pondere non ſemel ſententiam dixit, ut plerumque in illam pedibus Senatus ampliſſimus iverit, maximorumque negotiorum ſarcinę ferendæ, tam aptè, tam utiliter diſſerentem, parem eſſe, adhuc juvenem, arbitratus ſit. Eam Leonardus tulit ſine privatorum ſtudiorum diſpendio, ac ſucceſſivis temporibus contemplationi rerum naturalium vacans, terrarum, ac marium arcana, naturæ vires, cauſarum ordinem, & efficacitatem non rimatus eſt ſolùm, verùm etiam ſcriptis codicibus explanavit. Ex Ædilitio munere miſſus ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem, cunctabundum Principem ad fœdus rapuit ictum Romę An. MDLXXI., quo Chriſtiana Reſpublica ad Echinadas victrix Turcarum impetus fregit; proximum autem excidium Italiæ ſtitit. Vix quadragenario major quod nunquam vel raró accidit, receptus in Collegium Sapientiæ majoris, Legatus eſt extra ordinem ad Rodulphum Imper., cujus non æquum in Venetos animum ita circumduxit, ut fecerit amicum, ac ſocium. Inde Romæ ſepties Orator dictus, Patrię ſemper pro dignitate conſuluit. Apud Gregorium XIII. Jura Patriarchatûs Aquilejenſis, ſalva, integra ſtare obtinuit: animum autem Sixti V. delinivit adeo, ut Pontificem amicum Reipublicæ, ſibi benevolentiſſimum fecerit uſque ad Brixienſium Inſularum, & Romanæ Purpuræ pollicitationem, quam Leonardus rejecit, profeſſus ſe, qui vocatus eſſet a Deo ad regendam Rempublicam, dignitatibus ſacris minorem eſſe. Subiratum quoque Venetis Clementem VIII. placavit, egitque, ut, quam non ſerió minabatur, ultionis ſerió obliviſceretur. Ita rebus cum Antiſtitibus Sacrorum utiliter conſtitutis, publicæ ſecuritati proſpexit in Carnis: nam ejus monitu, atque ſententiâ ſtetit Arx Palmæ, tutiſſimum Italiæ adverſus barbaros propugnaculum, quos etiam Legatus Conſtantinopolim miſſus, ita in fide continuit, ut Amuratae fatis erepto, ſancitam ab hoc pacem Mehemethes III. libentiſſimè confirmaverit. Ex Oriente redux, nutante pace Italiæ ob Gallorum & Hiſpanorum apud Allobrogas motus, cum imperio ſummo Continenti Veneto pręfuit, tantâ ſemper in his muneribus publicis fide, ut Ærario ſemper accuratè pepercerit, acceptamque pecuniam, ſi quam parciſſimus uſus reſiduam fecerat, ſanctè reſtituerit. Seceſſit deinde impetratâ ſenectuti ſuæ honeſta miſſione, qua tamen diu frui quietè non licuit, quippe dudum exarſerat memorandum illud Summis Principibus ex interdicto Sacrorum uſu diſſidium cum Paulo V. P. M., ad quem Orator deſtinatus Donatus, dum ſe profectioni parat, mortuo Marino Grimano Principe, creatus eſt, univerſa Urbe acclamante Dux Venetus IV. Id. Januar. Anno MDCV.. Imperavit annos ſex cum dimidio, eandemque charitatem, & curam pręſtitit Gymnaſio Patavino Princeps, quam erga illud munificè ſemper exhibuit ante Principatum quinquies literarius Triumvir Ann. 1583. 1594. 1595. 1604. Obiit XVI. Kal. Sextil. MDCVII. ætatis LXXVII.

(1) And. Mauroc. in vita Leonard. Donati, & in hiſt. ad hos annos.

(2) Faſti Duc. à n. 241. ex hiſt. Veneta.

II. M. ANTONIUS MEMO & Pręfectus (3) Patavii An. MDLXXXVI. & literarius Triumvir poſt Marciam Purpuram receptam An. MDCII. MDCVIII. Gymnaſio noſtro auſpicatò contigit ſemper. Nam Pręfectus Arcam obligatam Gymnaſio diligenter adeo curavit, ut & auxerit cenſu perpetuo (4) ſupra deceſſores ſuos, & defenderit adverſus Venetos Magiſtratus amplis ejus reſiduis inhiantes, impetrato decreto, quo cautum (5), ne expręfecti Patavini ante ad Comitiorum ſortes accederent, quàm teſtimonium exhibuiſſent, intacto Ærario Gymnaſticò Magiſtratu abiiſſe. Hinc illi licuit partem (6) Ædium Scholaſticarum dexteram exædificare, atque illam ſucceſſoribus pecunię ſummam relinquere, quę munificis Profeſſorum auctariis, de quibus nonnulla diximus alibi, ſuperfuerit. Moderator Gymnaſii multa juſſit; plura conſtituit, legenda apud Riccobonum & Tomaſinum; & illud in primis egregiè, quo

(3) Catal. Præt. ibid. p. 571.

(4) 20. Sept. 1586. in Rog. Decr. lib. 2. p. 20.

(5) 15. Maii 1590. in Rog. ibid. n. 60.

(6) Salom. Inſcript. Gymn.

facta poteſtas Petro Duodo Equiti (1) Præfecto Patavino erigendę illuſtriſſimæ ac nobiliſſimæ Academiæ Deliæ, quæ mox aſſignato nummûm octingentorum cenſu ex Arca Gymnaſtica in partem atque ſocietatem Gymnaſii jure dici poteſt adſumpta, ut ſuâ inſigni, clariſſimique nobilitate Archilycæi totâ Italiâ celeberrimi gloriam augeat, decus illuſtret. His meritis aliiſque, quibus amorem ſibi Patriæ conciliavit Marcius Procurator (2) Memo ac Senator omnibus venerabilis ex humanitate morum, & corporis majeſtate, ſeptuagenario major ad Solium provectus eſt, Dux Venetus XCI. Anno MDCII. X. Kal. Sextiles. In eo ſedit ultra triennium, menſibus aliquot, de publica ſecuritate, ac de pace Italorum ſollicitus: quippe hoc Principe pugnandum fuit adversùs efferatam, & patratis horrendis criminibus execrabilem Uſcochorum gentem Archiducum patrocinio fretam, tutanduſque Dux Mantuæ à poſtulatis Allobrogum bellum atrox parantium. Obiit ætat. An. LXXIV. Chriſti MDCXV.

III. JOANNES BEMBO Dux XCII. Memo ſuffectus eſt. Maritimæ tyrocinium Militiæ juvenis (3) nobiliſſimus, & fortiſſimus poſuerat ſub Antonio Canali, & Sebaſtiano Venerio celeberrimis imperatoribus. Trierarches circumfuſus in prælio Triremibus Turcicis hoſtilem cuneum abrupit, victorque ſubactam triremem remulco traxit ad ſuos, mox victoriæ ad Echinadas particeps, Uſcochorum ſanguine paludamentum honeſtavit, atque in diſſidio Romano pro legibus patriis armatus ſtetit: inde illi Marciana Purpura data, ex qua Solium publicæ majeſtatis conſcendit. Illi Gymnaſium noſtrum debet, ac debebit æternùm clementiſſimam ſignificationem amoris eximii, quâ complexus Cæſarem (4) Cremoninum gratulationis cauſâ Oratorem à Gymnaſio miſſum aſſeruit, poſt ſalutem Reipublicæ nihil ſibi antiquius fore, quàm ut Patavii magis in dies ac magis Studiorum fauſtitas effloreſceret, ac docentium in eo jura & præmia magnificentiſſimè ſancirentur. Neque hæc verba vana, ut mos habet, & ad urbanitatem atque ſpeciem officia dabantur, actuoſa fuere, quodque ſpondebant efficientia. Nam hoc Principe reſtitutum (5) Gymnaſio eſt, quod illi Comites Palatini eripuerant, & contra jus faſque per ſordes, & lucrum uſurpabant: Jus antiquiſſimum, & ipſi Gymnaſio ſynchronum inaugurandi doctores omnium diſciplinarum. Creatus eſt Præſes, qui Principis auſpicium daret, apertum primigenium Gymnaſii, hoc eſt Profeſſorum Collegium, approbatione Reipublicæ, & adoptione Venetum, in quo, quæ ab ipſa ultima ſua origine ſolius Gymnaſii eſt, ab uno Gymnaſio authoritas exercetur. Hæc Jurium Gymnaſticorum proſperitas regnante Principe Bembo; nec minor in aſſerendis, confirmandiſque Privilegiis & immunitatibus Profeſſorum, & eorum ſtipendiis augendis munificentia. Si quæ Tomaſinus notat, noſque ſuperiùs (6) delibavimus, leges, dices nullo unquam ſub Principe amplioribus, aut crebrioribus præmiis à Senatu doctiſſimos Viros affectos, Cremoninum, Fonſecam, Sanctorium, Pacium, Othelium; miraberiſque tantum Reipublicæ ſummæ ſtudium erga homines literatos, ſervente bello, quod terrâ cum Archiduce Ferdinando, mari cum Uſcochis, utrobique cum Hiſpanis paci Venetorum infeſtis gerebatur. Ubique ea victrix fuit ſub Duce Bembo, profligatis Uſcochis, Gradiſcâ obſeſſâ, atque hujus præſenti periculo hoſtibus ad pacem coactis. Hac partâ Bembus felix, menſe tertio poſt annum Principatûs ſecundum occubuit Æræ communis MDCXVIII.

IV. NICOLAUS DONATO Sereniſſimæ Familiæ tertius Dux Venetus XCIII. Senatorio (7) dumtaxat Ordini, intra quem integerrimè Magiſtratibus ampliſſimis functus eſt, non majoribus dignitatibus, quas nunquam ambiit, Principatum debuit, ad quem non titulis ſed meritis aſcendit. Eo nihil contulit ad Gymnaſium, quippe breviſſimo. Nam non ultra quadraginta dies imperavit. Deceſſit anno ſuperiùs notato, ſalvâ Republicâ, quam Orſonenſis Conjuratio perditum ibat, immiſſis clam apud Quevam graſſatoribus, & incendiariis, quos indicias deprehenſos ultio publica publicę ſecuritati, ac ſaluti mactavit infames hoſtias, teſtaturas, fortunam, ut ſit rationis impos, & magnis quandoque auſibus faveat, magnis plerumque ſceleribus adverſari.

V. ANTONIUS PRIOLO tertius ampliſſimæ Stirpis, Dux Venetorum XCIV. ex telatis per Cremoninum (8), ſapientiam, quam feliciter gerendę Reipublicę impendit, ſibi comparavit Gymnaſii noſtri diſcipulus, & in eodem Profeſſorum auditor aſſiduus. Integerrimè urbanis Magiſtratibus (9) functus, Pętor deinde in ſubjectis Urbibus pluries anno MDXCIX. Pręfecturam (10) Patavinam geſſit, ac plura vectigalia Arcę Gymnaſii auctoravit, ditavitque auctibus novis. Eques, Procurator Marcius, mox literarius Triumvir quater An. 1602. 1607. 1612. 1615. Gymnaſium quod coluerat, quod rexerat, cui pręerat, mira charitate complexus eſt, profiteri (11) ſolitus hoc publicę Sapientię patrocinio coronidem imponi laboribus pro Republica ſuis. Horum exantlavit multos, & graves. Nam Orator Romę conſtanter ſapienterque ſe geſſit, Legatus in caſtris pacem ſanxit Germanos inter & Venetos, ac tumultus Tellinę

Val-

(1) Vid. lib. 1. c. 20.

(2) Faſti Ducal. à p. 247.

(3) Faſt. Duc. à p. 249.

(4) Salom. inſcript. Gymn. ex Ep. Cremonini.

(5) Vid. lib. 1. c. 13.

(6) Lib. 1. c. 8.

(7) Faſti Venet. Duc. à p. 251.

(8) Orat. Gratul. ad Priolum Ducem.

(9) Faſti Duc. à p. 253.

(10) Catal. Præt. ibid. p. 571.

(11) Cremoninus ibid. apud Salom.

Vallia compeſcuit, ſedavitque. Miſſus cum imperio in Iſtriam Orſonenſes inſidias diſcuſſit, & freto navibus occupato, ab Hiſpanis nequicquam frendentibus pacem extorſit, firmavitque Curictæ in Oppido Inſulæ ad Flanaticum ſinum, quod Veliam dicimus. Ibi abſens evocatus ad Solium eſt. Imperavit ultra annos quinque atque Anno ætatis LXXV., reparatę ſalutis MDCXXIII. vivere deſiit, illatuſque ſepulchro eſt, funere magnifico à filiis parato, Matthęo Card. Auguſtino Antiſtite Bergomenſi, & Filia Joannis Cornelii Principis nuru.

VI. FRANCISCUS CONTARENO quartus regia Venetorum Inſignia in Familiam intulit. Addiſcendę latinitatis, & eloquentię honorarium pręceptorem habuit Ant. Riccobonum (1) humanioris literaturę Profeſſorem Patavii, atque ex hac facultate clarus inter Patricios & Senatores penè totam Europam ſui nominis fama complevit. Legationibus (2) decem perfunctus egregiè apud Supremos Principes, Patrię utilitatem, ſibi ornamenta equeſtria, atque Oſtrum Marcium paravit; atque hęc virtutum laborumque ſuorum decora tranſtulit ad patrocinium & curam Gymnaſii, cui ter pręfuit literarius Triumvir Anno 1610. 1616. 1622., & ex Gymnaſtico Triumviratu aſcendit ad Solium Venetorum Dux XCV. Obiit Principatûs anno primo & menſe tertio Ærę communis MDCXXIV.

(1) ad Laurent. Maſſam Epiſt. 4.
(2) Faſti Duc. à p. 256.

VII. JOANNES CORNELIUS familiâ ordinem Civium & fortunam ſupergreſſę, Romanâ Origine, & Regiâ Cypri atque Armenię affinitate, Princeps Secundus, Venetorum Dux XCVI. adoleſcentiam egit Patavii Joannis Faſeoli humaniorum literarum Profeſſoris clariſſimi auditor aſſiduus, deinde Riccoboni (3) diſcipulus, tanti autem ob elegantius ingenium ea ætate habitus eſt, ut inter primos collegas Academię ab Aſcanio Abbate Martinengo (4) inſtitutę Patavii adſcriptus fuerit. Gerendę Reipublicę (5) admotus, Senatorios Magiſtratus priſcis moribus, fide ſumma, religione domeſtica, & quod ex indole ſapientiæ eſt, conſtanter adminiſtravit. Juſſus regere imperio populos, poſt Præfecturas præcipuas, nutricem ſuam incredibili clementia, & benignitate gubernavit, Arcam Gymnaſticam auxit, immunitates ac privilegia Gymnaſii non eſt paſſus imminui, querelis Publicanorum rejectis, Præfectus beneficentiſſimus (6) Anno MDXCIX. Inde Marcius Procurator, & ad Principatum evectus Anno MDCXXIV. nullo ambitu, ſolâ virtutis, ac meritorum ope, quâ Heroes una nituntur ad maxima. In Solio ut privatus vixit cum Civibus, ut Princeps cum ſuis, vindex ubique libertatis, & tyrannidis hoſtis acerrimus: nam cum filio Georgio, auſo vim cruentam inferre uni ex XVirali Collegio, egit ex legibus, & novato Marci Cornelii Principis exemplo, pacem, ſecuritatem, quietem Inſulæ Cretenſi reſtituit, Georgio Adelpho Tyranno ſecuri percuſſo. Imperavit non admodum ſupra quinquennium, deceſſitque An. MDCXXIX., elatus magnifico funere à filiis Friderico Cardinali, M. Antonio Epiſcopo Patavino, quos atrati ſtipabant ejus fratres Franciſcus, & Georgius Equites.

(3) Riccob. d. Epiſt. 4.
(4) V. de ea Tomaſ. Gymnaſ. lib. 4. p. 416.
(5) Faſti Duc. à p. 258.
(6) Catal. Præt. d. p. 571.

VIII. NICOLAUS CONTARENO Princeps familiæ quintus Venetæ Reipublicæ Dux XCVII. Anno MDCXXX. breviſſimum Principatum (7) quatuordecim Menſium quantò infeliciùs non ſuâ culpâ obtinuit, tantò conſtantiùs tulit: bono publico natus, & educatus (8) Patavii ex multiplici ſcientiarum quæſtu magnæ, variæque eruditionis Vir habitus eſt; inde in ordinem Sapientiæ majoris lectus, ac Triumvirali poteſtate Gymnaſio præpoſitus An. 1614. 1623. Arcæ Gymnaſticæ laboranti ſtudioſè conſuluit, ejuſque patrimonium vectigalibus aliis additis auxit: mox inteſtinis Reipublicæ diſſidiis componendis, pacandiſque VVir præfuit atque, ita intra fines æquitatis politicę, pro & contra poteſtatem XViralem diſſeruit, & evicit, ut hanc, & corrigeret, ne quâ parte Supremi Conſilii arbitrus obeſſet, & produceret, ut etiam in patricia crimina jus dicere, ac ferre pœnariam ſententiam poſset. Cenſoriam deinde virgam mutavit in ſceptrum, ac Solium conſcendit, quod infeliciſſima tempora funeſtarunt. Mantuam amicam urbem barbarorum ſęvities obſedit, expugnavit, diripuit memorabili feritate, atque ipſis victoribus exitiali, ſed enim Venetis vicinis non ſine cauſa deteſtabili: quippe ex illa orta lues, poſtquam victoriam ſceleratam prope ad internecionem delevit, Venetias invaſit, quas etiam propemodum totas confeciſset, ni religioſiſſimus Princeps iratis ſuperis Patrocinium Deiparę Virginis objeciſset. Hoc illi, habitâ ad Populum concione, inter pios queſtus & lacrymas impetravit, & emeruit voto Reipublicę interpoſito, cum lampadis aureę pondo quinquaginta, vigilaturę Laureti, tum Baſilicę Venetiis extruendę, cujus ipſe primum lapidem poſuit Patronę Virgini factum, ſoterion Patrię; undè peſtilentia navigavit deinceps Patavium, quod latè depopulata Gymnaſium clauſit, ſtudioſos fugavit, pręcipua Sapientię lumina extinxit, atque iterum elicuit lacrymas benigniſſimi Principis, de quo aliqua inferiùs dabimus; quippe tędio ęrumnarum, ac mœrore conſumptus contabuit, apoplexi percuſsus Anno Chriſti MDCXXXI.

(7) Faſti Duc. à p. 260.
(8) Riccob. Epiſt. ad Maſſam.

IX. FRANCISCUS ERICIO vix egreſsus adoleſcentiam armis addixit militarem indolem, quam ſtudiis pacatioribus (9) Patavii dudum exornaverat ſapientia. Tribunus

(9) Diar. Sanſoni ad An. 1595.

Militum (1), Caſtrorum Præfectus, ductor Exercituum & imperator ſemper felix, ubique victor caſtris diſciplinam reſtituit exemplo, ſeveritate licentiam expulit, conſilio ſauſtitatem conciliavit. Legatus ad Cæſarem Ferdinandum II. pacem conſtituit, Orator ad Urbanum VIII., icto fœdere, Vallis Tellinæ pericula diſcuſſit. Inde iterum imperator Veneti Continentis à finibus âbſtinuit barbarorum inſidias, quibus etiam interceſſiſſet, ne Mantuam perderent, ni Mantuani Ducis nimia credulitas obſtitiſſet, neglexiſſetque opportuna monita Ericii. Hunc Patria mox exarmavit, ut paci præeſſet, atque à Caſtris ad Solium tranſtulit, dixitque Reipublicæ Principem XCVIII. Anno MDCXXXI. quo ſtatim claſſem in Pyratas immiſit, eoſque ad Apolloniam Epiri prælio domitos profligavit. Arma deinde vertit in Barberinos, Parmenſiumque Principum Jura nutantia ruinâ prohibuit; ac bello ſanxit Italię pacem, cujus felicitatem bono Gymnaſtico retulit, probatis confirmatiſque Gymnaſii quater immunitatibus adversùs Publicanos ex more prævaricantibus (2) An. 1635. 1637. 1639. Ex his Dux Archilycæo noſtro memorabilis, ſed longè memorabilior Patriæ, cujus immortuus obſequio eſt. Princeps liberæ Civitatis, capularis ſenex, juſſus è Solio deſcendere, arma capere, Dictator eſſe, capeſſere juſſa non abnuit, paruit alacriter, jamque erat in procinctu, galeâque ac paludamento Clamydem & Cornu mutaverat, de Thracibus triumphaturus, ni mors magnanimos auſus intercepiſſet. Hanc obiit Anno MDCXLV., Principatus XV. non integro.

(1) Faſti Duc. à p. 164.
(2) Decret. lib. 1. p. 407. 411. 420.

X. FRANCISCUS MOLINO cum doctiſſimo fratre (3) Dominico aliquandiu ſtuduit Patavii, ubi relicto fratre, ut Minervæ diutiùs faceret, Martem ſecutus militavit primò gregarius, deinde (4) Navarchus, emenſuſque brevi curriculo gradus omnes imperii maritimi, & in Dalmatia Prætor exercitus duxit, & Ægæum Thalaſſiarches non tam curſibus Claſſium, quàm victoriis pervagatus eſt, profligatis navali pręlio non ſemel, atque iterum Thracibus, quos ab expugnanda Cydonia prohibuiſſet, ni illi ſontico morbo laborandi luctandum fuiſſet cum morte. Hanc eluctatus rediit in Patriam, atque Eques, & D. Marci Procurator, convertit ſe ad commercium ſapientiæ, quam delibaverat adoleſcens, procuraverat Vir, ter literarius Triumvir An. 1602. 1608. 1610., ſemper amaverat. In ea conſenuit veteranus, & emeritus miles poſt luſtrorum duodecim ſtipendia; jamque illum Senectus morbis perpetuis affligtabat, cum ad ſanitatem revocatus eſt præmio virtutum, quarum ſuffragio Solium conſcendit Anno MDCXLV. Dux XCIX. Imperavit ſupra Annos novem ſaluberrimè, felicíſſimè: quippe Croatiâ, Dalmatiàque defenſis, prolatis in utraque finibus, expugnatâ Cliſſâ arce inexpugnabili, receptis Novogrado, Huriſſa, Tino, Nadino, Saſſo, Urana, Salona, ac jacturâ Cydonis octo Turcicarum arcium queſtu compenſata. Obiit octogenarius An. MDCLIV. poſt quàm iteratò probavit indolem ſuę liberalitatis erga Gymnaſium, cujus Arcę, ob data Viris clariſſimis premia vergenti ad inopiam, collata (5) ex indebitis vectigalibus pecunia bis munificus ſuppetias tulit.

(3) Pignor. Epiſt. ad Domin. Molin. apud Salom. in Inſcript. Gymn.
(4) Faſti Duc. à p. 167.
(5) 1646. 3. Mart. in Rog. 1649. 10. April. in Rog. Decret. lib. 2. p 456. 465.

C A P U T VII.

Duces Veneti Præfecti Gymnaſio ad Annum MDCLXXXIII.

I. CAROLUS CONTARENO Sextus Familiæ, Reipublicæ Venetæ Dux XCIX., poſt exactam (6) piè, ſanctè, ac ſapienter ætatem, eandem urbanorum Magiſtratuum adminiſtratione attritam ad procurandam, ſervandamque ſubjectis urbibus felicitatem tranſtulit Prętor vigilantiſſimus Pręfectus integerrimus. Seceſſit deinde ſibi ac Deo, ſuę ſenectuti, rebuſque divinis, quod vitę ſupererat, conceſſurus, ni debitum Patrię obſequium abnuiſſet. Hoc uno raptus pertractuſque eſt ad Solium, non quęſitum, non expetitum, moleſtum potiùs & grave, ſi grave aut moleſtum optimo Civi ſit, in libera Civitate, quod Patria jubet. Initium Principatui fecit Majus Anni MDCLV., finem idem menſis Anni ſequentis, quem Faſti Veneti ſoſpitalem, & glorioſum dicent, ob repulſam è finibus Peſtilentiam, quę majorem Italię partem afflaverat, atque ob reportatam à Lazaro Mocenico ad Seſtum, & Abydum de potentiſſima Turcarum Claſſe victoriam.

[6] Faſti Duc. à p. 171 Petr. de Comit. Orat. Funebr.

II FRANCISCUS CORNELIUS tertius Sereniſſimæ Familię, Dux Venetus C. Anno MDCLVI. brevi (7) Deceſſoris Principatui breviſſimum addidit, annali nimirum Imperio, novendecim dierum. Regalis Proſapię ſurculus, Joannis Principis Filius, Antonii Prioli Principis gener, priſcę Senator probitatis ac fidei, Gymnaſii Patavini Moderator munificus, major ſeptuagenario dum privatus ad Superos ire ſtudet, invitus, ac reluctans cogitur in Solio mori: hoc ipſo felix, quod & Principatûs moleſtias non diu tulit, eaſque ferre bono publico imperaturam poſteritatem ſuam docuerit.

[7] Faſti Duc. à p. 175.

III. BER-

III. BERTUCCIUS VALERIO Dux Venetus CI. Silveſtri filius, Maximi nepos, ex utroque amare Gymnaſium & colere didicit. Nam à Maximo (1) patruo Patavinæ urbi Præfecto illi addictus, humanioribus (2) Patavii ac ſeverioribus diſciplinis imbutus eſt quadriennio, ab anno ſcilicet 1617. ad 1621., quo Silveſter ejus Pater ſucceſſor Fratris abiit præfecturá. Redux in Patriam ſanctitate morum enituit inter ęquales, majoribus par ſapientiâ, in cujus (3) Collegium cooptatus, functuſque legationibus multis, pręſertim ad Innocentium X. P.M. inde eques Gymnaſio Triumvir pręfuit An. 1645. 1650. 1655. quo miſſus Orator ad Alexandrum VII., rebus pro ſplendore, ac majeſtate Veneta optimè geſtis, prçmium laborum, ac meritorum habuit Principatum An. MDCLVI. Imperavit non admodum plus, quam ſeſquiannum, ac brevi tempore pro Gymnaſio multa conſtituit, de quibus inferiùs; plura contulit glorię atque utilitati publicę auſpicio ſuo. Hoc armatus Laurentius Marcellus, ad fauces Helleſponti Claſſibus Turcicis victis & profligatis, terruit Byzantium, mox Baduarius latè pervagatus Ægęum, expugnatâ Tenedo, Cycladibuſque ſubactis, Orientis Tyrannum ad veros timores redactum optare pacem coegit, quâ fato peniturę Cretę diſcuſſa, Valerius Urbanę totique Venetę ditionis felicitati proſpiciens egit, ac prçivit in verba Senatûs, ut Societatem Jeſu, quam exilio nunquam finiendo ſeveritas legum addixerat, clementia bono publico ſerviens, citra majeſtatis diſpendium, in integrum reſtitueret, futuram, quemadmodum toto Orbe Chriſtiano, etiam Venetiis altricem bonarum Artium, prçconem pietatis Venetę, & inſtitutricem religionis Patricię, morumque Civilium. Hoc facto Dux inclitus poſteris memorabilis, atque adeo immortalis vivere deſiit Anno MDCLVIII., ętatis ſecundo, & ſexageſimo.

(1) Catal. Præt. ibid. p. 571.
(2) Ex mihi traditis adhoc opus juſſu Silveſtri Ducis.
(3) Faſti Duc. à p. 275.

IV. JOANNES PISAURO Dux Venetus CII. tutelâ Numinis in ipſis natalibus (4) felix ſibi ſalutem, matri periclitanti vitam naſcens aſſeruit. Adoleſcens miro prodigio ſervatus à prçcipitio eloquentiam amavit, ad quam à Natura factus ſtudia contulit omnia, ſed & morum innocentiam, majeſtatem oris, vitę ſplendorem, cenſus ditiſſimos pluſquam Senatorię Familię. Sapientûm Ordinibus adſcriptus, legatuſque ad Allobrogas, icto fœdere cum Carolo Emmanuele Sabaudię Duce adversùs Tellinę Vallis perturbatores Hiſpanos, injectos libertati compedes fregit. Inde apud Gallos ad Rhœtię tutelam, triplici Gallorum, Venetorum, & Allobrogum fœdere jurisjurandi fide confirmato, Gentem civilibus odiis perturbatam compoſuit, ut & Orthodoxę fidei militaret, & Italicę quieti proſpiceret. Navigavit etiam in Angliam, & in Inſulâ toto Orbe diviſâ, ſagax, munificus, comis, priſcę amicitię ac ſocietatis jura renovavit. Ex his reverſus in Patriam in Sacrarium ſapientię majoris inductus eſt; ſeditque in eo, ut mens Senatûs ampliſſimi, in quo deinde, poſtquam Orator fuiſſet ad Urbanum VIII. Patriæ mores antiquos, & Regium decus conſtanter defendit; ſimul Imperii fines ad Padi ripas labefactatos immiſſâ claſſe reſtituit. Inde Orator ad Regem Sarmatię ſemel, bis ad Ferdinandum Auguſtum, atque ex his muneribus eques, deſignatus Caduceator Pacis, & arbiter ad Monaſterienſem Conventum, domi detentus eſt, ut præmium laborum acciperet prçfectam Marcianæ Baſilicæ Purpuram, in qua iterum Venetos fines, bello Parmenſi ab incurſionibus Romanorum tutatus, innocentiam ſuam, fruſtra tentatam, probavit Senatui. Tunc etiam Moderator Gymnaſio datus eſt, præfuitque Patavinę Palladi An. 1641. 1647. 1651. 1657. poſt quem ad Principatum evectus, vix ſeſquianno imperavit, cum ante Principatum, tum in Principatu Vir planè Maximus, ſummęque in Republicâ Venetâ auctoritatis, quę in privato, quàm major privato fuerit, feliciter probat, atque ęternùm oſtendet ejus adhuc privati ſtudiis, jam Principis auſpicio, Societas Jeſu reſtituta, recepta *Ingeniorum eruditioni*, *Animarum Pietati*, *Cælitum plauſui*. Legit hęc inſculpta regio Piſauri Principis Mauſoleo, in Æde magna Minorum, Veneta Pietas legit, probat, laudat, vera eſſe experitur. Obiit MDCLIX., ętatis LXXI.

[4] Ivanovich. Orat. Funebr. Faſti Duc. à p. 281.

V. DOMINICUS CONTARENO excelſam in familia Principum ſeriem auxit diademate ſeptimo Dux Venetus CIII. Ex Ateſtino (5) ſeceſſu, quò ſe fugâ receperat, ut ambitum declinaret, evocatus ad Solium, hoc inſedit invitus eâ modeſtiâ, & comitate, quâ illud privatus meruit, eâ fauſtitate Reipublicę, quę multatum amiſſâ Cretâ imperium novâ quęſitę in Dalmatia ditionis acceſſione reparavit; tantumque glorię Venetis addidit, quantum apud poſteros non maligna commendabit hiſtoria, ſi referet unam urbem per annos XXV. viribus ipſorum ſolis adversùs hoſtiles Orientis totius impetus defenſam, impenſa bello Cretenſi ex uno ipſorum Ærario centies quinquagies centena millia mumnûm aureorum, damnumque unius Oppidi prolatis latè alibi finibus imperii compenſatum. Sic Contarenus Dux, bello ſi minùs victor, pace tamen omni victoria utiliore felix Patrię, hanc poſt annum Principatus XV. deſeruit planè decrepitus, morte obitâ religioſiſſimè An. MDCLXIV.

[5] Ex Coſmo. Orat. Funebr.

VI. NICOLAUS SAGREDO in eâ familia natus eſt, quæ ſanguine Martyrum ac Senatorio murice venerabilis Venetos Faſtos illuſtrat, & longâ ſerie Triumviralis poteſtatis Patavino Gymnaſio præfuit: Moderatoribus ejus Nicolao ſeniore D.M.P. an. 1613. Zacharia D.M.P. an. 1627. Petro D.M.P. an. 1644. 1649. Indolis egregię (1) adoleſcens, omnibus ad regendam Rempublicam ornamentis, naturâ & arte in eandem operam coeuntibus, inſtructus, vix acceſſit ad ſapientię ſacrarium, cùm par viſus, cui omnia ejus arcana panderentur; quique morum innocentiâ, facundiâ linguę, liberalitate, ac munificentiâ vitę poſſet privatę, ac publicę felicitati preeſſe. Comis, blandus, & citra gravitatis diſpendium facetus, animos omnium ſibi conciliabat, ac Patrię, tantus amicorum judex ac vindex, ut optimos ſemper elegerit, electis patrocinium certum, efficax, actuoſum impenderit. Septies Orator ad Principes maximos, ad Hiſpanos ſemel, bis ad Germanos, quater ad ſummos Pontifices, ubique admirandum ſe pręſtitit, amandum, exaudiendumque, ſive in conſilia vel prudentiſſimos pręiret, ſive animos eloquentiâ pacaret, ſive jura Patrię proponeret, probaretque. Hinc equeſtribus ornamentis auctus, & ad Purpuram Marciam provectus ex merito avitum Triumviri Literarii Magiſtratum iniit, ac geſſit quater An. 1662. 1666. 1670. 1674., eoque non ante abiit, quàm ad Solium publicę auctoritatis aſcendit Dux CIV., ut non ſit mirum, ſi mos Gymnaſticę gratulationis novo Principi nunciandę, qui jam pridem obſoleverat, Sagredo Duce reſtitutus ſit, cujus Regię dignitati ex publico decreto Gymnaſii Ordines omnes procubuere, ac Orationibus publicis teſtati ſunt, quanta debeat Gymnaſium Sagredę charitati, auctoritati, munificentię; quas virtutes benigniſſimus Princeps longè majores, planèque Principatu ſuo dignas conſervaturum ſe pollicitus è Solio eſt, ſervaſſetque, ac factis egregiis comprobaſſet, ni, quod fato Divinę Providentię obtinet, optima brevia eſſent. Nam vix emenſus ſeſquiannum ab Imperio recepto, ſtans, ac profeſſus ſtanti Principi moriendum eſſe, vivere deſiit An. MDCLXXVI.

(1) Faſti Duc. à p. 288. Vincent. Todeſchin. Orat. Funebr.

VII. ALOYSIUS Contarenorum Principum VIII., Venetorum Dux CV. ſoſpitalis Patrię aſcendit ad Solium, cùm (2) poteſtate ſupremâ jis, quos ſors ad Principem eligendum vocaverat, & ad inaugurationem Joannis Sagredi eq. & Martii Procuratoris ibant, rejectis, permoleſtus diſſidiorum turbo, ac publicę quieti ſuſpectus imminebat. Hunc Aloyſii Contareni felix auſpicium diſcuſſit, evocatiſque ad concordiam animis, plaudente Civitate universâ, tranquillitatem publicam ſanxit. A primis annis ad honores patrios inſtitutus hos gelit utiliter, arcanorumque particeps publicorum inter Sapientes Venetę proſperitati conſuluit: pręfuit deinde Gymnaſio Triumvir An. 1667. 1671. cui tamen, ut optabat, non admodum conſuluit, crebris Legationibus juſſus communi Europę utilitati proſpicere, & Venetę prudentiæ, ac Religionis exempla dare. Hanc apud Batavos hæreſi ſtrendenti pius cultor objecit, cùm diviniſſimo Euchariſtiæ ferculo ad contemptum & riſum expoſito, genibus flexis, procubuit; illam in Hiſpania probavit, cum artes aulicas, ſtruentes bellorum per Europam cauſas conſilio exarmavit: in Gallia quoque civilia bella compeſcuit, conciliavitque Regi rebellem fratrem, mox Eques ac Marcius Procurator, Romæ regiam Reipublicæ majeſtatem tutatus, citra Sacrorum injuriam, imo Sacris ipſis plaudentibus, in Patriam rediit, ut imperaret. Sedit in Solio annos octo non integros, inde majoribus auſpiciis Gymnaſii ſoſpitator, cujus Arcæ, nequâ parte Præfectorum arbitrio pateret, conſuluit (3), religionis magiſter, hanc publicè docuit exemplo, averruncus malorum, ac præſertim peſtilentiæ, quam Veneto Imperio ex viciniâ infeſtam, finibus abegit, vel arcuit. Obiit annorum trium, & octoginta ſenex, An. Chriſti MDCLXXXIII.

(2) Faſti Duc. à p. 290. Jo. Maria Forelli Orat. Funeb. Orafuſ. in ejus Vita

(3) 27. Novembr. 1677. in Rog. Decret. lib. 2. p. 558. 559.

VIII. M. ANTONIUS JUSTINIANUS familiam auguſtam, & ab ultimâ ſtirpe Gręcis claram Stemmatibus, Veneto Diademate coronavit Dux CVI. Adoleſcentiam (4) ejus, bonamque Juventutis partem bonis artibus aluit Gymnaſium Patavinum, in quo partem utramque Philoſophiæ, ſive quæ arcana Naturę meditantibus explicat, ſive quę mores ad normam legum inſtituit, pleno pectore hauſit Fortunii Liceti Phyſiologi diſcipulus (5), Lælii Mancini, & Alexandri Syclitici Profeſſorum inter Juriſconſultos clariſſimorum auditor aſſiduus. Hoc Sapientię tyrocinio perfunctus, togâ ſumptâ Magiſtratus Patricios iniit eâ integritatis, pietatis ac prudentiæ famâ, quæ illum in Senatum invexit nondum planè virum, ac Senatoriis honoribus auxit. Pręfectus annonę Piſtorum fraudes detexit, & caſtigavit; atque arte Chymicâ, qua maximè delectabatur, ita buccellati panis elementa diſſolvit, ut & injuria militibus facta, & peculatus inde Reipublicæ noxius, omnibus innotuerit. Laudatus ex his, ire in Galliam Orator juſſus eſt ad petendas Cretæ periclitanti ſuppetias, quas & obtinuit, annuente Rege, Nobilibus accurrentibus, quibus ille pecuniam ſubſidiariam addidit: hi ad bellum profecti, victores hoſtium,

(4) Jo. Palat. in ejus Vita addit. Faſt. Duc. p. 298.

(5) Salom. Inſcrip. Gymn.

hoſtium, infortunio periere. At M. Antonius reverſus in Patriam decemvirali poteſtate in Criminoſos Venetiis detonuit, eademque poteſtate Quæſitor ad ſubjectos Populos delegatus, diu in prævaricatores legum, corruptores judiciorum, adversùs impotentiam & vim pro Civium incolumitate, univerſim pro vectigalium ſolutione neceſſariâ, pro quiete, ac felicitate ſubditorum ſtetit, ſententiam dixit, leges conſtituit, eâ temperaturâ ſeveritatis & clementiæ, majeſtatis, & modeſtiæ, ut ex hac inter collegas magnos, quòd virtute maximus videretur, abſens evocari ad Marcium Laticlavum meruerit. In eo ſibi ſecedere, atque uni pietati, ac Religioni, cui ſe jamdudum incorruptæ vitæ, ac revera Chriſtianæ ſapientiæ Senator addixerat, ſervire meditabatur, cùm illum nolentem authoritas publica ad Solium rapuit. Quàm felicibus auſpiciis in eo ſederit per quadriennium, notum eſt ex temporum noſtrorum Hiſtoria, qua lecta mirabere; hoc Principe ictum felix adversùs Chriſtiani nominis hoſtes cum Cæſare ac Rege Sarmatiæ fœdus, indictum (quod nunquam antea) Imperio Turcico à Venetis bellum, ſolutos Græciæ compedes, recuperatam Peloponneſum Ægeum Claſſibus, & victoriis peragratum, gratiis pluries actis, ſolemniter litatum Deo Soſpitatori, præliorum, victoriarum Auſpici, præeunte in publicum ſtudium gratæ religionis M. Antonio Duce, cujus officioſam, prudentem, eruditam, planè regiam, & Juſtinianæ Familiæ parem, atque ad exitum vitæ conſtantiſſimam pietatem deprehendes in Oratione (1) (1) Ext.edita Ven.An. 1688.
Joannis Palatii; nos hanc videmus in ejus Nepotibus Senatoribus ampliſſimis, & in Pronepotibus, qua bono publico creſcentibus, quà Deo uni dicatis, ac præſertim in illo, quem Societas Jeſu recepit, contemptorem gloriæ, Chriſtianæ demiſſionis, atque illuſtris paupertatis militem egregium, quemque, quamvis ignotum nobis, ex fama virtutis diligimus, ac veneramur. Ità Juſtinianus Princeps non ſibi duntaxat ac Reipublicæ felix fuit, ſed & ſuis, atque etiam Gymnaſio noſtro, cui peropportuno Senatuſconſulto proſpexit, ac nummo Gymnaſtico, quem avara ſiniſteritas diminutum ibat, pretium perpetua conſuetudine conſtitutum (2) aſſeruit. An. MDCLXXXVIII., quo (2) 21. Jul. 688. Decr. lib. 2. p. non ſign. 4.
propè ſeptuagenarius obiit IX. Kal. Aprilis.

C A P U T VIII.

Duces Veneti Gymnaſio Præfecti ad Annum quo ſcribimus MDCCXXIII.

I. FRANCISCUS MAUROCENO Peloponneſiacus, hoc magnifico titulo ſimul & à tribus Principibus Maurocenis ſecernitur, & inter Venetos Duces unus præ reliquis memorandus, admirandusque proponitur. Cùm minore adhuc ætate, nondum ſumptâ virili toga, animum Marti adoleſcens addixerit, nihil debet Gymnaſio, quod & ejus jam Principis auſpiciis debet feliciſſima tempora, & ſereniſſimę ejus familię debet, quâ tutelam atque ſplendorem in viginti Rectoribus Patavinis ab Anno 1294. ad annum 1719. qua incrementum, cuſtodiam, munificentiam in ſuis Moderatoribus tredecim ab Anno 1552. ad Annum 1721. Emeritus ab ultimo gradu (3) Militię omnes, virtute major viſus eſt ſingulis, meritis maximus omnium. Hinc Claſſium ductor, (3) Faſt. Duc. à p. 316.
armiſque Cretenſibus præfectus, imperator denique Dictatorque Reipublicę Venetę tot tantiſque victoriis in Adriatico, Jonio, Ægęo, Cretico Chriſtiani nominis contudit hoſtes, quot quantiſque Chriſtianorum Ducum claruit nemo unus, quot quantaſque obſcurare ne ipſe quidem livor potuit, quamvis icto fœdere cum adverſa fortuna, quâ Creta periit. Hujus ex deditione jacturam ut nimia ſeveritas accuſaverit, ęquitas Excelſi Senatus abſolvit ab omni obſervatione judicii; quippe Reipublicę utilem, neceſſariam, imò etiam, poſt tantam, tam memorabilem conſtantiam Virtutis aulę tandiu toti Orienti reſiſtere, glorioſam. Licuit ergo Franciſco aliquantiſper quieſcere, & in otio militarem animum Fortunę meliori parare. Neque hęc Duci optimo defuit, ultrò ſe ſociam obtulit nato ad triumphos Viro, quem otioſum eſſe vetuit indictum Turcis ex fœdere triplici Bellum Anno MDCLXXXIV. Tunc Maurocenus, dictus iterum imperator, Marciam Purpuram mutavit in ſagum; ac deducta Claſſe ſuis, atque adeo triumphalibus auſpiciis, adverſus ſervitutem Gręciæ vindicias dixit, ſubacto primo impetu Leucate, Acarnania cum Oppidis in fidem receptâ, additâ Imperio Peloponneſo totâ, ipſis Athenis captis, direptiſque, tentatâ Eubœâ, & ſi minus expugnatâ, certè propemodum dirutâ, atque iis geſtis, perfectiſque, quorum numeroſa gloria ſupra brevitatem eſt, quam profitemur. Illa poſteritas leget, & admirabitur in hiſtoria communi la-

ni latiùs expoſita, luculentiſſimè vero narrata in elegantiſſimis Commentariis Joannis Gratiani, Viri omnibus omnifariam ſcientiarum ornamentis inſtructi, & in Lycęo Patavino Philoſophiæ Profeſſoris primarii. Inde intelliget, quid ferat emphaticus laconiſmus, qui poſitę ex Senatuſconſulto Statuę ſubjectus Maurocenum Peloponneſiacum adhuc viventem æternitati conſecravit Anno MDCLXXXVII., poſt quem III. Non. Aprilis deſideriis ac ſermonibus Populi poſtulatus, omnium Eligentium ſuffragiis, Dux CVII. abſens evectus eſt ad Principatum, cujus fines protulerat, cujus Regiam auxerat majeſtatem. Extant Reipublicæ Venetæ honorificentiſſimæ, ſi unquam aliàs, literę, quibus ei honores ampliſſimi decernuntur, deſtinantur Comites & Legati, regii ſumptus taxantur, imperaturque in Patriam, rebus in Oriente compoſitis, reditus. Is contigit ineunte Anno MDCXC., cujus Triumphalem pompam nos vidimus, fructumque ex tot inſignibus geſtis ab Auguſta Republica perceptos exinde ſenſimus, cùm hoc Principe, atque hujus Principis auſpiciis expugnatâ Epidauro Limera, exciſo Aulone Pelaſgico, oras Maritimæ Macedoniæ, continentem Dalmaticum, Aſiatica Ægæi littora, non tam paſſibus, quàm victoriis Virtus Veneta pervagata eſt. Hanc in tanto Principe prædicatura Romana Sedes ſacris muneribus miſſis, galero & gladio, Dei ſtipendiariam, & Chriſtianæ Religionis armigeram teſtata, ad novos pro Fide propaganda labores animavit. Quamobrem Mauroceno minimè licuit integrum triennium in pacato Principatu tranſigere. Graviſſimæ ſenex ætatis Reipublicæ univerſæ precibus arma capere, cogere Claſſem, in Orientem redire iterum imperator jubetur; ibi fugatis primo adventu hoſtibus, poſt ordinatam Provinciam, claſſe provectus in Aſiam, naves hoſtiles compulit intra latebras Byzantinas, undè erepſerant, inhoneſtam ſalutem quærere; iterum auſas Turcarum turmas in ſolo Veneto caſtra ponere, caſtra poſita incendere, fugam capeſſere coegit. Jamque pervicacem Eubœam cogitabat, cùm ad vitam immortalem vocatus eſt, ac Naupliæ in urbe Peloponneſi principe, quam Patriæ paraverat, animam poſuit VIII. Idus Januar. Anno MDCXCIV. Principatus VI., ętatis LXXVI. triumphale cadaver delatum Venetias, & in Regio ad Stephani Protomartyris Mauſoleo conditum vivit, viverque gloriæ Venetorum Principum, exemplo excelſe Poſteritatis.

II. SILVESTER VALERIO Dux Venetus CVIII. Bertuccii Ducis filius, Sereniſſimę Familię poſtremus, Amor Patrię pręcipuus, Patronorum Gymnaſii maximus ad quaſi hereditarium Principatum, qui in liberâ Civitate unâ virtute aditur, plaudente populo, Republica ſuffragante provectus eſt. A pueritia (1) intra adytum Regię, civilis Sapientię ſacris, bonarumque artium diſciplinis imbutus ad gerendam Rempublicam acceſſit nondum ętate major, cùm Marciam Purpuram induit ſpectabilis omnibus ex virtute pręcoci, & ex adulta in adoleſcente nondum adulto charitate erga Patriam. Hujus Ærarium bellorum neceſſitatibus expilatum, collatâ ex privato cenſu pecuniâ, auxit, & exemplo prævivit cęteris, quo diſcerent, deberi nos noſtraque Patrię; ac paribus meritis Cives magnanimos ad pręſtituta benemerentibus pręmia contendere, ſive laboribus bono publico conſulant, ſive opibus. Has mox Valerius effudit, cùm regio planè ſumptu Auguſtę Conjugi Leopoldi Cęſaris Margaritę legatus occurrit, & memorabili munificentiâ ita Germaniam conciliavit Italię, ut inde fędus illud exortum ſit, quo Chriſtiana res ſtetit; probatumque eſt, nihil eſſe timendum à Barbaris, adversùs hos omnia ſperanda Chriſtianis, ſi Chriſtianorum armis Chriſtiana Charitas imperet. Nec ſolùm opibus Patriam, conſilio quoque ac laboribus juvit. Nam & quinquies Orator ad Romanum Pontificem, ſancitâ Sacerdotii & Imperii ſocietate, utrumque ad tuendam propagandamque Religionem armavit: & Cuſtos finibus additus irrumpentes è Germania morbos ſonticos arcuit, & Curator Bibliothecę Beſſarionis Gręcas opes, eruditamque Gręci doctiſſimi hęreditatem, ſitu ereptam ac tineis, in debitum ipſi ſplendorem reſtituit, ut Armamentarium ſit Venetæ Sapientiæ, atque auguſtè perennet cum Auguſta Republica. Ærario etiam præfectus ſic publicam ex bellorum diſpendiis egeſtatem adminiſtravit, ut militibus ſtipendia certa nunquam defuerint, ſalvâ re Civium, ſalvo cenſu Gymnaſii, cui licuit eſſe dives egente Principe. Nempè moderabatur eodem tempore Silveſter hoc quoque, cui præfuit decennio literarius Triumvir quintùm, Gymnaſticæ felicitatis Patronus memorabilis, venerabilis, cujus in nos benefacta ſi velim, vel pro brevitate operis delibare, brevitatem, quam profiteor, prodiderim. Neque enim brevi verborum complexione ſignificarem ſedulò impenſam ab eo Privilegiis Gymnaſticis tutelam, conſtans in paranda Scholarum frequentia ſtudium, comitatem erga Profeſſores benevolam ſemper, atque munificam, taxatum ex Veneta liberalitate nummi Gymnaſtici pretium, retuſaſque parcæ nimis ſiniſteritatis argutias. Meritò igitur uni-

(1) Faſti Duc. à P. 328.

tur uni-

tur univerſa Doctorum Natio, memor officii, grati animi Monumentum illi ad Principatum evecto, poſitâ in ipſo Gymnaſio, & in Auguſto Gymnaſii Collegio Statuâ perennare juſſit, inſcripſitque, ut ſuperiùs annotabamus (1), nobis dictantibus, qui plus cæteris nos debere profitemur tanto Senatori & Principi, quo evocante ab Iſtrorum latebris, in hac luce publica Patavini Athenæi ad Sacrorum Canonum explanationem acceſſimus: quo curante ſtipendiis honeſtiſſimis aucti ſumus, quo jubente hoc ipſum opus exantlandum ſuſcepimus, aliter quidem conceptum eo vivo, mox dilatum, fidem fallentibus iis, qui ſe collecturos ſcribenda ſpoponderant; nunc tandem utrumque deproperatum, non ut nobis gloriæ ſit, ſed ut ſit noſtri teſtimonium obſequii apud publicam auctoritatem, quod promiſimus exigentem. Sedit Valerius Princeps annos circiter ſeptem in Solio, illudque prolatis Imperii finibus, pace cum hoſtibus conſtitutâ, glorioſè, feliciter tenuit ad Annum MDCC.

(1) lib. 1. c. 13. n. 7.

III. ALOYSIUS MOCENICO è Sereniſſima Familia Quintus, Reipublicæ Dux CIX. proprio nomine M. Antonius, adoleſcentiam ac juventutem optimis moribus ac diſciplinis excultam in Religionis ac Pietatis exercitationibus, Senatoriarumque virtutum ſtudio tranſegit, eò clarior ex his, quò modeſtior in ætate lubrica, in ditiſſima domo & Gente, avitâ tot Principum atque imperatorum gloriâ Reipub. Venetæ memorabili. Evocatus ad gerendos honores patrios, ſummis muneribus pacatiſſimè, juſtiſſimè functus eſt, præfuitque Patavio Prætor Anno (2) MDCLXXXIV., ac publicâ poteſtate ſecuritati, quieti, commodiſque Gymnaſii diligenter, ac peramanter conſuluit, Virorum Doctorum uſque ad familiaritatem & contubernium ſtudioſiſſimus (3). Inde Senator, Conſiliarius (4), XVir perpetuus vitæ reliquum ad ſenectutem bono publico, adminiſtrationi Juſtitiæ, præſertimque cultui Sacrorum impendit. His ipſam ſenectutem peculiariùs excolendis deſtinaverat, ſecurus honorum Patriæ, cùm eum feſſum ætate, nihilque tale cupientem expectantemve Valerii Principis obitus Septuagenario majorem vocavit ad Solium. Vixit in eo annos novem privatâ bonitate, auctoritate publicâ, priſcis moribus, priſcâque facundiâ, quę neque meditatò, neque per ſermonis luxum differeret, ſed quę ſciret, prudenter, appoſitè, graviter, officiis, petitionibus, negotiis reſpondere; ſibique, ac Reipublicę felicia tempora gratulari. Hoc enim Principe, rebus in Oriente pacatis ob inducias jurejurando barbarorum firmatas, Pax apud Venetos viguit, pax tamen armata, quæ nimirum è proximo ſtrepentes circa ſe bellorum tumultus tutò proſpicere, avertere fortiter, &, quod rarum, poſſet à victis æquè ac victoribus benevolentiam extorquere. Hac Patriæ glorioſâ ſecuritate felix Aloyſius occubuit Sæculi præſentis Anno IX. ætatis LXXXII.

(2) Catal. Prӕt. Salom. Inſcript. Pat. p. 573.
(3) Salom. Inſcr. Gym.
(4) Jo. Falat. Orat. Funebr. Leonardus Bonettus in Gratul. Funebr.

IV. JOANNES CORNELIO Familię, ex toties dictis, notiſſimæ IV., Dux Venetus CX. Franciſci Principis Nepos, Joannis Principis Abnepos, Georgii Cardinalis Epiſcopi Patavini frater, Mocenico ſuffectus eſt (5). A prima ætate Majorum exemplis formatus domi, artes optimas, Senatoriam prudentiam, munificentiam, ac regios planè ſpiritus contulit ad augendum vel exprimendum avitæ Majeſtatis decus, & gloriam: mox admotus gerendæ Reipublicæ, ita in minoribus ſe probavit, ut ad maxima natus his proludere videretur. Utino in Carnis præfectus, poſtquam populorum amorem, obſequium procerum, charitate, & humanitate feliciſſimè comparavit, hæc ipſa in bonum Provinciæ publicum tranſtulit, quam ſummo ſtudio, curâque laborioſâ ab ingerente ſe circumquaque peſtilentia tutatus eſt; inde Brixiæ præeſſe juſſus, regionem atque urbem, quamvis ditiſſimam, famis tamen cruciatu diuturno ſeminecem, Senatoriâ prorsùs induſtriâ ad priſtinam annonæ copiam revocavit; miris propterea laudibus, ac publicâ gratiarum actione à Brixienſibus laudatus, ac Prætorum poſteritati propoſitus ad exemplum Providentiæ utilitati publicæ ſervientis. Ad Carnos deinde iterùm rediit, ſed cum imperio, Propugnaculo Palmæ Proviſor ac Præſes ſupremus datus. Quo in munere apud Venetos auctoritatis, & honoris eximii, ita militaribus curis privata commoda populorum immiſcuit, ut anceps ſit, an imperator major, an Rector, Prætorve ad rem politicam procurandam fuerit magis idoneus. Nam & mirâ gravitate intra officia diſciplinæ præſidiarios continuit, & eâ conſtantiâ Turri fluminis torrentes aquas, agriſque quotannis vaſtitatem inferentes compeſcere aggreſſus eſt, ut Carni ſperaverint tanto malo remedium ſub Cornelio, ſi diutiùs imperaſſet. Sed illum accivit Patria ad interiora, & propiora conſilia, inductumque in Sacrarium Juſtitiæ regnatricis eo uſque in XViralibus ſubſelliis detinuit, dum Solium vacaret, in quod ab obitu Aloyſii Mocenico nec petens, nec prænſans, ſecurus certè tantæ dignitatis, evectus eſt. Sedebat cùm hæc ſcribebamus in hoc honorum faſtigio vir ſua virtute, Fratris Eminentiſſimi Purpurâ, Filiorum quà ſacris, quà profanis munerum pręclariſſimorum inſigni-

(5) Leonard. Bonet. Orat. inſcript. vota obſequii.

inſignibus felix, nec minùs Reipublicæ ſoſpitalis, cui feliciſſimè præfuit, quamque, quamvis impotenti Turcarum perfidiâ multatam Peloponneſò, ſuis auſpiciis incolumem in Inſula Corcyra hoſtium copiis, claſſibuſque in fugam compulſis, victricem in Illyride fecit, ſubactis arcibus, prolatis finibus, Imperio producto. Deceſſit ſeptuagenario major hoc Anno MDCCXXII. Prid. Idus Auguſti biduo poſt obitum Fratris.

V. ALOYSIUS MOCENICO, nomine proprio Sebaſtianus, in Familia Sereniſſima VI., Dux Venetus CXI. Patronorum noſtrorum ut dignitate, ita benignitate, & clementiâ maximus. Adoleſcentiam liberalibus diſciplinis, Juventutem ſtudiis martialibus imbuit, ad quæ illum efformaſſe natura viſa eſt, cum illi, nondum profeſſo militiam, ea contulit militaris indolis ornamenta, quæ in priſcis Imperatoribus olim ſuſpexit Antiquitas, proceritatem, ac robur corporis, majeſtatem oris, ardorem animi, laborum patientiam, largitatem, facilitatem, munificentiam, & quæ e vi militaturo præcipua eſt, ſummam erga Patriam charitatem. Hac armatus occurrit in Ægæo Barbaris pluries, eorumque ſanguine Venetà tinxit apluſtria; hac provocatus eorundem disjecit inſidias, periclitantemque civium claſſem periculo exemit, & ad victoriam erexit; ac pervagatus hoſtiles oras, Bello Peloponneſiaco triumphalem inde pacem avexit in patriam. Ergo Paci colendæ, tutandæque in Dalmatiâ cum imperio præfectus, Provinciam illam compoſuit, ordinavit, fortunavitque, tanta eum gloria Veneti nominis, ac ſui, quantam Præſides munifici referunt è Provinciis, cùm ibi rerum omnium copiâ relictâ, domum referunt nihil, præter nobilem inopiam, veramque ex bene adminiſtrata Republica commendationem. Nec aliter Mocenicus imperator in Græcia. Hanc ita Patriæ ac ſibi demeruit, vir planè magnanimus, ut etiamnum ejus beneficentiæ litet gens ex ingenio ſolita beneficentiam ex merito, & experientia factorum ſubtiliter æſtimare. Rebus in Oriente ſanctè ordinatis, redux Venetias, harum deliciis, ac liberali otio diu frui non potuit, animumque quiete domeſticâ relaxare; juſſus militaria ſimul ac literaria ſtipendia procurare, præfuit Patavio An. MDCCXIV., atque ea vigilantiâ Ærarium publicum, Arcamque Gymnaſticam, eâ Charitate civium felicitatem & commoda, eâ humanitate Nobilium animos toto magnifici Magiſtratûs tempore complexus eſt, ut amatus ab omnibus, omnes amaverit, &, quod raró contingit, cùm ingens deſiderium ſui Patavio diſcedens reliquerit, non minùs deſiderium Patavii ſe Venetias deferre profiteretur. Sed eum ærumnoſa Patriæ tempora iterum evocabant ad bellum. Quamobrem iterum ad Dalmatas rediit cum imperio, atque apud hos damna Reipublicæ in Oriente concuſſæ felicibus auſpiciis, ac ſuis glorioſiſſimè reparavit; munitis ubique Provinciæ finibus, hoſtibus victis profligatiſque, auctâ ditione ad Imoſchum, territâ Occidentali Macedoniæ parte, repulſis cum clade barbaris, & coactis latebras quærere, donec pax tandem cum Thracibus conſtituta eſt; datuſque finibus imperii ſanciendis arbiter, his ex utilitate Patriæ poſitis, ad hanc poſt ingentes labores, atque diſcrimina, rei duntaxat privatæ, ut ſolet, diſpendio nobilis remeavit. Eum nos huc religionis cauſâ profectum excepimus gratulabundi, venerabundi ſalutavimus, &, quod ipſe, quâ eſt erga nos benignitate, mavult, Patronum egregium, atque etiam amicum eximium amplexi ſumus; Jamque illi augurabamur maris imperium, cùm eum Patria deſtinabat ad Solium publicæ Majeſtatis. Ad hoc evectus eſt IX. Kal. Septemb. hoc Anno MDCCXXII., ex eo diu, quod feliciſſimum fauſtiſſimum ſit Auguſtæ Reipublicæ, cui præſidet, noſtris votis imperaturus.

CAPUT IX.

De Triumviris Patavini Gymnaſii Moderatoribus.

I. PRoximam à Senatu poteſtatem in Archilycæum Patavinum habent Literarii Triumviri, quorum auctoritate res Gymnaſtica regitur. Magiſtratûs hujus Originem, ordinem, ac ſucceſſionem ad Annum MDLXXI. ignoraſſe ſe profitetur Tomaſinus non uno in loco, ſed præſertim ubi ſeriem ejus (1) orditur, quam protrahit ad Annum MDCLIII. Noſtri conatus repererunt hæc omnia, quæ proinde hic poſteritati noſtræ proponimus, ea breviter ex officio repetentes, quæ negligenter omiſſa ſunt, ut deinde illis omiſſis, quæ ſunt notata, ex tituli fide, Gymnaſii Moderatores excellentiſſimos ad hæc noſtra tempora nominemus.

(1) lib. 3. Gym. c. 43. p. 345.

II. Triumviri literarii, olim Duumviri, mox IVViri ab Origine *Reformatores* appellantur, nomenclatione ex munere deductâ, quo quaſi Cenſores Gymnaſii, ſi quid peccatum à Profeſſoribus vel Diſcipulis; ſi quid more non bono inductum obrepſiſſet; ſi quid

ſi quid ad utilitatem, ſplendoremve Scholarum deeſſet, in formam revocabant novam, corrigebant, emendabantque. Sub Republica Patavina, cujus auſpicium præſeferebant Prætores Urbani, mox ſub Principatu Carrarienſium, quorum ſupremâ poteſtate fungebantur dati ab illis Prætores: imò etiam ſub ipſa Republicâ Venetâ, ut conſtat ex priſcis (1) legibus Patavinis, quarum extat MS. exemplar apud Minoritas, quos vocant de Obſervantia, Magiſtratus huiuſmodi non ultra arbitrium boni Viri fuit. Eligebantur Cives Patavini duo, vel quatuor ſpectatæ virtutis, probitatis, atque prudentiæ, qui annali miniſterio, quid in Gymnaſio ageretur, obſervarent, acta ejus expenderent, de meritis Profeſſorum cenſerent, notarent delicta, negligentiam, diligentiamve conſiderarent, atque in anni Gymnaſtici fine ad Principem, Rectoremve hæc ipſa referrent, ſimul exponerent, qui vacantibus Exedris dandi ſucceſſores, undè ſtipendiis pecunia ſuffectura deſumi poſſet, quæ conſuetudines abrogandæ; omnia denique propoſitâ ſyngraphâ auctoritati publicæ ſubjicerent, quò ſancirentur, & bono publico profuturam legem acciperent.

III. His, quos Nomenclatores, monitoreſve potiùs fuiſſe autumo, quàm literariæ Præfectos Reipublicæ; His, inquam, Gymnaſii Moderatoribus res Patavii ſcholaſtica diù ſtetit, ac viguit, ut proximè dicebam, etiam ſub Venetis per Sæculum integrum, ad annum ſcilicet MDXV. quo cum Republicâ Venetâ, ab ærumnis ex fœdere Cameracenſi toleratis ad priſtinam gloriam poteſtatemque reſtitutâ, clauſum ſexennio Gymnaſium recludi, priſcis legibus vivere, & ad nativum doctrinæ decus adſpirare cœpit. Accurrenti tamen undequaque diſcipulorum frequentiæ Magiſtri deerant, publicis prælectionibus cum laude ſuffecturi. Quamobrem miſſi Patavio Legati, Cives clariſſimi, à benigniſſimo Principe poſtularunt, ut reſurgenti Gymnaſio conſuleret, piamque manum porrigeret, quò citiùs antiquis viribus ſtaret, & in ſpem ampliſſimorum fructuum effloreſceret. Annuit publica providentia, editumque eſt (2) Senatuſconſultum Soterion Gymnaſticæ fauſtitati, quo primùm data poteſtas eſt Sapientiæ Majoris Collegio Triumviros eligendi Academiam Patavinam moderaturos. Lecti ſunt Clariſſimi Senatores, tres Juriſprudentiæ lauro redimiti, Georgius Piſanus D. & Eques, Marinus Georgius D., Antonius Juſtinianus Doctor.

IV. Horum mihi Familiis & meo, & Gymnaſii nomine procumbere liceat, & debitas grates rependere, quòd & Gymnaſio Magiſtratûs Excellentiſſimi, quo feliciſſimè gubernatur, initium fecere, & mihi cum ad, quod obeo, munus præclarum auſpicium, tum incrementum fortunæ, qua fruor, tum denique ad nominis, ac dignitatis vix ſperandam claritudinem patrocinium conſtans, efficax, operoſum præſtiterunt. Nam in Juſtiniana Familia, quæ Imperatoriis titulis apud Græcos clara, ſummis apud Venetos honoribus ab ultima ſtirpe ſemper enituit, Hieronymus Aſcanius Hieronymi D. M. Procuratoris filius, publicæ Sapientiæ Myſtes, literarius Triumvir, me primus honeſtâ mercede ad Exedram evocavit, dilexit, fovit clementiâ ſingulari; Quæ ſanè bono noſtro perennat in Excellentiſſimis poſteris, tum Hieronymo ejus Nepote D. M. P. graviſſimo, ſapientiſſimo, & legum, atque obſequii legibus debiti exactore vigilantiſſimo, tum in Agnato M. Antonio Sereniſſimi Principis Juſtiniani nepote, ac D. M. P. ampliſſimo, cujus, dum hæc ipſa ſcribimus, benigniſſimo patrocinio utimur, ac venerabili præſidio gaudemus.

V. Jam è Familia Georgia fortunæ noſtræ feliciſſimè prodiit Marinus, vir avitæ pietatis & ſanctimoniæ, ex Marino quinquageſimo Principe ad annum MCCCXIX. cuſtos, atque æmulator egregius. Is Patavio An. MDCXC. præfectus lectiſſimos juvenes, & ad ſpem Reipublicæ natos inſtitutioni noſtræ concredidit, vivitque ex his alter, noſtræ gloriæ diu victurus in Procuratoria D. M. purpura Franciſcus paternæ virtutis, & Sapientiæ locupletiſſimus hæres, imò benignitatis quoque, & erga nos officii, quod pater ejus Senator fortunis ſemper noſtris memorabilis, in Sapientûm Collegium adſcitus, & Moderator Gymnaſii per annos octo nobis conſtanter exhibuit, ad incrementum noſtræ dignitatis humaniſſimè contulit, amantiſſimè noſtris commodis voluit obligatum.

VI. Sed præ his omnibus addictiſſimum me ſibi cultorem poſcit Piſana Familia, quæ ut publico bono nata, à ſæculo XIII. ſumma cum poteſtate Claſſibus imperaverit, in ipſas hoſtium ſtationes triumphales auſus intulerit; atque ſociis ubique ſoſpitalis, quod continetur terris mare victoriis ac felicibus præliis luſtravit: ut ſaluti devota patriæ hanc miſerè bello liguſtico obſeſſam, & inſidiis Carrarienſium labefactatam, atque in extremo libertatis diſcrimine poſitam per Victorem belli Ducem fortiſſimum erexerit, confirmaverit, illuſtrarit, victis ſubactiſque Liguribus ad Clodiam, fugatis ab Iſtria,

(1) Rubrica 20. de Refor. Studii p. 20.

(2) 21. Feb. 1516. in Rog. ex Tabul. Triumvir. Magiſtr.

Iſtria, disjectis ac laceratis ad Peligna littora: denique ut ſummis ſemper Magiſtratibus functa, crebris Claſſium Imperiis clara, Romanâ ſæpè, ſæpiſſimè Marciana purpurâ inſignis, munificentiâ urbem, conſilio, & auctoritate Rempublicam, ope ac præſidio clientelas juverit, provexerit, foverit; attamen eo mihi nomine memorabilis eſt, eritque, quod Senatorem ampliſſimum Aloyſium Piſanum Legationibus ad Supremos Principes obitis, Collegio Venetæ Sapientiæ, Ordine Equeſtri, Marciâ purpura, literario Triumviratu ſpectandum, venerandumque mihi, ac fortunæ meæ patronum beneficentiſſimum dederit, cui cùm communia cum Profeſſoribus reliquis, omnium licet minimus, beneficia debeam, illud præ reliquis debeo, quòd lectus à Gymnaſio unus ad certamen, quo Rotæ Romanæ dignitas à viris clariſſimis petebatur, exemplo raro hac ætate, qua vivimus, ex tot, ac tantis genere ac virtute præſtantibus, patriciâ quoque Nobilitate cenſendis Competitoribus inter quatuorviros relatus fuerim ab Auguſto Senatu ad id muneris deſtinatos: quo ſane quamvis exciderim alieno ſuffragio, attamen hoc ipſum nec triſte non ultra quietem honeſtam, ac literatum ſeceſſum ſuperos laceſſenti, & glorioſum, atque etiam ex voto fuit mihi, cui nimirum licuit, licebitque quoad vixero, uni Deo, meoque Principi, (ſub quo natus qualicunque in luce generis vixi, à quo amiſſâ patria, poſt ærumnas erroreſque familiares exulibus, exceptus benigniſſimo ſinu, ad hæc vitæ commoda, ad hoc laborum pretium, ad hoc honoris & dignitatis decus provectus ſum) vitam, ſpiritum, omnia, & qui cæteris præſtat omnibus, obſequentiſſimum calamum devovere.

VII. Hactenus quod ad grati animi juſtum, ac verum officium debebamus, datâ ex primis Gymnaſii Moderatoribus præclarâ, & opportunâ occaſione, perſolvimus. Redìmus nunc ad propoſitum. His primis IV. Kal. Septembris Anno MDXVII. tributa Senatus Conſulto poteſtas eſt ea circa Gymnaſium, ejuſdemque Magiſtros atque Diſcipulos Senatui proponendi, ac Senatûs auctoritate ſanciendi, quæ rei Gymnaſticæ viderentur utilia, ſive conducendi Lectores eſſent, ſive decernenda illorum ſtipendia, & ratio ſtudiorum diſcentibus præſcribenda; perrexeruntque deinceps hæc ipſa agere ad annum MDXXVII., quo Moderatorum creatio à Sapientûm ſuffragiis ad arbitrium Senatûs unius translata (1) eſt, ut non niſi Senatores, & à ſolo Senatu eligerentur, qui id muneris exercerent biennio, ex eoque ad unum Senatum referrent, quæ ad Magiſtratum ampliſſimum pertinerent. Sic honor hic in Republica Veneta eximius plenè planèque conſtitui viſus eſt, ſtetitque ab initio in iis plerunque Sapientiſſimis Senatoribus, qui Magiſterii laureâ, & Doctorum Inſignibus ornabantur, eâ ſerie, quam ſtatim adjiciemus.

(1) Ex libr. III Viral. p. 10.

CAPUT X.

Faſti Triumvirales ad Annum MDLXXII. & in iis, quos ad An. MDCLII. Tomaſinus recenſet, notæ.

L. 1528. 17. Octobris
Sebaſtianus Foſcareno Doctor.
Nicolaus Theupolo Doctor.
Laurentius Bragadeno Doctor.

1530. 29. Septembris
Marcus Minius Doctor.
Laurentius Bragadeno Doctor.
Sebaſtianus Foſcareno Doctor.

1531. 3. Martii
Marcus Minius Doctor.
Gaſpar Contareno Doctor.

1531. 13. Octobris
Marcus Minius Doctor.
Marinus Georgius Doctor.
Gaſpar Contareno Doctor.

1532. 24. Maii
Sebaſtianus Foſcarenus Doctor.
Laurentius Bragadeno Doctor.
Gaſpar Contareno Doctor.

1533.
Laurentius Bragadeno D.
Nicolaus Theupolo D.
Sebaſtianus Foſcarenus D.

1534. 29. Septembris
Sebaſtianus Juſtinianus.
Joannes Baduario D. & Eq.
Nicolaus Theupolo D.

1539. 1. Julii
Sebaſtianus Juſtinianus.
Nicolaus Theupolo D.
M. Antonius Venerius D.

1540. 13. Decembris
Marcus Minius D.
Sebaſtianus Foſcareno D.
Antonius Suriano D. & Eq.

1543. 8. Octobris
Nicolaus Theupolo D.
Hieronymus Polano D.
Laurentius Priolo Eques.

1545. 18. Julii
Sebaſtianus Foſcareno D.
Nicolaus de Ponte D.
M. Antonius Venerio D.

1548. 19. Januar.
Hieronymus Theupolo D.
Hieronymus Polano D.
Laurentius Priolo Eques.

1549. 8. Octobris
Sebaſtianus Foſcareno D.
M. Antonius Venerio D.
Nicolaus à Ponte D. & Eq.

1551. 7. Septembris
Laurentius Priolo Eques.
Petrus Franciſcus Contareno.

1552. 2. Aprilis
Marinus Caballi Eques.
Petrus Franciſcus Contareno.
Dominicus Bolanus Eques.

1552. 18. Novembris
Petrus Franciſcus Contareno.
Dominicus Maurocenus Eq.

1553. 16. Septembris
Franciſcus Baduarius D.
Bernardus Navagerius D.
Matthæus Dandulo Eq.

1554. 19. Januarii
Matthæus Dandulo Eq.
Vincentius Diedo.
Bernardus Navagerius D.

1554. 17. Septembris
Bernardus Navagerius D.
Hieronymus Ferro.
Matthæus Dandulo Eq.

1555. 28. Aprilis
Marinus Caballi Eq.
Hieronymus Ferro.

1556. 8. Octobris
M. Antonius Amuleus Eq.
Franciſcus Baduario D.

Marcus Maurocenus D.

1559. 17. Novembris
Bernardus Georgio D.
Nicolaus à Ponte D. & Eq.
M. Antonius Amuleus Eq.

1560. 7. Octobris
Bernardus Georgio D.
Nicolaus à Ponte D. & Eq.
Petrus Sanuto.

1560. 2. Decembris
Nicolaus à Ponte D. & Eq.
Marinus Caballi Eq.
Petrus Sanuto.

1561. 9. Decembris
Marinus Caballi Eques.
Petrus Sanuto.
Franciſcus Baduario D.

1562. 30. Januarii
Federicus Valareſſo.
Franciſcus Baduario D.
Joannes Baptiſta Contareno.

1563. 2. Septembris
Bernardus Georgio D.
Federicus Valareſſo.
Marinus Caballi Eq.

1564. 2. Septembris
Bernardus Georgio D.
Marinus Caballi.
Nicolaus à Ponte D. & Eq.

1565. 19. Januarii
Nicolaus à Ponte D. & Eq.
Federicus Valareſſo.

1565. 26. Septembris
Federicus Valareſſo.
Petrus Sanuto.
Michael Surianus Eq.

1568. 23. Octobris
Petrus Juſtinianus.
Jacobus Fuſcarenus.
Jacobus Surianus Eq.

1570. 10. Julii
Nicolaus à Ponte D. & Eq.
Federicus Valareſſo.

1572.
Nicolaus Foſcareno D.
Joannes Michaelius Eq.
Jacobus Surianus Eq.

II. Hactenus ex Codice Triumvirali omiſſos ad annum MDLXXII. à Tomaſino notavimus. Quos ille deinceps accuratè ſignat, ac nominat (1) ad Annum MDCLIII., noſtri non eſt operis proponere, ne dicta repetamus otiosè. Pauca hæc obitèr addimus, eaque Auctarii loco ſunto, quò pateat tanti Magiſtratûs majeſtas, ac decus. Ex his, quos proximè recenſuimus, alii Doctrinæ ſingularis, & eximiæ virtutis laude, alii dignitatibus Sacris, Inſularumque præcipuarum ſplendore, imperio alii, & ſupremá rerum publicarum adminiſtratione claruere: ut ab ipſo Magiſtratûs initio, non temerè dixeris, in Triumviris Gymnaſio præfectis Venetæ Reipublicæ gloriam magna ſui parte ſtetiſſe. Nam in his Sebaſtianus Foſcarenus ter in Continente duxit Exercitus, Monteroſſio (2) teſte, victorque, ac triumphator Commentarios rerum à ſe geſtarum ſcripſit, Cæſareis æquiparandos. Jacobum Foſcarenum ſummis legationibus functum egregiè, pacique, ac bello utilem præfuiſſe mari bis Claſſibus Venetis datum imperatorem, narrat Andreas (3) Maurocenus, nec aliis Titulis deſignantur à Salomonio (4), Mari-

(1) lib. 3. Gym. c. 43. p. 345–349.
(2) in Diar. Rer. Patav.
(3) hiſt. Venet. lib. 15.
(4) Inſcript. Gymn.

Marinus Caballi, Matthæus Dandulo, Jacobus Surianus, Equites, Oratores eximii domi foriſque, militiæ fortiſſimi Duces.

III. Purpuras, & Sacros Magiſtratus Bernardi Naugerii, M. Antonii Amulei, Gaſparis Contareni ex Operis ordine, atque inſtituto laudabimus alibi, hìc ſapientiam, & ex doctrina famam notamus, qua non hi tantum, ſed cæteri quoque ſuperiùs propoſiti Moderatores Gymnaſii præſtitere, atque in his maximè Laurentius Priolo Dux Venetus LXII., de quo lege quæ ſcripſimus (1). Laurentius Bragadenus Philoſophiæ in urbe Patriciæ Profeſſor eruditiſſimus, ac Gaſparis Contareni (2) Præceptor. Antonius Surianus, & ex eadem familiâ Michael, Doctores, & Equites; quorum alterum Cl. Zenus (3) virum appellat doctiſſimum, & ſua ætate gerendæ Reipublicæ ſcientiſſimum, alterum Natalis de Comitibus (4) celebrat, & ex legatione ad Maximilianum II. memorat Maurocenus (5). Nec minorem glorię ſegetem ſibi ac bono publico colligent poſteri, ſi quem habet Indicem Tomaſinus, & à nobis omittitur, accuratè conſiderent, inſpiciantque, præter Laurentium Priolum Equitem, mox Venetum Patriarcham, tandemque in purpuratum S.R.E. Senatum à Clemente VIII. adſcitum, præter Andream Maurocenum ſummum Hiſtoricum, ac Dominicum Molinum omnium literatorum Superioris Sæculi & Principem & patronum, albo Triumvirali, intra octoginta circiter annos, inſcriptos D. M. Procuratores & Equites ſupra triginta, Duces Venetos treſdecim.

IV. Sunt autem Equitum ac Procuratorum hæc nomina. Paullus Theupolo Triumvir An. 1581. Jacobus Superantius 1583. Vincentius Maurocenus 1584. Joannes Michael 1585. 1591. Antonius Barbarus 1587. 1593. 1594. 1622. 1626. Jacobus Foſcarenus 1588. 1596. 1600. Jo. Franciſcus Priolo 1590. 1604. Aloyſius Georgius 1590. Paulus Paruta 1598. Joannes Delphinus 1600. Joannes Mocenico 1612. Nicolaus Sagredo 1613. Auguſtinus Nanius 1615. 1620. 1626. Antonius Landus 1616. 1618. Hieronymus Juſtinianus 1617. Joannes Cornelius 1618. Franciſcus Maurocenus 1620. 1630. 1636. Hieronymus Superantius 1624. 1632. Hieronymus Cornelius 1625. 1629. 1633. Zacharias Sagredo 1627. Sebaſtianus Venerius 1631. Simon Contarenus 1633. Joannes Nanius 1634. 1640. Aloyſius Valareſſo 1644. Petrus Sagredo 1644. 1649. Angelus Contareno 1646. 1652. Vincentius Guſſonus 1651. Andreas Contarenus 1653.

V. At Veneti Principes his octoginta circiter annis quotquot ad ſolium Venetæ libertatis evecti ſunt penè dixerim omnes ex Triumvirali Collegio prodiere. Hos ad idipſum hìc ſigillatim enumeratos accipe, quos ex dictis ſuperiùs pleniùs agnoſces.

Nicolaus à Ponte IIIVir Annis 1545. 1549. 1559. 1564. 1570. 1574. Doctor, Eques D. M. P. An. 1570. Dux Venetus An. 1578.

Marinus Grimanus IIIVir An. 1584. 1593. Eques D. M. P. Dux Venetus LXXXVIII. An. 1595.

Leonardus Donato IIIVir An. 1598. 1604. Eques D. M. P. Dux Venetus LXXXIX. An. 1605.

M. Antonius Memo IIIVir An. 1602. 1608. D. M. P. Dux Venetus XC. An. 1612.

Nicolaus Donato IIIVir An. 1611. D. M. P. Dux Venetus XCII. An. 1618.

Antonius Priolo IIIVir An. 1602. 1607. 1612. 1615. 1617. Eques & D. M. P. Dux Venetus XCIII. An. 1618.

Franciſcus Contareno IIIVir An. 1610. 1616. 1622. Dux Venetus XCIV. Eques D. M. P.

Joannes Cornelius IIIVir An. 1618. 1622. Eques & D. M. P. Dux Venetus XCV. An. 1624.

Nicolaus Contareno IIIVir An. 1614. 1623. 1628. Dux Venetus XCVI. An. 1630.

Franciſcus Ericio IIIVir 1620. 1621. Imperator, Eques D. M. P. Dux Venetus XCVII. An. 1631.

Franciſcus Molino IIIVir An. 1606. 1610. Eques D. M. P. Dux Venetus XCVIII. An. 1645.

Bertuccius Valerio IIIVir 1645. 1650. 1655. Eques D. M. P. Dux Venetus CI. An. 1656.

Joannes Piſauro IIIVir 1647. 1651. 1657. Eques D. M. P. Dux Venetus CII. An. 1658.

(1) hoc lib. c. 4. n. 10.
(2) Oldoin. ad Ciaccon. T. 3. p. 578. & ſeq.
(3) in Vit. Parutæ T. 3. p. 8. not. 6. Edit. Venet. hiſtor.
(4) Hiſt. lib. 20. p. 453.
(5) Hiſt. lib. 8. p. 714. Edit. Venet.

CAPUT XL

Moderatores Gymnaſii ab Anno 1653. ad 1724. ex Tabulario Triumvirali.

1653.	13. Maii.	LEonardus Emo Leonardi Filius.
	24. Maii.	Andreas Contareno Eq. D. M. P. Caroli Principis Filius.
	15. Julii.	Franciſcus Cornelius Jo. Principis Filius ipſe Princeps 1656.
1655.	19. Martii.	Bertuccius Valerius Eq. Silveſtri Filius ipſe Princeps An. 1656.
		Andreas Piſanus D. M. P. Vincentii Filius.
	19. Maii.	Joannes Donato Aloyſii Filius.
	11. Auguſti.	Nicolaus Capello Franciſci Filius.
		Leonardus Emo Leonardi F.
1657.	19. Maii.	Joannes Piſauro Eq. D. M. P. Victoris F. Ipſe Princeps An. 1658.
	25. Auguſti.	Andreas Contareno Eq. D. M. P. Caroli Principis Filius.
1658.	4. Julii.	Nicolaus Sagredo Eq. D. M. P. Zachariæ Filius.
1659.	12. Nov.	Nicolaus Capello Franciſci Filius.
	12. Nov.	Joannes Donato Aloyſii Filius.
1660.	10. April.	Andreas Piſanus D. M. P. Vincentii F.
	27. Nov.	Joannes Baptiſta Nanius Eq. Joannis Eq. & D. M. P. Filius.
1661.	17. Decemb.	Andreas Contareno Eq. D. M. P. Caroli Principis F.
1662.	6. Junii.	Nicolaus Sagredo Eq. D. M. P. Zachariæ F.
	29. Nov.	Angelus Corrarius D. M. P. Hierony. F.
1663.	15. Decemb.	Joannes Donato Aloyſii F.
1664.	4. Junii.	Andreas Piſanus D. M. P. Vincentii F.
	12. Decemb.	Baptiſta Nanius Eq. D. M. P. Joannis Eq. & D. M. P. Filius.
1665.	18. Decemb.	Andreas Contareno Eq. D. M. P. Caroli Principis F.
1666.	12. Junii.	Nicolaus Sagredo Eq. D. M. P. Zachariæ F.
		Angelus Corrarius Eq. D. M. P. Hierony. Fil.
1667.	14. Decemb.	Aloyſius Contareno Eq. D. M. P. Nicolai F.
1668.	16. Junii.	Andreas Piſanus D. M. P. Vincentii F.
	23. Febr.	Jo. Baptiſta Nani Eq. D. M. P. Joannis F.
1669.	28. Decemb.	Andreas Contareno Eq. D. M. P. Caroli Principis F.
1670.	13. Aug.	Nicolaus Sagredo Eq. D. M. P. Zachariæ F.
	28. Febr.	Petrus Baſadonna Eq. D. M. P. Aloyſii F. poſtea Cardinalis.
1671.	29. Januar.	Aloyſius Contareno Eq. D. M. P. Nicolai F. Dux Venetus An. 1675.
1672.	14. Septem.	Angelus Corrario Eq. D. M. P. Hieronymi Fil.
1673.	7. Martii.	Baptiſta Nanius Eq. D. M. P. Joannis F.
	3. Febr.	Andreas Contareno Eq. D. M. P. Caroli Principis F.
1674.	6. Octob.	Nicolaus Sagredo Eq. D. M. P. Zachariæ F. Dux Venetus An. ſeq. 1675.
	9. Febr.	Aloyſius Priolo D. M. P. Hieronymi Eq. F.
1675.	22. Mart.	Aloyſius Mocenico Aloyſii Filius.
	15. Maii.	Silveſter Valerio Eq. D. M. P. Bertuccii Principis F.
1676.	20. Febr.	Angelus Corrario Eq. D. M. P. Hieronymi F.
1677.	10. April.	Baptiſta Nanius Eq. D. M. P. Jo. Eq. & D. M. P. Filius.
	4. Aug.	Leonardus Piſauro D. M. P. Franciſci F.
1678.	4. Maii.	Petrus Mocenico Eq. Nicolai F.
1679.	17. Maii.	Aloyſius Priolo D. M. P. Hierony. F.
	17. Maii.	Silveſter Valerio Eq. D. M. P. Bertuccii Principis F.
	2. Septem.	Nicolaus Venerio D. M. P. Hierony. F.
1680.	4. Januar.	Joannes Maurocenus Eq. D. M. P. Aloyſii D. M. P. Fil.
1681.	21. Maii.	Hieronymus Baſadonna D. M. P. Aloyſii F.
	19. Sept.	Leonardus Piſauro D. M. P. Franciſci F.
1682.	26. Aug.	Petrus Maurocenus Joannis F.
	7. Januar.	Hieronymus Aſcanius Juſtinianus Hierony. D. M. P. Fil.
1683.	24. Martii.	Federicus Marcellus Andreæ F.
	25. Maii.	Silveſter Valerio Eq. D. M. P. Bertuccii Principis F.
1684.	11. Januar.	Nicolaus Venerio D. M. P. Hieronymi F.

1685.	15. Martii.	Hieronymus Gradonico D M.P. Danielis F.
	28. Junii.	Hieronymus Baſadonna D.M.P. Aloyſii F.
1686.	18. Januarii.	Hieronymus Aſcanius Juſtinianus Hieronymi D.M.P. Fil.
1687.	15. Mart.	Federicus Marcellus Andreę F.
	5. Junii.	Silveſter Valerio Eq. D.M.P. Bertuccii Principis F.
1688.	20. Januar.	Nicolaus Venerio Eq. D.M.P. Hieronymi F.
1689.	13. Julii.	Hieronymus Baſadonna D.M.P. Aloyſii F.
	23. Mart.	Hieronymus Gradonico D.M.P. Danielis F.
	4. Aug.	Laurentius Superantius Andreę F.
1691.	7. April.	Federicus Marcellus D.M.P. Andreę F.
	2. Junii.	Silveſter Valerio Eq. D.M.P. Bertuccii Principis Filius, ipſe Dux Venetus An. 1709.
	8. Aug.	Aſcanius Juſtinianus Eq. Antonii F.
1693.	8. April.	Sebaſtianus Foſcareno Eq. D.M.P. Aloyſii Fil.
	23. Julii.	Hieronmus Baſadonna D.M.P. Aloyſ. Fil.
	12. Aug.	Hieronymus Aſcanius Juſtinianus Hieronymi D.M.P. Fil.
1695.	7. April.	Federicus Marcellus D.M.P. Andreę F.
	23. Julii.	Laurentius Superantius Andreę Fil.
	10. Aug.	Aſcanius Juſtinianus Eq. Antonii F.
1696.	23. Junii.	Franciſcus Cornelius D.M.P. Nicolai F. Eq. D.M.P.
1697.	11. April.	Sebaſtianus Foſcarenus Eq. D.M.P. Aloyſii F.
	17. Aug.	Hieronymus Baſadonna D.M.P. Aloyſii F.
	2. Novem.	Hieronymus Venerio Eq. Nicolai D.M.P. Fil.
1698.	28. Jun.	Antonius Grimanus Eq. D.M.P. Joannis D.M.P. Fil.
	4. Octob.	Laurentius Superantius Eq. Andreæ F.
1699.	7. Mart.	Aſcanius Juſtinianus Eq. Antonii F.
	14. April.	Federicus Marcellus D.M.P. Andreæ F.
	12. Aug.	Aloyſius à Muſto D.M.P. Jacobi F.
	3. Septem.	Hieronymus Venerio Eq. D.M.P. Nicolai Eq. D.M.P. Fil.
1701.	16. April.	Franciſcus Cornelius D.M.P. Nicolai Eq. D.M.P. Fil.
		Joannes Lando Eq. D.M.P. Antonii F.
	17. Sept.	Sebaſtianus Fuſcareno Eq. D.M.P. Aloyſii F.
1703.	20. April.	Federicus Marcellus D.M.P. Andreæ F.
		Marinus Georgius Marini F.
	20. Sept.	Hieronymus Venerio Eq. D.M.P. Nicolai D.M.P. Fil.
1705.	30. April.	Joannes Lando Eq. D.M.P. Antonii F.
		Franciſcus Lauretano Eq. D.M.P. Leonardi Fil.
	26. Sept.	Sebaſtianus Foſcareno Eq. D.M.P. Andreæ F.
1707.	7. Maii.	Federicus Marcellus D.M.P. Andreæ F.
		Marinus Georgius Marini F.
	8. Octob.	Hieronymus Venerio Eq. D.M.P. Nicolai D.M.P. Fil.
1709.	1. Junii.	Franciſcus Lauretano Eq. D.M.P. Leonardi F.
		Carolus Ruzinus Eq. D.M.P. Marci D.M.P. Fil.
	10. Octob.	Aloyſius Piſanus Eq. Jo. Franciſci F.
1711.	10. Junii.	Federicus Marcellus D.M.P. Andreæ F.
		Marinus Georgius Marini F.
	12. Octob.	Hieronymus Venerio Eq. D.M.P. Nicolai D.M.P. Fil.
	27. Febr.	Jo. Franciſcus Maurocenus Eq. Dominici F.
1713.	20. Junii.	Franciſcus Lauretano Eq. D.M.P. Leonardi F.
	14. Octob.	Aloyſius Piſanus Eq. D.M.P. Jo. Franciſci F.
1714.	8. Mart.	Carolus Ruzinus Eq. D.M.P. Marci D.M.P. F.
1715.	8. Aug.	Marinus Georgius Marini F.
	19. Octob.	Hieronymus Venerio Eq D.M.P. Nicolai D.M.P. Fil.
1716.	30. Mart.	Laurentius Theupolo Eq. D.M.P.
	3. Octob.	Franciſcus Superantius D.M.P.
1717.	4. Novemb.	Michael Maurocenus Laurentii F. Peloponneſiaci Nepos.
1718.	2. April.	Jo. Petrus Paſchalico Vincentii F.
.	13. Octob.	Aloyſius Piſanus Eq. D.M.P. Jo. Franciſci F.
1719.	7. Decemb.	Jo. Franciſcus Maurocenus Eq. Dominici F.
1720.	7. Maii.	Petrus Grimanus Eq. D.M.P. Petri F.

	7. Novemb.	Franciſcus Superantius D.M.P. Petri F.
1721.		Carolus Ruzinus Eq. D.M.P. Marci D.M.P. Fil.
1722.		Jo. Petrus Paſchalico Vincentii F.
		Aloyſius Piſanus Eques D.M.P. Jo. Franciſci F.
1724.	27. Januar.	Jo. Franciſcus Maurocenus Eques Dominici F.
1724.	21. Maii.	Petrus Grimanus P.D.M. Petri F.
1724.	11. Decemb.	Andreas Superantius D.M.P.

CAPUT XII.

Qui ex his Triumviris virtute, ac rebus geſtis præſtiterint & præſtent.

I. EX dato Catalogo conſtat, intra annos circiter ſeptuaginta, ſex penè non ordine continuo Duces Venetos ad hunc ampliſſimum Magiſtratum pertinere, undè gradum auſpicatò fecerunt ad Solium, Franciſcus Cornelius Dux C. Bertuccius Valerio CI. Joannes Piſauro CII. Nicolaus Sagredo CIV. Silveſter Valerio CVIII. Aloyſius Contareno CIX. Claruere reliqui ætate noſtra virtutum omnium ornamentis, ſapientiâ in primis, integritate, gravitate, facundiâ, ex quibus honores in Republica ſummos conſecuti Triumviralem Gymnaſii Majeſtatem ſpectabilem ſuperſtites Civibus, poſt obitum Poſteris venerabilem effecerunt. Scilicet inter Triumviros recenſitos, penè non omnes Equeſtribus titulis, atque etiam Purpurâ Marcianâ clariſſimos vides; ſi quos legis ſolo nomine notatos, hos noveris, in Sapientiæ majoris Collegium lectos, præſediſſe conſiliis publicis, arcana Patriæ adminiſtraſſe, præiviſſe Senatum in verba, decretaque, quoties edenda eſſent jura ſubjectis; pro roſtris de bello, de pace, fœderibus, vel Societatibus, de Vectigalibus, vel tributis, firmandis, decernendiſve, ſumma cum eloquentia, nec minore auctoritate diſceptaſſe, deliberaſſe.

II. Non vacat ſingulorum hic merita, geſtaque, quamtumvis leviter, ac perfunctoriè percenſere: at neque licet pro dignitate deſcribere aliquorum. Nam mortuorum gloriam fama ſuperſtes à funere prædicat, viventium verò decora, virtute parta, & meritis ad majora tendentia cùm videant omnes, apud ipſos generoſa modeſtia elevat; certè ita diſſimulat, ut ea nec ſibi objici, nec ſatis aliis explicari patiatur. Scilicet apud Viros magnanimos præſtat mereri laudem, quàm habere. Habebunt hanc attamen & mortui noſtra ætate, & vivi; nec, ut nos ſileamus, tacebit grata, vel curioſa Poſteritas. Hæc dicet, quantus inter Venetos fuerit Senatores Baptiſta Nanius: quantâ prudentiâ, firmitate, conſtantiâ Rempublicam adminiſtrarit, maximis legationibus functus ſit, Gymnaſio tandiù præfuerit; ejuſque ſapientiæ, facundiæ, & in rebus agendis dexteritatis eximię perenne teſtimonium dabit Hiſtoria Veneta, quæ Senatorio ſtylo Europæ totius facta, rerumque intra Sæculum XVII. geſtarum ſeriem complexa, magnâ ſui parte ipſum narrationum auctorem, eorum, quæ narrantur, actorem habet.

III. Petrum Baſadonna è Triumviro Literario, & D.M. Procuratore Cardinalem ampliſſimum Roma vidit; nec aliter ſacram in eo Purpuram veneratata eſt, atque Patria profanam, ſine gravitatis diſpendio comem, blandis potentem conſiliis, militantemque utilitati, ac majeſtati Romanæ jis humanitatis ingenuæ ac ſapientis dexteritatis artibus, quibus unis certum rerum Sacrarum imperium paratur. His ipſis Venetæ Sapientię Collegium auxit Hieronymus Aſcanius Juſtinianus, iiſdemque Triumvir pręfuit Gymnaſio, quod curarum aſſiduitate tutatus, privilegiis amplioribus exornavit, egregio Patrocinio fovit, evocatis ad exedras viris doctiſſimis illuſtravit. Non eſt, ut me illis accenſeam, quamvis eo moderante Gymnaſium ad eandem, quam illi, muneris dignitatem adlectus; debeo tamen ampliſſimi Senatoris tam benigno de me judicio grati animi teſtimonium, victurum donec hęc vixerint; pręſertim cùm illud ipſum erga literatos homines, atque erga Profeſſores noſtros eruditiſſimos Patrui ſtudium vigeat nunc etiam in literatiſſimo Nepote, Hieronymo D.M. Procuratore, integerrimo cuſtode legum, morumque ac ſumptuum Cenſore graviſſimo.

IV. Eadem & memoria, & grati animi ſignificatio per me immortalis eſto erga Federicum Marcellum, cujus clementi ſuffragio Canonum Sacrorum explanationem profiteor, cujus humanitate, ac benevolentia plurimum mihi dignitatis acceſsit, cujus vigilantiâ & charitate diu decus Gymnaſii ſtetit. Vir priſcę probitatis, & ſapientię, perfunctus honoribus Patrię ampliſsimas in Continente Pręturas adminiſtravit, Rempublicam conſilio juvit in auguſtum Sapientum Collegium receptus, D.M. Procurator Gymnaſio pręfuit, cujus non tam dicendus eſt Moderator, quam Patronus ac Pater, ſive obli-

gatam

gatam ſemper Profeſſorum utilitati operam ejus conſideres, ſive paratum ad tutelam Privilegiorum, quibus hæ literarum nundinæ utuntur, animum. Nec aliter cenſendum de Franciſco Lauretano, & Franciſco Cornelio, quorum hic quidem in Familia titulis Regalibus clara natus, D.M. Procurator brevem ætatem bono Gymnaſii contulit, atque eam poſteritatem reliquit, ex qua ingens Gymnaſio decus additum eſt, cùm ejus ſilius, Joannes Baſilicæ Marciæ Primicerius, pia, ſanctaque gloria Venetæ Nobilitatis, Juvenis ad Religionis, doctrinæ, gravitatis normam exactus, ejuſque, in ætatis flore, in ore planè virgineo, in opulentiſſima domo, maturæ, virilis, & modeſtę Sanctimonię, quam aris, temploque dignam cenſuiſſes, ad Juriſprudentię lauream, me ſcilicet in verba preeunte, provectus eſt; tantâque ſolemnem illam inaugurationem honoris Gymnaſtici celebravit magnificentiâ, ſumptuque, quantum conferre potuit magnanima, ac verè Cornelia largitas Andreę Fratris, cujus vel ipſam juventutem parem Oratorio, quo fungitur, muneri nunc Aula Romana miratur, & amat.

V. At Franciſcus Lauretano, Senatorum, Imperatorum, ac Principum Soboles, ipſe Vir Senatorius, & ſummę in Senatu ex eloquentia & virtute auctoritatis, hebetudinem oculorum animi perſpicacitate, ac mentis acumine compenſavit, effecitque, ut admiſſus ad Sapientię Majoris arcana Collegii omnium Maximi dignitatem, ac felicitatem Reipublicę par cęteris impleret, ac confirmaret. Miſſus ad Principes Supremos Orator, horum gratiam Patrię conciliavit; tanti à maximo Imperatore Leopoldo habitus, ut quod rarum eſt, forte etiam inauditum, Legatus Venetus familiaritate, atque etiam amicitiâ Cęſaris frueretur. Hinc Eques et D.M. Procurator, ac Gymnaſio Triumvir prępoſitus, norunt omnes, quanto amore ſcientias foverit, quantâ benignitate Scientiarum Doctoribus faverit, quantâ ſedulitate Gymnaſticę utilitati proſpexerit. Conſtantiùs hęc omnia pręſtitere Joannes Lando, & Sebaſtianus Foſcareno, uterque Sapientûm maximorum è numero, uterque plurimis legationibus functus, Eques, & D.M.P. uterque; ſed ille ſępè Triumvir Magiſtratum Gymnaſio præfectum auctoritate, qua in Repub. vixit eximiá, implevit, hic ſæpius eodem functus munere, actuoſiore, ac penitus efficaci dexteritate gloriam ejuſdem amplificavit; Vir potens, & Patriæ memorandus, cujus utilitati ſerviens apud Batavos mortuus eſt ſummo cum Gymnaſii mærore, quem ſane levat ſpes non vana, & votis Gymnaſticis jure concepta in Foſcareno nepote Nicolao D. M. P. quem Senatorem eruditiſſimum, doctorumque Virorum Mecęnatem ampliſſimum Patronum optat, ac Præſidem.

VI. Jam Laurentius Superantius à prima ætate Senatorijs artibus inſtitutus, hęreditaria virtute, & avitâ gloria familiam auxit inter Venetas principalem, integerrimus Prefectus (1) Patavij, Senator graviſſimus, ſapiens bono publico natus; Eques ac D. M. P. (1) Ann. 1681.
ex legatione multiplici, quâ magnificè graviterque perfunctus, Britannos, & utriuſque ſedem Imperij, Romam nimirum, atque Byzantium, ſeveritate morum, conſiliorum prudentia, & interriti pectoris firmitate ad Venetæ Virtutis admirationem adduxit. Has animi dotes mox ad regendum Gymnaſium tranſtulit, erga Profeſſores emeritos, & in re literaria magni nominis viros munificus: ſedulus quidem exactor obſequii legibus Gymnaſticis debiti, cuſtos verò diligentiſſimus moris, modeſtiæ, ac diſciplinæ Scholaſticæ. Secutus eſt hujus exemplum Marinus Georgius ejus & Collega, & Cognatus, qua tamen Vir maximus, & ingenii manſuetudine, & benignitate indolis, & ex fama integritatis auctoritate maximè viguit, illud ſapientiſſimè temperavit. Nullus hoc poſt alias Prefecturam Patavinam (2) magnificentiùs procuravit: nullus in ſupremæ Sapientiæ Collegio pu- (2) Ann. 1690.
blicæ utilitati laborioſiùs conſuluit, nullus majore Gymnaſium charitate proſecutus eſt, ſive viri doctiſſimi conducendi eſſent, ſive augenda, nec differenda ſtipendia, ſive horum integritas ab unguibus Miniſtrorum Ærarij defendenda. Atque hæc in commune data Gymnaſio: mihi à graviſſimo Senatore peculiarius impenſum eſt Patrocinium, come, validum, efficax, &, quod in beneficijs ſummum, iniuſſum, incoactum, nec precibus expreſſum, ſed ſponte, ac liberaliter, nullo petente, conceſſum, oblatum etiam, ac penè non ingeſtum quoad vixit, ut mox, quaſi jure hæreditario tranſmitteretur ad filium Franciſcum D. M. P., quo olim diſcipulo gloriamur, Patrono nunc fruimur.

VII. Et horum quidem, quos hactenus nominavimus, glorioſis funeribus Gymnaſium parentavit tacito luctu, ac deſiderio, non aliunde modum habituro, quàm ex viventium Triumvirorum virtute, ac præſidio, quorum feliciter quaſi manibus ducitur, feliciſſime gubernatur. Antecellit hos ordine Hieronymus Venerio Nicolai D.M.P. atque Triumviri filius, ipſe Eques, & Marcius Procurator clarus legationibus apud Principes exteros, conſilio atque prudentiá domi, Patriæ una & Gymnaſio venerabilis. Ponè ſequitur pari cum gloria, majoribus titulis ad Patriæ utilitatem, ac ſecuritatem adſumptus Carolus

Ruzi-

Digitized by Google

Ruzinus, Marci D.M.P. filius. Ex Adytis Sapientiæ Majoris quinquies Orator, gravitate morum Hiſpanos, Germanos munificentiâ ſumptuum, prudentiâ Gallos bono publico conciliavit. Icto Vindobonæ cum Moſchis fœdere, pace cum barbaris ad Carlovitzium conſtitutâ, partas à Venetis in Græcia Victorias, prolatoſque fines Imperij ſanxit Conſtantinopoli: ibi abſens ab Equeſtri Ordine ad Marcium laticlavum provectus eſt, ut clariſſimæ ſtirpis græcam Originemin ipſa Græcia debitis præſtanti virtuti apud Venetos præmiis augeret; atque inde ipſe ſpectandus Patriæ rediret, ubi Patriæ Majeſtatem vel ipſi barbaro Imperatori ſpectatam, ac ſpectabilem non ſemel fecerat. Nuper enim iterum Conſtantinopolim rediit, novæ Pacis, & poſt ærumnoſum bellum perneceſſariæ, non ſanè Caduceator, ſed Auſpex. Tantâ Senatoris eximii gloriâ, quod ejus purpurato præſidio gaudet, claret Gymnaſium.

VIII. Huic non impar provenit decus ex Piſana Purpura. Ea Eques & D.M.P. fulget Aloyſius Piſanus, cui Patriæ honoribus omnibus ſumma cum laude perfuncto, non ſua dumtaxat virtus pia, clemens, magnifica, liberalis, & ad omnem clientum, amicorumque uſum potens, verùm etiam Fratrum Eccellentiſſimorum, (ſive dictatorio nomine Claſſibus imperarint, ſive Decemvirali poteſtate præfuerint, Saluti Reipublicæ, præſintque nunc in Veneto Continente Subiectorum felicitati (memorandum Faſtis Venetis nomen ad ſupremas dignitates aditum parat, unde potentius Gymnaſio, cui præeſt, faveat: nobis quoque, quod ſæpe in hoc Opere memoravimus, Patrocinium præſtet. Hoc nobis preſſiùs auguramur ex inclita Maurocena familia, in qua Jo. Franciſcus Eques, obitis egregie, ſapienter, & ad Patriæ ſoſpitatem utiliter Legationibus plurimis memorandus, Gymnaſium, præfectamque Gymnaſio poteſtatem auctoritate continet, recreat benignitate, illuſtrat benevolentiâ. In qua Michael Maurocenus, Peloponneſiaci nepos, è Sapientum Collegio Senator ampliſſimus, prudentiâ, gravitate, virtute ad munerum maximorum uſum plane verſatili, vir inter Summates non ſine præcipuis laudibus numerandus ita Gymnaſticis commodis, ac ſapientium gloriæ ſtudet, favetque, ut non hanc amet ſolum, verùm etiam æſtimet; nec aliter diſtribuenda, feſtinandave doctis hominibus præmia putet, quàm ex fama Sapientiæ clarioris, è judicio literariæ Reipublicæ, ex indefeſſâ doctiſſimorum laborum præſtantiâ. His vere Civilis Juſtitiæ legibus præfuit nuper Gymnaſio, has quoque per Venetum Continentem circumfert, Quæſior ordinandæ in eo Reipublicę præpoſitus, ſive conſulendum ſit Vectigalium exactioni, ſive vis privata vi publicâ coercenda ſit, ſive norma foro ſit præſtituenda, proſpiciendumque ſubjectorum ſaluti, quieti, ſecuritati.

IX. Præſtat ergo Senator optimus domi, quod foris Venetæ Majeſtati Laurentij Theupoli purpura; ſervatque intra Patriæ ditionem Venetum decus, quod exteris Gentibus Theupolus ſpectandum ac venerandum objecit, regiâ munificentia apud Gallos, apud Germanos inſigni, certaque prudentiâ, in Aulâ Romanâ piæ, doctæ, atque ad æquitatem penitiſſimam factæ indolis laude, quâ magis magiſque inter Senatores conſpicuus, redux in Patriam Sapientiæ Collegium auget, Equeſtrem Ordinem ornat, Laticlavum Marcium amplificat, ac Triumvir Gymnaſticus ſingulari benevolentia complectitur literatum doctorum hominum Ordinem, quem Coronati Principes, Laureati Senatores majores ejus, ad magnificos Dignitatum titulos, & honorum Faſtos domeſticos adiunxere.

(1) Ann. 1703. Eſt ut eandem benevolentiam debeamus Franciſco Superantio, qui olim Præfectus (1) Patavio amor fuit Antenoreæ Civitatis, in ſumma Juſtitiæ ac Utilitatis publicæ cura, aditu facilis, affatu comis, ad omnem beneficentiam ac benignitatem effuſus, atque ita ſtudioſus publicę privatæque felicitatis, ut ei dignitatibus augendo vota omnium litaverint, Gymnaſii præſertim, cujus Ærario præclarè conſuluit, cuique, poſt partam meritis Marciam Purpuram, nuper bis præfuit, & eximiæ doctrinæ Viris ad ſupremos in re literaria honores potentem porrexit, ac munificam dexteram.

X. Hanc ijſdem nunc porrigit ex Ordine Sapientiæ majoris Joannes Petrus Paſchalico Senator ad gloriam humanitatis factus, Sapientiæ cujus titulos gerit, rationem habet, pretium æſtimat, præmia deproperat, amator ipſe accuratiſſimus, ſed & ipſe, ut paucis multa complectar, omnino ſacræ deliciæ doctiſſimorum Virorum, quos alloqui gaudet, tractare ſtudet, à mœrore, & ærumnis abducere fatagit; atque ita moderatur literariam Rempublicam, ut non obſequium dumtaxat, verum etiam amorem exigat à Gymnaſio. Augebat, dum hęc ipſa dabamus, Triumviralis Ordinis ſeriem glorioſa rerum à ſe geſtarum acceſſione, re, ac titulo ſapiens & in æratis flore moris priſci Senator, Petrus Grimanus. Apud Anglos Legatus, renovatâ, confirmatâque potentiſſimę Inſulæ cum Venetis amicitiâ & ſocietate, in Germania ſancito cum Cæſare adverſus barbaros fœdere clarus ſuâ tamen virtute, doctrinâ, integritate, auctoritate, munificentia clarior è

ex

ex quibus æquè ac Equeſtribus ornamentis, & Marciâ Purpurâ venerandus nuper Gymnaſium regebat, tuebatur, amplificabat.

CAPUT XIII.

De Rectoribus Urbis Patavinæ Præfectis Gymnaſticæ Diſciplinæ ad Ann. MCDXCIX.

I. POſtquam ſuprema Senatûs auctoritas ſub auſpiciis Principum Venetorum ſibi uni Gymnaſticarum rerum imperium ſepoſuit, interquievitque abſurdum, & aſſiduis rixis, atque diſſidiis obnoxium Diſcipulorum arbitrium in exedras Ordinarias, in Profeſſores, eorumque ſtipendia; Decretorum Senatûs executio, ac proxima poteſtas gubernandi Gymnaſii data eſt Rectoribus Urbis, quorum poſt receptum in fidem Patavium alter Civitati, Agroque Patavino præeſt Prętorio munere, alter Pręfectus Militię eſt, atque Ærario Vectigalibuſque prępoſitus pecuniam ſtipendiariam ex Senatûs Conſulto adminiſtrat. Hi, ut ſuperiùs dictum eſt, quod ex re, ac utilitate Gymnaſii videbatur, auditis Cenſoribus, ſeu monitoribus Patavinis, ad Senatum referebant, undè illis, quid factoeſſet opus, reſcripto reſpondebatur; manſitque hæc ratio Regiminis, donec Triumviralis auctoritas defuit: ubi hęc tandem, ut retulimus, conſtituta eſt, ad hanc ea omnia translata ſunt, quę ſupremum Senatûs arbitrium in Archilycæum Patavinum repręſentant; idque muneris Rectoribus Urbis relictum eſt, quò Diſcipulorum quieti, modeſtię, uſuique pro rerum opportunitate, aut neceſſitate proſpiciant: à Magiſtris obſequium legibus debitum exigant, ſtipendia ſolvant, immunitates, ac privilegia citra damnum Reipublicæ cuſtodiant, ea denique dent effecta, quæ vel Senatus jubet, vel Magiſtratus Triumviralis conſtituit.

II. Horum porro omnium in ſpeciem ad Rectorem utrumque demandatur executio, quamobrem ipſa mandata utriuſque nomine mittuntur inſcripta, quamvis reipſa Juriſdictio diverſa partes ſuas habeat. Nam Prætori quidem univerſim commiſſa Gymnaſii cura, in Diſcipulorum mores, & Doctorum officia latè diffunditur: at Præfecti poteſtas intra eos, quibus æs ex Arca Gymnaſtica ſolvitur, & Immunitates conceduntur, nec ultra eſt. Quippe his è Gymnaſio ſolis, ſi qua lis adſit, jurgiumve, & de Privilegiis ſcholaſticis altercatio, in primis verò Collegii Græcorum alumnis Præfectus Jus dicit. Hoc ordine Res literaria Patavii proximè regitur, noſque ad Rectorum, quorum æquitate, ac juſtitiâ gubernamur, Catalogum evocat. Hunc interſerit Chronologiæ ſuæ(1) Tomaſinus ad annum uſque MDCLIII. mendoſum ſatis, mancum plerumque. Alium allaborantibus nobis, & amici ſenis laborioſos conatus juvantibus, edidit Salomonius(2): at & hunc ex M.SS. & infidelibus paginis neque accuratum, & omiſſis multorum titulis Gymnaſio prorſus inutilem jure contemnas, atque à nobis flagites, ut ex Operis noſtri propoſito, veram, plenamque Rectorum Patavinorum ſeriem ad hæc noſtra tempora deducamus. Parendum eſt. Tu laborem noſtrum, ac tædium æqui bonique conſulito.

(1) lib. 4. Gymn.

(2) Inſcrip. Pat. ap. 562.

Rectores Patavini ab Anno 1405. *ad Annum* 1499.

1405.	Thomas Moecenico D. Prætor. D.M.P. An. 1410. Dux Ven. LXIII. An. 1413.
	Zacharias Trevisanus Præfectus.
1406.	Marinus Caravello Doctor, Prætor, & Eq. D.M.P. An. 1410. Legatus Venetus in Synodo Conſtantienſi.
	Idem Zacharias Trevisanus Præfectus.
1407.	Roſſus Marini D. Prætor.
	Petrus Arimondi Præfectus.
1408.	Robertus Mauroceno D. Prætor.
	Marcus Venerius Eq. Præfectus:
1409.	Ægidius Mauroceno D. Prætor.
	Marinus Caravello Præfectus. Fuit Prætor 1410.
1410.	Joannes Mauro D. II. Prætor. eodem munere ſunctus ſub Carrarienſibus An. 1401.
	Gabriel Emo Præfectus.
1411.	Franciſ. Antonius Bembo D. & Eq. Prætor II. fuit ſub Carrarienſibus An. 1402.
	Joannes Petrus de Prothis Eq. Præfectus.

Fan-

1412. Fantinus Dandulo P. Prætor.
Zacharias Treviſanus Præfectus II. 1405. 1406.

1413. Leonardus Mocenico D. Prætor à Prætura D. M. P.
Vitalis Miani Præfectus.

1414. Ægidius Mauroceno D. Præt. II. 1409.
Sanctus Venerio Eq. Præf.

1415. Jacobus Treviſanus Prætor. Huic primo, quod non eſſet Doctor, dati ſunt Adſeſſores, ut notant (1) Porcell. (2) Salom. (3) Monteroſſ.
Jacobus Guſſoni Præfectus.

(1) ad Matricul. Præf. (2) Inſcrip. Gym. (3) Diar. ad an. 1416.

1416. Paulus Corratio Prætor
Idem Jacobus Guſſoni Præfectus.

1417. Robertus Maurocenus D. Prætor II. 1408.
Marcus Venerius Præf. II. 1408.

1418. Marcus Dandulo Prætor.
Laurentius Bragadeno Præf.

1419. Andreas Zane Prætor
Bartholomęus Storlato Præf.

1420. Andreas Contareno Eq. Prætor.
1421. Franciſcus Antonius Bembo Doctor Præfectus
Fuit Prætor 1402.

1422. Andreaſſius Juſtinianus Præt.
1423. Joannes Naugerius Præf.

1424. Georgius Cornelius Præt.
Jacobus Treviſanus Præf. Prætor 1415. D. M. P. 1431.

1425. Marcus Juſtinianus Præt.
Franciſcus Barbadico Præf. D. M. P. An. 1442.

1426. Andreas Contareno Præt.
Marcus Foſcari Præfect.

1427. Bartholomęus Nani Præt.
Bartholomęus Maurocenus Præf.

1428. Joannes Contareno Præt.
1429. Natalis Donato Præfect.

1430. Paulus Corrario Præt. II. 1416. D. M. P. 1458.
Andreas Mocenico Præfect.

1431. Georgius Cornelius Prætor II. 1424.
Marcus Foſcari Præfect. II. 1426.

1432. Nicolaus Capello Præt.
Federicus Contareno Præfect.

1433. Bartholomęus Maurocenus Pręt. Pręfect. 1427. D. M. P. 1443.
Vitalis Miani Præfect. II. 1413.

1434. Marcus Dandulo Præt. II. 1418.
Leonardus Caravello Præfect.

1435. Ludovicus Storlato Præt.
Natalis Donato Præfect. II. 1428.

1436. Idem Ludovicus Storlato Præt.
Thomas Duodo Præfect.

1437. Hieronymus Contareno Pręt.
Fantinus Viaro Pręfect.

1438. Thomas Michael Præt.
Vitalis Miani Pręf. III. 1413. 1433.

1439. Andreas Donato Prętor
Idem Vitalis Miani Præfect.

1440. Marcus Lippomanus D. Prætor.
Andreas Mauroceno Præfectus

1441 Paſchalis Maripetro Pręt. D. M. P. 1446. Dux Ven. LXV. 1457
Joannes Piſanus Præfect.

1442. Matthæus Vitturi Pręt.
Chriſtophorus Mauro D. M. P. 1448. Dux Ven. LXVI. 1462.

1443. Moyſes Grimanus Pręt.
Jacobus Barbadico Præf.

Lucas

Lucas Throno Præt.
1444. Idem Jacobus Barbadico Præf.
Thomas Michael Præt. II. 1438.
1445. Antonius Diedo Præf.
Idem Thomas Michael Præt.
1446. Ludovicus Storlato Præf. Præt. 1436. D.M.P. 1450.
Magdalenus Contareno Præt.
1447. Lucas Georgius Præf.
Jacobus Lauretano Præt.
1448. Bartholomæus Georgius Præf.
Nicolaus Contareno Præt.
1449. Zacharias Bembo Præf.
Urſatus Juſtinianus Eq. Præt. D.M.P. 1459.
1450. Georgius Lauretano Pręf.
Jacobus Lauretano Præt. II. 1448.
1451. Zacharias Bembo Præf. II. 1449.
Matthæus Vitturi Præt. II. 1442.
1452. Joannes Memo Præfect.
Triadanus Gritti Præt.
1453. Zacharias Valareſſo Præf.
Magdalenus Contareno Præt. II. 1447.
1454. Idem Zacharias Valareſſo Præf.
1455. Antonius Diedo Præt. Præf. 1445. D.M.P. 1457.
1456. Georgius Lauretano Præfect. II. 1450. D.M.P. 1474.
Benedictus Vitturi Præt.
1457. Leonardus Contareno Præfect.
Andreas Bernardo Præt.
1458. Nicolaus Contareno Præf. Præt. 1449. D.M.P. 1462.
Idem Andreas Bernardo Præt.
1459. Antonius Venerio Eq. Præf. D.M.P. 1472.
Andreas Contareno Præt. D.M P. 1463.
1460. Bernardus Bragadeno Præf. D.M.P. 1466.
1461. Jacobus Lauretano Præt. III. 1448. 1451. D.M.P. 1467.
1462. Nicolaus Throno Præf. D.M.P. 1467. Dux Ven. LXVIII. 1471.
Zacharias Treviſanus D. & Eq. Præt.
1463. Lucas à Lege Præfect. D.M.P. 1464.
Andreas Bernardo Præt. II. 1459.
1464. Leonardus Contareno Præfect. II. 1457.
Marcus Zane Præt. D.M.P. 1471.
1465. Triadanus Gritti Præf. Prætor 1453.
Aloyſius Fuſcareno D. & Eq. Præt. D.M.P. 1468.
1466. Idem Triadanus Gritti Præf.
Idem Aloyſius Fuſcareno Præt.
1467. Bernardus Juſtinianus Eq. Præf.
Joannes Gradonicus Præt. D.M.P. 1473.
1468. Idem Bernardus Juſtinianus Eq. Præfect.
Andreas Leonius Præt. D.M.P. 1473.
1469. Stephanus Treviſanus Præfect.
Idem Andreas Leonius Præt.
1470. Dominicus Georgius Præfect.
Franciſcus Venerio D. Præt. D.M.P. 1475.
1471. Marcus Barbadico Præf. D.M.P. 1478. Dux Ven. LXIII. 1485.
Dominicus Ericius Præt.
1472. Leonardus Contareno Pręf. III. 1457. 1464. D.M.P. 1482.
Hieronymus Lauretano Præt.
1473. Idem Leonardus Contareno Præfect.
Antonius Ericius Prætor D.M.P. 1475.
1474. Bertuccius Contareno Præfect. D.M.P. 1480.
Bernardus Donato Præt.
1475. Victorius Superantius Eq. Præf. D.M.P. 1480.

1476. Ber-

1476. Bernardus Venerio Præt.
1477. Gabriel Lauretano Præf. D.M.P. 1480.
1478. Zacharias Barbaro Eq. Præt. D.M.P. 1487.
Petrus Fuſcareno Præfect.
1479. Federicus Cornelius Præt. D.M.P. 1484.
1480. Franciſcus Sanuto Præfect.
1481. Maphæus Contareno Prætor.
Jacobus Marcello Præfect.
1482. Ioannes Contareno Præt. D.M.P. 1489.
Auguſtinus Barbadico D.M.P. 1482. Dux Ven. LXXIV. 1486.
1483. Thomas Treviſanus Præt.
Nicolaus Mocenico Præfect. D.M.P. 1492.
1484. Philippus Throno Præt.
Idem Nicolaus Mocenico Præfect.
1485. Idem Philippus Throno Præt.
Aloyſius Bernardo Præfect.
1486. Antonius Venerio Præt. D.M.P. 1489.
Lucas Mauro Præfect.
1487. Leonardus Lauretano Præt. D.M.P. 1492. Dux Ven. LXXV. 1501.
Nicolaus Treviſanus Præfect. D.M.P. 1499.
1488. Chriſtophorus Duodo Præt. D.M.P. 1490.
Idem Nicolaus Treviſano Præf.
1489. Idem Chriſtophorus Duodo Præt.
Thomas Lippomanus Præfect.
1490. Melchior Treviſanus Præt.
Sebaſtianus Baduario Præf.
1491. Idem Melchior Treviſanus Præt.
Antonius Marcellus Præfect.
1492. Benedictus Treviſanus Prætor.
Aloyſius Bragadeno Præf. D.M.P. 1497.
1493. Marinus Venerio Præt. D.M.P. 1501.
Marinus Leonius Præf. D.M.P. 1499.
1494. Marinus Garzoni Præt. D.M.P. 1501.
1495. M. Antonius Maurocenus Eq. Præf. D.M.P. 1503.
1496. Hieronymus Vendrameno Præt.
Dominicus Marini Præf. D.M.P. 1505.
1497. Paulus Barbo Præt. D.M.P. 1501.
Fantinus Piſauro Præf.
1498. Benedictus Superantius Præt.
Idem Fantinus Piſauro Præf.
1499. Marcus Bolani Præt. D.M.P. 1503.
Lucas Zeno Præf. D.M.P. 1505.

CAPUT XIV.

Rectores Patavini præfecti Scholaſticæ diſciplinæ ab An. MD. ad MDC.

1500. Leonardus Mocenico Præt.
Laurentius Venerio Præf.
1501. Dominicus Treviſanus Præt.
Nicolaus Foſcari Præfect.
1502. Thomas Mocenico Præt. D M.P. 1504.
Idem Nicolaus Foſcari Præf.
1503. Georgius Cornelius Præt. D.M.P. 1509.
Andreas Venerio Præf. D.M.P. 1509.
1504. Aloyſius Molino Præt. D.M.P. 1516.
Paulus Treviſanus Eq. Præfect.
1505. Leonardus Mocenico Præt. II. 1500.
Angelus Treviſanus Præfect.

1506. An-

1506. Andreas Gritti Præt. D. M. P. 1509. Dux Ven. LXXVII. 1523.
Paulus Piſanus Eq. Præf.
1507. Bartholomęus Minio Præt.
Petrus Balbi Præfectus.
1508. Franciſcus Foſcari Eq. Præt. D. M. P. 1516.
Joannes Mocenico Præfect.
1509. Idem Franciſcus Foſcari Præt.
Idem Joannes Mocenico Præf.
1510. Chriſtophorus Mauro Præt.
Petrus Balbi Præf. II. 1507.
1511. Nicolaus Priolo Præt. & Pro-Præfectus.
1512. Petrus Duodo Præt.
Aloyſius Emo Præf.
1513. Baptiſta Maurocenus Præt. & Pro-Præfect. biennio.
1515. Petrus Quirinus Præt.
Hieronymus Piſauro Præf.
1516. Paulus Donato Præt.
Andreas Treviſanus Eq. Præfect.
1517. Hermolaus Donato Præt.
Julianus Gradonico Præf.
1518. Idem Hermolaus Donato Præt.
Marcus Antonius Lauretano Præf.
1519. Petrus Lando Præt. Eq. Imperator Claſſium D.M.P. Dux Ven. LXXVIII. 1538.
Aloyſius Contareno Præfect.
1520. Marinus Georgius D. Præt. IIIVir Gymnaſ. 1517. 1531.
Idem Aloyſius Contareno Præfect.
1521. Petrus Marcellus Præt.
1522. Andreas Magno Præfect.
1523. Leonardus Emo Præt.
Franciſcus Donato Eq. Præf. D. M. Procurator 1539. Dux Ven. LXXIX. 1545.
1524. Franciſcus Piſauro Præt.
Nicolaus Venerio Præf.
1525. Sebaſtianus Juſtinianus Eq. Præt. IIIVir 1534. 1539. D. M. P. 1540.
1526. Hieronymus Lauretano Præf.
1527. Pandulfus Mauroceno Præt.
Sanctus Contareno Præfect.
1528. Maphæus Michael Præt.
Idem Sanctus Contareno Præfect.
1529. Idem Maphæus Michael Præt.
Chriſtophorus à Canali Præf.
1530. Paulus Treviſanus Præt.
Priamus à Lege Præf. D. M. P. 1556.
1531. Joannes Vitturi Præt.
Joannes Mauro Præf.
1532. Joannes Baduario D. & Eq. Præt. IIIVir 1534.
Andreas Marcellus Præf.
1533. Auguſtinus Amuleus Præt.
Idem Andreas Marcellus Præf.
1534. Petrus Lando Præt. II. 1519. qui & Dux.
Marcus Barbadico Præfect.
1535. Petrus Zeno Præt.
Jacobus Cornelius Præf. D. M. P. 1537.
1536. Nicolaus Mocenico Præt.
Joannes Delphino Præf.
1537. Franciſcus Venerio Præt. Dux Ven. LXXXI. 1554.
Ludovicus Phaletro Eq. Præfect.
1538. M. Antonius Contareno Præt.
1539. Hieronymus Cornelius Præf.

1540. Andreas Mocenico D. Præt.
Laurentius Priolo Eq. Præſ. IIIVir 1543. 1548. 1551. Dux Ven. LXXXII. 1556.
1541. Jo. Andreas Baduario D. Præt.
1542. Philippus Throno Præſ.
Stephanus Treviſanus Præt.
1543. Jacobus Duodo Præfect.
1544. M. Antonius Fuſcareno Præt.
1545. Hieronymus Zeno Eq. Præſ. D. M. P. 1568.
1546. Bernardus Naugerius D. & Eq. Præt. IIIVir 1553. 1554. Card. 1564.
1547. Aloyſius Donato Præſ.
1548. Hieronymus Barbaro Præt.
1549. Joannes Capello Præſ.
Stephanus Theupolo Præt.
1550. Philippus Throno Præſ. II. 1542.
M. Antonius Venerio D. & Eq. Præt. IIIVir 1539. 1545. 1549. D. M. P. 1554.
1551. Franciſcus Contareno Præſ. IIIVir 1551. & ſeq.
M. Antonius Grimanus Præt. D. M. P. 1564.
1552. Jo. Aloyſius Superantius Præſ.
Stephanus Treviſanus Præt. II. 1543.
1553. Melchior Michael Præfect.
Petrus Maurocenus Præt.
1554. Vincentius Duodo Præſ. IIIVir 1553. Patriarcha Ven. LXIII.
Idem Petrus Maurocenus Præt.
1555. Andreas Barbadico Præſ.
Bernardus Georgius Præt. IIIVir 1559. 1563.
1556. Aloyſius Gritti Præſ.
Nicolaus de Ponte D. & Eq. Præt. IIIVir 1545. 1549. 1559. 1564. 1571.
1574. D. M. P. 1570. Dux Ven. LXXXVII. 1578.
1557. Idem Aloyſius Gritti Præfect.
Idem Nicolaus de Ponte Præt.
1558. Juſtinianus Contareno Præſ.
Bernardus Naugerius D. & Eq. Præt. II. 1547.
1559. Hieronymus à Lege Præſ.
1560. Aloyſius Mocenico Præt. D. M. P. 1565. Dux Ven. LXXXV. 1570.
1561. Hieronymus Ciconia Præfect.
Marinus de Caballis Eq. Præt. IIIVir 1555. 1560. 1563. 1571.
1562. Nicolaus Gritti Præfect.
Bernardus Venerio Præt.
1563. Hieronymus Superantius Eq. Præſ.
Jo. Baptiſta Contareno Præt.
1564. Angelus Barbadico Præſ. D. M. P. 1585.
1565. Hieronymus Ciconia Præt. Præſ. 1561.
1566. Laurentius Amuleus Præfect.
1567. Joannes Mocenico Præt.
1568. Marcus Grimanus Præfect.
Jacobus Superantius Eq. Præt. D. M. P. 1573.
1569. Franciſcus Bernardo Præſ.
Jo. Franciſcus Donato Præt. IIIVir 1574. 1580.
1570. Petrus Sanuto Præſ. IIIVir 1560. 1566. 1573.
1571. Jacobus Emo Prætor.
1572. Franciſcus Duodo Præſ.
1573. Gaſpar Raincrius Præt.
1574. Victor Bragadenus Præſ.
Jacobus Fuſcareno D. & Eq. Imperator Claſſium IIIVir 1568. 1572. 1575.
1588. 1596. 1600. D. M. P. 1580.
1575. Franciſcus Duodo Præfect. II. 1572.
Paſchalis Ciconia Præt. D. M. P. 1583. Dux LXXXVIIII. 1585.
1576. Aloyſius Georgius Præſ. IIIVir 1586. 1591. 1613. D. M. P. 1589.
Hieronymus Priolo Præt.
1577. Guido Maurocenus Præſ.

1578.

1578. Aloyſius Juſtinianus Præt. D. M. P. 1593.
1579. Franciſcus Cornelius Pręf. D. M. P. 1584.
1580. Aloyſius Grimanus Præt.
1581. Daniel Priolus Præfect.
1582. Natalis Donato Præt.
Andreas Foſcareno Præf.
1583. M. Antonius Grimanus Præt.
Jo. Aloyſius Superantius Pręf.
1584. Andreas Bernardo Pręt.
1585. Laurentius Donato Pręf.
1586. M. Antonius Memo Pręt. IIIVir 1602. 1608. D. M. P. 1591. Dux XCI. 1612.
1587. Petrus Marcello Pręfect.
1588. Georgius Contareno Pręt.
1589. Marinus Grimanus Pręf. IIIVir 1584. 1593. D. M. P. 1590. Dux LXXXIX. 1595.
1590. Joannes Superantius Eq. D. M. P. 1596.
Federicus Sanuto Pręf. IIIVir 1589.
1591. Jo. Baptiſta Vitturi Pręt.
Vincentius Gradonico Eq. Pręf.
1592. Juſtinianus Juſtiniano Pręt.
1593. Nicolaus Guſſoni Pręf. IIIVir 1595.
1594. Thomas Mocenico Pręt.
Zacharias Contareno Eq. Pręf. IIIVir 1590. 1597. D. M. P. 1600.
1595. Federicus Rainerio Pręt.
1596. Hieronymus Surianus Pręf.
1597. Aloyſius Bragadeno Pręt.
1598. Dominicus Delfino Pręf. D. M. P. 1605.
1599. Joannes Cornelius IIIVir 1618. 1622. D. M. P. 1609. Dux Ven. XCVI. 1622.
Antonius Priolo Pręf. IIIVir 1602. 1607. 1612. 1615. D. M. P. 1603. Dux Ven. XCIV. 1618.
1600. Jo. Baptiſta Bernardo Pręt.
1601. Leonardus Mocenico Pręfect.

CAPUT XV.

Rectores Patavini Præfecti Gymnaſticæ Diſciplinæ ab An. MDCI., ad An. MDCCXXIV.

1602. FRanciſcus Bernardo Pręt.
Aloyſius Mauroceno Pręf.
1603. Andreas Minoto Pręt.
Marcus Quirinus Pręf.
1604. Antonius Lando Pręt. D. M. P. 1612. IIIVir 1616. 1618.
1605. Stephanus Viaro Præf.
1606. Hieronymus Zane Præt.
Joannes Maripetro Præf.
1607. Thomas Contareno Eq. Præt.
1608. Petrus Duodo Eques Præf. IIIVir 1609.
1609. Angelus Corrario Præt.
1610. Franciſcus Mauroceno Præf. IIIVir 1630. 1636.
1611. Marcus Bragadeno Præt.
Petrus Mauroceno Pręf.
1612. Idem Marcus Bragadeno Præt.
Hieronymus Capello Præf. IIIVir 1595. 1600. 1605.
1613. Jo. Baptiſta Foſcareno D. M. P. 1624.
Antonius Barbaro Præf. D. M. P. 1618. IIIVir 1622. 1626.
1614. Georgius Cornelius Præt.
Vitalis Lando Præf.
1615. Joannes Dandulo Præt. IIIVir 1618.
1616. Nicolaus Vendrameno Præf. D. M. P. 1627.
1617. Baptiſta Nani Præt. IIIVir 1624. 1629. 1636. 1642. 1652.
Idem Nicolaus Vendrameno Præf.

1618. Idem Baptiſta Nani Pretor.
Maximus Valerio Præſ.
1619. Antonius Bragadeno Pret.
Idem Maximus Valerio Preſ.
1620. Octavianus Bonus Eq. Præt.
Silveſter Valerio Frater Maximi Præſ.
1621. Idem Octavianus Bonus Præt.
Vincentius Capello Præſ. IIIVir 1633.
1622. Julius Contareno Præt.
Zacharias Sagredo Præſ. D.M.P. 1625. IIIVir 1627.
1623. Hermolaus Nani Præt.
1624. Aloyſius Delphinus Præſ.
1625. Julius Juſtinianus Præt.
Vincentius Guſſoni Eq. Præſ.
1626. Hieronymus Lando Eq. Præt. IIIVir 1649.
Hieronymus à Lege Præſ.
1627. Antonius à Canali Præt. D. M. P. 1646.
1628. Marcus Priolo Præſ.
1629. Benedictus Juſtinianus Præt.
Dominicus Theupolo Præfect.
1630. Vincentius Capello Præt. IIIVir 1633. D.M.P. 1634.
Petrus Sagredo Præf. D.M.P. 1637. IIIVir 1644. 1649.
1631. Idem Vincentius Capello Præt.
Aloyſius Valareſſo Eq. Præſ.
1632. Franciſcus Piſanus Præt.
Hieronymus Civrano Præſ.
1633. Aloyſius Priolo Præt.
1634. Joannes Barbadico Præſ. D. M. P. 1648.
1635. Zacharias Sagredo Præt.
Jacobus Superantius Præſ.
1636. Paulus Caotorta Præt.
Idem Jacobus Superantius Præſ.
1637. Joannes Piſanus Præt.
Hieronymus Mocenico Præſ.
1638. Andreas Vendrameno Præt.
Jo. Baptiſta Grimani Præſ. D. M. P. 1647.
1639. Bernardus Polani Præt.
1640. Petrus Corrarius Præfect.
1641. Idem Bernardus Polani Præt.
Georgius Cornelius Præfect.
1642. Andreas à Lege Præt.
Joannes Antonius Zeno Præſ.
1643. Thaddæus Gradonico Præt.
Idem Jo. Antonius Zeno Præſ.
1644. Aloyſius Fuſcareno Præt. D. M. P. 1653.
Hieronymus Delphino Præſ.
1645. Idem Aloyſius Fuſcareno Pret.
Gabriel Emo Præfect.
1646. Laurentius Delphino Præt.
Idem Gabriel Emo Præſ.
1647. Aloyſius Mocenico Eq. Præt.
1648. Vincentius Guſſoni Præſ. D. M. P. 1650. IIIVir 1652.
1649. Nicolaus Mocenico Præt.
Joannes Grimanus Eq. Præſ. IIIVir 1641. 1645.
1650. Aloyſius Molino Præt.
1651. Sebaſtianus Michael Præſ.
1652. Andreas Piſanus Pret. D. M. P. 1654. IIIVir 1655. 1660. 1664. 1668.
1653. Idem Sebaſtianus Michael Præſ.
1654. Octavianus Maripetro Præt.
1655. Nicolaus Capello Præſ. IIIVir 165[illegible] 1659.

1655. Aloyſius Priolo Præt. D. M. P.
Joannes Venerio Pręſ.
1656. Angelus Corrario Eq. Pręt. IIIVir. 1662. 1666. 1672. 1676. D. M. P. 1675.
Angelus Juſtinianus Pręſ. & Pro-Pręt.
1657. Aloyſius Mocenico Pręt. II. 1647. IIIVir 1675.
1658. Franciſcus Grimanus Pręſ.
1659. Bernardus Donato Præt.
Angelus Marcellus Pręſ.
1659. Joannes Sagredo Eq. Pręt. D. M. P. 1675.
1660. Leonardus Zane Pręſ. & Pro-Præt.
1661. Hieronymus Juſtinianus Pręſ. & Pro-Præt.
1662. Michael Mauroceno Præt.
Idem Hieronymus Juſtinianus Præſ. D. M. P. 1673.
1663. Idem Michael Mauroceno Prætor.
Simon Contareno Præſ.
1664. Hieronymus Superantius Præt.
Antonius Grimani Præſ. Eq. D. M. P. 1673.
1665. Joannes de Caballis Præt.
Idem Antonius Grimani Præſ.
1666. Idem Joannes de Caballis Pręt.
Petrus Delphino Præſ. D. M. P. 1674.
1667. Marcus Ruzinus Pręt. D. M. P. 1682.
Victor Contareno Pręſ.
1668. Joannes Capello Pręt.
Idem Victor Contareno Præſ.
1669. Idem Joannes Capello Pręt.
Paulus Juſtinianus Lollinus Pręſ.
1670. Dominicus Mocenico Pręt.
1671. Hieronymus Gradonico Pręſ. D. M. P. 1683. IIIVir 1685. 1689.
1672. Antonius Barbaro Pręt.
Thomas Contareno Pręſ.
1673. Aloyſius Sagredo Eq. Præt.
Marinus Georgius Eq. Præſ.
1674. Hieronymus Juſtinianus Pręt. D. M. P. 1693.
Bernardus Nani Pręſ.
1675. Dominicus Gritti Præt.
1676. Aloyſius Georgius Pręſ.
1677. Hieronymus Baſadonna Pręt. D. M. P. 1683. IIIVir 1681. 1685. 1689. 1693. 1697.
Aloyſius Mocenico Pręſ. Pręt. 1657.
1678. Zacharias Valareſſo Pręt. D. M. P. 1682.
Idem Aloyſius Mocenico Pręſ.
1679. Idem Zacharias Valareſſo Pręt.
Hieronymus Raynerio Pręſ.
1680. Antonius Baſadonna Pręt.
Joannes Piſani Præſ. D. M. P. 1682.
1681. Joannes Marcellus Præt.
Laurentius Superantius Præſ. IIIVir 1689. 1695. 1698. Eq. D. M. P. 1701.
1682. Bernardus Memo Præt.
1683. Vincentius Amuleus Præſ.
1684. Aloyſius Mocenico Præt. Dux Ven. CIX. 1700.
Laurentius Theupolo Præſ.
1685. Idem Aloyſius Mocenico Præt.
M. Antonius Barbadico Præſ.
1686. Angelus Diedo Præt. D. M. P. 1690.
Idem Antonius Barbadico Præſ.
1687. Joannes Throno Præt.
Aloyſius Piſanus Præſ. D. M. P. 1691.
1688. Joannes Juſtinianus Præt.
Petrus Gradonico Præſ.

Idem Joannes Juſtinianus Præt.
1689. Marcus Ruzinus Præf.
Andreas Capello Præt.
1690. Marinus Georgio Præf. IIIVir 1703. 1707. 1711. 1715.
Andreas Ericius Præt.
1691. Idem Marinus Georgio Præf.
Idem Andreas Ericius Præt.
1692. Hermolaus Delphino Præf.
Joannes Michael Eq. Præt.
1693. Idem Hermolaus Delphino Præf.
Franciſcus Gritti Præt.
1694. Alexander Molino Præf.
Idem Franciſcus Gritti Præt.
1695. Andreas Throno Præfect.
Andreas Naugerius Præt.
1696. Barbonus Maurocenus Præf.
Antonius Molino Præt.
1697. Auguſtinus Sagredo Præf.
1698. Auguſtinus Nani Præt.
1699. Sebaſtianus Venerio Præf.
1700. Aſcanius Juſtinianus Præt.
1701. Stephanus Quirinus Præf.
Idem Aſcanius Juſtinianus Præt.
1702. Franciſcus Thomas Superantius Pręf. D. M. P. IIIVir 1716. 1720.
Hieronymus Juſtinianus Pręt.
1703. Idem Franciſcus Thomas Superantius Pręf.
Idem Hieronymus Juſtinianus Pręt.
1704. Nicolaus Contareno Pręf.
1705. Idem Nicolaus Contareno Præf. & Pro-Præt.
Antonius Capello Pręt.
1706. M. Antonius Memo Præfect.
Idem Antonius Capello Præt.
1707. M. Antonius Memo Præf.
Gregorius Barbadico Præt. Nepos Venerab. Gregorii Card.
1708. Joannes Juſtinianus Lollino Præf.
Marcus Ruzinus Præt. Præf. 1689.
1709. Jo. Dominicus Theupolo Præf.
1710. Federicus Venerio Præf. & Pro-Pręt.
1711. Joannes Corrario Pręf. & Pro-Pręr.
1712. Andreas Baduario Pręt. & Pro-Pręf. Vener. Card. Joannis Frater.
1713. Idem Andreas Baduario Pręt.
1714. Aloyſius III. Sebaſtianus Mocenico Pręf. Dux Venet. CXII. 1722.
Andreas à Lege Pręt.
1715. Joannes Piſauro Eq. Pręf.
Bartholomęus Gradonico Pręt. Pręturam non iniit creatus D. M. P. eod. Anno.
1716. Joannes Piſauro Eq. Pręf. & Pro-Pręt.
1717. Idem Joannes Piſauro Eq. Pręf. & Pro-Pręt.
1718. Franciſcus Garzoni Pręf. & Pro-Pręt.
Daniel Joannes Delphino Eq. Pręt.
1719. Franciſcus Maurocenus Pręf. Peloponneſiaci Nepos.
1720. Vincentius Piſanus Pręf. & Pro-Pręt.
1721. Leonardus Delfino Pręf. & Pro-Pręt.
1722. Joannes Aloyſius Mocenico Prętor.
1723. Andreas Vendramenus Pręf.
1724. Idem Jo. Aloyſius Mocenico Prętor & Pro-Pręfectus.

CAPUT

CAPUT. XVI.

De Rectoribus, Pro-Rectoribus & Syndicis Gymnaſii.

I. DE his accuratè ſatis Tomaſinus: apud quem leges, quæ Rectoris Gymnaſtici fuerit auctoritas, quod munus, quæ Poteſtatis Inſignia, honor, atque præſtantia: quæ veſtis, & comitatus, quique ſumptus in ea dignitate ineundâ, obeundâve; præmia quoque, quibus Rectores magiſtratu defuncti cumulabantur. Viguit autem Rectoris officium & nomen in Gymnaſio noſtro propè ad exitum Sæculi XVI. nec aliam ob cauſam deſiiſſe videtur, niſi ob ingentes in eo munere ſuſcipiendo, habendove ſumptus, quibus pro Majeſtate ejus ac ſplendore faciendis ætas illa bellis, & ex peſtilentia ęrumnis afflicta par eſſe non poterat. Rectoribus proinde Pro-Rectores fuere ſuffecti; atque ad eam dignitatem mox adſumpti ſunt Syndici; quorum à Rectoribus proximus honor habebatur. Hinc deinceps non niſi Pro-Rectores ac Syndicos, duces Militiæ Scholaſticæ in Monumentis Gymnaſticis notatos invenies. Atque hi minore quidem auctoritate & honore, at eâdem repræſentatione Muneris Publici ad hæc noſtra tempora vigent: eodem ſcilicet modo, eodem tempore ad Principatum Scholaſticum adſumpti ab unaquaque Univerſitate, ſuffragantibus Conſiliariis Nationum, & intra Menſem Auguſtum, cum id commode fieri poteſt.

II. Creatus Pro-Rector aut Syndicus poſtridie, rebus ad pompam benè diſpoſitis, ingreſſum peragit honorificum à Gymnaſio ad utrumque urbis Rectorem inviſendum, ac turbà Diſcipulorum ſtipatus obſequium Publicæ Poteſtati debitum profitetur: inde per utrunque forum, merciumque tabernas apparatu nobili perornatas progrediens, plaudentibus diſcipulis, quorum honorario comitatu circumfunditur, D. Antonii Thaumaturgi Patavini baſilicas Ædes adit, auſpicium ſui Magiſtratus Deo ac Religioni dicaturis; unde mox domum deducitur atque diſcipulorum præcipuos, certè Conſiliarios omnes prandio, vel jentaculo magnificè excipit.

III. Jam Septembri menſe inchoato, in eos Matricularum immunitates diſtribuit, quos ad hoc Privilegium Autumnali tempore obtinendum, habendumque Munificentia publica provocat, nempè Tranſalpinos diſcipulos, & Tranſmarinos, quo nomine Dalmatæ quoque continentur. Poſt hæc convocatæ Univerſitati eum, qui pro Inauguratione Studiorum publicam habiturus eſt Orationem, proponit, edicitque; jamque eâ Inauguratione inſtante, ornatu civico inſtructus, tum Antiſtitem Patavinum, tum ipſos in primis Rectores Urbanos, ut in Templo Urbis principe Orationi habendæ interſint, invitat; quæ cum habetur, ipſe in conſpectu Rectorum, ſubſellio ad exedram dicentis honorificè ſtrato inſidet, eumque excipiunt longo ordine Conſiliarii Nationum, Profeſſoribus ex adverſo poſt Urbis Rectores ſedentibus: quippe illis dignitatem habentibus à Gymnaſio, quod Pro-Rector repreſentat, his, quem habent, honorem debentibus uni Auguſtæ Reipublicæ, cujus celſiſſimam auctoritatem exerunt, ac poteſtate funguntur Rectores Urbis.

IV. Oratione peractâ, cùm à Scriba Gymnaſii, ſeu Cancellario Catalogus Profeſſorum (Rotulum vocant) altâ recitatur voce, tractandarumque eo Anno Scientiarum Capita; & partes indicantur, Pro-Rector, poſt Rectorum Urbis & Moderatorum Gymnaſii nomina, ut proximus ſtudiorum auſpex, nominatur peculiari Generoſiſſimi titulo, quo in cæteris & inſcriptionibus, & appellationibus gaudet. Nam cum, aperto ad publicas prælectiones Gymnaſio, his ipſe ad libitum privatim intervenit, deduciturque à Didaſcalico Viatore ad locum ſcholæ præcipuum, ibi ante omnes à Profeſſore docente hac nomenclatione honorifica convenitur.

V. Ipſe Menſe Novembri, quo Studentium, Docentiumque labores incipiunt, eligi curat Cenſores duos nominandorum in Comitiis proximis, Tranſalpinum alterum, alterum Ciſalpinum, ac eo menſe ad finem vergente, ſtatâ die, pro Rectorum Urbanorum commodo, ex Univerſitatis quiſque ſuæ conſuetudine Comitia hujuſmodi convocat, in quibus novi Nationum Conſiliarii decernuntur, tres & viginti in Juris conſultorum Collegio, Artes profitentium ſeptem, de quibus erunt videnda, quæ latius explicat(1)Tomaſinus. His ex lege ritè creatis Matriculæ diſtribuuntur diſcipulis, tum Ciſalpinis, tum reliquis, qui has Autumno ineunte non ſunt conſecuti. Sunt autem Matriculæ Diplomata quædam Pro-Rectoris titulo inſignita ex S.C. Diſcipulos, ac Gymnaſticum Populum vectigalibus, portoriis, aliiſque oneribus ejuſmodi, ſive realibus, ut vocant, ſive perſonalibus eximentia.

(1) lib. 1. Gym. c. 13. à p. 60.

VI. Ex horum Diplomatum fide ad habendas immunitates, quæ taxatæ ſunt, mandatum datur, vi cujus Diſcipulis ſingulis ac Miniſtris à vectigali tum inferendi in Urbem vini, tum tritici ad uſum molendi ſolvendo intra certam menſuram conceditur privile-

giam.

gium. Nam & miniſtris, & gregariis diſcipulis immunis farinæ ſeſqui modius Patavinus, ſequidolium Vini puri tribuitur, Conſiliariis horum duplum, quincuplum Pro-Rectori. Qui eo ipſo tempore, ſi Jureconſultis præeſt, ad celebrandum diem D. Catherinæ Jureconſultorum Patronæ, ſi Artes moderatur, ad idem ſacrum obſequium D. Thomæ Aquinati, Artium ac Theologiæ Patrono, exhibendum Nonis Martiis togatus progreditur è Gymnaſio. Præeunt Tympaniſtæ ac Tibicines, Viatores deinde Gymnaſtici, & uniuſcujuſque Univerſitatis Cancellarius, togati omnes, poſt quem Pro-Rector ac Syndicus, & ſinguli ex Ordine Nationum Conſiliarii gradiuntur; quibus ea dumtaxat die Profeſſores, honoris gratia, ſunt comites à ſiniſtris. Sequuntur promiſcuè diſcipuli reliqui, ac ſonoro plauſu, feſtiſque acclamationibus fora, compita replent. Re divina in Templo peracta, eodem inceſſûs ordine reditur ad Gymnaſium, ac Profeſſoribus abeuntibus Pro-Rector turbam Scholaſticam domum invitat, eique munificè jentaculum exhibet.

VII. Declinante jam anno Magiſtratûs, conventu ex more ſuæ Univerſitatis habito, Adſeſſores ad Gentilitia Pro-Rectorum, & Conſiliariorum Inſignia, conſignanda Poſterorum memoriæ eligendos curat. Et hæc olim ſanè pictorum pennicillis deſcripta & Scholas & ambulacra Gymnaſii perornabant. Expunxit pleraque ambitio ſtolida & inepta, ut marmorea monumenta picturis imponeret, magno cum damno parietum, ac maxima cum injuria clariſſimæ vetuſtatis, cujus ex parte non minima memoriam amiſimus, deletis nominibus præſtantiſſimorum Virorum, quos aluit ad gloriam Virtutis, & Sapientiæ Patavinum Archilycæum. Ejus nomine gratias agere licet laborioſæ diligentiæ Deſiderii Lignaminei Patavini è ſacro Prædicatorum Ordine viri doctiſſimi, qui deletarum Inſcriptionum non paucas fato eripuit, & in Codicem retulit; unde multa notata ſignataque Salomonii curioſitas in veſtigandis hujuſmodi Antiquitatis cimeliis ad nos tranſmiſit, atque huic Operi noſtro lucis admodum attulit. Hæc ratio eſt, hoc officium Adſeſſorum ad Inſignia gentilia, quæ poſtquam Senatuſconſultum ſalutare Gymnaſio conſignari lapidibus, & affigi parietibus vetuit, in Codice deſcribuntur, aſſervanturque ad Poſteritatis notitiam.

VIII. Per eoſdem Adſeſſores Pro-Rector ad ſe, ac ſingulos Conſiliarios libros Gymnaſticæ adminiſtrationis afferri jubet; ſimul committit ſuffragiis perſolvendum operis miniſtrorum ſtipendium, quo ſoluto, curat, ut apud Calculatores Capſarius rationes putet expenſarum, ac ſumptuum, ipſo Pro-Rectore præſente, ſi viſum fuerit, quas deinde offert Univerſitati ex dicto Rationariorum probandas, & confirmandas: cùm jam proximè abiturus eſt Magiſtratu, novos nominandorum ad Pro-Rectoris creationem Comitiorum Cenſores dicit; propoſitiſque, ſi qua ſunt, Competitorum nominibus, una Comitiorum hujuſmodi habendorum diem indicit.

IX. Hi ſunt actus, hæ partes toto anno Gymnaſtico Pro-Rectorum præcipuæ; hæ curæ ex officio peculiariter habendæ, quibus honor pro præmio eſt, & in re Scholaſtica non mediocris auctoritas. Nam & hujus Ærario præeſt, nec, ſine mandato, ejus ſubſcriptione munito, Arcæ Univerſitatum pecuniam depromunt. Nemini licet ad lauream petendam accedere ejus injuſſu. Ipſe Prætextatus experimentis provehendorum ad gradus adſiſtit in omnibus Collegiis; ſi laurea conferatur in Gymnaſii Collegio, ipſe Privilegia Doctoratuum, poſt Præſidem Collegii ſubſcriptione ſua & ſigillo Univerſitatis munit; id, quod ſolus præſtat, ſi Artibus præſit, cùm à Profeſſoribus Medicis Chirurgi probantur, ac jure Artis Chirurgicæ exercendæ licentiati Scholaſtico vocabulo nuncupantur. Togatus Theſibus, quæcunque publicè in Gymnaſio habentur à cooptandis in Collegia Patavina, primiſque Profeſſorum ſolemniter munus ineuntium Prælectionibus, ipſe in primis intervenit, ipſe ad Oſtium Gymnaſii Rectores Urbanos ad hæc ipſa honoranda, quæ publicè peraguntur, accedentes excipit, ac diſcedentes comitatur: dum Theſes habentur, his adſidet ſecreto ac ſingulari in ſubſellio; indeque primus in illum, qui Theſes tuetur, inſurgit argumentis ingenioſè propoſitis. Denique ipſe ad exhibendum Gymnaſii officioſum obſequium tum novis Epiſcopis, tum Rectoribus Urbis Scholaſticam juventutem deducit, ac pro ea honorifica verba dat, atque recipit: interdum etiam idipſum præſtat Sereniſſimis Venetorum Principibus ad Solium recens evectis; & ſi qua neceſſitas urgeat, aut poſtulet honeſtatis ratio, ex Decreto Gymnaſtico & Rectores Urbanos convenit, & ab his factâ poteſtate Venetias adit, Moderatores Gymnaſii conſultum, aut rogatum Auguſti Senatûs Oracula.

X. Porro his Pro-Rectorum meritis, curis, & ſumptibus Laurea Doctoratûs more Nobilium, & gratis conceditur ex moderatorum Gymnaſii reſcripto, quo & immunitas à ſumptu faciendo, & pompa in ea celebritate habenda, & jus arma deferendi quoad vixerint, decernitur liberalitate planè ſingulari; quippe quæ Privilegia eadem

ſolet

ſolet extendere etiam ad Pro-Syndicos, ſi quando, quod non rarò contingit, nullus ſit, qui Pro-Rectoris dignitatem ambiat, planèque omnes dare ad eam nomen detrectent. Germanicæ Nationis prærogativa tunc eſt, ut ejus Conſiliarii primi Pro-Syndicorum exerceant munus, ac Syndicorum vicariâ poteſtate fungantur. Hactenus quæ ad Pro-Rectoris ac Syndici officium pertinent ætate hac noſtra, ex operis inſtituto, breviter explicavimus iis omiſſis, quæ vel confusè, vel jejunè proponuntur à Tomaſino.

XI. Hujus Chronologia (1) Catalogum exhibet Rectorum ac Pro-Rectorum Gymnaſii noſtri, verùm ita intertextum rebus Patavinis parùm, aut nihil ad Gymnaſium ſpectantibus, ut operæ pretium viſum ſit, ſeriem ejus ab initio contexere, quò & ille Catalogus mendis plurimis, nec paucioribus anachroniſmis expurgetur, & lector uno conſpectu ſucceſſionem noſtro Gymnaſio glorioſam poſſit agnoſcere. Principio res Gymnaſtica uno Rectore vel Pro-Rectore regebatur, eoque Scholarum Præſide, ac Gymnaſiarcha, tum Juriſconſultorum, tum Artibus addictorum reſpublica procurabatur: quippe unica omnium, ut loquimur, Univerſitas erat; nec aliam ob cauſam tunc quoque bini Rectores dabantur ſæpe, niſi ut binas gentes, quæ plerumque invicem in iiſdem conventibus diſſidebant, officio, & auctoritate compeſcerent. Hinc in actis occurrunt Rectores Tranſalpinorum, & Ciſalpinorum, nec tamen, aut ſępè, aut plerunque, ſępe unus Rector notatur, quo uno Gymnaſium univerſum regebatur; appellaturque modò Juriſtarum, modò Artiſtarum, non quòd per ea tempora Univerſitates hujuſmodi diſcernerentur, ſed quòd, qui Rector Artiſtarum dicitur, è numero eſſet eorum qui Artibus dabant operam; è numero Juriſconſultorum, qui Rector Juriſtarum nominabatur. Hinc rixæ perpetuæ, dum, pro ſe quiſque, Rectores è ſuo ordine diſcipuli poſtulant, atque habere ſatagunt ambitione petulanti, ac jurgiis manifeſtis.

(1) lib. 4. Gym. à p. 351.

XII. Ergo eò itum, ut Artes à Juriſprudentia ſecernerentur; id quod non ante Annum MCCC. contigiſſe refert Porcellinus (2) apud Salomonium (3), ex cujus probabili conjectura dicendum eſt, hac diviſione factâ, creviſſe diſcipulorum tumultûs, dum aut unum Rectorem utrique Univerſitati decernunt, aut ſingulos ſingulis deſtinant, interpoſitâ ſuffragantium prænſatione moleſtiâ; donec decreto Prætorum, quod ex Annalibus Cœnobii ſui proponit Deſiderius (4) Lignamineus, Rectorum dignitas in Gymnaſio interquievit, cujus exinde res vel ipſi Prætores Patavini, vel eorum juſſu delecti Profeſſores præcipui gubernarunt. Reipſa ab anno ſecundo poſt trecenteſimum ſupra milleſimum ad annum MCCCXCIX., quo Tranſalpinus Rector, & Ciſalpinus ex Artium diſcipulis uterque notatur, nullum dignitatis hujus veſtigium præferunt Acta; videturque horum ipſorum creatio tam infauſta Gymnaſio fuiſſe, ut deinceps, per annos tres & triginta nullos Rectores habuerit uſque ad annum nimirum MCDXXXII., quo Gymnaſiarchæ cœperunt eſſe continui, ſingulari, vel duumvirali Magiſtratu, atque hoc ordine, quem ſummo labore ad ſupplementum & Auctarium Tomaſini proponimus ad Annum proxumè ſignatum MCDXXXII.

(2) Præf. ad not. Matric. (3) in inſcr. Gym.

(4) apud Salom. ibid.

1263. Gonſaldus Hiſpanus Univerſ. Rector. Hic omnium primus invenitur in Actis hoc anno ſignatus, non anno 1260.

1264. Henricus de S. Petronilla Friſienſis Præpoſitus Univerſ. Juriſconſultus Rector Tranſalpinus.

1265. Franciſcus de Novaria Canonicus Patavinus Ciſalpinorum Rect. Artiſta.

1266. Idem Franciſcus de Novaria.

1267. 1268. } Joannes Præpoſitus Germanus Gymnaſii Rector.

1269. 1270. } Ammon Gebennienſis Rect.

1271. Nicolaus Polonus Archidiaconus Cracovienſis Tranſalp. Rect., plurimis annis dicitur præfuiſſe Gymnaſio.

1278. Joannes de Monte longo Archidiaconus Aquilejenſis Ciſalpin. R.

1279. Philippus de Speciariis Veronenſis Gymnaſii Rector. Ante hunc Tomaſinus (5) Jacobum quemdam de Garzolonis de Oſſero notat fuiſſe Rectorem uſque ad VI. Kal. Januarii. Verùm is Vicarius fuiſſe dicitur Joannis de Montelongo, ac reſignaſſe curam Gymnaſii Philippo de Speciariis. Qui certè pluribus annis præfuiſſe videtur. Nam hoc Rectore petente, anno MCCLXXXIII. Reſpub. Patavina decretum edidit de ſtationariis, ſeu Pedellis, eorumque ſtipendio, ut annotat Codex antiquus Decretorum Urbis Patavinæ citatus alibi, ex quo hoc ipſum habet Tomaſinus (6) falſus in eo, quòd circa illa tempora auctum referr Gymnaſium Privilegiis ab Urbano IV. Quò enim ſomnies Urbanum IV. ſedentem anno MCCLXXXII., cum palam reclamet communis hiſtoria (7) ad annum MCCLXI. initia referens Urbani IV., quem non ultra quintum annum ſediſſe certum eſt? Ipſe Tomaſinus Urbani Diploma pro Patavino Gymnaſio ad an-

(5) Gym. lib. 4. p. 360.

(6) ib. p. 361.

(7) Continuat. Baron. ad eum Annum.

(1) lib. 1. Gymn. p. 9. ad annum (1) revocat MCCLXII., quo jure deinde illud protrahit ab an. MCCLXXXIII., (2) pag. 16. & in eandem ἐποχὴν trahit Elenchum (2) juſſu Georgii Ruſſi Pro-Rectoris ac Syndici mendosè ſatis expoſitum?

1300. Theonitarius de Theobaldis Parmenſis Gymnaſii R.

1301. { Joannes Bononienſis Præpoſitus Gym. Rect.
{ Rodulphus de Auguſta Tranſalp. } RR.
{ Bonus de Mora Mediolanenſis Ciſalp. }

Sub his anno ſequenti ponitur initium Theologorum Collegii in Albo ſeu Elencho (3) pag. 16. (3) Ruſſi relato, cùm ſit ponendum circa annum MCCCLXIII., ſi verum eſt autogra- (4) lib. 1. Gym. p. 17. & ſeq. phum Urbani V. diploma, quod exhibet ex Bibliotheca Vaticana Tomaſinus (4). Porro defuit Rectorum dignitas Gymnaſio ad annum MCCCXCIX. Quo anno duo ſignantur, Franciſcus Maria à Mela Catalanus Tranſalpinus & Joannes Fuſuda Calaber Ciſalpinus Rectores Artium ambo, nimirum eo modo, quem ſuperiùs expoſuimus. Poſt hos iterum Anarchia fuit in G mnaſio ad annum 1432. cum tandem certam Periochen & continuam habere cœpit Scholaſticus Principatus, ut ſequitur.

CAPUT XVII.

Gymnaſiarchæ Patavini ab Anno MCDXXXII. ad MDC.

1432. Ltuinus Zuchareda Tarviſinus Gymn. R.
1433. Idem.
1434. Jacobus de Cypro Artiſt. R. I. C. Pro-Rector.
1435. Joannes de Manzono Neapolitanus Utr. V. R.
1436. Paulus de Mutonibus Tarviſinus Utr. V. R.
1437. Leonardus de Magiſtris Artium D. Aquilanus: eo diſcedente ſubſtitutus eſt Pro-Rector Ubertinus Albreatius Bergomas.
1439. Bartholomæus è Comitibus Bilii apud Carnos oppidi, quod Spilimbergum vocant, Utr. V. R. Huic ſubſtituitur
1440. Jo. Antonius de Lido Carnus, ſeu Forojulienſis Pro-Rect.
1441. { Leo de Magiſtris Aquilanus Leonardi Frater I. C. & Utr. Uni. Pro-R.
1442. { confirmatus anno ſequenti.
1443. Petrus de Azzonibus Bononienſis Utr. Uni. R.
1444. Idem.
1445. Georgius Ehingerus Ulmenſis I. C. & Utr. V. R.
1446. Idem.
1447. Georgius Bernardus Tridentinus I. C. & Utr. Uni. R.
1448. Joannes Paulus de Bernabuciis I. C. & Utr. Uni. R.
1449. Idem confirmatus.
1450. Franciſcus de Ubaldis de Aſſiſio Umber, Utr. V. R. ex ejus Orat. ad Urſatum Juſtinianum Præt. hoc anno.
1451. Idem confirmatus.
1452. Jordanus Urſinus Domicellus Romanus I. C. & Utr. Uni. Rect. ex ejus Orat. ad Fridericum III. Cæſarem tranſeuntem Patavio.
1453. Idem confirmatus.
1454. Laurentius Calcagno Brixien. I. C. & Utr. Uni. Pro-Rect. ex ejus Orat. ad Georgium Lauretano Præt. anno 1455.
1455. Idem confirmatus.
1456. Baltaſſar Turinus ex ejus Epiſtola apud Tomaſinum lib. 4. Gym. p. 391. I. C. & Utr. Uni. R.
1457. Idem confirmatus.
1458. Paulus de Oriano Brixien. I. C. & Utr. Uni. R. ex ejus Tract. de Diſpoſitione Legali.
1459. Joannes Rot Germanus I. C. & Utr. V. R. ex Vol. Statut. lib. 1. c. 16.
1460. Franciſcus Scledus Vicentinus Juriſconſult. & Utr. V. R.
1461. Idem confirmatus.
1462. Joannes Tucco ſeu Ducco Brixien. Juriſconſult. & Utr. V. R. Si conjecturæ locus ſit, hic ille fuit, qui ex Præpoſito S. Nazarii Coronenſis Epiſcopus inter clariſſimos Alumnos Gymnaſii numerandus erit.

1463. Henricus Murmeſter Namburgenſis I. C. & Utr. V. R. Hic pluteum à Patavinis obtinuit ad juſdicendum in Foro.
1464. Petrus Albertus I. C. & Utr. Uni. Rect. ex Stat. lib. 1. c. 57.
1465. Andreas Plancherner Kuuſperet I. C. R. Artium D.
1466. Odomatheus Urbinas Art. R.
1467. Bernardus de Capitibus liſtæ Utr. V. R. reprobatus eſt à Senatu Veneto, ac rejecto ſuffectus eſt Joannes ChelWorth Anglus Lincolnienſis Archidiaconus Utr. V. R.
1468. Idem Joannes ChelWorth confirmatus.
1469. Bartholomæus Averoldus Brixien. I. C. & Utr. V. R.
1470. Stephanus Federicus Brixien. I. C. & Utr. V. R. Stat. lib. 3. c. 37.
1471. Georgius Hehenolder.
1472. Idem confirmatus.
1473. Joannes à Scrofa Vicentinus I. C. & Utr. V. R. Stat. lib. 3. c. ult.
1474. Idem confirmatus, Stat. lib. 4. ad hunc annum. Diſceſſit, eique ſuffectus eſt Joannes Pranſperger I. C. R. & Dominicus Zanettus Art. Rector.
1475. Silveſter Rambaldus Veron. Utr. V. Pro-Rect. ſub nomine Nuncii.
1476. Joannes de Placentia Patavinus Utr. V. Pro-Rect. Remotus ex Stat. lib. 1. c. 3. Subſtitutus eſt Fauſtinus Cythius Brixien. Syndicus.
1477. Ubertus Poſculus Brixien. Univerſ. Syndicus & Vicarius ex Orat. Coſmi Contareni Patricii Veneti reſignantis exedram ob S. C., quo Patricii Veneti à prælectionibus publicis removentur hoc anno 26. Jun.
1478. Vincentius Schrench Monachienſis Bavarus Vicarius, deinde Utr. V. Rect. hoc anno.
1479. Pileus Vonicus Tarviſinus Utr. V. R.
1480. Jacobus de Salodio I. C. & Utr. V. R.
1481. Simeon Federicius Tridentinus Utr. V. R.
1482. Selvagius de Anglia I. C. & Utr. V. R.
1483. Joannes Gunder Germanus Utr. V. R.
1484. Valerius Colonienſis Utr. V. R.
1485. Idem confirmatus.
1486. Franciſcus Traverſus I. C. & Utr. V. R.
1487. Jacobus Giroldus I. C. & Utr. Uni. Rect.
1488. Idem confirmatus.
1489. Matthæus Ugo Brixien. Pro-Rect. Utr. Uni. & Syndicus.
1490. Hieronymus Zanettus Brixien. Syndicus Utr. Univerſ. ex Orat. ad Melchiorem Treviſanum Præt.
1491. Idem confirmatus.
1492. Bernardus Gilus Valentinus I. C. & Utr. V. R.
1493. Idem ex decreto transferendi Gymnaſium ad D. Martini.
1494. Nicolaus Bolizza Aſcrivienſis Dalmata I. C. & Utr. V. R.
1495. Nicolaus Marcheſius Bergomas Utr. V. R.
1496. Leonardus Ubriacus Artiſtarum & Utr. V. R.
1497. Ab hoc anno tum propter tumultus bellorum, tum propter peſtilentiam, Gymnaſio diſcipulis exteris deſtituto, Rectoris officium defuit triennio, vel quadriennio.
1500. Stephanus Abraam Pannonius I. C. & Utr. V. R. ex Privilegio Cardinalis Commendoni, in quo dicitur Javarinenſis Ungarus.
1501. { Joannes Thebaldus Bergomas I. C. R.
Julius à Valle Artium R.
1502. Nicolaus Trautmansdorf Alemanus Gymnaſii R.
1503. Idem confirmatus.
1504. Jacobus Lanterius Brixien. Art. & Utr. V. R.
1505. Idem confirmatus.
1506. Gaſpar Cultranus Siculus Gymnaſii R.
1507. { Michael Gualterotus Delphinas I. C. R.
Andreas de Polonia Art. R.
1508. { Marinus de Ongaris Dalmata I. C. R.
Andreas Betellus Veronenſis Art. R.

Re Gymnaſticâ intermiſſâ ob Cameracenſe bellum, mox reſtitutâ anno MDXV.

MDXV. à reſtitutione per annos circiter decem Rectoribus caruit Gymnaſium.

1526. Aſcanius Serravallenſis Gymnaſii Pro-Rector.

1527. Antonius de Campo Rhodigio Art. & Gymnaſii R.

1528. Joannes Maria de Zapharis Art. & Gymnaſii R.

Joannes Baptiſta de Mazzis I. C. R.

1529. Bernardus de Soldatis Mughienſis Art. R.

Simeon Fedeſtoli Tridentinus I. C. R.

1530. Idem Bernardus de Soldatis Art. R.

Jacobus Giroldus I. C. R.

1531. Theodoricus Zenus Art. Pro-Rect. Ei ſubſtitutus eſt Hieronymus Noshomo ex Elencho Ruſſi p. 28.

Octavianus de Trimeſtre I. C. R.

1532. Alexander Carinellus Art. R.

Nicolaus de Paladinis Typhernas I. C. R. ex Vet. Stat. lib. 1. c. 16.

1533. Octavianus de Frimero ſeu Frimer Ingolſtadienſis Art. R.

Eraſmus Alamannus Florentinus I. C. R.

1534. Alexander Trajanus ex Civit. Caſtellana, olim Feſcennia Art. R.

Joannes Jovinus Servianus ex parte Mœſiæ ſuperioris, quà vergit ad Dal-
1535. matas, unde dictus etiam Dalmata I. C. R.

Severinus Boccaurati Septempedanus Picenus Art. R.

Hieronymus de Santilia I. C. R.

1536. Michael Minitius Rhodianus ex Inſula Rhodo Art. R.

Lucius Uſoni Brixienſ. I. C. R.

1537. Ludovicus Mutius Aquilanus Art. R.

Theodorus Laher Pomeranus I. C. R.

1538. Hieronymus Liorſo Veronenſis Art. R.

Petrus Cæſareus Eq. Hieroſolymitanus Calaber I. C. R.

1539. Nicolaus Guzardus Novocomenſis Art. R.

Petrus Pape Toloſanus nobilis Adoleſcens I. C. R.

1540. Simon Albertolus Cremenſis Art. Pro-Rector ex albo Ruſſi p. 28.

Jacobus Cicuta Eq. Veglenſis I. C. R.

1541. Idem Simon, qui Tomaſino Arboſcelli eſt, Pro-Rector Art.

Ludovicus Aquineus Berolerius Gallus I. C. R.

1542. Joannes Apotheca, qui in albo Ruſſi Jo. Ant. Apothori Pedemontanus Art. R.

Hermes Ferrerius Pedemontanus I. C. R.

1543. Idem Apotheca vel Apothori Art. R.

Georgius Palæocappa Cretenſis I. C. R.

1544. Bernardus de Seriis Veronenſis, qui malè à Tomaſino Bernardinus de Georgiis Vicentinus dicitur Art. R.

Ferdinandus Adeſe Mediolanenſis I. C. R.

1545. Paulus Columba Siculus Art. R.

Idem Ferdinandus Adeſe I. C. R.

1546. Ludovicus Buzzacharinus è Pertia, alias Pergula, oppido Piceni, vel Umbriæ Art. R.

Stephanus Ferrareſſe Toloſanus, aliis Poterius Gallus I. C. Pro-Rect.

1547. Artium Rectorem Acta non exhibent; fuiſſe tamen certum eſt ex Controverſiâ ipſum inter & Pro-Rectorem I. C., in qua decretum, ut Pro-Rector ſumpto Capucio, ut Rector haberetur, ac Rectorem Artium præcederet.

Jacobus Sulphus Pedemontanus I. C. R.

1548. Georgius Lombardus Patr. Cretenſis Art. Syndicus.

1549. Fridericus Dino à Luimignon Germanus I. C. Utr. V. R.

Paulus de Michaelibus Vicentinus I. C. R.

1550. Julius de Valle Vicentinus Art. R.

Bernardinus Zucca Flandrenſis I. C. R.

1551. Joannes Barocius Cretenſis Art. R.

Jo. Maria Labellus Forojulienſis I. C. R.

1552. Vincentius de Michaelibus Patrit. Romanus Art. R.

Ludovicus Langaver Auguſtanus I. C. R.

1553. Paſinus Belgradus Utinenſis Art. R.

Bartholomæus de Griffis Salodienſis I. C. R.

1554. Maximus Pirenus Fonticulanus ab Aquila Romanus Art. R.

1555.

1555 Georgius Cranzer Naimburgenſis aliis Chailier I. C. R.
Scipio de Ponte Neapolitanus Artium Rector. Electus reclamantibus Germanis 10. Decembris, magnâ cum ignominiâ, ut decoctor, creditoribus ære, quod debebat fraudatis, Patavio diſceſſit: in ejus locum ſubſtitutus eſt Rector M. Antonius Rocchius Raconiſienſis Pedemontanus.
1556. Bernardinus Formagerius Rhodiginus I. C. R.
Idem Rocchius, qui dicitur Taurienſis Art. R.
1557. Albertus Turrin Germanus I. C. R.
Pancratius Helbers Erdſandaert Art. R.
1558. Jo. Baptiſta Florius Utinenſis I C. R.
Sampſon Brigotus Atrienſis Picenus Art. R.
1559. Georgius Pulphus Ungarus, ſeu Panno I. C. R.
Georgius Bergamo Vicentinus Art. R.
1560. Idem Georgius Bergamo Art. R.
Hector Tirabuſcus I. C. R.
1561. Petrus Macioleno Bergomas I. C. R.
Joannes Campanuli Art. R.
1562. Idem Petrus Macioleno Utr. V. Rector, cui ſubſtitutus eſt Simeon de Simeonibus Lucenſis, rejecto cum ignominia Jacobo Cicuta, quem Rector propoſuerat.
1563. Claudius Morandinus I. C. R.
Zarius Zamoſchius, Magnus deinde Poloniæ Cancellarius Art. R.
1564. Petrus Pinettus Manfredonienſis I. C. R.
Donatus Antonius Siculus Art. Pro-Rect.
1565. Baltaſſar Federicius Brixienſis I. C. R.
Bernardinus Calinus Brixienſis Art. R.
1566. Joannes à Boreren Alemanus I. C. R.
Andreas Goſtiath Polonus Art. R.
1567. Albertus Cirmelinus Veronenſis Art. & Utr. Un. Rect.
1568. Joannes Dominicus Moldo Vicenrinus I. C. & Gym. Rect.
1569. Philippus Mainardus Cadorinus I. C. R.
Aloyſius Sclopo Veronenſis Art. R.
1570. Joannes Clodius Cretenſis I. C. R.
Carolus de Hortis Veronenſis Art. R.
1571. Idem Joannes Clodius I. C. R.
Fauſtus Duraſtantius Picenus Art. R.
1572. Bartholomæus Bozza Cretenſis I. C. R.
Idem Fauſtus Duraſtantius Art. R.
1573. Pompejus Brigida Cyprius I. C. Pro-Rect.
Benedictus Flanginus Cyprius Art. Pro-Rect.
1574. Joſeph Spinellus Caſtrofrancenſis I. C. R.
Conſtantinus Paleocappa Eq. Art. Rect. Hic objit eodem anno laudatus in funere à Riccobono (1): ſuffectus eſt per menſes aliquot Pro-Rector Sanctiflorius Mundella Brixienſis.
1575. Bernardinus Nigrinus Anxianenſis Apulus I. C. R.
Jacobus Palæocappa Cretenſis Eq. Art. R.
1576. Idem Bernardinus Nigrinus I. C. R.
Stephanus Cereola Colonienſis Art. Rect. Huic diſcedenti ſubſtitutus eſt Nicolaus de Caballis Veronenſis, qui cùm ob peſtilentiam non veniſſet Patavium, ſucceſſorem habuit Antonium Bacharinum Cremon. Co. & Eq.
1577. Stephanus Cereola Colonienſis iterum I. C. & Art. R.
1578. Petrus Polidorus Picenus I. C. R.
Idem Stephanus Cereola Art. R.
1579. Idem Petrus Polidorus I. C. R.
Dominicus Slararichius Raguſæus Art. R.
1580. Aloyſius Ancharanus Vicentinus I. C. R.
Flaminius Franceſchinus è Foro Sempronii Art. R.
1581. Julius Ab aqua Vicentinus I. C. R.
Idem Flaminius Art. R. vel Pro- Rect. ut in Statuto.
1582. Thomas à Sharuſtem Germanus I. C. R.
Nicolaus Andronicus Tragurinus Phil. D. Art. R.

(1) Gymn. lib. 5. c. 4. p. 118. ter. & ſeqq.

I 1583. Pe-

1583. Renatus Julianus Bertiniolus Gallus I. C. R.
Petrus Antonius Roncatus Veronenſis Art. R.
1584. Thomas Germanus I. C. R.
Hercules Guarinonus Rhœtus D. Art. Rect. Diſcedenti datus eſt Succeſſor Alphonſus Tangerinus Brixienſis, quo etiam abeunte, à Rectoribus Urbis dicitur Art. Rector Bernardinus Paternus Prim. Med. Profeſſor.
1585. Andreas Auria è Caſtrofranco I. C. R.
Jacobus Savonianus Nauplius è Peloponneſo Art. Pro-Rect.
1586. Jo. Franciſcus Lombardus Cretenſis I. C. R.
Idem Jacobus Savonianus Art. R.
1587. Alexander Puteus Pedemontanus I. C. Pro-Rector.
Franciſcus Magnus Veronenſis Art. Pro-Rect.
1588. Fabius Turrius Tarviſinus I. C. R.
Jo. Paulus Ubaldinus Muglienſis ex Iſtria Art. R.
1589. Antonius Ulaſtus potiùs Blaſtus Cretenſis I. C. R.
Vincentius Lumatius Mantuanus Eq. Art. R.
1590. Lancellotus Lancellotus Aſculanus Picenus I. C. R.
Auguſtinus Dominicus Fulginas Art. Pro-Rect.
1591. Petrus Alzanus I. C. R. proximè diſceſſurus Patavio occiſus eſt anno ſequenti.
Idem Auguſtinus Dominicus Art. Pro-Rect.
1592. Antonius Cerro Bergomas I. C. Pro-Rect.
Jacobus Donato Veronenſis Art. Pro-Rect. Pulſus in exilium ſubſtitutum habuit Marium Bevilaqua Salodienſem.
1593. Nicolaus Bolizza Aſcrivienſis Dalmata I. C. R.
Georgius Pipanus Cracovienſis Polonus Art. R.
1594. Idem Nicolaus Bolizza I. C. R.
Antonius Savoldus Art. Pro-Rect. & Synd.
1595. Antonius Proſper Genuenſis I. C. Pro-Rect.
Marcus Bevilaqua Salodienſis Art. Pro-Rect.
1596. Dardius Cavacia Vicentinus I. C. Pro-Rect. & Synd.
Jo. Jacobus Grandius Veronenſis Art. Pro-R. S.
1597. Hieronymus Parolerius Colonienſis I. C. R.
Matthias Jacobeus Ripenſis Danus Art. Pro-R. S.
1598. David Placotomus I. C. & Gymnaſii Pro-R. S.
1599. Joſeph Carraria Brixien. Gymn. & Utr. Un. Pro-Synd. & Pro-Rect.
1600. Saluſtius Dionyſius Veronenſis I. C. Pro-R. S.
Julius Cæſar Fridericus Brixienſis Art. Pro- R. S.

CAPUT XVIII.

Gymnaſiarchæ Patavini ad Annum MDCCXXIII.

1601. BAptiſta Appianus Veronenſis I. C. Idem ~~Julius Cæſar~~ Fridericius Art. Pro-Rectores ac Syndici.
1602. Proſper Buarno I. C. Joſeph Carraria Phil. ac Medic. D. iterum Pro-RR. & SS. Nicolaus Quirini Cretenſis Art. Pro-R. & S.
1603. Paulus Savoldus Brixienſis I. C. Franciſcus Tornerius Martinenſis Appulus Eq. Art. Pro-RR. & SS.
1604. Idem Franciſcus Tornerius Art. R. eo diſcedente Petrus Bonvicinus Art. Pro-R. & S. Comes Pompejus Capra Vicentinus I. C. Pro-R. & S.
1605. Ludovicus Evan Britannus I. C. R.
Joannes Aner Germanus Art. R. Hic diſcedens ſibi ſubſtituit Eq. Saxoniam Medicinæ Profeſſorem.
1606. Samuel Slupcki de Conari Polonus I. C. R. eo abſente, mox abeunte, Jo. Baptiſta Codatius Pro-R.
Euſtachius Patellarius Cretenſis Art. Syndicus & Pro-R.
1607. Simeon Phtaminius Cretenſis I. C. R.
Martius Zaghius à Caſtrofranco Art. Syndicus. Ob multa contra Germanos iniquè tentata proſcriptus eſt: ſucceſſit Co. Martius Capra Vicentinus.

1608. Idem

1608. { Idem Simeon Phtaminius I.C.R.
{ Matthæus Uretus, potius Bretus, Cretenſis Art. Syndicus Pro-R.

1609. Co. Julius Portus Vicentinus I. C. Franciſcus Craſſus Raguſæus Art. Pro-RR. & SS.

1610. Lucas Quartanus Nob. Cretenſis I. C. Idem Craſſus Art. Pro-RR. & SS.

1611. Iidem ab utraque Univerſitate confirmati.

1612. Franciſcus Thienæus Vicentinus I. C. Antonius Maria Rubeus Ravennas Art.

1613. & SS.

Rhœtus Idem Franciſcus Thienæus confirmatus I. C. Andreas Curtabonus Solienſis Pro-RR. Art. Pro RR. & SS.

1614. Julianus Caſtellinus Genuenſis I.C. Ludovicus Calinus Brixienſis Art. Pro-RR. & SS.

1615. Auguſtinus Vidoſſius Garzulenſis Dalmata Eq. I.C. Bernardus de Rinaldis Vicentinus Pro-RR. & SS.

1616. Hieronymus de Sanctis Neapolitanus I. C. Samuel Geuſuſius à Longoloi Auſtriacus Art. Pro-RR. & SS.

1617. Jacobus Teotius Baſſanenſis Iur. Conſ. Franciſcus Caccia Mantuanus Pro-RR. & SS.

1618. Taſſellus Taſſellius Veronenſis I. C. Eq. Dominicus Mareſius Vicentinus Art. Pro-RR. & SS.

1619. Leo Calergius Cretenſis I. C. Com. Carolus Canoſſa Regienſis Art. Pro-RR. & SS.

1620. Galeatius Ferramuſca Vicentinus I. C. Nicolaus Piperellus Clavennenſis Art. Pro-RR. & SS.

1621. Franciſcus Ghilinus Vicentinus I. C. Jo. Sebaſtianus Zolt Offemburgenſis Art. Pro-RR. & SS. Huic abeunti ſuffectus eſt Thomas Plovenus Vicentinus.

1622. M. Antonius Haureau Pariſienſis I. C. Sasbout Vander àà Hollandus Art. Pro-RR. & SS.

1623. Com. Henricus Capra Vicentinus I. C. Gaudentius Bellinus Novarienſis Art. Pro-RR. & SS.

1624. Idem Henricus Capra I. C. Aloyſius Zon Brixienſis Art. Pro-RR. & SS.

1625. Com. Clemens Thienæus Vicentinus I. C. Auguſtinus Belliſonus vel Belligotus Brixienſis Art. Pro-RR. & SS.

1626. Horatius Goddius Vicentinus I. C. Gaſpar Fenarolus Brixienſis Art. Pro-RR. & SS.

1627. Joannes Meliſſenus Cretenſis Jur. Conſ. Petrus Boſſius Bergomas Art. Pro-RR. & SS.

1628. Petrus Francus Veronenſis I. C. Camillus Fuſarius Brixienſis Art. Pro-RR. & SS.

1629. Dominicus Ferrarius Lendenarienſis I. C, quo ſe abdicante ſucceſſit Tiburtius Malſperonus Brixienſis I. C. Jo. Hieronymus Malvetius Brixienſis Art. Pro-RR. & SS.

1630. Dominicus Ferrarius iterum I. C. Hieronymus Peturianus Veronenſis Art. Pro-RR. & SS.

1631. Idem Dominicus Ferrarius I. C. & Utr. Un. R.; nam Gymnaſium peſtilentiâ diſcuſſum eſt. Quare fallitur elenchus (1) Ruſſi, qui Peturianum, quem Petorazzium vocat, ſignat Art. Pro-R. & S. (1) p. 34.

1632. Dionæus Albanus Bergomas I. C. Ferdinandus Gomez Romanus Art. Pro-RR. & SS. Huic diſcendenti ſufficitur Victor Argenta Feltrenſis.

1633. Decius de Monte Vicentinus I. C. Franciſcus Zambonus Vicentinus Art. Pro-RR. SS. Huic ſubſtituitur Jo. Baptiſta Saveto aliàs Favetta Mediolanenſis.

1634. Ludovicus Pirna Aſcrivienſis Dalmata I. C. Horatius Naldus Faventinus Art. Pro RR. SS.

1635. Ambroſius Auguſtus Bergomas I. C. Jo. Petrus de Antoninis Meſulcinenſis Rhœtus Art. Pro-RR. SS. Ei diſcedenti ſubſtituitur Pro-Syndicus Art. Jo. Antonius Sedabonus.

1636. Jo. Conradus Heroldt ad Nergoviam Francus I. C. Nicolaus Benzonus Randuſio Danus Art. Pro-RR. SS. His agentibus, Senatus cùm ſtatuiſſet hoc anno 24. Septembris ſex, quos vocant Promotores à Candidatis eligendos eſſe, & quinquennium impendendum Gymnaſio à diſcipulis Venetæ Reipublicæ ſubjectis, excepta eſt Natio Germanica, ut etiam cum numero minore ſibi Promotores adſciſceret. Iiſdem

curantibus, conſtitutus eſt, ut Syndici Decuriones Patavinos præcederent in rebus ad Gymnaſium ſpectantibus, & in aliis conventibus, Itidemque hi obtinuerunt primi eodem anno 30. Maii veſtem demiſſam ad talos, ingreſſum in Collegia Patavina, ſedemque poſt Præſides Collegiorum.

1637. Idem Conradus Heroldt I. C. Joſeph Savoldus Brixien. Art. Pro-RR. SS. Hoc non accedente Patavium, datus eſt Pro-Synd. Alexander Todeſchinus Vicentinus, quo diſcedente, fuit Pro-Synd. Vincentius Matthæjus Forojulienſis Patrit. Rom.

1638. Idem Conradus Heroldt Juriſconſult. Hieronymus Arduinus Piſauren. Art. Pro-RR. SS.

1639. Nicolaus Benzonius Romanus I. C. Carolus Malſperonus Brix. Art. Pro-RR. SS. Hoc renuente fuit Pro-Synd. Philippus Perſius.

1640. Henricus Lindeſajus Scotus I. C. Joannes Columbanus Bruxellenſis Art. Pro-RR. SS.

1641. Idem Henricus Lindeſajus I. C. Philibertus Vizzanius Bononienſis Art. Pro-RR. SS.

1642. Dominicus Spinula Genuenſis I. C. Idem Philibertus Vizzanius Art. Pro-RR. SS. Huic abeunti ſubſtitutus eſt Pro-S. Thomas Bartolinus Danus.

1643. Chriſtianus Brun Danus I. C. Jacobus Calchiopulus Rhethymnius Creten. Art. Pro-RR. SS. abdicanti ſe poſt menſes aliquot, cum vellet ſibi Pro-Synd. ſubſtituere, à Senatu decretum hoc anno 13. Decembr. abſente, vel diſcedente Pro-Rectore, ſi nullus ad id muneris eligatur, Pro-Syndici partes ad primum Conſiliarium I. N. G. pertinere. Electus tamen eſt Pro-R. Art. Theodorus Miſtachelius Dalmata.

1644. Jo. Raymundus à Lamberg lib. Baro Carinthius I. C. Darius Blanch Dantiſcanus Boruſſus Art. Pro-RR. SS.

1645. Octavianus Spolverinus Veronenſis I. C. abdicavit ſe, ſuffectus eſt Alventus Brixienſis: accedere noluit: quare Syndicorum vices ſine Univerſitatum diſcrimine geſſere Germani Wernerus Ladigeus Alemannus, & Adamus Steningh Frauſtadio-Sileſius.

1646. Carolus Von Holten Bruſſus I. C. Pro-R. & S. Idem Adamus Heningh Frauſtadio-Sileſius Pro-S.

1647. Guido Ferramuſca Vicentinus I. C. Carolus Franciſcus Zazzius Brumienſis Wlturenus Pro-RR. & SS.

1648. Idem Guido Ferramuſca Juriſconſult. Joannes de Luneſclos Salinga Montanus Art. Pro-RR. & SS. Huic diſcedenti ſuffectus Franciſcus Maſſari Brixien. Pro-S.

1649. Octavius Odaxius Brixien. I. C. Aloyſius Longhena Brixien. Art. Pro-RR. & SS.

1650. Guſtavus Adamus Banner. Jo. Franciſcus de Mulhammer Noerbis Wender Juriſconſult. Franciſcus Ignatius Tirmair Monachienſis Bavarus Art. Pro-RR. SS.

1651. Jacobus Biſſarus Vicentinus Comes Coſtæ, Fabricæ, & Caſtri I. C. Jo. Andreas Zaninus Maroſticenſis Pro-RR. SS.

1652. Petrus Lungius Gouda Hollandus I. C. Georgius Hilmannus Cratzmann Luneburgenſis Saxo Art. Pro-RR. SS.

1653. Co. Franciſcus Luſcus Vicentinus I. C. Pro-R. ejectus fuit initio Novembr. Vices Syndici geſſit Georgius Duc Eq. Danus Conſiliarius N. G. Nicolaus Petronius Caldana Piranenſis Art. Pro-R. S.

1654. Georgius Guldeſterna Eq. Svecus I. C. Arnoldus CondeWino Tranſilvanus Daventrienſis Pro-RR. SS.

1655. Com. Horatius Plovenus I. C. Jacobus Ferracino Tarviſinus Pro-RR. SS.

1656. Joannes Finchius Anglus Juriſconſult. Franciſcus Cima Bergomas Art. Pro-RR. SS.

1657. Mario Marionus Veronenſis I. C. Raymundus Lupati Rhodiginus adoptione Germanus Art. Pro-RR. SS.

1658. Thomas Finchius Danus Juriſconſult. Paulus de Aurificis Faventinus Art. Pro-RR. SS.

1659. Joſeph Libera Tridentinus I. C. Aſevero Jacobus à Blocklandt Amſtelodamus Art. Pro-RR. SS.

1660. Gulielmus Stokeham Anglus I. C. Julius Cæſar de Pace Salodienſis Art. Pro-RR. SS.

1661. Parmenio Co. Treſſinus Vicentinus I. C. Robertus Napeiro Anglus Art. Pro-RR. SS.

1662. Antonius Maria Niger Wltmenus Jur. Conſ. Joannes Guerra Aſylienſis Art. Pro-RR. SS.

1663. Paulus Benaſſuti Vicentinus I. C. Jo. Georgius Noslerus Norimbergenſis Art. Pro-RR. SS.

1664. Nathanael Scroderus Boruſſus I. C. Blaſius Bartolini Veronenſis Art. Pro-RR. SS.

1665. Alexander Magrè ſeu Macradius Vicentinus I.C. Gaſpar Severini Hiort Danus Art. Pro-RR. SS. quo diſcedente Jo. Camair Alcmaria Batavus Pro-S.

1666. Melchior Terta Sicenſis Dalmata adoptione Germanus I. C. Joſeph Philippinus Veronenſis Art. Pro-RR. SS.

1667. Idem Melchior Terta Jur. Conſ. Jacobus Belcapillus Meſtrenſis Art. Pro-RR. SS.

1668. Hercules à Salis Rhœtus Jur. Conſ. Joannes Baptiſta Moſt Salisburgenſis Art. Pro-SS.

1669. Nicolaus Toſius Vicentinus I. C. Pro-R. S. eo diſcedente, Jo. Georgius Jauritz Carinthius I.C. Jacobus Viſcher Amſtelo-Batavus Art. Pro-SS.

1670. Franciſcus de Rubeis Rhethymnius Cretenſis I. C. Pro-R. S. Simeon Corſinius Amburgenſis Art. Pro-S.

1671. Idem Joannes Georgius Jauritz I.C. Thomas Otho Marquart, Luſato-Weſphalus Art. Pro-SS.

1672. Jo. Jacobus Sartorius ab Eternpichiel Styrus I. C. Jo. Uon Flamerding Francofurtenſis Art. Pro-SS.

1673. Co. Jo. Thomas Colloredo Utinenſis I. C. Chriſtophorus de Sclangemburg Viennenſis Liber Baro Rom. Imp. Art. Pro-RR. Hoc non apparente, datus Pro-S. Laurentius Lælius Rockinga Franco.

1674. Jo. Fredericus Friſen Amburgenſis I. C. Jo. Paulus Qualizza Carniolus Art. Pro-SS.

1675. Franciſcus Jambuſi Veronenſis I.C. Jo. Gaſpar Spaar Francofurtenſis Art. Pro-RR. SS.

1676 Henricus Guillelmus Ebner Norimbergenſis I. C. Jo. Georgius Aichamer Wlels Auſtriacus Art. Pro-SS.

1677. Otho Comes de Gronſfeldt I.C. Jo. Andreas Kopperniager Carniolus Labacenſis Art. Pro-SS.

1678. Petrus Chorn è Colonia Agrippina I. C. Jo. Georgius Scarpeterus de Vandervegen Rhœtus Art. Pro-RR. SS.

1679. Gottardus Malengus Rhœtus I. C. Jo. Schilingius Onolondinus Franco Art. Pro-SS.

1680. Co. Joannes Munincauſa Nob. Flander I. C. Jo. Jacobus de Platis Veronenſis Nob. & Bergom. Art. Pro-RR. SS.

1681. Idem Comes Joannes Munincauſa Juriſ. Conſ. Joannes Martinus Eiſenſchmidt Art. Pro-S.

1682. Vincentius Ant. Delphinus Wlturenus I. C. Pro-R. S. Jo. Franciſcus Xaverius à Weinheim Viennenſis Art. Pro-S.

1683. Antonius Cattaneus Lendenarienſis I. C. Pro-R. S. Franciſcus Jacobus Ciſati Lucernenſis Art. Pro-S.

1684. Franc. Simon Mandaker Suevus I.C. Georgius Beniamin Gloxinus Colmarienſis Alſatus Art. Pro-RR. SS.

1685. Silveſter Juſtinianus Corcyræus I. C. Pro-R. munus repudiavit poſt ſex dies, quare datus. Pro S. ſine nomine. Franciſcus Xaverius Bluemberg Fluminienſis Liburnus Art. Pro S.

1686. Joannes Ubaldus Stichl à Bonevitz. Eq. Saxo. I.C. Gaſpar Wolf Nob. Ulma-Swevo Art. Pro-SS.

1687. Jo. Antonius Homodei aliâs Armanaſcus Wlturenus I. C. Pro-R. S. Franciſcus Nortbertus Schiukh Auſtriacus Lincenſis Art. Pro-S.

1688. Ricardus Collius Anglus I. C. Pro-R. S. Ferdinandus Wrebemſelt Carniolus ex Kandershoff & Kreizdorff Art. Pro-S.

1689. Carolus Ignatius Maſſ Styrus Græcenſis Jur. Conſ. Idem Ferdinandus Art. Pro-SS.

1690. Franciſcus Rodulphus à Welczek L.B. de Majori Dubensko, & Pettotdorff I.C. Pro-R.S. Fran. Auguſtinus Boſius Carniolus Art. Pro-S.

1691. Emmanuel Timoni Chius adoptione Anglus I.C. Pro-R.S. Andreas Kalinus Grecenſis Styrus Art. Pro-S.

1692. Scipio Beſtha Rhœtus I.C. Innocentius Zorzi Dalmata Art. Pro-SS.

1693. Abrahamus Teleſmacher Nob. Montanus I.C. Franciſcus Wilhelmus Erneſtus de Miro-Wiz Boemus Art. Pro-SS.

1694. Jo. Arnoldus Scteiber Nob. Monaſterienſis Weſtſhalus I.C. Jo. Heckheler Argentinenſis Art. Pro-SS.

1695. Franc. Dominicus Koppeniager Nob. Carniolus Labacenſis I.C. Franciſcus Beſenolla Tirolenſis Art. Pro-SS.

1696. Chriſtianus Langerman Amburgenſis I.C. Jo. Abrahamus Merklinus Norimbergenſis Art. Pro-SS. Huic diſcedenti ſuffectus Sebaſtianus Hæggerus San Gallus Helvetus Pro-S.

1697. Idem Chriſtianus Langerman I.C. Matthæus Pfeffer Styrus Grecenſis Art. Pro-SS.

1698. Bernardus Clerici Rhetus I.C. Chriſtianus Etnet Nob. Sosloga Sileſius Art. Pro-SS.

1699. Julius Peſtalozzius Rhetus Dominus in Tametſein I.C. Michael Condopidius Marcello Naxius Art. Pro-RR. & SS.

1700. Jacobus Lamb Elbingenſis Boruſſus I.C. Idem Condopidius Art. Pro-RR. SS.

1701. Franciſcus Talmon à Thalheimb Carinthius à S. Vito I.C. Pro-S. Wolſgangus Zimerer Auſtriacus Viennenſis Art. Pro-R.S.

1702. Fanciſcus Weinacht Nob. Carniolus à Craiber I.C. Pro-R.S. Joannes Breler Fuldenſis Art. Pro S.

1703. Idem Franciſcus Weinacht I.C. Petrus Maria Bornati Brixien. Art. Pro-RR. & SS. Hoc pulſo in exilium Joſeph Widman Styro-Grecenſis Art. Pro-S.

1704. Hieronymus Barbera Brixienſis I.C. Georgius Ruſſi Sciatiſtenſis Macedo Art. Pro-RR.SS. Hic juvenis omni virtutum genere conſpicuus, Græci nominis decus, admodum Gymnaſio profuit, cuſtos Privilegiorum ejus diligentiſſimus, & Indicis editi de Rectoribus Artium auctor lucis admodum Operi addidit noſtro.

1705. Co. Bartholomæus Fieta Aſylienſis I.C. Pro-R.S. Joſeph Verriero Nob. Tergeſtinus Art. Pro-S.

1706. Lambertus Goffredus Ubertus Agrippienſis I.C. Jo. Ignatius Marendo Nob. Rhœto-Auſtriacus Art. Pro-SS.

1707. Co. Cajetanus Seſſo Vicentinus I.C. Pro-R.S. Jo. Ludovicus Qualizza Nob. Carniolus Art. Pro-S.

1708. Helias Doxa Spartanus I.C. Pro-R. & S. Jo. Adalbertus Weita Nob. Boemus Pragenſis Art. Pro-S.

1709. Jacobus Abbas Shiauzzi Piranenſis Iſter Pro-R.S. I.C. Andreas Franciſcus Ibl. Nob. Auſtriacus Viennenſis Pro-R. & S. Art.

1710. Joſeph Ant. Laurentius Hagenrainer Bavarus I.C. Pro-S. exilio damnatus ob multa, & turpia crimina; Jo. Adalbertus Weith. qui anno 1708.

1711. Jo. Baptiſta Lantana Jadrenſis I.C. Pro-R. & S. Jo. Antonius de Aver Nob. Tirolenſis Art. Pro-S.

1712. Vacante Munere Pro-R. & Syndici I.C. Matriculæ nomine Univerſitatis editæ ſunt. Art. Pro-R. & S. Hieronymus Montanini Eq. Brixienſis.

1713. Ferdinandus de Lemgovio Spirenſis I.C. Matthias Guillelmus Lers Nob. Aquiſgranenſis Art. Pro-SS.

1714. Idem Ferdinandus de Lemgovio I.C. Jo. Jacobus Mayierſis Nob. Kaiſerſtuolenſis Helvetus Art. Pro-SS.

1715. Gaſpar Muller Amburgenſis I.C. Pro-R. & S. Melchior Otho Nob. Scaffuſianus Helvetus Art. Pro-S.

1716. Georgius Stratius Komaromenſis I.C. Jacobus Wolg Nob. Eiſtetenſis Franco Art. Pro-SS.

1717. Franciſcus Sebaſtianus L.B. de Zinemberg Eppon Tirolenſis I.C. Georgius Baltaſſar Nadmeſnig Nob. Carinthius Art. Pro-SS.

1718. Matthæus de Federicis Tirolenſis I.C. Pro-S. Huic interdictum Doctoratu, donec æs alienum ſolveret. Idem Nadmeſnig Art. Pro-S.

1719. Jo.

1719. Jo. Sigiſmundus de Brimbfelt Carniolus Juriſconſultus, Jacobus Wolfangus Engelbertus Hartman Carniolus Labacenſis Art. Pro-SS.

1720. Udalricus Joſeph Bortolotti Juriſconſultus Pro-R. & S. qui ne ſumptum faceret ſemper abſuit. Vices ejus geſſit Jacobus Aidamus Paſettus Tirolenſis. Andreas Schaver Goritienſis Art. Pro-R. & S.

1721. Auguſtinus Joſeph Hirneys Auſtriacus Viennenſis Juriſconſultus Pro-S. Jo. Antonius de Brainich Goritienſis Art. Pro-R. & S. Pro-Syndico Juriſconſulto diſcedente ſucceſſit ejus Frater Franciſcus Antonius.

1722. Jacobus Nonius Nob. Engadinus Rhœtus Pro-S. Juriſconſultus. Hunc Nobilem Juvenem Gymnaſio utilem, moribus inſtructum egregiis, fortunâque meliore dignum ex atroci Satellitum ſcelere funeſta mors abſtulit XV. Kal. Martii hoc ipſo anno MDCCXXIII., quo ſcribimus. Nam cum ſceleſtiſſimi homines furore quodam in Diſcipulos acti, promiſcuè omnibus terrorem, injuriam, necem etiam clandeſtinis conſiliis meditarentur, hunc prorſus immeritum, & ex innocentiâ vitæ nil tale ſuſpicantem, formidantemque in foro Nobilium tribus quatuorve ſociis ex more ſtipatum adoriuntur: inermem inſequuntur armati, conſulentem ſibi ab atroci plurimorum inſania intra cubiculi latebras, vi reclufis foribus cædunt, mactant, trucidant: è ſociis alterum lethaliter vulnerant, alios terrore periculi compellunt ad præcipitium, nullo opem ferente; quippe feſto die Cives in Templo detinebat Religio. Qui Populi fremitus? Quæ indignatio Nobilium injuriam dilectiſſimo Gymnaſio illatam indigniſſimè deplorantium? Indictum Scholis juſtitium, ſolliciti Profeſſores, ſtudioſa juventus diſperſa, disjectaque penè non extremum excidium Patavinæ Palladi portendebant; feciſſentque adeo, ni ſpes omnium erexiſſet, omniumque animos recreaſſet Amor Clementiſſimi Principis, prudens Triumvirorum induſtria, Decemviralis Auguſta Severitas. Hæc ſtatim è ſuo numero Angelum Foſcaronum virum Juſtitiæ tenaciſſimum, quem Advocatorem appellant, Inquiſitorem ſæviſſimi criminis Patavium delegavit, quo jubente, ſatellites vincti, atque in carceres Venetos raptati læto catenarum ſuarum ſpectaculo levavere Patavinam mœſtitiam, quam præſentiùs diminuit reſtitutum priſcis uſibus juſſu Triumvirali Gymnaſium, abſterſit denique, ac planè compoſuit epiſtola Principis decreto Senatûs miſſa Patavium, præloque ſubjecta. In ea Majeſtas publica ob tantum, tam crudele flagitium pluſquam paternâ pietate dolet, ultionem ejus manu regiâ pollicetur, ſecuritatem ſoſpitatemque perpetuam Gymnaſio ſpondet, iiſque verbis amorem erga illud ſuum profitetur, atque explicat, ut his lectis exclamare liceat: hæc ſcelera ipſa horrenda poſteris, hoc nefas noſtris majoribus inauditum, hac mercede placent. Interea viliſſimus reorum grex diu quęſtioni ſubjectus, diuque tortus terrore impendentium pœnarum, has tandem dedit pro ratione ſcelerum, pro criminum quantitate; actumque cum ipſo, quà laqueo, quà perpetuis, aut temporariis carcerum tenebris, quà longo Triremium, & ad obitum duraturo ſupplicio. Quin etiam, quò hæc omnia perennius futuris ætatibus pateant, documentoque ſint fæci deterrimæ hominum ſceleſtorum, honori verò, ex publici Patrocinii ſponſione Gymnaſio, monumentum literis in lapide poſito maximis, Decemvirali Decreto erectum, his Italicis verbis, quę latinè, ut ſonant, reddimus, pręſentes ac futuros alloquitur.

Ob grave & atrox delictum
A diverſis Satellitibus perpetratum 15. *Februarii*
1722. (1) *adversùs quoſdam Diſcipulos,*
Ab Excelſo XVirorum Collegio 24. *Septembris* 1723.
Rei Satellites omnes numero duodecim pro diverſa
Ratione comperti criminis damnati ſunt Pœna Suſpendii,
Triremium, obſcurique Carceris vel perpetui, vel Temporarii.
Quod eſto Monumentum perpetuum
Cum Juſtitiæ publicæ
Tum publici conſtantis Patrocinii erga
Dilectiſſimam Inſignem Univerſitatem
Gymnaſii Patavini.

(1) More Veneto, hoc eſt 1723.

Eodem anno idem Hirneys Juriſconſultus, Nicolaus Salvator Serdana Nob. Auſtriacus Viennenſis Artiſt. Pro-SS.

1723.

1723. Antonius Stupanus de EHRNSTEIN Styrus Græcenſis Juriſconſultus, Joſeph Carolus Serdana Nob. Auſtriacus frater Nicolai Art. Pro-SS.

1724. Idem Stupanus Juriſconſultus, Jo. Henricus Mulartz Marcoduranus Juliacenſis Artiſt. Pro-SS.

1725. Henricus Albertinus à Ponte Rhœtus Juriſconſultus. Michael Dominicus Gotardus Stoltz Neoſtadianus è Sala Franco Artiſt. Pro-SS.

CAPUT XIX.

De Magnis Gymnaſii Cancellariis.

I. CUm Patavium translatis à Friderico II. juribus ac privilegiis *Generalis*, ut ajebant *Studii*, hoc eſt, Gymnaſii Publici, queis ad eam diem fruebatur Bononia, cœpiſſet Sæculo XIII. circa An. MCCXXII. aliquo modo literarum amor Patavinos Cives afflare, & ad conſtituendum Lycæum provocare grande, illuſtre, ſpecioſum, & par Bononienſi, ſcribit Porcellinus (1) apud hos actum non ſolum, ut ratio ſtipendiorum, quæ Profeſſoribus erant ſolvenda, penes Rempublicam Patavinam haberetur, verùm etiam ut ſanciretur Solemnitas, qua emeritis diſcipulis, & legitimum ſtudendi tempus utiliter emenſis præmia ex auctoritate publica contingerent; placuiſſetque, ait, mores Bononienſis Gymnaſii ſequi, utpote jamdudum obtinentes, ac totâ Europâ olim celebres, ni Cæſaris ira obſtitiſſet, quæ, quod uſuvenerat Bononiæ, ut in gradibus, ac Magiſteriis conferendis, ſacra quoque intereſſent auſpicia ex Diplomatibus Romanorum Pontificum, planè vetuerat; palam profeſſa Doctoratus inſignia unâ Cęſaris auctoritate per Comites Palatinos eſſe tribuenda. Hinc factum ut primis illis temporibus, ſi quos rariſſimos Doctores Juris renunciatos Patavii priſca monumenta quædam non integræ fidei exhibent, hi ſimpliciter in Jure Doctores dicantur, nullus in utroque Jure laureatus appareat, ac ne Magiſter quidem, aut Doctor Decreti, quo uno tunc Jus Canonicum cenſebatur, nondum editis Decretalibus à Gregorio IX. qui ſedere cœpit Anno MCCXXI. Hoc ſpecimen eſt Patavini Gymnaſii, ejuſdemque crepundiorum, ſi qua fuere, ad Annum MCCXXXVII. quo Patavium Actiolini Tyrannis ſuſdeque vertit, & vix nomen Gymnaſii habere paſſa eſt. Refloreſcente iterum Bononienſi Academia, quam Romani Pontifices, retuſâ Friderici Cæſaris inſaniâ reſtituère, Gregorius autem IX. propoſitis Decretalibus à D. Raymundo de Pennafort operosè collectis JuriCanonico explanando penſiculatiùs addixit.

(1) Not. in Matricul. Præfat.

II. Poſt abactum Patavio Actiolinum an. MCCLVI. ac ſequentibus ad An. MCCLIX. quo Tyrannus ille Modoetię ex receptis vulneribus ad Inferos abiit, iterum Gymnaſium Patavinum ad vitam revocatum eſt, vel potiùs tunc cœpit vitam ingredi, & curâ cum Populi, tum maximè Epiſcopi Patavini, qui diù exul eo anno rediit Patavium, ad gloriam Bononienſis Lycęi ſtudioſiùs adſpirare; & ne quid deeſſet, quo Gymnaſii publici decus, ac majeſtatem referret, Epiſcopus ab Urbano, qui Pontificatum iniit menſe Auguſto MCCLXI. ut Doctoratûs Inſignia Pontificiis etiam auſpiciis traderentur, obtinuit. Extat Diploma apud Riccobonum (2), undè illud exſcripſit Tomaſinus (3), ſignaturque V. Idus Januarii Anno III. Pontificatus Urbani, qui certe annus eſt MCCLXIV. quippe Urbanus electus IV. Kal. Sept. Anni MCCLXI. agere annum tertium in Sacro Pontificatu non potuit, niſi poſt IV. Kal. Septemb. anni MCCLXIV. Ex hoc Diplomate Antiſtites Patavini primùm ſe magnos Cancellarios Gymnaſii dixere: quo titulo, quaque dignitate functi deinceps ſunt, funguntúrque, confirmati pluries Diplomatibus Clementis V. aliorumque, quorum exempla leges apud eoſdem Scriptores. His tacentibus adnota, quod ſuperiùs accuratè notavimus, tum Prætores Patavinos, tum Carrarienſes Principes, alioſque poſt hos, ita ſe accómodaſſe ad magnificum hunc titulum, ut ſignificationem ejus admodum circumſcripſerint, nec paſſi ſunt eo ullam Epiſcopis tribui poteſtatem Gymnaſii curandi, gubernandive. Quippe hoc unum illis ex eo Jus provenit, ut provehendorum ad gradus & laureas auſpiciis pręſint in iis Collegiis, quę Pontificum auctoritas congregavit.

(2) Lib. I. Gymn. c. 2. p. 3.
(3) Lib. I. Gymn. c. 3. p. 9.

III. Sic igitur Magiſtratus hic in Patavino Gymnaſio prę reliquis venerabilis originem eidem Gymnaſio conſtituto cońvam habuit, & ab anno MCCLXIV. ſumma cum gloria, & utilitate apud poſteros perennavit. Enumerat in ſua Chronologia Tomaſinus ex occaſione Rerum Patavinarum, nec tamen ſemper, nec ut Cancellarios, Pręſules Patavinos, quos rebus diverſiſſimis immiſcet incuriosè adeò, ut operę pretium ſit, quando ſupplementum eorum, quę ille ſcripſit de Gymnaſio noſtro, profeſſi ſumus, hos ex temporum

porum ſerie nominare, brevemque, ex inſtituto ſuſcepti Operis, notitiam ipſorum lectoribus facere.

IV. Primus, qui ex Urbani IV. Diplomate Cancellarii munus exercuit in Archilyceo Patavino ab omnibus ponitur Joannes, vel Jo. Baptiſta Tranſalgardus. Is natus in Familia (1) Sforzateorum nobiliſſima, quę mox in Capiliſtiam abiit, olim Patavii potentem, atque etiamnum opibus, titulis, viriſque clariſſimam, ſe Sacris ab ineunte ętate addixit; fuitque Canonicus Patavinus: quo ex (2.3) ordine plena Cleri ſuffragatione coram Albanenſi Epiſcopo Cardinali, Apoſtolicę Sedis Legato, poſt annum circiter decimum ſeptimum vel potiùs duodevigeſimum vel undevigeſimum ab obitu deceſſoris, Jacobo Conrado ſuffectus eſt circa annum MCCL. nec tamen inire Pontificatum potuit, obſiſtente Actiolino, quo vivo, ſicut Patavina Sedes vacavit diu, ita electo Tranſalgardo, per annos circiter novem poſſeſſione Sacri Principatûs interdictum eſt. Sedit deinde pacatè, ac gnaviter ſui gregis & Eccleſię curam habuit, cujus cladi ſub Tyranno pro viribus fortiter obſtitit, mox inſperſas ex diuturna Tyrannide plebi ſuę ſordes eluit opportunè, Vir, ſi quis alius ętatis ſuę legum ſcientia clarus, & de Gymnaſio noſtro optimè meritus. Sedit ad annum 1283. Patavinus Antiſtes LXXIX. eoque anno deceſſit, ex perpetua erga pauperes beneficentiâ, & integritate vitę memorandus. Sepultus eſt in Templo principe cum Epitaphio, quod leges apud Salomonium (4).

(1) Vid. Cavacium hiſt. Cœnob. S. Juſt. lib. 2. p. 44.
(2.3) Ughel. Ital. Sacr. T. 5. p. 431. nu. 63.
(4) Inſcript. Pat. p. 31.

V. Princiſvallis Patavinus Comes, ex antiqua Maltraverſorum Familiâ, de qua plura tradunt (5) Scriptores Patavini, Canonicus Patavinus, poſt quadriennium ab obitu Tranſalgardi à ſaniore, ut Canoniſtæ loquimur, parte Capituli, ſeu Collegii Canonicorum electus (6) ab Aquilejenſi Patriarcha, interpoſitâ ſanctione dictus eſt Antiſtes Patavii LXXX. Cancellarius II. anno MCCLXXXVII, rejecto Joanne Canonico, quem pars Flaminum altera poſtulabat. Abdicavit ſe Magiſtratu ſacro poſt annum à receptis Infulis. Quippe penè non in ſchiſma diſſidia Canonicorum abierant; retentâque penſione ex Epiſcopatûs redditibus, quievit. Eum Anno MCCXC. Nicolaus IV. tranſtulit ad Archiepiſcopatum Calaritanum in Sardiniâ, ubi fato conceſſiſſe creditur quinquennio poſt.

(5) Vid. Scard. p. 108 Cavac. lib. 2. p. 49.
(6) Ughell. ibid. T. 5. p. 447. n. 80.

VI. Bernardus Joanninus Gallus Antiſtes Patavinus LXXXI. Cancellarius III. abdicanti ſe Princiſvalli à Nicolao IV. Pont. datus ſucceſſor eſt An. MCCLXXXIX. Natum eum (7) dicunt in Narbonenſi Provincia, Jureconſultum fuiſſe celeberrimum, præfuiſſe Ærario Romano, Cameræ, ut ajunt, Apoſtolicæ Auditorem Generalem, atque in illâ Curia claruiſſe admodum ſub Martino IV. Nicolai deceſſore. Sedit inviſus Patavinæ plebi, quia fama erat, ut Cavacius (8) tradit, illum congeſtâ multâ vi frugum, ac in horreis ſepoſitâ, augere annonæ caritatem, quamobrem anno Pontificatûs VI. Æræ communis MCC. XCV., dum ex ædibus ſuis deſcendit in forum, ab infimæ plebis homine cultro tranſfoſſus occubuit.

(7) Ughell. ibid.
(8) lib. 3. p. 126.

VII. Joannes Sabellus Romanus ex (9) Ordine Prædicat. vir nobiliſſimus, & probatiſſimæ Religionis, poſt necem Joannini, repulſo Oliverio à Monte Silice, quem Canonici vitio creaverant, juſſu Bonifacii VIII. Patavinas Inſulas iniit Anno MCCXCVI. Epiſcopus LXXXII. Cancellarius IV. Adminiſtravit res ſacras hic biennio, inde ad Eccleſiam Bononienſem translatus, ibidem obiit.

(9) Ughel. T. 5. p. 447. n. 82.

VIII. Othobonus de Razzis, qui Portinario Patavinus eſt, Cavacio (10) verò obſcuri generis, reipſa Nobilis Placentinus, (11) à Bonifacio VIII. ſuffectus eſt translato Bononiam Sabello Epiſcopus LXXXIII. Cancellarius V. Sedit Annos quatuor, à quibus ad Patriarchatum Aquilejenſem anno MCCXCVIII, vel ut aliis placet, MCCCI. provectus eſt. In eâ dignitate Synodo Viennenſi ſub Clemente V. interfuit, pluraque prælia & bella geſſit, ut ea ætas, & mores Eccleſiaſticorum corruptiſſimi ferebant; atque ex his apud Carnos terrori finitimis fuit, hoſtes Utinum obſidentes fudit, ac penè non internecione delevit. Obiit ſenex Arquarii in Agro Placentino, dum à Pontifice regreditur Anno MCCCXIV.

(10) lib. 3. p. 126.
(11) Ughel. T. 5. p. 447. n. 83.

IX. Paganus Turtianus Mediolanenſis Inſubrorum nobiliſſimus, Cavernarii F. Caſſoni, ſeu Raymundi, ut habet Cavacius, (12) Patriarchæ Aquilejenſis ex fratre nepos, apud quem Decanus ejuſdem Eccleſiæ fuit, dictus eſt poſt Othobonum Antiſtes Patavinus LXXXIV. Cancellarius Gymnaſii VI. anno MCCCII., ac rebus (13) egregiè geſtis, apud Patavinos virtutis opinionem retinuit, & Sacrorum Ordinum diſciplinam, ac pacem inter factioſos cives curavit. Epiſcopales Ædes extruxit magnificentiùs, quàm ferret ea ætas; & præter Sacrarum rerum adminiſtrationem, etiam in publicis conſiliis optimi Senatoris, interdum etiam imperatoris munere functus eſt. Ita de illo Cavacius, (14); nec moratur laudibus ejus adnectere prælia per illum feliciter geſta cum Gualpertino Abbate S. Juſtinæ adversùs Veronenſes. Eodem auctore, interfuiſſe dicitur Paganus tranſ-

(12) lib. 3. p. 126.
(13) Ughell. T. 5. p. 110. nu. 74.
(14) lib. 3. p. 139. 140.

latio-

lationi Lipſanorum Lucæ Evangeliſtæ, quæ popularis opinio cenſet condita in Templo D. Juſtinæ Sacro. Ea contigit An. MCCCXVI: quamobrem annos XIV. ſederit Paganus Patavii, & biennio poſt, anno ſcilicet MCCCXIX. à Joanne XXII. P. M. tranſlatus ad Sedem Aquilejenſem patruo ſuffectus eſt, ita ut etiam Patavinam Eccleſiam retineret. Potentioribus Inſulis auctus militarem animum non depoſuit, ſed pacatâ Carnorum ditione, arma vertit in Venetos; mox cum his pace compoſitâ, Romam exercitus duxit, regreſſuſque in Inſubriam, ibi inter Guelphorum imperatores Dux inſulatus prælis interfuit, ac obſeſſam, & deditam Cremonam recepit. Inde rediit ad Carnos ſuos, quorum quieti Germanos infeſtos è montibus, caſtellis poſitis, repreſſit; non equidem ex his laudandus, ſed ex amore potius literatorum hominum, quos benevolentiâ ſummâ proſecutus fuiſſe dicitur à Monteroſio (1), qui notat ab eo Danthem Aldigerium Poetam Florentinum honorificè receptum, adjutum, atque à penuria, & egeſtate redemptum. Hoc ab eo factum apud Carnos narrat Ughellus (2): & potuit utrobique id ipſum præſtitiſſe. Obiit in Arce Utini An. MCCCXXXII, ſepultuſque eſt in Aquilejenſi Patriarchio. De eo vide, quæ cecinit Pax Ferrarienſis (3), quæ ſcribit Cavacius (4), & Capodaleus (5).

X. Hildebrandinus de Comitibus Tuſculanis Romanus iniiſſe Patavinas inſulas traditur ab Ughello (6) An. MCCCXIX. cum tamen, ipſo (7) teſte, Paganus Epiſcopatum biennio poſtquam dictus eſt Patriarcha, retinuerit. Quamobrem Hildebrandinus creatus Antiſtes Patavinus ordine LXXXV. Cancellarius VII. fuerit An. MCCCXXI. Commendaturâ Cavacio (8) ob effuſam in pauperes munificentiam, quâ etiam multa contulit Eccleſiæ Patavinæ; ſed præſertim ad ſuam dignitatem augendam ſedulò incubuit, quare non defuere illum inter, & Ubertinum Carrarienſem, alioſque, ſive Ducis Auſtriaci Vicarios, ſive Canis Magni Scaligeri Prætores diſſidia. De illo præcipuè dubitatum, an cura Gymnaſii ad Epiſcopum, ut ejuſdem Cancellarium Magnum pertineret? Et Hildebrandinus edixit, (9) ne cui obtinere Doctoratûs inſignia liceret, niſi apud Epiſcopum; utque, quod edixerat, confirmaret, & Doctorum quædam inſtituit Collegia, quibus ipſe præeſſet, & in quibus laurea donandi probarentur; &, ne quis inſurgere deinceps auderet adversùs novam inſtitutionem huiuſmodi, neu, quod ad eam diem uſuvenerat, alibi Magiſteriorum gradus, quàm in Curiâ Epiſcopali traderentur, lege à ſe latâ, ut à Supremo Gymnaſii Prєſide, ſanxit: atque ad idipſum novum à Clemente VI. diploma iterum impetravit. Extat apud Riccobonum (10), & Tomaſinum (11) A. V. Clementis VI. ſignatum, qui Æгє communis eſt MCCCXLIII. Quapropter fallitur Tomaſinus, qui libellum ad obtinendum Diploma illud porrectum Clementi ab Hildebrandino dicit An. MCCCXLV. Quid hoc ab antiquis Gymnaſii juribus Principum auctoritate cuſtoditis alienum invexerit, quantumque Jura Gymnaſii detriverit, dictum eſt alibi. Sedit Hildebrandinus annos circiter tres & triginta, ut & ipſe Ughellus notat, ſuæ Chronologiæ contrarius. Obiit octogenario major An. MCCCLII.

XI. Joannes Urſinus Romanus ex Urgellenſi (12) Hierophylace Epiſcopus Patavinus LXXXVI. Cancellarius VIII. ſucceſſit Hildebrandino An. MCCCLIII., ſeditque annos ſex ad Annum MCCCLIX, quo ad Patracenſem Archiepiſcopatum tranſlatus Romę vixit, atque conſenuit. Quæritur de illo modeſtè Pignorius (13), quod in ſummâ rerum Gymnaſticarum incuriâ, jura Eccleſiæ Patavinæ non pauca Privilegiis Feudalibus diſtraxerit, ac decimas hominibus ſacris debitas ad profanos tranſtulerit: id quod ex annotatis ab Ughello uberiùs poterit confirmari, contra Cavacium (14) laudantem.

XII. Pileus de Prata LXXXVII. Antiſtes Patavinus Cancellarius IX. ex antiquâ, clarâque Comitum apud Carnos Familia, invitis, ut videtur, ſuperis, à prima ętate ſacræ militię nomen dedit, ac liberalibus diſciplinis Patavii adoleſcens imbutus, nondum ætate major Avenionem ad Curiam venit, atque in toga militem Eccleſiaſticum ſe toto tempore florentiſſimę juventutis exhibuit Romanis Pontificibus. Ab his (15) ditatus eccleſiaſtico cenſu, ſub Innocentio VI. cum Ægidio Albornotio Cardinali in Italiam regreſſus, celeberrimi Legati rebus optimè geſtis admodum contulit. Hoc, poſt pacatam Italiam, Avenionem revocato, cum ei ſuffectus eſſet Sedis Romanæ Legatus Arduinus Burgundus, Abbas Ciſtercienſis, Pileo mandatum, ut Arduino comes eſſet, & à militaribus conſiliis, ſimul commiſſa eſt adminiſtratio Eccleſiæ Tarviſinæ. Hujus inſulas geſſit uſque ad An. MCCCLIX. quo ad Patavinam Eccleſiam translatus eſt. Hanc magnificentiſſimè adminiſtravit, cumulavitque maximis beneficiis ad An. MCCCLXX, poſt quem à Gregorio XI. provectus ad Pontificatum Ravennę, plerunque militię operam dedit, comes additus Cardinali Gebennenſi Legato, quem ſecutus poſt obitum Gregorii, Urbani VI. comitiis interfuit, atque inter primos ab hoc Purpuratorum Patrum Albo adſcriptus

(1) Diar. Pat.
(2) ibid.
(3) in Carm. de Foroiul.
(4) loco cit.
(5) in Utino illuſtrata p. 521.
(6) Tom. 5. p. 449. n. 85.
(7) ibid. in Pagano.
(8) lib. 4. p. 159.
(9) Salom. ex Pignor. Inſcript. Gymn.
(10) lib. 1. Gym. c. 2. p. 3. ter. 6.
(11) lib. Gym 1. c. 4. p. 12-15.
(12) Ughel. Tom. 5. p. 449. n. 86.
(13) apud Salom. Inſcrip. Gym.
(14) lib. 4. p. 171.
(15) Ughel. T. 2. & ibi Colet. p. 637. 638.

ptus eſt. Verùm Pontificis deinde ingenium averſatus ad Clementis Antipapæ caſtra transfugit, Urbanumque vexavit infenſiſſimè diu; Romanam ditionem infeſto agmine invaſit, urbes, & oppida multa cepit, atque diripuit. Hinc ab eo dignitate exutus, inſignia tamen dignitatis retinuit, donec Bonifacio IX. Succeſſori Urbani reconciliatus, rite ad honorem, undè exciderat, reſtitutus eſt. De eo multa Cavacius (1), & Ciacconius (2) Oldoini, atque Baluzius (3), pauca Ughellus. Deceſſit Romæ in ea Urbis Regione, quę Mons Jordanus appellatur: teſtamentum condidit, & hæredes inſtituit ex triente Sacellum S. Joannis in Templo principe Patavino; ex dodrante verò Pratenſe Collegium, quod ipſe in Ædibus D. Margaritæ à Franciſco Carrarienſi emptis inſtituerat, ſeque in eo ſacello condi juſſit. Verùm Teſtamentarii Executores, mutato conſilio, quemadmodum aliò tranſtulere Pratenſe Collegium, ita & Cadaver, ſeu oſſa Pilei Romà Patavium translata, in ipſo Templo Cathedrali condidere, extatque Sepulchrum ſublimi loco adſtructum parieti ſplendidè, in Sacello recens magnificè exędificato, dicatoque Sanctiſſimæ Euchariſtię ad lævam introeuntibus, cum Epigraphe ac Tetraſticho, quod leges apud Salomonium (4). Fatalis illi annus à pleriſque ponitur MCCCC; ſed potius eſt, ut ſecuti Teſtamenti, cuius habemus Apographon, fidem dicamus, eum vel anno MCDI, vel ſequenti deſiiſſe mortalem eſſe.

(1) lib. 4. p. 172.
(2) in Pileo T. 2. p. 637.
(3) Vit. Papar. Avenion. Tom. 1. p. 1359.
(4) Inſcrip. Pat. p. 10.

XIII. Joannes de Placentinis Parmenſis, quem alicubi Lombardum appellari deprehendes, ex Epiſcopo Cervienſi Patavinus ordine LXXXVIII. Cancellarius Gymnaſii X. ab Urbano V. ſuffectus eſt Pileo An. MCCCLXX. X. Kal. Febr. ut notat (5) Ughellus. Nec diu ſedit, quippe quem Franciſcus Carrarienſis, datis Avenionem literis, amoveri curavit. Quamobrem eodem anno ab eodem Urbano ad Urbevetanam Sedem, vel potiùs ad Patracenſem, ut habet Epiſtola (6) XI. Gregorii, translatus, indeque poſtea ad Caſtellanam, quæ Veneta eſt, provectus Sacris Venetis præfuit ab anno MCCCLXXVI, ut egregie probat (7) Coletus adverſùs Ughellum. Adhæſit deinde Partibus Clementis Pſeudo-Pontificis, à quo Cardinalis renunciatus eſt circa an. MCCCLXXXV. videturque ante illum annum ob hoc ipſum, quod partes Antipapæ ſequeretur, & veri Pontificis ſententiâ damnatus, & à Venetis fuiſſe rejectus, quando ex eodem Coleto ſatis evidenter evincitur, ei fuiſſe ſuffectum in Eccleſia Caſtellana Nicolaum Mocenico II. De Joanne vide, ſi vacat, quæ ſcribit Baluzius (8).

(5) Tom. 5. p. 450. n. 85.
(6) Baluz. ibi. p. 776. in Analectis.
(7) ad Ughell. To. 5. p. 1284. not. 42.
(8) l. p. 776. in Analectis.

XIV. Helias, quem Patavini Scriptores Pileo ſucceſſorem dant, nec Ughellus (9) agnoſcit, jure à Coleto (10) Joanni de Placentinis octogeſimus nonus Epiſcopus Patavinus, XI. verò Cancellarius Gymnaſii ſubjicitur, ac ſubjiciendus probatur ex iis, quæ colligit idem Coletus, & aliis Venetis monumentis. Tradit, eum generis fuiſſe nobilitate conſpicuum, & Gregorio XI. proximâ affinitate conjunctum, atque ex ipſâ Curiâ, ubi erat Apoſtolicę Sedis Notarius, ad Sedem Patavinam provectum ab ipſo Gregorio, (11) qui in relatâ proximè Epiſtola eum Franciſco Carrarienſi commendat. Non diu tamen Eccleſię videtur præfuiſſe, nec ultra an. MCCCLXXIV. ſediſſe Patavii.

[9] T. 5. p. 450. n. 84.
[10] d. p. Ughel. 450. n. 85.
[11] apud Baluz. d. p. 776.

XV. Raymundus enim gente Gallus, Abbas S. Nicolai ad littus Venetum, utique, ſi conjicere licet, commendatarius, & apud Venetos Gregorii XI. legatus, anno proximè ſignato MCCCLXXIV. ponitur Patavinus Epiſcopus XC. Gymnaſii noſtri Cancellarius XII. tum à Scriptoribus Patavinis, tum in Diptychis, quæ legit Ughellus (12), ex quo noſces, eum an. MCCCLXXXIX. deceſſiſſe. Tunc enim, exulante Franciſco Carrarienſi juniore, quem ſenior ſucceſſorem ſibi dixerat, mortuo Raymundo ſuffectus eſt

(12. Tom. 5. p. 451. n. 86.

XVI. Joannes Anſelminus, vel Enſelminus nobiliſſimâ ſtirpe Patavii natus, Epiſcopus XCI. Cancellarius XIII., agente Jo. Galeatio Vicecomite Inſubriæ Principe, & Patavii Domino. Quippe Joannes hoſtis erat Carrarienſium, & favebat exulibus, quorum ductu Carrarienſes exacti ſunt. Hinc brevi partis hoc partium ſtudio Inſulis excidit. Nam anno MCCCXC. exeunte, ac ſub initium ſequentis, Franciſcus Junior armis Bavariæ Ducis, Venetorum, aliorumque fœderatorum cùm Patavio jugum ab Inſubribus impoſitum excuſſiſſet, Epiſcopus vertit ſolum, & ditem Eccleſiam cum longe tenuiore Adrienſi commutare coactus eſt an. MCCCXCIII, ut probat Ughellus (13).

(13) T. 5. p. p. 454. n. 87.

XVII. Ugo de Robertis, quem Patavini Scriptores Tripolitanum faciunt, Regii natus eſt familiâ nobili ad Tripolitanos Comites originem referente, indeque dicta de Tripoli. Fuit primum (14) Adrienſis Antiſtes, & Carrarienſium Principum peramicus. Nam frater ejus Albertus pro his militabat adversùs Mediolanenſes, quibus iterum iterumque victis, ampliſſimam familiam novis Patavinæ Nobilitatis titulis auxit. Joanne Enſelmino Carrarienſium hoſte depulſo, & in Adrienſem Sedem translato, Ugo ad Patavinam provectus eſt Epiſcopus XCII. Cancellarius XIV. Sedit annos circiter decem, vexatuſque extremis Pontificatus ſui annis à Franciſco juniore, quocum de Juribus in Gymnaſium, & de

(14) Ughel. T. 5. p. 842. n. 91.

de juriſdictione Eccleſiaſtica controverſias habuit, & periculoſas, & multas, abdicavit ſe dignitate, ac Romam ſeceſſit, atque ibi Alexandrinus Patriarcha obiit.

XVIII. Stephanus Carrarienſis ex damnato concubitu filius Franciſci Junioris, procurante patre, Canonicus Patavinus fuit: mox eùm Patavio diſceſſit Ugo, adminiſtrator Patavinę Eccleſiæ dictus, tandem an. MCDII. à Bonifacio IX. renunciatus eſt Eccleſiæ, quam adminiſtrabat, Epiſcopus XCIII., Cancellarius XV. Sedit aunos circiter tres. Patavio in Venetorum ditionem redacto, cum patre fuit Venetiis in carcere, undè dimiſſus, præciſâ ſpe reditûs omni, Romam perfugit: ibi ab Innocentio VII. primùm ad Eccleſiam Nicofienſem, deinde ad Aprutinam, ad Tricaricenſem denique translatus eſt. Deceſſit Romæ an. MCDXLIX. ſub Nicolao V. De eo videndus Ughellus (1).

(1) ibid. p. 454. n. 89.

CAPUT XX.

De Magnis Gymnaſii Cancellariis ſub Venetis.

I. ALbanus Michaelius Patricius Venetus, pulſis Carrarienſibus, anno MCDVI. ſuffectus eſt Stephano, Patavinus Antiſtes XCIV. Gymnaſii Cancellarius XVI. A prima ætate ſacris addictus, ut annotat Porcellinus (2), & ex hoc Pignorius (3), & Salomonius (4), literis & artibus optimis operam dedit Patavii, eò deductus adhuc adoleſcentulus à Joanne Foſcaro avunculo Prætore ſub Carrarienſibus an. 1351. 1352. Inſignia Doctorum retulit in utroque Jure, regreſſuſque Venetias (5) Abbas Commendatarius S. Nicolai ad littus Venetum fuit. Eum Corcyræum Archiepiſcopum dixit Bonifacius IX. tranſtulit ad Patavinam Eccleſiam Innocentius VII. Triennio ſedit, obiitque anno MCDIX.

II. Petrus Marcellus, Patricius Venetus, Alumnus Patavini Gymnaſii & in utroque (6) Jure Doctor, ex Canonico (7) Patavino Cenetenſis Epiſcopus à Bonifacio IX. renunciatus eam Eccleſiam procuravit ad an. MCDIX, quo per Angelum Corrarium, in Schiſmate Gregorium XII, Albano Michaelio ſuffectus Patavinis prǽfuit Sacris Epiſcopus XCV. Cancellarius XVII. uſque ad an. MCDXXVIII., quo tempore non diu Patavii vixit: nam recepto Titulo Cretenſis Archiepiſcopi ſub Martino V. Umbriæ provinciam, & Umbrorum Caput Peruſiam gubernavit. Fertur (8) Patavinum Theologorum Collegium injuriâ temporum prope collapſum inſtauraſſe.

III. Petrus Donato P. V. ſedulò Juris utriuſque ſcientię navavit operam in hoc Gymnaſio, fuitque inter (9) celeberrimos ętatis ſuę Jureconſultos doctiſſimus, & maxime habitus ab Eugenio IV, qui ejus operâ uſus eſt adverſus refractarios Synodi Baſilecnſis Antiſtites. Et verò eum (10) Archiepiſcopum Cretenſem creatum, & Legatum Apoſtolicæ Sedis ad illam Synodum aliquando miſit. Mox a Cretenſi ad Caſtellanam Venetiarum Eccleſiam revocatum an. MCDXXVI., quo prœerat Peruſinis, biennio poſt Sacris Patavinis prǽfecit Epiſcopum XCVI., Cancellarium Gymnaſii XVIII. Ædes Epiſcopales magnificentiùs extruxit. Patavinam Eccleſiam beneficentia, largitate, ſapientia illuſtravit: plura, majoraque Gymnaſio Privilegia, quę leges apud Riccobonum (11), & Tomaſinum (12) obtinuit: inventioni Thaumaturgæ Iconis Deiparę Virginis ad Montem Orthonum interfuit (13): pietate, doctrinâ, ſcriptis claruit: ut non immeritò inter Viros illuſtres numeretur à Veſpaſiano Florentino, à quo, & à Scriptoribus Patavinis obiiſſe traditur ex peſte in ſuburbano ad Colles Euganeos, an. MCDXLVII. Corpus in Templo majore ſepultum eſt cum epigraphe ad Sacellum (14) Divinę Euchariſtię.

IV. Fantinus Dandulo natus Venetiis Patre D.M. Procuratore, avo, proaviſque Ducibus, poſtquam adoleſcentiam exegit Patavii, undè Lauream Juriſprudentiæ (15) retulit, functus eſt ampliſſimis honoribus Patriæ, pro qua plures ad ſupremos Principes Orator fuit. Quinquagenario major nondum ſe ſacris addixerat, cum ad ſuſcipiendos cineres initio quadragenatii Jejunii inſpergi capitibus ſolitos, acceſſit: cui procumbenti Laurentius Juſtinianus ſanctiſſimus Patriarcha dixit: *Memento frater, quia anno futuro tu aliis horum cinerum officium impendes*. Obſtupuit Senator ampliſſimus his auditis, ac redeuntem è Templo Pontificem allocutus, quid verbis illis ad Cineres accedenti ſignificaſſet, interrogavit; cui Laurentius, *dico*, inquit, *tibi, frater, quod cineres quidem non impones, ſed certè populo diſtribues ramos olivarum*. Narrat hæc Bernardus (16) Juſtinianus, ex quo noſces, Fantinum à Veneta Republica miſſum honorarium legatum ad Eugenium IV, recens Romanæ Eccleſiæ præfectum, peracta legatione, clero ſuiſſe adſcriptum, Protonotariis Apoſtolicis annumeratum, & ab Eugenio miſſum Legatum Bononiam: quo in munere, anno ipſo, quem Laurentius ſignaverat, rogatum, ut ex more ſacros cineres diſtribueret,

(2) ad not. Matric. Præf.
(3) Ep. ad Domin. Molin. de Antiq. Pat.
(4) Inſcrip. Gymn.
(5) Ughell. T. 5. p. 454. n. 94.
(6) Porcell. in Matric.
(7) Ughell. ibid.
(8) Tomaſ. Gym. lib. 4. p. 379.
(9) Porcel. ad Matric.
(10) Ughel. ibid. p. 455. n. 96.
(11) lib. 1. Gym. c. 2. p. 6. 8.
(12) lib. 1. Gym. c. 6. p. 22. 25.
(13) Tomaſ. in Hiſtor. Montis Orthoni.
(14) Vid. Salom. Inſcr. Pat. p. 10. n. 50.
(15) Porcel. ad Matr.
(16) In Vita D. Laurentii Juſtiniani.

bueret, tenuiſſe, quod nondum ſacris eſſet initiatus, coactum tamen Palmarum die Canonicorum precibus importunis, olivarum ramos in populum erogaſſe. A Legatione Bononienſi eum Eugenius Cretenſem Archiepiſcopum dixit, ex qua dignitate Patavinus, Antiſtes XCVII., Cancellarius Gymnaſii XIX. renunciatus eſt an. MCDXLVIII. Laudatur à Pio II. in Commentariis (1) multaque in Analectis ſuis de illo congerit Salomonius (2), quæ illum fuiſſe Virum conſtantem, æquum, & egregię liberalitatis, in Clericos prẹſertim egenos, minutis narrationibus comprobat. Cœnobium (3) S. Proſdocimi ſemirutum ſumptuosè reſtituit, ſacra lipſana D. Fidentii (4) tertii Patavini Pontificis in arca ſpecioſa depoſuit, atque annos circiter undecim Pontificio munere defunctus, amplo patrimonio in egenos, & in Templum (5) Chriſti Servatoris Corpori dicatum, in quo condi voluit, erogato, deceſſit an. MCDLIX. Fallitùrque, quam exhibet Salomonius (6) Epigraphe in Eccleſia Foſſæ Lupatię, quę vivum Fantinum Dandulo Patavinum Epiſcopum jactat an. MCDLX.

(1) lib. 2.
(2) Inſcript. Gym.
(3) Salom. Inſcript. Pat. p. 104.
[4] Idem Inſcript. Agri Pat. p. 143.
[5] Colet. ad Ughell. T. 5. p. 455. n. 93.
[6] Inſcrip. Agri Pat. p. 286.

V. Petrus Barbo P. V. ex Sorore Polixena Eugenii IV. nepos, legitimæ jam ætatis juvenis literis nihil, mercaturæ admodum dederat, jamque profecturus erat in Orientem, ut quæſtum faceret, cum nunciatum, Avunculum ad totius Eccleſiæ præfecturam evectum, ſumpto Eugenii IV. nomine, Sacris Chriſtianis imperare. Ergo raptim ſtudiis animum applicuit, quibus per ætatem eum apprimè imbui minimè potuiſſet, his aſperſus leviſſimè Romam venit; ac primò quidem Canonicus Patavinus, ut refert (7) Cavacius, certè Archidiaconus Bononienſis ab Avunculo dictus eſt, commendatamque ſibi Eccleſiam Cervienſem abſens curavit, hoc eſt, ejus opes in rem ſuam, ut illa ferebant tempora, vertit. Protonotarius deinde Sedis Apoſtolicæ inter Participantes per annos aliquot fuit, tandemque Ordini Purpuratorum Principum adſcriptus diras cum Ludovico Scarampo Cardinali geſſit inimicitias, quòd is longè probatiſſimus eſſet Eugenio. Hoc mortuo, Epiſcopatum Vicentinum obtinuit à Nicolao V. anno MCDLI., eumque abſens per Vicarios, ac prẹſertim Marinum Contarenum, Aſcrivienſem Antiſtitem, adminiſtravit per annos circiter octo ad an. MCDLIX; quo ad Sedem Patavinam tranſlatus eſt à Pio II. palam irato, & propalam ſeſſo ambitione hominis importunâ. Ergo vix anno integro Pontifex Patavinus XCVIII., Cancellarius XX., utroque munere ultro abdicavit ſe, qui quinto poſt anno, ſcilicet MCDLXIV. Prid. Kal. Septembris Romanus Pontifex renunciatus, Paulus II. dictus eſt. De eo videndus Platina (8), & Ciacconius (9) Oldoini, ex quibus ad rem noſtram hæc pauca decerpſimus.

[7] lib. 5. p. 228.
[8] in Paulo II.
[9] T. 2. p. 923-1069.

VI. Jacobus Zeno, P. V. alumnus Gymnaſii noſtri, in quo Philoſophiæ, ac Juriſprudentiæ labores eruditos impendit utiliter (10), & lauream retulit præmium laborum. Migravit deinde Romam, ubi Apoſtolicus Subdiaconus fuit: inde primùm ad Feltrenſes, mox ad Infulas Bellunenſes provectus, anno MCDLX. ſub Pio II, abdicanti ſe Petro Barbo ſucceſſor datus eſt in ſede Patavinâ, Pontifex XCIX, Cancellarius XXI. Scripſiſſe dicitur multa, quæ inferiùs adnotabimus. Ex his viris Illuſtribus ſui temporis annumeratur à Veſpaſiano Florentino. Bibliothecam M.SS. rarioribus opulentam ab eo donatam Canonicorum Collegio, ſive Capitulo, refert Tomaſinus (11) & Salomonius (12): Ædes quoque Epiſcopii ab eodem reparatas, auctas, ornataſque infixa parietibus inſignia teſtantur. Ictus Apoplexi vivere deſiit an. MCDLXXXI.

(10) Porcell. ad Matr. Sanſ. Diar. ad An. 1520.
[11] lib. 4. p. 396. Gym.
[12] Inſcrip. Pat. p. 519. in margine.

VII. Petrus Foſcari P. V. ex Primicerio D. Marci Epiſcopus Patavinus C. Cancellarius XXII. Zenum excepit. Hunc à (13) Paulo II. Cardinalem deſignatum, nec tamen renunciatum, ſed, ut ajunt, retentum in pectore, tandem anno poſt obitum Pauli decimo, Sixtus IV. pronunciavit. Sedit annos circiter quatuor ad an. MCDLXXXV.

[13] Ughel. T. 5. p. 457. n. 100.

VIII. Joannes Michaelius Patritius Venetus Pauli II. ex Sorore nepos, ab Avunculo S. Angeli Cardinalis Diaconus creatus anno MCDLXXI. deinde Agienſis Epiſcopus, atque ex titulo Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum ſe his honoribus abdicaſſet, Veronenſem Eccleſiam adminiſtrare primùm juſſus eſt an. MCDLXVI. à Sixto IV. ut Ughellus (14) habet ex Chronico Panvinii, quo teſte per annos ſeptem cum Veronenſibus acriter contendit, ut abſens poſſeſſionem ſacri Magiſtratûs nanciſceretur. Hac tandem receptâ, titulum ab ea cumulavit adjectis per Innocentium VIII. Inſulis Patavinis poſt Petrum Foſcari Epiſcopus CI. Cancellarius XXIII. Prẹfuit ſacris Urbis hujus uſque ad annum MCDLXXXVIII. abſens: quippe Legatus à latere ab eodem Innocentio contra Ferdinandum Neapolitanum Regem miſſus, dexteritate planè mirabili toti univerſim Italiæ pacem ſalutarem per ea tempora ſanciebat: quâ conſtitutâ, Pontificatu ſe Patavino abdicavit, Veronenſem retinuit ad obitum uſque, qui ei infeliciſſimus contigit. Nam cum Portuenſis Epiſcopus, & Cardinalis omnium ditiſſimus haberetur, ejus opibus inhians flagitioſiſſimus Cęſar Borgia, Dux Valentinus, fictis criminibus obtinuit, ut in Adria-

[14] T. 5. p. 945. n. 108.

næam Arcem conjiceretur, ubi quaſi honorario carcere detentum per Æſchinum Forojulienſem ejus cubicularium ſceleſtiſſimum hominem, quem eam ob cauſam deinde Julius II. in crucem egit, veneno tollendum curavit. Obiit IV. Idus April. MDIII., & aureorum quatuordecim millia, quæ in nominibus habebat, Cathedrali Eccleſiæ ſuæ Veronenſi magnificentiùs extruendæ legavit, quam licet abſens privilegiis, & honoribus pluribus auxit, ut leges apud Ughellum.

IX. Petrus Barocius P. V. poſt navatam impigrè literis operam, reportatamque laurum Patavii, Bellunenſem Sedem conſcendit (1) anno MCDLXX., optimique Paſtoris ibi perfunctus munere per annos fermè ſeptemdecim, Præſul doctiſſimus, & ob mores probatiſſimos, ſapientiam, rerum uſum præcipuum, inter ſui temporis celeberrimos viros numeratus. Cathedralis Templi, cujus Moyſes Buffarellus deceſſor fundamenta poſuerat, parietes ad tholum & fornices extulit, mox translatus ad Patavinam Eccleſiam Pontifex in eâ fuit CII. Cancellarius XXIV. Scripſit multa, quæ recenſebimus alibi. Obiit anno Pontificatûs Patavini XIX, Chriſti MDVII. ætat. LXVI. ad lævam aræ Eucharisticæ in Templo majore ex SC. ſumptu Publico tumulatus eſt cum epigraphe. De hoc Viro celeberrimo Scardeonius (2), Ghilinus (3), Ughellus (4) & alii, quorum elogia notabimus in loco.

X. Petrus Dandulo P. V. ex Primicerio D. Marci Vicentinus Epiſcopus, (5) poſt Cardinalem Zeno, an. MDI. creatus ab Alexandro VI. an. MDVII. ſuffectus eſt Barocio à Julio II. Patavinus Antiſtes CIII. Cancellarius XXV. Sedit annos duos, ac Patavii defunctus eſt an. MDIX, quo Cameracenſe Bellum exarſit.

XI. Sixtus Gara Roboreus, Galeoti Cardinalis Frater, ex Luchina ſorore Julii II. nepos, ab Avunculo primùm Vicentinus Epiſcopus dictus illam Eccleſiam poſt fratrem Galeotum an. MDVIII. adminiſtravit abſens, rejectus à Senatu Veneto, qui illi Jacobum Dandulo ſubſtituit. Eo diſſidio utcumque compoſito, translatus eſt ad Patavinam Eccleſiam anno ſequenti Sæculi nono, quam itidem Epiſcopus CIV, Cancellarius XXVI. nunquam vidit, ſed per Vicarios procuravit. Quippe rebus à Senatu cum Julio II. compoſitis, ac ſoluto fœdere Cameracenſi Patavinæ præfuit Eccleſię ad annum MDXVII., quo Cardinalis, ſimul Beneventanus Archiepiſcopus & R.E. Vice Cancellarius fato functus eſt Romæ, ætatis XLIV. ſepultus ad D. Petri in Vinculis cum epigraphe (6) legenda penes Ughellum.

XII. Marcus Cornelius P. V., Catherinæ Reginę Cypri frater, adoleſcens nobiliſſimus, egregiæ indolis, & eximiæ in omni genere virtutum expectationis, ab Alexandro VI. Purpuratorum Patrum Collegio adſcriptus (7) eſt. Poſt obitum Sixti Garæ Cardinalis Roborei auſpicio Leonis X. Patavinam ſedem conſecutus eſt anno MDXVII., ejus Antiſtes CV., Gymnaſii Cancellarius XXVII. ſimul ex titulo Archipresbyter D. Petri & CP. Patriarcha. Legatus deinde Patrimonii, & Diaconorum Cardinalium, mox Presbyterorum primus, & tandem Albanenſis Epiſcopus, repentinâ morte contabuit Venetiis ann. MDXXIII, ſepultus ad D. Georgii majoris. Patavinæ præfuit Eccleſiæ primus è Sereniſſima Gente Cornelia, eamque abſens adminiſtravit per ſuffraganeum, ut ajunt, Paulum Zabarellam ex ordine Eremitarum S. Auguſtini titulo tenus Argolicenſem Epiſcopum, & Archiepiſcopum Parium, de quo Scardeonius (8), Portinarius (9), Salomonius (10), apud quos de ejus laudibus elegans Franciſci Savonarolæ leges Octaſtichum.

XIII. Franciſcus Piſanus, de quo Ciacconius (11) Oldoini, P.V. in ordinem Purpuratorum Patrum à Leone X. adlectus an. MDXXIV. Marco Cornelio ſuffectus eſt à Clemente VII., Patavinus Epiſcopus CVI. Gymnaſii Cancellarius XXVIII. Sedit annos circiter quatuor; fallliturque Tomaſinus, qui eum abdicaſſe ſe Patavino Epiſcopatu (12), ſcribit ann. MDXXV., cum conſtet, ab eo magna ex parte principem Eccleſiam opere ſumptuoſo reſtauratam, ac magnificentiùs Epiſcopium exornatum. Anno igitur MDXXVIII. aſſecutus Inſulas Tarviſinas, Patavinas Aloyſio nepoti conceſſit. Obiit perſenex Romæ Oſtienſis Epiſcopus Card. an. MDLXX. ſepultuſque eſt in Templo D. Marci, cum Epitaphio pereleganti arcæ Marmoreæ inſculpto.

XIV. Aloyſius Piſanus Franciſci ex fratre nepos à Patruo reſignatum ſibi Patavinum Epiſcopatum accepit anno ſuperiùs notato, annuente Clemente VII. Munus (13) hoc adminiſtravit Epiſcopus CVII, Cancellarius XXIX. per ſuffraganeum. Fuit ſub Pio IV. Ærarii Apoſtolici Clericus, ex eoque Collegio ab eodem Pio, Cardinalium numero additus eſt. Eo auctus Patavium venit, ubi munificentiſſimè Cœnobium D. Marci Sanctimonialibus ædificavit (14). Obiit Venetiis anno MDLXX., qui Patruo quoque fatalis fuit. Conditus eſt in Templo S. Mariæ Gratiarum cum epigraphe breviſſima.

XV. Nicolaus Ormanettus Veronenſis ſcientiarum omnium ornamentis inſtructus in hoc noſtro (15) Gymnaſio, inde non admodum plenâ juventute Romam venit, ibique fuit

[1] Ughell. in Serie Ep. Bellunen. T. 5. p. 165. n. 64.
[2] in App. de Sepulcr. p. 381.
[3] Theatr. T. 2. p. 212.
[4] T. 5. p. 457. n. 98.
[5] Ughell. T. 5. p. 455. n. 103.
[6] T. 5. p. 458. n. 100.
[7] Oldoin. ad Ciacc. T. 3. p. 200. Ughell. T. 5 p. 165. n. 65.
[8] lib. 2. p. 153.
[9] lib. 9. c. 27. p. 454.
[10] Inſcrip. Pat. p. 224. n. 84.
[11] T. 3. p. 412.
[12] lib. 4. Gym. p. 403.
[13] Ughel. T. 5. p. 459. n. 107.
(14) Salom. Inſcrip. Pat. p. 207.
(15) Sanſ. Diar. ad an. 1530.

fuit Cauſarum Patronus, & inter Curiales Miniſtros præcipui nominis. Adhæſit deinde (1) Sanctiſſimo Cardinali Carolo Borromæo, apud quem ſanctorum ſcientiam didicit inter eos cooptatus, qui arcanorum Curiæ participes ab epiſtolis erant religioſiſſimi Principis, multum per ea tempora laborantis cum in perficienda Synodo Tridentina, tum in eo maximè, ut ſalutaria tantæ Synodi decreta effecta daret. Hinc ab eodem Sanctiſſimo Præſulæ non ſancto minus Pontifici Pio V. commendatus ad Patavinam Sedem provectus eſt, Aloyſii Piſani ſucceſſor, Patavinus Epiſcopus CVIII, Cancellarius XXX. Gregem ſibi commiſſum verbo, & exemplo, Carolum Borromæum æmulatus, ad omne virtutis, & ſanctimoniæ genus provocare ſtuduit. Clericorum (2) Seminarium primus ex norma Synodi ſanxit, aluitque in conductitiis domibus Menſæ ſumptibus liberaliter etiam abſens; præcipuè contendiſſe dicitur, ut ſacrâ diſciplinâ clerum imbueret, & Eccleſiæ addictos homines moribus vitæ, quam profiterentur, accomodatis imbueret. Evocatus Patavio plures legationes obivit ſacras, & illam in primis ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem, ad quam pro fœdere adverſus Turcas feriendo miſſus eſt à Gregorio XIII. Ex illa redux, re bene geſtâ, Patavium, exceſſit è vita an. MDLXXVII. bonorum omnium lacrymis & laudibus celebratus.

[1] Ughell. T. 5. 460. n. 32.

[2] Salom. Inſc. Pat. p. 449.

CAPUT XXI.

De Reliquis Magnis Cancellariis Patavinis ad annum MDCCXXII.

I. FEdericus Cornelius ſenior P. V. ab adoleſcentia Eques Hieroſolymitanus & Prior Cypri, poſtquam Logicæ in Patria ſtuduit, Patavii (3) Philoſophiæ ſedulam operam præſtitit, atque hic Academiam in Ædibus ſuis aperuit. Adhuc juvenis (4) Traguriensis Antiſtes ad ſedem deinde Bergomenſem traductus eſt, denique Patavinæ Eccleſiæ datus Epiſcopus CIX. Gymnaſii Cancellarius XXXI. ſedere cœpit an. MDLXXVII. Poſt hæc annumeratus Clericis Apoſtolici Ærarii Romanam Purpuram accepit à Sixto V. Primus Tridentinæ Synodi Decreta evulgavit Bergomi, deinde Patavii, cujus ſacris ſanctiſſimè præfuit Vir magnanimus, & erga pauperes maximè affectus. Seminarium (5) à conductitiis domibus, certo in loco, ac propriis in ſedibus conſtituit, datis ædibus vetuſti Epiſcopii poſt ſanum D. Danielis novo Epiſcopio proximum. Cœnobia (6) ſanctimonialium in Agro Patavino non tutò degentium in urbem induxit, alterum in Summænianо ad Orientem omnium Sanctorum Templo, alterum (7) ad S. Sophiæ, quò tranſtulit ſolemni pompa B. Beatricis Azzonis Principis Ateſtini filiæ ſacrum, & adhuc integrum Lipſanon. Plures utiliter Synodos habuit, quibus Eccleſiam ſuam illuſtravit, ornavitque. Peramplam Epiſcopalium ædium (8) aulam à Barocio Præſule extructam, novo ipſe ſumptu reſtauratam, & imaginibus, quæ perierant, revocatis auctam, ad antiquum nitorem, ſplendoremque reſtituit. Sublatâ quoque caveâ, ut dictantibus nobis, ſcribebat Salomonius (9), quæ ad Templi Majoris apſidem extabat, & ſubterranea Confeſſio, ſeu Martyrium vocabatur, ſupra quam Chorus erat: ipſoque Choro tranſlato ad Occidentem, clauſâ Janua majore, quæ ad dexteram proſpectûs introitum Templi aperiebat, majorem hanc, quam nomen ejus illuſtrat, & propediem pia novi Templi extructio dejiciet, aperuit. Demolitus etiam turrim veterem terræmotu quaſſatam, quæ ſiniſtram Templi occupabat, molis ingentis aliam, quam Piſanus inceperat, perfecit, atque uſui nolarum addixit. Indixit quoque quædam Gymnaſio ad religionis tutelam ac decus, & ad officium modeſtiæ pertinentia, quæ Senatûs Veneti pietas probavit, nequicquam reclamantibus Germanis. Deceſſit Romæ anno MDXC. Præſul magni apud omnes conſilii, & miræ prudentiæ, ac gravitatis. Sepultus eſt temporario tumulo ad D. Silveſtri in Quirinali: Cœnothaphium appoſuit Gregorius XIV. P. M. adjecta effigie cum hac epigraphe.

[3] Sanſon. Diar. ad Annum 1531.

[4] Ughell. T. 5. p. 460. n. 109. Oldoin. T. 4. p. 153. 154.

[5] Salom. Inſcript. Pat. p. 449. n. 1.

[6] Idem ib. p. 86. n. 7.

[7] Idem ib. p. 259. n. 3. 4.

[8] Idem ib. p. 520. n. 9.

(9) ibid. p. 2. 3.

Gregorius XIV. Pont. Max. Federico Cornelio
S.R.E. Presbytero Card. Epiſcopo Patavino
Hoc conjunctiſſimæ Amicitiæ
Poſuit Monumentum. an. MDXCI. Pont. Anno I.

Oſſa ejus ex teſtamento Patavium translata in ſubterraneo Sacello Danielis M. condita ſunt, ſignaturque lapide lydio literis aureis in hæc verba inſcripto

Federico Cornelio
S.R.E. Cardinali Epiſ. Patav.
Advectis Roma Oſſibus Hæres ex Teſtam. P.
Vixit An. LVIII. D. XXI.
Obiit MDXC. Nonis Octob.

II. ALoyſius Cornelius Federici nepos, quem ſcriptores omnes ex omnium virtutum cenſu, ſed præſertim Chriſtianæ pietatis, laudant, Ughellus (1) autem ex manſuetudinis, & liberalitatis gloriâ, apud patruum Patavii bonis artibus egregiè imbutus, ac lauream Doctoris adeptus (2), poſt annum ætatis XXXI. Epiſcopus Paphius ex titulo dictus, vices Patrui in adminiſtranda Eccleſiâ Patavina ſuſcepit an. MDLXXXIX. cum ſpe futuræ ſucceſſionis, quam anno ſequenti conſecutus eſt, Patruo defuncto, Patavinus Antiſtes CX. Cancellarius Gymnaſii XXXII. Sedit vix menſem integrum ſupra quatuor annos. D. Danielis (3) M. Corpus, quod ab an. MCCXCV. in Sacello Templi majoris ad meridiem jacuerat, an. MDXCII. per urbem ingenti pompâ circumlatum in ſubterraneo Sacello ejuſdem Templi, & arcâ marmoreâ ſumptuosè conſtructa compoſuit. Obiit an. MDXCIII. ætatis XXXVII. Mirum ſui deſiderium reliquit apud omnes, præſertim pauperes, quorum ubique ſe patrem, ac ſemper exhibuiſſe dicitur à Salomonio.

(1) T. 5. p. 460. n. 10.
(2) Sanſon. Diar. ad An. 1590.
(3) Salom. Inſcrip. Pat. p. 19. in Marg.

III. Marcus Cornelius Aloyſio ſuffectus eſt ex eadem Sereniſſima Gente IV. Epiſcopus, Patavinus CXI. Cancellarius XXXIII. Iniit Epiſcopatum altero ab obitu Aloyſii anno, ſub Clemente VIII. lenitque deſiderium Deceſſoris ſui diuturna, ſed & prudenti, optimâque Patavinæ Eccleſiæ adminiſtratione. Sedit enim annos circiter triginta, ac vivere deſiit an. MDCXXV. Sepultus diu jacuit in ignoto cippo, quem tandem in ſubterraneum Sacellum D. Danieli M. ſacrum tranſtulere Canonici, ac marmore ſepulchrali contexere cum hac (4) epigraphe.

(4) V. Salom. Inſcrip. Pat. p. 19. n. 94.

Oſſa Marci Cornelii Epiſ. Pat.
Perpetua veneratione colendi dolentes
Canonici ignoto Cippo diutiùs
Jacuiſſe
Hoc decentiore Sepulchro lætis nunc animis donant.
An. ab ejus obitu LI. à Chriſti ortu MDCLXXVI.

IV. Petrus Cardinalis Valerius P. V. Auguſtini Cardinalis nepos, Eccleſiæ Patavinæ Canonicus, ex Epiſcopo Cenetenſi (5) renunciatus eſt an MDCXXV. Pontifex Patavinus CXII. Cancellarius Gymnaſii XXXIV. Sedit annos circiter tres Princeps officioſiſſimus, & de Eccleſia ſuâ optimè meritus, quam hæredem ex aſſe reliquit, è vivis ereptus an. MDCXXVIII. Ejus imagini in Sacrario pictæ hanc inſcriptionem (6) ſubjectam leges.

(5) V. Ciaccon. Oldoin T. 4. p. 436. Salom. Inſcrip. Pat. p. 13. n. 63.
(6) apud Salom. ibid. p. 21. n. 110.

Memoriæ Æt. Animæ Sacræ colendæ
Petri Valerii S. R. E. Cardinalis,
Canonici Patavini Concanonico olim ſuo, Epiſc. &
Patrono beneficentiſſimo Hæredes ex Aſſe
Grati & Memores P. MDCXXIX.

V. Federicus junior Cornelius Cardinalis Joannis (7) Veneti Ducis filius, Franciſci Tarviſini Præſulis nepos, non frater ut ſcribit (8) Ughellus ſibi ipſi contrarius (9) alibi, primùm ſub Clemente VIII. Apoſtolici fuit Ærarii Clericus, deinde ſub Gregorio XV. Bergomenſium Epiſcopus, cujus Eccleſię ſacra procurans ad Romanam Purpuram provectus eſt ab Urbano VIII. ac Vicentinis Epiſcopus datus. Eum idem Pontifex poſtea tranſtulit ad Sedem Patavinam, & Epiſcopum hujus Eccleſiæ CXIII. inauguravit, Cancellarium XXXV. Hinc orta eſt controverſia, negantibus Venetis, id fas eſſe per leges, vetantes, ne quis, vivo Patre Principe, novis Sacerdotiorum titulis augeatur: contendente Pontifice, infectum fieri minimè poſſe, quod publico præconio Romanus ſanxiſſet Epiſcopus. Ergo Federicus, quamvis Patavinus Antiſtes, Patavium tamen non acceſſit, reſque in medio fuit, donec Joanne Theupolo Patriarcha Veneto fatis erepto, à Senatu ſuffectus eſt an. MDCXXXII. Tenuit eam Sedem ſanctiſſimè ad an. MDCXLIV. iis præclare geſtis, quæ latè ab Ughello (10) & Oldoino (11.) recenſentur, celebranturque. Eo autem anno ſe abdicavit Patriarchatu, ſeceſſitque Romam, relicto ſui deſiderio apud Venetum Clerum maximo, ut marmorea tabula teſtatur, cujus epigraphen exhibet idem Ughellus (12). Obiit in publico illo ſplendidoque ſeceſſu, cum ſibi in pulcherrimo Sacello,

(7) V. Ciaccon. Oldoin. T. 4. p. 546.
(8) T. 5. p. 461. n. 109.
(9) ibid. p. 470. n. 74.
(10) T. 5. p. 1325. 1326.
(11) ibid. & p. 547. 553.
(12) ibid. p. 1326.

quod

D. Thereſiæ Virgini erexit ſumptuoſè in Templo Virginis Deiparæ ad Victoriam, & Quirinales fontes Sixti, ſepulchrum paraſſet, atque hoc Epitaphio ſuam, ſuorumque memoriam poſteris commendaſſet.

Federicus S. R. E. Cardinalis Cornelius
Joannis Venetiarum Ducis Filius,
A Clemente VIII. inter Apoſtolicæ Cameræ
Clericos adlectus,
à Gregorio XV. Bergomatum Infulæ,
Ab Urbano VII. Romanæ Purpuræ admotus,
mox Vicentinus Antiſtes,
Tum Patriarcha Venetus Creatus;
Cùm poſtremum hoc munus aliena voluntate
ſuſceptum, ſua depoſuiſſet,
Deponendi quoque Corporis memor D. Thereſiæ
immortalem Aram,
Sibi ante Aram tumulum mortalitatis ſuæ
Cuſtodem poſuit:
Atque in partem obſequii erga Virginem
Diſcalceatorum Matrem
Vocatis cum Parente ſex aliis ex Cornelia Gente
Cardinalibus,
Inducens pro exuviis corporum ſpirantia
Vultuum Simulacra,
Providit quomodo extinctus obſequium
æternaret
Anno Salutis MDCXLVII. Ætat. LXVIIJ.

VI. M. Antonius Cornelius Joannis Principis filius, Federici (1) frater, an. MDCXIX. Primicerius D. Marci, mox fratris ſucceſſor, Patavinus Epiſcopus CXIV., Cancellarius XXXVI. an. MDCXXXII. Obiit an. MDCXXXVI. Sepultus in Colle Euganeo Ruæ, quem incolunt Eremitæ Camaldulenſes. Canonicos Patavinos hæredes instituit, quorum gratus animus hæc in Sacrario legenda Poſteris inſculpſit marmori.

(1) Ughell. T. 5. p. 461. n. 114.

M. Antonio Cornelio Ep. Pat.
Origine Principibus æquali, manſuetudine
morum privatis ſimili,
Canonici Patavini
Suavitate conſuetudinis adſtricti, & ab eo
Hæredes inſtituti, ac hiſce picturis ornati
Domino beneficentiſſimo PP.
MDCXXXVI.

VII. Lucas Stella Venetus, Gymnaſii noſtri inter paucos clarus alumnus, ſub Clemente VIII. Utriuſque Signat. (2) Referend. Apoſtolici Clericus Ærarii, Vir ſapientia, prudentia, morum gravitate, & integritate, rerumque omnium uſu ſpectabilis, Rhethymniæ primùm Eccleſiæ, deinde Jadertinæ præfectus, ad Cretenſem provectus metropolim eſt. Cùm deſiderio Italię hanc abdicaſſet, ad Vicentinas Inſulas venit ann. MDCXXXII. eaſque ex liberalitate erga pauperes memorabiles præſtitit, probataſque adeo Reipublicæ Venetæ, ut per eam licuerit non Patricio ad Patavinam Eccleſiam adminiſtrandam accedere. An. MDCXXXIX. receptus eſt ingenti omnium plauſu Epiſcopus CXV. Cancellarius XXXVII. Ineuntem regimen ſacrum Scipio à Gradimonte poeta non ignobilis pereleganti carmine laudavit, luſitque ſatis argutè in ejus Inſignia. Res ſacras piè, ſapienter, ac religioſiſſimè curavit triennio non integro, deceſſitque anno MDCXLII.

(2) Ughell. T. 5. p. 462. n. 115.

VIII. Georgius Cornelius ex hac gente VII. Patavinus Epiſcopus CXVI. Cancellarius XXXVIII., Franciſci Venetorum Principis filius, Joannis itidem Principis nepos, primus ex nobilitate Veneta (3) in Collegium Auditorum Romanæ Rotæ ab Urbano VIII., in gra-

(3) Ughell. T. 5. p. 462. num. 116.

gratiam Federici Cardinalis patrui cooptatus eſt, mox annariâ lege ſolutus, nondum emenſus ætatis annum trigeſimum, infulas meruit Patavinas, Lucæ Stellæ ſucceſſor an. MDCXLV. Vir ſplendidus, liberalis, magnificus, & Doctorum hominum fautor, ac Patronus obiit anno vigeſimo primo Pontificatus ſui, Æræ Chriſtianæ an. MDCLXIII.

IX. Gregorius Barbadico, Vir Venerabilis, Jo. Franciſci Senatoris ampliſſimi filius, ſe Deo, ſacriſque devoviſſe viſus eſt ab infantiâ, quam adultæ Virtutis exemplis excoluit. Adoleſcens liberalibus diſciplinis apprimè imbutus, annos natus undeviginti ad Monaſterienſem Conventum venit, Oratorem Venetæ Reipub. ſecutus Aloyſium Contareno: ibi Fabium Chiſium Internuncium, quem deinde Sedes Apoſtolica Alexandrum VII. habuit, ex pietatis ac Religionis abſolutiſſimæ ſtudio ſibi devinxit. Hoc hortante, reverſus in Patriam ad ſeveriores diſciplinas, ac legum, & Juris præſertim prudentiam Patavii, & in hoc noſtro Gymnaſio, totus incubuit: quo tempore Sacerdos initiatus, & emeritæ ſapientiæ præmia conſecutus, Romam ſe contulit; exceptusque benigniſſimè ab Alexandro Pont. Max., Patavinus Canonicus, Utriuſque Signat. Referend. ac Prælatus Domeſticus dictus eſt. In his muneribus adminiſtrandis aliquandiu verſatus, & ex benignitate erga Pauperes lue preſertim tactos, Curiæ Romanæ conſpicuus Bergomenſes Infulas meruit, ad quas provectus quanta pro Eccleſiaſticâ diſciplinâ, pro animarum ſalute negotia ſuſceperit, diſces ex ejus Actis. Quamobrem ore omnium celebratum, & jamtum toti Eccleſiæ Venerabilem idem Alex. VII. Sacro Cardinalium Collegio adſcripſit, atque anno MDCLXIV. invitum ad Patavinæ Sedis Præfecturam evexit. Non eſt hic locus, aut animus ea tradere, quæ Pontifex Patavinus CXVII. Cancellarius Gymnaſii XXXIX. maxima, ſalutaria, mira, & poſteritati non ſine religione memoranda fecit. Ea nota ſunt omnibus, perennabuntque deſcripta latè quidem in ejus Vita, compendio autem in additionibus prolixis (1) Ughelli, denique documentis publicâ auctoritate laborioſè confectis ad ejus Apotheoſim ſacram ſuo tempore ſanciendam comprobantur cumulatiſſimè. Nobis Venerabilis Cardinalis, quem ut in terris, ita Patronum apud Superos, & noſtræ Salutis auſpicem imploramus, familiariſſimè uſus eſt: per nos ingenti pecuniâ Orientalium Antiſtitum amorem, quo ferale Eccleſiæ utriuſque diſſidium mitigaretur, operoſè quæſivit. Nobis preſentibus, poſt diſtributa ad puellarum periclitantium nuptias, ut ſolebat, cubilia, cùm aliud peteretur, ſuum lætus ac jocabundus conceſſit, ſolitus quoque de nimia ejus erga pauperes liberalitate muſſitantibus dicere, à ſe, non que ſua eſſent, ſed quæ jure ſacro pauperum eſſent, in pauperes erogari: adeo in hac Pontificalis largitatis parte munificus, ut octies centena nummûm argenteorum millia impendiſſe alendis egenis, citra omnem ſuſpicionem erroris, aſſeratur: ſcilicet ſibi vel perneceſſaria ſubtrahebat, ut alienæ neceſſitati conſuleret. Id, quod tunc maximè patuit, cum rarum exemplum exhibuit Poſteritati continentiam viri Sanctiſſimi admiraturæ, & vix crediturae ditiſſimi cenſus Epiſcopum caviſſe adeo, ne quid ſuperflui ad curam ſui corporis adhiberet, ut cœtum inſtituerit proborum Civium, apud quos probaretur, ſanciretūrque, ſi quid præſtandum eſſet vitę ſuæ neceſſitati, vel cultui. Memini ego, cùm illi ſeni, & aſpera hyeme rigenti Endromis pellita fuiſſet ab hujuſmodi cœtu decreta, eâ contectum apud me fuiſſe conqueſtum, quod ſenectus ejus deliciis aſſueſcere cogeretur. Quo tempore gemino ex capite obſtupui, eumque divino afflari ſpiritu, quo abſentia videret, & futura prenoſceret, certò mihi perſuaſi. Nam Græcus Juvenis, qui pietatem ſimulans pecuniam ab illo corraſerat, ne ad Oxonienſe Grecorum Collegium cum Britanno quodam abiret, ab eodem Britanno fuiſſet occiſus, hoc ipſum, quod certè ſcire abſens non poterat, mihi nunciavit, effatus Deum non irrideri: Simul addidit, non illi, qui tunc eam prænſabat, ac penè non obtinuerat, primam Sacrorum Canonum Sedem in Gymnaſio Patavino, ſed mihi obventuram ultro, nondum petenti, nec agenti quicquam, quò à ſecunda, ex qua profitebar, ad altiorem Sedem aſcenderem. Vaticinio reſpondit eventus, illudque in Actis jurejurando teſtatus ſum, rogatus, juſſuſque veritati teſtimonium perhibere. Sed de Venerabili Viro plura in iiſdem Actis, & miranda magis: que nobis contigere, ac Sanctiſſimi Preſulis virtutem eximiam comprobant, diſſimulare, noſtrum eſſe non duximus; atque illud etiam, quod ejus erga liberales Artes, & ſtudia diſciplinarum omnium amorem oſtentat. His favit impenſè, officioſè, ſumptuoſè, profuſè. Seminarium Patavinum ex humilibus priſci Epiſcopii gurguſtiis ad magnificas Ædes S. Mariæ in Vantio, ingenti pretio coemptas tranſtulit; & quà ſtructuris adjectis, quà ditibus ſacerdotiis aſſignatis, additâ quoque Typographiâ probatiſſimâ auxit; ac Palæſtram Clericis Patavinis ampliſſimam, doctiſſimam, omnium ſcientiarum, linguarumque magiſteriis inſtructam aperuit. Obiit annorum LXXII. ingenti cum luctu Patavii totius, quod atratum ferali pompa, qui-

(1) T. 5. p. 463. n. 118.

quâcunque ſacrum cadaver delatum, circumlatumque eſt, publico mœrore ſignificavit, quanta ſibi ex illo funere jactura contigiſſet. Corpus demortui ſepulchro Antiſtitum communi, ante Aram maximam Templi Majoris plumbeâ incluſum arcâ tumulatum eſt cum hoc Epitaphio.

Gregorius S. R. E. Tit. S. Marci de Urbe
Presbyter Card. Barbadicus
Epiſcopus Patavinus Comes Saccenſis
Natus Anno MDCXXV. Menſe Septembri
Die XXV. Obiit Patavii An. MDCXCVII. Die XVIII.
Junii hora Matutina circiter media.

Ab obitu, atque etiam num miraculis claruit, claretque, quibus provocata ordinum omnium religio ad ejus tumulum ſupplex, ac venerabunda procumbit. Apoſtolica ſedes examen Virtutum ejus, geſtorumque Sanctimoniam ejus probantium juſſit. Eoque ritè peracto *Venerabilem* dixit; atque, hoc ipſo, quo hæc noſtra cuduntur anno MDCCXXV., permiſſâ inſpectione Sacri Cadaveris, humo erutum poſt annos duo de triginta integrum & incorruptum penitus inventum eſt: & quod mirum eſt magis, ita tractabile, ut preſſa caro cederet, & quaſi vivens reſurgeret. Iterum eodem in loculo conditum ſolemni gratulatione in locum alterum translatum quieſcit, donec, reliquis ad normam præſcriptumque Canonici Juris exactis (quod Patavina Urbs dilecto Pontifici ſuo, Venerabili Cancellario ſuo Patavinum Gymnaſium votis omnibus expetit) Sacris Divorum Diptychis inſcribatur.

X. Georgius Junior Cardinalis, Joannis Junioris Venetorum Principis frater, VIII. è Familia, Patavinus Epiſcopus CXVIII., Cancellarius Gymnaſii XXXX. natus eſt Federico Equite, & Cornelia Contarena parentibus Anno MDCLVIII. Kal. Auguſti. A prima (1) ætate Ordini Equitum Melitenſium adſcriptus hæreditarium Magni Prioris Cypri titulum accepit: atque humaniori literaturæ operam navavit Veronæ, juriſprudentiam didicit Patavii, ubi laurum Sapientiæ debitam adeptus Patavino juriſconſultorum Collegio nomen dedit: inde pervagatus Europam, cùm rediſſet in Patriam, curandis Navalibus Venetis præfectus eſt. Juſſus Orator in Galliam proficiſci, togam profanam ſacrâ mutavit, ſecutuſque militiam Eccleſiaſticam Romam venit An. MDCXC., bienniòque Curiæ miniſteriis egregiè perfunctus, & in illis apprimè probatus, Rhodius Archiepiſcopus titulo tenus Romanæ Sedis ad Luſitaniæ Regem Legatus minor, quem Nuncium vocant, miſſus eſt ab Innocentio XII. quod munus, cum, quamvis in itinere ingentem rerum ſuarum jacturam paſſus, mirâ magnificentiâ, ſummaque & fide, & prudentia per annos circiter quatuor obiiſſet, XI. Kal. Auguſti An. MDCXCVII. meritorum præmium ab eodem Pontifice Purpuram Romanam accepit, nec multo poſt ad Sedem Patavinam evectus acceſſit, acceptus omnibus, amabilis, ſpectabilis omnibus ex generis nobilitate urbi Patavinæ tutelati, ex multiplici, virtutis, prudentiæ, ſapientiæ, religionis, atque in primis conſtantiæ laude, quâ Princeps graviſſimus, integerrimus commiſſo ſibi Gregi conſuluit, cavitque, ne quid jura Pontificalis officii damni caperent, neu malis dogmatibus orthodoxa Fides clam, palam læderetur. Obiit nobis hæc ipſa ſcribentibus IV. Idus Auguſti hoc Anno MDCCXXII. biduo ante Sereniſſimum Fratrem. Eum non ſine lacrymis extemporariâ, ſed & luculentiſſima Oratione clar. Faciolatus laudavit in funere.

(1) in Addit. Ughelli T. 5. p. 467. n. 217.

XI. Mœſtum ob amiſſum Sacrorum Principem Patavinæ Eccleſiæ deſiderium diu torſit nimia, & propè dixerim obſtinata modeſtia Joannis Franciſci Barbadici Cardinalis, Epiſcopi Brixienſis. Vota omnium hunc ſibi Præſulem nuncupabant: & exterrita Gymnaſii facies ex nuperrimo ſcelere, hunc ſibi auſpicem præmiorum gymnaſticorum, quo triſtitiam abſtergeret, expetebat. Datus eſt vel invitus, coactuſque ad hanc Sedem ea virtutum exempla transferre, quæ nobis Gregorii Patrui venerabilem ſanctimoniam, & erga Gymnaſium charitatem quaſi redivivam objicerent. Senatoriâ Gente, ſacrâ, profanâque Purpurâ, & non uno Venetorum Principum diademate latè conſpicuâ, Antonio D. Marci Procuratore parente natus florem ætatis non deſidiæ ſed laboribus literariis mancipavit; admotuſque gerendæ Reipublicæ nondum plenâ juventute Sapiens Continenti Veneto præfuit. Mox ad Gallorum Regem deſignatus Orator, dum ſe obeundo muneri præparat, vocatus à Deo tanquam Aaron in obſequium Sacrorum Togam mutavit, lectus ad regimen Marcianæ Baſilicæ Primicerius infulatus. Vix Eccleſiaſticarum dignitatum tyrocinium poſuerat, cùm eum Innocentius XII. ad Principatum evexit, ornatumque le-

gali

gali lauro, quâ nos illi, plena Sacri Juriſconſultorum Collegii ſuffragatione probato, emeritum caput præcinximus, Eccleſiæ Veronenſi præfecit. Quid in eo ſacerrimo Magiſtratu magnificè, ſumptuosè, ſanctè peregerit, quæ erexerit ædificia Deo devotæ devovendæve paupertati: quot refecerit Templa, Collegia ſacra decreverit, ornarit Sacella: quo ſtudio Fidei dogmatibus gregem ſibi concreditum imbui curaverit; quos, quoties, quantaque ſedulitate Viro, doctos & pios, divinique Cultus ardore flagrantes immiſerit, excitaturus ignem illum, quem Servator Chriſtus venit mittere in terram: denique quàm parcus, quàm difficilis ſibi, quàm largus fuerit in pauperes, quàm facilis erga ſubjectos, erga hoſpites quàm munificus, diſces ab aliis, à communi, atque adeo veriſſima fama; præſtoque erunt Epiſcoporum Italiæ Biographi (1) delibantes hæc ipſa, quæ cæteroqui tot ſunt, tanta, tam nota, ut & penſum narrationis noſtræ multum admodum ſuperent, & in jis referendis ſupervacanea futura videatur quæcunque narratio. Neque enim hæc una tantùm in urbe acta, geſta, uſurpata ſunt. Hæc eadem atque etiam ampliora majoraque vidit, laudavit, ſuſpexit fortiſſimorum bello & pace Virorum nutrix nobiliſſima Brixia, quò eum afflatus Divini Spiritus tranſtulit, ut deteſtandæ peſtilentiæ reliquias clanculariis inſidiis morum, ac dogmatum caſtitati perniciem molientes debellaret, exſcinderet, aboleret. Tantis tam præclaris meritis, & in omnium proſpectu poſitis, quibus jam ſe virtute parem Venerabili Patruo probaverat, ea utique debebantur dignitatum inſignia, queis eundem æquaret. A' Clemente XI. in Purpuratorum Collegium cooptatus, mox à Succeſſore Innocentio XIII. hoc ipſo, quo ſcribimus, Anno ex Inſubria, quemadmodum Patruus, ad Euganeos venire compulſus eſt, Patavinus Pontifex centeſimus undevigeſimus, Magnus Cancellarius Gymnaſii quadrageſimus primus. Excepere illum vota Civium omnium, Patavinæ urbis lætitia, Ordinum omnium gratulatio. Certatim illi omnes obſequium ſpopondere; clariſſimique Cœtus, ac Sapientium Collegia virtutes dilectiſſimi Præſulis numeroſâ laudatione celebrarunt, Juriſconſultorum præſertim Collegium, cujus in Societatem, in partem ſcilicet maximam, atque præcipuam paſſus eſt clementiſſimè referri, uberiùs explicavit, præcone Hieronymo Comite de Ponte Patricio Patavino, juvene doctiſſimo, nobiliſſimo. Hunc unum ex tot Oratoribus audivimus, fatemurque, quod ingenuè fateri licet, miratos nos ſobriam dicendi facundiam, ingenium acre, elocutionem non elanguidam, & otioſam, copiam denique illuſtrem ex ordine, ſententiis diſtinctam appoſitè, nobilem, erectam, & argumento tantæ tractationis idoneam. Luſere quoque muſæ Patavinæ in tanti Præſulis merita ingenioſè, ſcitè, & alacriter, gaudiumque commune Caſtaliis plauſibus produxere. Hos Comes Alphonſus Aldrighettus Patricius Patavinus Juriſconſultus & Poeta clariſſimus hac Ode ad metrum lyricum elegantiſſimè retulit.

(1) Ughelli Addit. T.5.p.1009. & ſeqq. n. 123. & T.4. p.567. n. 108.

Lux illa ſummo fulſit ab Æthere
Optata votis innumeris diu,
Quæ fauſta demum nunciavit,
Sacra tibi Patavina credi.
Nunc læta blando flumina murmure
Plaudunt, olenti prataque germine,
Campi paſſim, & lætiori
Silva nemuſque coma vireſcit.
Splendeſcit aer clarior undique,
Lumenque fundunt Sydera purius,
Ventique ponentes procellas
Compoſitis ſpatiantur alis.
Latos per agros Grex ſibi pinguia
Paſtore ſperat paſcua te ſuo,
Herbiſque delectis repleta,
Et fluviis madefacta puris.
Jam non latrones noctivagos timet
Per te, luporum nec fremitum tremit,
Qui ſæpè jejunis vagantes
Dentibus aggrediuntur agnos.

Illum

Illum magiſtra voce reges tua;
Quencumque tecum duxeris in locum
Fidens iter, quod tu præibis
Ille tuum impavidus ſequetur.
Prærupta vinces ſi juga Montium
Horrenda niſu, quæ procul arduo;
Illum cacumen non pigebit
Aerii ſuperare Montis.
Tentanda quando ſi tibi flumina,
Cæcique greſſus nec ſtabiles erunt;
Obſtante riparum præalto
Margine, præcipitique ſaxo.
Audebit altas Grex tuus impiger
Fallacis undæ nare voragines,
Tecumque riparum minaces,
Difficileſque aditus tentare.
Eſt, quà volentes nos rapimur, nimis
Primis ab annis Ars tibi cognita;
Hac nunc edaces à frequenti
Tabe vales pecudes tueri.
Es cretus illo ſanguine, prædicant
Quem priſca magnis ſæcula laudibus,
Exemplar in primis ſed illud
Nobile te Patrui occupabit.
Tumultuoſis temporibus Gregi
Non uſitatis conſuluit modis:
Nunquam ſibi parcens, opeſque
Deſpiciens varioſque plauſus.
Nunc ut periclis tollat oves ſuas,
Durus labores, ſæva pericula
Audet ſubire, oris colore,
Atque animo ſolido manente.
Terras reliquit non meritus mori;
Nobis ſed omnis non moritur tamen;
Mœſtos tibi quòd nos alendos
Moribus, eloquioque mandat.
Illius almum ſedulus exprimes
In nos amorem dotibus æmulis:
Illum brevi cuncti precamur,
Ut poſitis veneremur aris.

HISTO-

HISTORIÆ GYMNASII PATAVINI

LIBER II.

DE RATIONE STUDIORUM, OFFICIIS, ET ONERIBUS, AC PRIVILEGIIS IN GYMNASIO PATAVINO, DEQUE EJUSDEM PROFESSORIBUS.

VAriam, ac diverſam pro diverſitate temporum rationem ſtudiorum in Gymnaſio Patavino fuiſſe, cum in delectu ac numero Exedrarum, diſciplinarumque, quas uſui publico proponebat, tum in tempore, quo hæ tradebantur, tum verò in ipſo modo, quem Profitentes uſurpabant in earumdem traditione, & cultu, conſtat ex jis, quæ Tomaſinus expoſitis otiosè, vetuſtatis pluries monumentis conſtituit. Nobis ea dumtaxat proponenda, ex Operis fide eſt, qua nunc utimur; eique addenda integrè ſpecies eorum omnium, quæ ab An. MDCLIII. ad hæc noſtra tempora ad leges pertinent, & à Senatu ſancitas, & ex reſcriptis Triumviralibus conſtitutas: quò pateat, quantâ curâ, & providentiâ, quàm crebrâ, quàm ſedulâ legiſlatione Gymnaſium noſtrum regatur noſtris temporibus: quæ ſint Profeſſorum, Diſcipulorum, ac Miniſtrorum officia, quæ onera, Privilegia, immunitates, atque alia hujuſmodi, vi quorum Academia Patavina, hodieque præ cæteris in Italia viget, ac floret.

SECTIO I.

DE NUMERO, ORDINE, ET RATIONE STUDIORUM GYMNASII.

CAPUT I.

De numero, ordine, ac ratione Sedium Juris utriuſque Doctrinam profitentium.

I. PAuciſſimas olim Exedras Juriſprudentiæ, atque illas tantùm, quæ Ordinariæ poſtmodum dictæ ſunt, fuiſſe Patavii ex jis patet, quæ poſt Porcellinum (1), Sanſonum (2), Pignorium (3), & alios Antiquitas Gymnaſtica memoriæ poſterorum commendavit. Creverunt hæ mirum in modum ſub Republica Veneta, quæ cùm diu paſſa eſſet, has arbitrio Diſcipulorum inſtitui, eaſdem ex ingenita munificentia aluit ſtipendiis, ac ſtipendiorum auctariis. Cùm porrò in eligendis Doctoribus, & evehendis ad hujuſmodi Sedes Magiſtris, agi diſſidiis, tumultibus, rixis, jiſque artibus, quas ambitio turpis excogitare ſolet, cœpiſſet, bono publico eſſe viſum eſt, à poteſtate diſcipulorum docendi munus aſſerere; cœpitque Senatus ſenſim decretis opportunè interpoſitis ad ſe trahere Exedrarum arbitrium: ac tandem lege latâ ſtatuere, ne quis inconſulto Senatu ad publicum Magiſterium in Gymnaſio proveheretur, illis exceptis, qui ad Tertianas Sedes è ſolis Civibus Patavinis, ſuffragio Rectorum Urbis, Decurionum Patavinorum, & Gymnaſiarchæ, Rectoris nimirum, Pro-Rectoris, vel Pro-Syndici provehuntur.

(1) ad Matricul. in Præf.
(2) In Diar. ad An. 1518.
(3) Ex Epiſt. ad Domin. Moli. apud Salom. Inſcrip. Gym.

II. Stetit attamen idem Exedrarum numerus etiam intra Sæculum XVII. ut agnoſces ex Catalogis Tomaſini, quo vivo cœpit diminui, ne ſimul prælectionum multiplicitate diſcipulorum animos laſſaret, ſimul otiosè atque inutiliter Gymnaſticum patrimonium dētereret. Suppreſſæ, abolitęque ſunt aliquę, alię utilioribus Exedris adjunctę, ut eas ſine mercede merentes aliunde profiterentur: alię ita confuſę cum aliis capitalibus, quarum unus, & idem titulus eſſe poſſet, ut ex pluribus una fierent, & ab una, eademque ſede doctrina multiplex ad publicam inſtitutionem reſonaret.

III. No-

III. Noſtra ętate Juris Conſultorum, quos Juriſtas vocant, ſecluſis quatuor Tertiis, quę adduntur Ordinariis, & Tyrocinii loco Patavinę juventuti ad magiſterium aſpiranti conceduntur, Exedrę ſexdecim ſunt. Primigenię, ac Gymnaſio ſynchronę inter Ordinarias octo, quarum quatuor Jus-Canonicum interpretantur, totidem Jus Civile. His eâdem Ordinariâ prerogativâ, minores tamen, copulantur, quę inſtitutionibus Juſtinianęis explanandis neceſſarium impendunt laborem duę, quęque Pandectarum, & Codicis difficultates enodat, ad legalem hiſtoriam perutiles. At extra Ordinem, cùm ſilent Ordinariæ, docent, quæ ſextum decimum numerum complent. Ea ſcilicet, quæ rei Criminalis explicationem proſequitur, quæ in Feudorum ambages, & Juris principalis arcana manuducit, quæ Authenticorum, juris nimirum Juſtinianæi noviſſima decreta declarat, quæ Regulas Juris univerſim enucleat, quæque Artem Tabellionum, ſeu Notariorum ritè uſurpandam, & ex juris, ac publicæ fidei præſcripto exercendam inſtituit.

IV. Jam qui præſunt his Exedris publici, datique à Principe Profeſſores, quos Tertiani ſequuntur, certum tempus habent, quo doceant, publiciſque explanationibus defungantur. Sex enim quolibet die horis Exedræ Patavinæ, in amplis, ornatiſque conclavibus patent quibuſcunque auditoribus. Harum tres antemeridianæ ſunt, pomeridianæ tres aliæ, quibus utroque tempore ſignum dat nola prægrandis Gymnaſii; quæ olim antelucana reſonabat, nunc opportuniùs commodiùſque, quam vocant Campanulam, eſtque certa quædam regula agendorum Patavii, ſequitur. Hac deſinente poſt ictus aliquos interruptos nolæ Gymnaſticæ, hora prima Prælectionum Civilium habendarum à Viatoribus, quos Pedellos appellant, diſcipulis indicitur altâ voce, hique togati Profeſſores deducunt ad Exedras, dicentes expectant ad januam, curantque ne horam Prælectioni conceſſam prætergrediantur. Nam horâ Antemeridianâ ſecunda interpretibus Juris Canonici datur, eodem, quo Juris Civilis interpretes, modo exigenda; hoſque excipiunt Doctores Inſtitutionum, quorum explanatione ſtudia juris matutina clauduntur. A' meridie eadem ratio docendi eſt, idemque tempus, ſi tertiam horam excipias, quâ unâ ſilent Juris Inrerpretes. Quippe horâ ſecunda veſpertina, quâ canones explicantur, locus eſt etiam explanationi Pandectarum, & Codicis.

V. Extraordinariis diebus, cùm vacant Ordinariarum Prælectionum Doctores, manè quidem ſeriis docetur: nam à fine campanulæ nola Gymnaſtica reſonat, & poſt horam Criminalium Profeſſor explicationem aggreditur, cui ſuccedit Feudorum Tractatio. At Veſperi in ipſo campanulæ ſonitu Profeſſor Tabelliones inſtituit; mox exponuntur Regulæ juris, poſtrema eſt in Authentica, ſeu Novellas Juſtiniani Conſtitutiones Prælectio. Non eſt, ut Lector in re Patavinâ hoſpes tempus docendi Gymnaſticum apprimè cognoſcat ex his, quæ deſcripſimus, ni Schediaſmum, quo ſonitus in hac Urbe campanulæ diſtribuitur, videat. Hinc illum hìc damus.

CAPUT II.

Schediaſmus Patavinæ campanulæ ſonitum per annum diſtribuens.

I. HIc ſonitus, qui è campanaria Templi Cathedralis turre continuus eſt per horę quadrantes tres, eſt certa quædam uti diximus regula, quâ Cives in tempore condicendo faciendorum, tractandorumque utuntur. Præcipuè per eos menſes, quibus curriculum ſtudiorum continetur, hoc temporis certi ſignum utile, imo hac noſtrâ ętate neceſſarium eſt; quippe eo decretum Prælectionibus habendis horarum initium deſignatur. Tum manè, tum veſperi datur eo ſpatio, quod proximè indicavimus; atque horæ ſeſquiquadrante peracto adduntur nolæ minoris aliquot ictus, queis dimidium ſtatuti ſonitûs elapſum eſſe ſignetur. Circa finem quoque ſimiles ictus aliquot adjiciuntur, quibus finis campanulæ proximus nuncietur.

II. A' prandio Veſpertinus campanulæ fragor intra decimam nonam, & viceſimam diei horam ad Italicum horologium concluditur: nam à die Paſchatis ad diem D. Juſtinæ M. ſacram, quæ Non. Octobris, ſeu ſeptima ejus menſis ſignatur, incipit ſemper hora undeviceſima. Ipſa die ſeptima Octobris ad majoris hebdomadis Sabbatum initium habet ab hora vigeſima. Conticet autem tribus in anno diebus, nempe ſacro Natalibus Chriſti Servatoris, Palmarum Dominico, die ipſo Paſchatis, ejuſque loco ſunt ſigna tria cum ictibus aliquot, quibus ad concionem pia populorum religio provocatur. At Matutinum tempus campanulæ pro menſium varietate varium eſt, atque hoc ordine diſtribuitur.

JANUARIO.

Die I. ad 10. hora 15.
Die 10. ad 20. h. 14. q. 3.
Die 20. ad 31. h. 14. q. 2.

FEBRUARIO.

Die I. ad 10. h. 14. q. 1.
Die 10. ad 20. h. 14.
Die 20. ad 28. h. 13. q. 3.

MARTIO.

Die I. ad 10. h. 13. q. 2.
Die 10. ad 15. h. 13. q. 1.
Die 15. ad 20. h. 13.
Die 20. ad 31. h. 12. q. 3.

APRILE.

Die I. ad 10. h. 12. q. 2.
Die 10. ad 20. h. 12.
Die 20. ad 30. h. 11. q. 2.

MAJO.

Die I. ad 10. h. 11.
Die 10. ad 20. h. 10. q. 2.
Die 20 ad 20.
Julii per menſes duos h. 10.
Die 20. Julii ad 31. h. 10. q. 1.

AUGUSTO.

D. I. ad 10. h. 10. q. 2.
D. 10. ad 15. h. 10. q. 3.
D. 15. ad 20. h. 11.
D. 20. ad 25. h. 11. q. 1.
D. 25. ad 31. h. 11. q. 2.

SEPTEMBRI.

D. I. ad 10. h. 11. q. 3.
D. 10. ad 15. h. 12.
D. 15. ad 20. h. 12. q. 1.
D. 20. ad 30. h. 12. q. 2.

OCTOBRI.

D. I. ad 5. h. 12. q. 3.
D. 5. ad 10. h. 13.
D. 10. ad 15. h. 13. q. 1.
D. 15. ad 20. h. 13. q. 2.
D. 20. ad 25. h. 13. q. 3.
D. 25. ad 31. h. 14.

NOVEMBRI.

D. 1. ad 5. h. 14. q. 1.
D. 5. ad 10. h. 14. q. 2.
D. 10. ad 15. Januarii per menſes duos.
ſonus Campanulę incipit hora 15.

CAPUT III.

De Prælectionum materia, quæ noſtro tempore ab Exedris Juris Conſultorum exponitur.

I. PRofitentium Jura in eligenda ſibi materia Scholaſticarum diſceptationum olim ſumma libertas fuit, indeque inutiles rixæ, ut Sanſonus exemplis plurimis ad riſum expoſitis annotat (1). Ea libertas paulatim compreſſa eſt adjectis ex arbitrio Diſcentium exedris minoribus, quæ peculiariùs Juris partes quaſdam enuclearent, quarum uſum tandem rerum morumque magiſtra experientia vel reprobavit, vel ſprevit; prudentique Senatus Conſulto, prȩeuntibus in verba Litterariis Triumviris factum, atque decretum, non ante medium Sęculum XVII., ut unicuique Profeſſorum claſſi certa Juris materies explicanda, illuſtrandaque ſanciretur. Extat Decretum hoc in altero Codice Decretorum (2) ad Patavinum Gymnaſium pertinentium, undè quȩ obtinent noſtrâ ętate producimus.

(1) Diar. ad ann. 1509. 1519. 1520.

(2) pag. 102.

II. Canonum Sacrorum Interpretibus mane docentibus Juriſdictionis Eccleſiaſticæ tractatio concreditur, quam Decretalium priores libri duo complectuntur. Ea proponi, percurrique biennio jubetur, ita ut altero de Poteſtate Legislativâ Eccleſiæ, ſeu de Sacris Conſtitutionibus agatur, altero ea tradantur, quæ ad judicia ſpectant Clericorum, ac Laicorum in rebus nimirum, quȩ ad ſacra, & Eccleſiaſtica ſunt. Veſpertinis Canonum prælectionibus argumentum præſcribitur duplex: Res beneficiaria, & Matrimonii contractus ſacer, atque ad illum quidquid plenè ac utiliter explicandum facit. Hoc porro argumentum, quod duplex eſt, duplici quoque anno peragitur.

III. Jam Civilium Jurium Interpretes, quorum primo, ac ſecundo loco eſt matutina tractatio, circa Judicia, & quæ ad judicia præparant, vocationem ſcilicet in Jus, editionem Inſtrumentorum, ac litium conteſtationem verſantur; mox ad res creditas, & ad jurisjurandi Judicialis naturam, vim, obligationem explanandam deſcendunt, biennio his explanationibus dato: quo itidem tempore qui ſero Jura Civilia ordine eodem ediſſe-

differunt, ſtipulationum, atque omniſariam contractuum obligationes expediunt, hærentque in confragoſis Dividuorum, & Individuorum anfractibus. Deinde Titulos de Legatis & Fideicommiſſis percurrunt, & in explicanda alienatione prohibitâ doctiſſimè conquieſcunt. Inſtitutionum quoque tres Exedræ anno altero Teſtamentorum, ultimarumque voluntatum materiem exponunt, altero cauſas obligationum, & earundem diſſolutiones enucleant; cùm quę Pandectas, & Codicem Sedes eruditè ad legalem hiſtoriam percurrit, modò Reſtitutiones in integrum ad Edictum de Capite minutis, cauſaſque earum indigitat, modò effectus earum, quâ ætatem, & ſucceſſionem reſpiciunt, expendit.

IV. At diebus, quorum ordinaria ratio non eſt, rei Criminalis Profeſſor viciſſim ad L. Corneliam de Sicariis in Pandectis, & Codice, qua latè patet homicidii tractatio, de Criminibus ejuſmodi diſſerit, viciſſim incontinentiæ delicta, quæ titulo de Adulteriis in Pandectis, & Codice continentur, exponit. Poſt hunc Rem Feudalem qui docet, varias Feudorum Rubricas interpretatur, & quæ ad jura regalia, & Vaſſallorum conditiones, atque inveſtituras, quas vocant, aliaque hujuſmodi explicat. Tabelliones inſtituit, rationemque illis tradit, quam ſecuti tum in annotandis contractuum ſyngraphis, tum in ordinandis extremis decedentium placitis clarè, fideliter, ac religioſè vivorum, ac morientium voluntates exponant, primæ horæ, quæ intra campanulæ veſpertinum ſonitum diſſerit, Exedra docet. Hanc excipit Regularum Juris explanatio, potiora moroſioribus interpretationibus axiomata juris enucleans. Profeſſor autem, cui Authenticorum notitia facienda lectæ juventuti proponitur, in jure noviſſimo Juſtiniani laborat; & quæ utiliores, ac celebriores conſtitutiones cenſentur circa pignora præſertim, & hypothecas ejus diſſertationibus illuſtrantur, & ad juris recentioris modum utiliter revocantur. Hæc ratio eſt, qua nunc Gymnaſii noſtri Juriſconſultiſſimi Doctores in jure explanando, tractandoque utuntur. Ea, quod attinet ad ſedes minores, more ſtat, in majoribus & ordinariis Juris Civilis, atque Canonici lege publicâ nititur. Nam typis Patavinis apud Orlandum Jadram ex officina Laurentii Paſquati proponitur, præmiſſo hoc diſticho.

Gymnaſiis noſtris hæc ſunt quæ jure perenni
Italico, debent publica Jura legi.

Ordinaria Juris Pontificii Matutina.
De Conſtitutionibus, & Reſcriptis.
De Judiciis & Probationibus.
Ordinaria Juris Pontificii Veſpertina.
De Sponſalibus, & Matrimonio. De Cav. Poſſeſſ., & Prop.
De Præbendis, Teſtam., & Accuſat.
Ordinaria Juris Civilis Matutina.
Ad Rubricam ff. de Officio ejus.
Ad Rubricam Cod. de eodem.
Ad Rubricam ff. ſi cert. petat.
Ad Rubricam Cod. qui admitt.
Ordinaria Juris Civilis Veſpertina.
Ad Rubricam ff. ſolut. Matrim.
Ad Rubricam de legatis 1.
Ad Rubricam ff. de acquirenda Poſſeſſ.
Ad Rubricam de Verb. Obligat.

CAPUT IV.

Rotulus hodiernus Juriſconſultorum.

I. UT Ordo ſuperiùs explicatus, cùm ſedium jus explanantium, tum etiam Materiarum, quas ex illis Profeſſores Publici Ordinarii, & Extraordinarii ſtatis horis interpretantur, curioſitati Lectorum objiciatur, operę pretium duximus hodiernum Rotulum Juriſconſultorum, Catalogum ſcilicet Doctorum profitentium Jura, & eorum, quę quiſque in Anno publicè prelecturus eſt, dare, longè ſanè diverſum ab eo, quem edidit Tomaſinus (1) mancum planè, nec niſi titulo tenus, quod attinet ad Jureconſultos; antiquum ſatis, atque noſtrâ ętate antiquatum, quà pertinet ad Profeſſores Artium, quem idem Scriptor utpote in Artibus Doctor explicatiorem propoſuit. Priſcis Rotulis ſi recentiores, & hodiernos conferas,

(1) lib. 1 Gym. c. 45. p. 148. & ſeq & c. 46. à p. 155.

conferas, agnoſces longè majori diligentiâ, atque ordine meliore hoc noſtro tempore in Patavino Gymnaſio legum Sacrarum, profanarumque diſciplinas, atque Artium opes in auditores aſſiduos erogari.

In Chriſti Nomine Amen.

Rotulus Excellentiſſimorum DD. legentium in Publico Gymnaſio Patavino ad infraſcriptas Lecturas. Aggredientur die 3. Novembris 1722. & 1723. felicibus auſpiciis Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi DD. Leonardi Delphini pro Sereniſsima Republica Veneta Præfecti, & Vice Prætoris Patavii.

Ad lecturam Juris Canonici de Mane.

Excel. I.V.D. D. Nicolaus Commenus Papadopoli Abb. S. Zenobii Cretenſis in primo loco,
Exc. I.V.D. D. Petrus de Amatis Prapoſitus S. Sophiæ Patavinus in ſecundo loco,
Exc. D. D. Angelus Maraſca Abb. S. Nicolai de Sarcedo Patavinus in tertio loco,
Judiciorum Eccleſiaſticorum materiam explanabunt ad Tit. 1. Lib. 2. Decret. Hora ſecunda matutina.

Ad lecturam Juris Canonici de Sero.

Rever. P. I.V.D. Cyprianus Benalea Brixienſis Mon. Sanctæ Juſtinæ Ordinis Sancti Benedicti in primo loco,
Exc. I.V.D. D. Antonius Bellini Conſtantini Patavinus in ſecundo loco,
Exc. I.V.D. Gregorius de Campo Sancti Petri Patavinus in tertio loco,
De re beneficiaria tractabunt ad Tit. V. & ſeqq. Libri III. Decretal. Hora ſecunda Pomeridiana,

Ad lecturam Juris Cæſarei de mane.

Exc. I.V.D. D. Jo. Baptiſta Ceſſis Bergomenſis in primo loco,
Exc. I.V.D. D. Fauſtus de Pace Venetus in ſecundo loco,
De inofficioſo, deque injuſto Teſtamento, inde de Teſtamentorum executione agent, Hora prima Matutina diebus Ordinariis.

Ad lecturam Juris Cæſarei de ſero.

Exc. I.V.D. D. Jo. Baptiſta Ramis Venetus in primo loco,
Exc. I.V.D. D. Vincentius Viali Patavinus in ſecundo loco,
De Dotis reſtitutione tractabunt ad Rubr. & lib. 1. cum ſubſequentibus ff. ſolut. Matrimon.

Ad lecturam Criminalium.

Exc. I.V.D. D. Antonius Bombardinus Patavinus Cathedralis Patavinæ Primicerius
Praxim criminum perſequendorum enucleabit ad Tit. ff. & Cod. Hora prima matutina diebus extraordinariis.

Ad lecturam Pandectarum, & Codicis.

Exc. I.V.D. D. Comes Andreas à Navibus Cardeira Luſitanus
Tractabit de Receptis Arbitr., & qui Arbitrium receperunt, ut Sententiam dicant ad Tit. VIII. Lib. IV. Pandect. & ad Tit. LVI. Lib. 2. Cod. Hora ſecunda Pomeridiana diebus ordinariis.

Ad lecturam Inſtitutionum.

Exc. I.V.D. D. Joſeph Alaleona Maceratenſis in primo loco,
Exc. I.V.D. D. Ludovicus Pighi Veronenſis in ſecundo loco,
Exc. I.V.D. D. Michael Fantonus Patavinus in tertio loco,
Obligationum Tractatum abſolvent ad Tit. XIV. & ſeqq. Lib. 3. Inſtitutionum Hora matutina tertia diebus Ordinariis.

Ad lecturam Feudorum.

Exc. I.V.D. D. Parmeſanus à Curtivo de Sanctis Patavinus

Aget

Aget de Inveſtituris ad Tit. Quid ſit Inveſtit. & plures Tit. ſeqq. lib. 2. F. Hora ſecunda Matutina diebus extraordinariis.

Ad lecturam Authenticorum.

Exc. *I.V. D.D. Andreas de Donolis Ilicienſis*

Aget de Hypothecis, & harum occaſione de Privilegiis Creditorum, & expendet pertinentia ad Auth. ſed præſertim §. his conſequens eſt, & Auth. de Æqualitate dotis Tit. 8. Coll. 7. Hora ſecunda pomeridiana diebus Extraordinariis.

Ad lecturam de Regulis Juris.

Exc. *I.V. D.D. Nicolaus Barbaroſſa Patavinus*

Aget de Regulis Juris, quæ pertinent ad cauſas acquirendi dominii, & quæ verſantur circa perſonas, quæ poſſunt, vel nequeunt negotium contrahere Hora prima Pomerid. diebus Extraord.

Ad lecturam Artis Notariæ.

Exc. *I.V. D.D. Petrus Dominicus Ceſſis Bergomenſis.*

Peculiarem Notariatûs Officii partem occupant ultimæ Voluntates, de quibus ſigillatim hoc anno aget in pulſatione Campanulæ diebus Extraordinariis.

Antonius Velo Bidellus Gener.

CAPUT V.

De Numero, Ordine, & Varietate Profitentiun Artes, deque diſciplinis, & ſcientiis, quæ ab his in Gymnaſio traduntur.

I. NOmen Artium in Patavino Gymnaſio plures, ac longè inter ſe diverſas diſciplinas ſignificat, eaſque ſcientias complectitur, quæ, quòd ſe Arti Medicinæ aggregaverint ab initio, ut à Juris prudentia ſecernerentur, eamdem quam illa nomenclaturam habuere. Continet Theologos, Paginarum Sacrarum Interpretes, Philoſophos, Medicos, Enarratores ſimplicium, Botanicos, Mathematicos, Humaniorumque literarum Inſtitutores. Qui has profitentur duplo plures Juriſconſultis ſunt, numero quatuor & triginta, militantque omnes Gymnaſii ſtipendiis: nec inter ſe differunt, niſi in eo quod ex his quatuor Tertiani, qui ſedes tertias occupant, Patavini ſunt cives, quos Urbis Rectores, Quæſtoribus, Pro-Rectore Gymnaſii, ac urbanis Decurionibus ſuffragantibus eligunt, ut docendi Tyrocinium ponant, quò deinde virtus eorum experimento probata ad ſuperiores Exedras adſpirare poſſit. Triginta reliqui ſupremis Veneti Senatûs arbitriis ſubſunt, ejuſque decreto certis conducti ſtipendiis docendi munus ineunt, & deinceps ad majora ſubſellia, ampliuſve ſtipendium provehuntur.

II. Præeunt in hoc ordine Theologi, quorum alter è cœtu ſacro Prædicatorum ex mente D. Thomæ Doctoris Angelici Magiſtri Sententias explicat. Alter è Minoritarum Familiâ iiſdem ſubtiliſſimum Scotum accomodat, horâ uterque tertiâ matutinâ ordinariæ Prælectionis. Hos ſequitur qui Sacras Paginas interpretatur horâ primâ matutinâ dierum, quibus extra ordinem Gymnaſium patet. Philoſophis, quibus Metaphyſicorum explanatio demandata eſt, hora ſecunda Matutina ordinariis diebus decernitur; hique bipartitò Ariſtotelem, quâ parte Metaphyſica pertractat, explanant, ac pro ratione inſtituti, & ſcholæ, quam profitentur, vel ad opiniones D. Thomæ tributas, vel ad ſenſa revocant Scoti. Qui duo ordinariam Philoſophiam, aut tres extraordinariam exponunt, perpetuis commentationibus explicant Ariſtotelis libros de Generatione, & Corruptione, & de Cœlo, libros de Anima tres, primum, ſecundum, & octavum Phiſicorum. Sed Extraordinariis hora prima pomeridiana conceditur, Ordinariis ſecunda. Differtur ad Extraordinarios dies ethicæ Philoſophiæ tractatio, ac dierum ejuſmodi horâ pomeridianâ primâ ad libitum Profeſſoris morales Philoſophi libri auditoribus exponuntur.

III. Logicam Ariſtotelis primâ horâ matutinâ ordinariâ tres Doctores interpretan

tur; laboratque horum induſtria in iis illuſtrandis, quæ Princeps Philoſophorum libro primo, & ſecundo Poſteriorum complexus eſt. Aſtronomiæ ac Meteororum Phænomena horâ tertiâ Matutinâ Ordinariâ proponuntur ad libitum, eâdemque libertate Matheſim docet Profeſſor Euclidis interpretationi præfectus horâ tertiâ veſpertinâ ordinariâ, qua Opticam & Perſpectivam, partemque Geographiæ ad Matheſeos conſiderationem eruditiſſimè revocat. Sic totam, qua latè patet, Philoſophiam Profeſſorum noſtrorum labor exhaurit.

IV. Nec aliter qui Medicinam profitentur viri doctiſſimi. Hi quindecim ſunt, quorum quatuor Ordinarii nuncupantur, ſex Extraordinarii, atque in eodem argumento verſantur. Nam Ordinarii duo cum Extraordinariis tribus, qui tamen diebus ordinariis prælectiones ſuas habent, ad Theoricam Medicinam pertinent. Et Ordinarii quidem horâ primâ Matutinâ diebus ordinariis explicant primam Fen Avicennæ, Aphoriſmos Hippocratis, Artem parvam Galeni; atque circa hæc ipſa verſantur Extraordinarii in pulſatione campanulæ ordinariis diebus. At duo itidem Ordinarii, qui Praxim ediſſerunt Medicinæ, agunt de morbis peculiaribus à Capite uſque ad Cor, mox de morbis peculiaribus à Corde, & infra; atque unâ de febribus; Ordinarii quidem horâ primâ pomeridianâ quotidie, Extraordinarii verò horâ ſecundâ matutinâ ordinariis diebus. Nec aliam materiam Jatricam tractant, qui Theoricam Medicinam, aut Practicam interpretantur extra ordinem diebus vacantibus. Eadem & horum prælectionibus interpretatio proponitur, quò uberiùs ad ſalutem & vitam Ars inſtituta experimentis & rationibus confirmetur.

V. His adnectuntur Exedræ tres, quarum altera diebus ordinariis horâ tertiâ Matutinâ Chirurgiam ordinariam enucleat, naturamque, & curationem edocet vulnerum, ulcerum, fracturarum, ac luxationum, eorumque tumorum, qui præter naturam ſunt. Duę aliæ Anatomen adminiſtrant; harum prima declinante Januario menſe, ſecunda majorum Jejuniorum tempore. Qui Botanicam explicant duo ſunt; alter in ipſo Gymnaſio, atque in pulſatione campanulæ matutinæ ordinariis diebus Mineralia, & ſimplicia pertractat, alter herbas earumque vim, naturam, virtutem, ac figuram oſtendit in Horto menſe Majo hora vigeſima ſecunda. Poſtremus Profeſſorum Eloquentię Magiſter eſt, qui ordinariis diebus horâ ſecundâ Matutinâ, vel exponit Poeticam Ariſtotelis, rationemque ejus, ac Tragœdiam pręcipuè ad Philoſophi trutinam penſitat, vel de Arte hiſtorica diſſerit, & T. Livium commentario illuſtrat, vel Satyram docet, & Juvenalem interpretatur. Hęc ſunt quæ diſſertationibus ſuis publicè Artium Magiſtri ad plenam Auditorum ſuorum eruditionem, inſtitutionemque utiliter explicant; eaque Senatûſconſulto ſancita ſunt: Edita quoque leguntur, quorum quòd rariſſima ſunt exemplaria, unum hic ſubjicimus, in hac, quam juſſi ſcribimus, Gymnaſii noſtri notitiâ perennaturum.

CAPUT VI.

Interpretationes præſcriptæ DD. Profeſſoribus Theologiæ, Philoſophiæ, ac Medicinæ Archigymnaſii, Patavini.

AD Theologiam.
Primum Sententiarum.
Secundum Sententiarum.
Tertium Sententiarum.
Quartum Sententiarum.
Ad Metaphyſicam;
Primum Metaphyſicorum Ariſtotelis.
Septimum Metaphyſicorum Ariſtotelis.
Duodecimum Metaphyſicorum Ariſtotelis
Ad Theoricam Ord. Medicinæ.
Primam Fen Avicennæ.
Aphoriſmos Hippocratis.
Artem Parvam Galeni.

Ad

Ad Practicam Ord. Medicinæ.
De Morbis particularibus à Capite ad Cor.
De Morbis particularibus à Corde & infra.
De Febribus.
Ad Philoſophiam Ordinariam.
Librum de Generat. & Corrupt. & de Cœlo.
Libros tres de Anima.
Librum 1. 2. & 8. Phyſicorum.
Ad Anatomen Ordinariam.
Adminiſtrabunt Anatomen die ac tempore debito.
Ad Theoricam extraordinariam Medicinæ.
Artem Parvam Galeni, ſive Artem medendi Galeni.
Primam Fen Avicennæ.
Aphoriſmos Hippocratis.
Ad Practicam extraordinariam Medicinæ.
De Morbis particularibus à Capite ad Cor.
De Morbis à Corde & infra.
De Febribus.
Ad Philoſophiam extraordinariam.
Libros tres de Anima.
Librum 1. 2. & 3. Phyſicorum.
Librum de Generat. & Corrupt., & de Cœlo.
Ad lecturam Philoſophiæ Moralis.
Ad libitum.
Ad lecturam Aſtronomiæ & Meteor.
Ad libitum.
Ad lecturam Chirurgiæ ordin.
De Vulneribus.
De Ulceribus.
De fracturis & Luxationibus.
De tumoribus præter naturam.
Ad lecturam ſimplicium.
Ad libitum.
Ad Oſtenſionem Simplicium.
In Horto.
Ad Theoricam Extraord. Medicinæ diebus vacantibus.
Aphoriſmos Hippocratis.
Artem Parvam Galeni.
Primam Fen Avicennæ.
Ad lecturam III. libri Avicennæ.
De Floribus.
De Morbis particularibus à Capite ad Cor.
A' Corde & Infra.
Ad Logicam.
Primum Poſteriorum Analy.
Secundum Poſteriorum Analy.
Ad Mathematicam.
Ad libitum.
Ad Humanitatem Græcam & Latinam.
Exponet Poeticam Ariſtotelis.
Exponet Poeſeos formam in parte, atque
Præcipuè Tragœdiam, Ariſtotelis trutina penſitabit.
Exponet Artem Hiſtoricam & T. Livium.
Pertractabit Satyram, & interpretabitur Juvenalem.

CAPUT VII.

Sedium, quæ Artes profitentur, Ordo, tempuſque Prælectionum ex Rotulo.

GEnerale ac novum principium Interpretationum nobiliſſimæ, ac florentiſſimæ Academiæ Patavinæ DD. Artiſtarum anno 1722. 1723. Feliciter incipient die 3. Novembris ſub felicibus auſpiciis illuſtriſſimi & excellentiſſimi DD. Leonardi Delphini pro Sereniſſima Republica Veneta Præfecti, & Vice Prætoris.

Aggredientur infraſcripti DD. explicando infraſcripta.

Ad Theologiam in Via D. Thomæ.

R. P. M. Hyacinthus Serri Doct. Sorbonicus Ord. Præd.

Ad Theologiam in Via Scoti.

R. P. M. Nicolaus Buico de Spinazzola Ord. Min. Con. Archiepiſc. Cur. Neap. Reviſor Libror. & Exam. Synod.

Leg. Secundum Sententiarum hora 3. matutina.

Ad lecturam S. Scripturæ.

R. P. D. Antonius Urſatus Patavinus Monachus S. Juſtinæ Ord. S. Benedicti.

Proſequetur librum Geneſeos hora 1. matutina diebus Extraord.

Ad lecturam Metaphyſicæ in Via S. Thomæ.

R. P. M. Hyacinthus Mazzucchius de Ferraria

Leget I. Metaphyſicorum Ariſtotelis hor. 2. matutina.

Ad Metaphyſicam in Via Scoti.

R. P. M. Alexander Burgos Meſſanenſis Ord. Conventual.

Leget I. Metaphyſicorum Ariſtotelis hor. 2. matutina, & Hiſtoriam Eccleſiaſticam à Chriſto nato, hora 2. matutina diebus Extraordin.

Ad Theoricam Ordinariam Medicinæ.

Exc. D. Antonius Valliſneri de Nob. de Valliſn. Med. Cubicularius S. C. C. M. Regenſis in primo loco,

Præterquamquòd legit de Pulſibus & Urinis in Xenodochio diebus vacantibus.

Exc. D. Alexander Knips Macoppe ex Colonia Agrippina in 2. loco,

Leg. Primam Fen Avicennæ hor. 1. matutina.

Ad Practicam Ordinariam Medicinæ.

Primus locus Vacat.

Exc. D. Leal Leali Veronenſis in ſecundo loco,

Leg. de Morbis particularibus à Corde & infra hora 1. Veſpert.

Ad Philoſophiam Ordinariam.

Exc. D. Joannes Gratianus Bergomenſis in primo loco,

Exc. D. Aloyſius Blaſius Speroni Patavinus in ſecundo loco,

Leg. libros tres de Anima, hor. 2. pomeridiana.

Ad Anatomen Ordinariam.

Exc. D. Jo. Baptiſta Morgagni Foroliviensis Romanuſque Patritius in primo loco,

Exc. D. Jo. Baptiſta Vulpius Bergomenſis in 2. loco,

Adminiſtrabunt Anatomen die ac tempore debito hora tertia matutina.

Ad Theoricam Extraordinariam Medicinæ.

Exc. D. Franciſcus Alfonſus Donoli Ilicienſis in primo loco,

Exc. D. Jo. Antonius Caſale Patavinus Comes in ſecundo loco,

Exc. D. Gulielmus Sotus Patavinus in tertio loco,

Artem parvam Galeni Leg. ſive Artem medendi Galeni in Pulſatione campan. pomeridiana.

Ad Practicam Extraordinariam Medicinæ.

Exc. D. Marcus Navarra Rhodiginus in primo loco,

Exc. D. Bartholomæus Lavagnoli Patavinus in ſecundo loco,

Exc. D. Angelus Piſani Patavinus in tertio loco,
Legent de Morbis particularibus à capite ad cor, hora 2. matutina.

Ad Philoſophiam Extraordinariam.

Exc. D. Proſper Berſelli Mutinenſis in primo loco,
Exc. D. Jo. Baptiſta Bonomo Patavinus in ſecundo loco.
Tertius locus vacat.
Leg. librum primum, ſecundum, & octavum Ariſtotelis Phyſicorum hora 1. pomeridiana.

Ad lecturam Philoſophiæ Moralis.

Rev. D. Canonicus Jacobus Giacometti Vicentinus,
Exponet lib. 6. & ſeptimum Nicomachiorum Ariſtotelis, hora 1. pomeridiana diebus Extraord.

Ad lecturam Aſtronomiæ & Meteororum.

Exc. D. Ludovicus à Ripa Venetus,
Explicabit primum & ſecundum librum Meteorologicorum Ariſtotelis hora tertia matutina.

Ad lecturam Chirurgiæ Ordinariam.

Exc. D. Antonius Marchetti Patavinus in primo loco,
Leg. de Fracturis, & Luxationibus hora 3. matutina.

Ad lecturam Simplicium.

Exc. D. Joannes Maria Roſſi Patavinus, leg. de Regno animali in pulſatione campan. matutina.

Ad Oſtenſionem Simplicium.

Exc. D. Julius Pontadera Piſanus, in horto 2. Maii hora 22.

Ad Lecturam Tertii libri Avicennæ.

Exc. D. Homobonus Piſoni Cremenſis in primo loco,
Exc. D. Carolus Franciſcus Cogroſſus Mediolanenſis origine, Patria Cremenſis in ſecundo loco,
Leg. de Febribus Hora 1. matutina diebus Extraord.

Ad Logicam.

Rev. & Exc. D. Michael Verius Vicentinus in primo loco,
Exc. D. Paulus Cervinus Cremenſis in ſecundo loco,
Exc. D. Matthæus Martinus Patavinus in tertio loco,
Leg. Primum Poſteriorum hora prima matutina.

Ad Mathematicam.

Exc. D. Joannes Polenus Marchio Venetus,
Elementa Geometriæ, varioſque uſus eorundem tractabit hora 3. pomeridiana.

Ad Humanitatem Græcam & Latinam.

Rev. D. Dominicus Lazzarinus de Muro Maceratenſis,
Pertractabit Satyram, & interpretabitur Juvenalem hora 2. matutina.

Leander Vareſius Bidellus Gener.

CAPUT VIII.

De Annali Curriculo Studiorum, ſive quota Anni parte ſuas merces exponat Gymnaſium Patavinum.

I. VArium fuiſſe ſtudiorum Patavinorum curriculum pro temporum & ætatum varietate, conſtat ex relatis per (1) Tomaſinum, & alios, ſignatiſque fide priſcorum monumentorum: nec refert, de re ab his late deſcripta, & ab origine ultima deducta pluribus agere, cum ſatis ſit ad propoſitum noſtrum, quæ pluſquam ſeſquiſeculo recepta ſunt, & adhuc obtinent, tradere.

(1) lib. 1. Gym. c. 45. p. 150.

II. An-

II. Annus literarius Gymnaſii noſtri incipit III. Nonas Novembris, ni ea dies mortuorum, ut vulgò loquimur, ſuffragiis dicata ſit; deſinit pridie Idus Jun., cum pervigilium agimus diei, D. Antonio Patavino ſacræ. Hæc ſtudiorum periodus tabellâ quotannis edita, quam ſubjiciemus, indicitur omnibus, eamque ſecuti, quæ dicimus, comprobamus, atque una Lectorem monemus, ne curriculum iſtud tam latè proferat, ſed integro ſaltem menſe exiſtimet minus, & nunc eſſe, & fuiſſe ab hominum, quotquot noſtrâ ætate vixere, memoria. Nam antiquiſſimus Profeſſorum noſtri temporis, idemque V. Clariſſ. Scipio Gonemius affirmatè ſolebat aſſerere, neque ſe vivo, neque Majorum ſuorum, qui vel ipſum, vel ſocerum ejus Alexandrum Sycliticum erudierant, ætate, poſt Nonas Majas, cùm Hortus Botanicus aperitur, Gymnaſium patuiſſe; oſtendebatque tabellam, ſeu literarium diarium, An. MDLXIV. editum, quo ſtudiorum ephemeris hæc ipſa proponebatur, ſimul annotabatur, menſem integrum Maii cum particula Junii purgationibus Profeſſorum, & Diſcipulorum concedi, quò ſcilicet intelligerent, eo tempore poſſe quemque vacare.

III. Nec aliter noſtrâ ætate mos habuit, donec imperatum, ut prælectiones Gymnaſticę protraherentur eo uſque dum Triumviralis benignitas labores profitentium ſolveret exeunte Majo; paruitque Magiſtrorum alacritas, ex eo tamen ſubtriſtior, quòd ſuo munere, pro ſua, & Gymnaſii dignitate, fungi non poſſet. Quippe, Horto recluſo, ęſtate jam proximâ, juvenes continuatis prælectionibus feſſi, ac plerumque ſumptibus extra Patriam faciendis impares, dilabuntur, deſeruntque Gymnaſium auditore vel nullo mutum, vel raro, ac moroſo languidum, torpens, ac penè dixerim intermortuum. Hinc Moderatorum providentiâ factum, ut denuò priſci mores reſtituerentur; flagitantibuſque diſcipulis, ſub initium Maii poteſtas fiat finem faciendi laboribus literariis, ac vacandi, quò & plurium diſpendiis conſulatur opportunè, & benignitas publica commodis eorum gratificetur, qui ſublato jampridem anno ſtudiorum quinto, in exitu anni quarti ad prœmia Magiſtrorum adſpirantes publico ſe diſcrimini aptant privatis exercitationibus.

IV. Porro his ſex menſibus Gymnaſium patet diſceptationibus, ac prælectionibus publicis matutinis & veſpertinis, quæ æquè profeſtis, ac feſtis diebus habentur, ſi ferias excipias breves, quę Chriſti Natalibus, Martinalibus, Bacchanalibus, Feſtiſque Paſchalibus conceduntur; quibus addere licet perpaucas aliquot, quas ſibi vindicant obſequia debita Deiparæ Virgini, Diviſque Gymnaſii Patronis. Hoc quod in hac Operis parte ad notitiam Lectoris deduximus, ut ejuſdem etiam oculis proponatur, perennetque ad Poſteros ratio dierum, quibus cum ordinariæ, tum extraordinarię prælectiones habentur, ſubjectam Ephemeridem, quam ſingulis annis Magiſtris, & Diſcipulis Moderatores edicunt, adjiciamus.

CAPUT IX.

Ephemeris Scholaſtica.

In Nomine Chriſti Amen.

Dies lectionibus Publicis, tam Ordinariis, quam Extraordinariis in celeberrimo Gymnaſio Patavino Profeſſoribus Juris, & Artium praſcripti, pro executione literarum Illuſt. & Excellent. DD. Studii Moderatorum Anno Chriſti 1722. *&* 1723. *auſpicabuntur Die* 3. *Novembris ſub feliciſſimis auſpiciis Illuſtr. & Excellentiſſ. DD. Leonardi Delphini pro Sereniſſima Republica Veneta Præfecti, & Vice-Prætoris Patavii.*

Omnia ad Majorem Dei gloriam.
Ad Honorem & Gloriam Sanctiſſimæ Trinitatis.

NOVEMBER.			NOVEMBER.		
1. D.	Omnium Sanctorum.		10. M.		extra.
2. L.	Comm. Defunct.		11. M.	S. Martini non leg.	
3. M.	Incipient leg.	Ord.	12. G.		extra.
4. M.	S. Caroli	Extra.	13. V.		ord.
5. G.		Ord.	14. S.		ord.
6. V.		Ord.	15. D.		extra.
7. S.	S. Proſdocimi	extra.	16. L.		ord.
8. D.		extra.	17. M.	Propter felicem ingreſſum Sereniſſimi Dominii non leg.	
9. L.		ord.			

18. M.

NOVEMBER.

18 M. ord.
19 G. ord.
20 V. ord.
21 S. Præſentatio B. M. V.
22 D. extra.
23 L. ord.
24 M. extra.
25 M. S. Catherinæ non leg.
26 G. extra.
27 V. ord.
28 S. ord.
29 D. extra.
30 L. S. Andreæ Ap. extra.

DECEMBER.

1 M. ord.
2 M. ord.
3 G. ord.
4 V. S. Barbaræ. extra.
5 S. ord.
6 D S. Nicolai extra.
7 L. S. Ambroſii extr.
8 M. Conceptio S. M. V.
9 M. ord.
10 G. ord.
11 V. ord.
12 S. extr.
13 D. S. Luciæ extra
14 L. ord.
15 M. ord.
16 M. ord.
17 G. extr.
18 V. ord.
19 S. ord.
20 D. extr.
21 L. S. Thomæ Ap.
Propt. Feſta Natal. non leg. uſque ad 2. Januarii.
22 M.
23 M.
24 G.
25 V. Nativitas D. N. J. C.
26 S. S. Stephani
27 D. S. Joannis
28 L. SS. Innocentium.
29 M.
30 M.
31 G.

JANUARIUS.

1 V. Circumciſio Domini.
2 S. ord.
3 D. S. Danielis. extr.
4 L. ord.
5 M. ord.
6 M. Epiphania Dom. non leg.
7 G. ord.
8 V. ord.
9 S. ord.
10 D. extr.
11 L. ord.
12 M. ord.
13 M. ord.
14 G. extr.
15 V. ord.
16 S. ord.
17 D. S. Antonii extr.
18 L. ord.
19 M. ord.
20 M. SS. Fabiani & Sebaſt.
Propt. Carnisprivium non leg. uſque ad 2. Quadr.
21 G.
22 V. Excell. Morgani incipiet Anatomen.
23 S.
24 D.
25 L.
26 M.
27 M.
28 G.
29 V.
30 S.
31 D.

FEBRUARIUS.

1 L.
2 M.
3 M.
4 G.
5 V.
6 S.
7 D.
8 L.
9 M.
10 M. Dies Cinerum
11 G. ord.
12 V. ord.
13 S. ord.
14 D. extr.
15 L. Transl. ling. S. Antonii
16 M. ord.
17 M. ord.
18 G. ord.
19 V. extr.
20 S. ord.
21 D. extr.
22 L. ord.
23 M. ord.
24 M. S. Matthiæ Ap. extr.
25 G. ord.
26 V. ord.
27 S. ord.
28 D. extr.

MAR-

MARTIUS.

1	L.		ord.
2	M.		ord.
3	M.		ord.
4	G.		extr.
5	V.		extr.
6	S.		extr.
7	D.	S. Thomæ Aqui non leg.	
8	L.		extr.
9	M.		ord.
10	M.		ord.
11	G.		ord.
12	V.	S. Gregorii	extr.
13	S.		ord.
14	D.		extr.
15	L.		ord.
16	M.		ord.
17	M.		ord.
18	G.		extr.
19	V.	S. Joſephi	extr.
20	S.		ord.
21	D.	Propt. Feſt. Paſch. non leg. uſq. ad diem 5. inſtantis	
22	L.		
23	M.		
24	M.		
25	G.	Anunciatio B. M. V.	
26	V.		
27	S.		
28	D.	Reſur. D.N.J.C.	
29	L.	Feſtum.	
30	M.	Feſtum.	
31	M.		

APRILIS.

1	G.		
2	V.		
3	S.		
4	D.		
5	L.		ord.
6	M.		ord.
7	M.		ord.
8	G.		extr.
9	V.		ord.
10	S.		ord.
11	D.		extr.
12	L.		ord.
13	M.		ord.
14	M.		ord.
15	G.		extr.
16	V.		ord.
17	S.		ord.
18	D.		extr.
19	L.		ord.
20	M.		ord.
21	M.		ord.
22	G.		extr.
23	V.	S. Georgii	extr.
24	S.		ord.
25	D.	S.Marci Evang. non leg.	
26	L.		ord.
27	M.		ord.
28	M.		ord.
29	G.	S. Petri Mar.	extr.
30	V.		ord.

MAJUS.

1	S.	SS. Philippi & Jacobi Ap.	extr.
2	D.	Horti Apertio	extr.
3	L.	Invent. S. Crucis	extr.
4	M.		
5	M.		
6	G.	Aſcenſio Domini.	
7	V.		
8	S.		
9	D.		extr.
10	L.		ord.
11	M.		ord.
12	M.		ord.
13	G.		extr.
14	V.		ord.
15	S.		ord.
16	D.	Pentecoſtes.	
17	L.	Feſtum.	
18	M.	Feſtum.	
19	M.		ord.
20	G.		ord.
21	V.		ord.
22	S.		extr.
23	D.		extr.
24	L.		ord.
25	M.		ord.
26	M.		ord.
27	G.	Corpus Domini.	
28	V.		ord.
29	S.		ord.
30	D.		extr.
31	L.		ord.

JUNIUS.

1	M.		ord.
2	M.		ord.
3	G.	Translat. S. Danielis.	extr.
4	V.		ord.
5	S.		ord.
6	D.		extr.
7	L.		ord.
8	M.		ord.
9	M.		ord.
10	G.		extr.
11	V.		ord.
12	S.		ord.

JUNIUS.

13 D. S. Antonii Feſtum
Vacationes Magnæ.
14 L.
15 M. SS. Viti, & Modeſti.
16 M.
17 G.
18 V.
19 S.
20 D.
21 L.

JUNIUS.

22 M.
23 M.
24 G. Nativ. S. Jo. Baptiſtæ.
25 V.
26 S.
27 D.
28 L.
29 M. SS. Petri & Pauli Apoſt.
30 M.

CAPUT X.

De Officiis & Oneribus Profeſſorum ex Senatus Conſultis, & Reſcriptis Triumviralibus ad An. 1674.

QUæ fuerint Profeſſorum Officia, quæ onera, quibusque legibus, aut Reſcriptis Triumviralibus ad ea olim adigerentur, nec memorat Riccobonus, & promiſcuè, ac perturbatè, uti ſolet, atque obiter etiam Tomaſinus attingit potius, quàm explicat. Fuiſſe tamen & multa, & pro temporum varietate diverſa, conſtat ex eo, quòd quę ex novis legibus ac Reſcriptis vigent, plerumque priſca mandata juſſaque innovant; & vel debitum ipſis obſequium jubent, vel inde ſubortas difficultates dirimunt, aut etiam eludunt, ac publicæ Auctoritatis effata opportunis interpretationibus revocant ad uſum recentiorem. Hinc ſupervacaneum ſit, ac præter noſtri Operis aleam, in antiqua illa inquirere, & in illis inutiliter laborare, quæ vel moribus præſcriptis abrogata ſunt, vel antiquata deſuetudine, vel, quâ parte vigent, ad novas pertinent Conſtitutiones. Harum ſeriem hic dabimus, quà onus inferunt Profeſſoribus ex annorum ac temporum ratione, quam etiam inferiùs retinebimus in annotandis eorumdem privilegiis, & honoribus.

Anno igitur 1653. 7. Aprilis ut in Cod. Decret. 2. p. 492. ter. Senatusconſulto decernitur, ut in Actibus didaſcalicis, & ad Doctoratus diſcentium pertinentibus, Præſes Collegii Gymnaſtici Juriſconſultorum omnes Profeſſores præcedat, quemadmodum in eodem Collegio Gymnaſtico artium Præſes Magiſtros Artium præcedit. Et Artium quidem Doctores venerabili decreto huic parent etiamnum, quo jure Jureconſulti ab ejus obligatione ſe abſolvant, ignoramus.

1654. 16. Januar. Senatusconſulto ſancitur, perhibendum à Profeſſoribus teſtimonium Diſcipulis de morâ legitimâ in hoc noſtro Gymnaſio. Teſtimonii hujus veritas imperatur, punitur falſitas, interdicto in legem peccantibus per triennium Gymnaſio, atque omni lucro inde percipiendo. Jubetur, teſtimonium hujuſmodi jurejurando firmari; caveturque, ne cui diſcipulo, qui quinquennio Patavii non fuerit, concedatur; neu ab aliis Profeſſoribus detur, quàm qui ſtipendiis Principis obligati ſunt. Si quis docentium quemquam hoc teſtimonio deſtitutum ad Doctorum gradus provexerit, exautoratur; ſimul vetatur, ne qui bini ex Rotulo Profeſſores Doctoratibus interſunt, ſe invicem ſubſtituant. Si ſecus faxint, lucro multantur, adituque Collegii per annum prohibentur.

1655. 10. Sept. Reſcripto Triumvirali Profeſſoribus interdicitur, domi prælectiones habere iis horis, quæ debentur prælectionibus publicis; his in Gymnaſio peractis, unicuique conceditur docere privatim, ſi tamen ea doceat, ad quæ docenda conductus eſt, quæque ſignantur in Rotulo. Hæc è ſede Gymnaſtica explicatum euntes, eodem Reſcripto vetantur comites habere diſcipulos, eorumque officioſa conſociatione deduci; ne nimirum Juventus ſtudioſa avertatur ab antecedentibus ac ſubſecuturis Prælectionibus. Has habendas eſſe diebus in Diario propoſitis horiſque deſignatis, quæ jubentur ſervari ad amuſſim ab omnibus, ità, ut ei, qui horâ ſecundâ docet, non liceat in ſuggeſtum aſcendere, niſi peractis horæ primæ Diſſertationibus omnibus: idque etiam tertiæ horæ Magiſtris præſcribi, dicitur. Univerſim autem ii, ad quos ex officio ſpectat provehendos ad lauream probare, quoſque vocabulo Gymnaſtico *Promotores* appellabimus, moven-

moventur, ut quæ duo probando Diſcipulo defendenda ſortito capita data ſunt, (*Puncta* dicimus, dicemuſque,) utraque propoſitis argumentis impugnent.

1655. 2. Novembris. Reſcriptum Triumvirale poſtquam ſervandum edixit, quod Senatuſconſulto anni ejuſdem 18. Auguſti vetitum eſt, pœnis ibi propoſitis, ne Promotores ſe invicem ſubſtituant ex arbitrio, ſtatuit, eos, qui Candidatorum examinibus, quamvis impediti legitimè, non interſunt, omni inde percipiendo lucro eſſe multandos ex Senatuſconſulto 24. Septembris 1636.

1657. 26. Maii. Senatuſconſulto decernitur, ne quis Patavinus ad majores tertiis Exedris provehatur, ni experimentum ſui fecerit in tertiis ſaltem triennio. Has tertias Sedes fuiſſe Civibus ab origine Patavinis obligatas, ſtatutumque, ne ſtipendium earum Florenorum 20. augeatur, conſtat ex S.C. an. 1465. 28. Januar.

1660. 6. Octobr. Triumvirale Reſcriptum poteſtatem facit Præſidi Collegii Gymnaſtici, cùm illi more legitimo fas eſt à cœtibus Profeſſorum abeſſe, nominandi ſibi Vicarium: at unà vetat Vicarium hujuſmodi ſe ipſum ſubſcribere Præſidem in Actis publicis, monetque, uno Pro-Præſidis titulo eſſe contentum.

1664. 16. Maii. Duo nobis proponunt decreta Triumviralia, quorum altero interdicitur Profeſſoribus Publicis intra Scholaſticum quadriennium Diſcipulos explanatione Punctorum imbuere; altero Privati Profeſſores, qui ſe magiſtros extra Gymnaſium autumant, vetantur ullo unquam tempore in hujuſmodi Punctis diſcipulos exercere. Additur, ab Univerſitate Doctorum, qui publicis ſtipendiis merent, tres eſſe legendos Profeſſores, nimirum Publicos, qui hoc ipſum officium circa Puncta ſtudioſæ impendant Juventuti poſt exactum in Gymnaſticis diſciplinis quadriennium.

1664. 30. Julii. Reſcripto Triumvirali lis inter Artium Doctores, qui 1. & 2. loci extra Ordinem docent, exorta componitur, ſtatuiturque, ut primi loci Doctores præeant, ſequanturque, qui ſecundas Exedras obtinent: iſque ordo in anteceſſione ſervetur, quem Profeſſorum Catalogus ſeu Rotulus exhibet.

1664. 29. Septembris. Repetitis Triumviri Reſcriptis jubent I. cogi Profeſſores in unum, eiſque non ſine pœnarum infligendarum terrore indici obſequium Senatuſconſultis, ac Reſcriptis Triumviralibus debitum, eorum præſertim, quæ damnant ſubterfugientes obligatum officium Prælectionibus Publicis, quive fidem fallunt in teſtimoniis, quæ diſcipulis pro præſcripto literariis curriculis penſo dantur. II. Imperant Doctoribus, ut intra materias propriis diſceptationibus aſſignatas contineant ſe, nec in alienas invadant; ſuas ità diſtribuant, ut intra quinquennium plenè, planèque ſcientiam, quam profitentur, abſolvant. III. Decernit ordinem Promotorum in conferendis inſignibus ab ætate deſumendum, ut ſenior juniorem antecedat, funganturque eo munere unus poſt alium, donec ad ſeniorem redeat. IV. Vetant, ne ſub quolibet prætextu provehendorum ad lauream ſumptus augeantur. Demum conſtituunt, ut Diſcipuli domi à Magiſtris exerceantur, utque, more majorum, quem ſummoperè laudant, Theſes habeantur, ac ſe Profeſſores abſtineant à docendorum intra quadriennium Punctorum corruptela penitus execrabili. Confirmant in fine, quæ ſanxerat reſcriptum ſuperius notatum ejuſdem anni menſe Majo.

1664. 19. Decembris. Senatuſconſulto alius à proximè decreto per Triumvirale Reſcriptum in *Promotoribus* ordo præſcribitur, ex lege lata 26. Septembris 1636. ut ſcilicet pro Sedium dignitate Profeſſores viciſſim Diſcipulos provehant.

1665. 21. Martii. Quò malo publico, damnatoque toties ſceleri Puncta privatim docentium Senatus occurrat, ſancit, quotannis ut Profeſſorum Univerſitates, ſuffragatione pro ſe quæque peculiari Magiſtros eligant octo, Jureconſultos ſcilicet quatuor, totidem Artium Doctores: hos Præſides Gymnaſtici Triumviris literariis proponant, quorum juſſu, horum duo ex utraque Claſſe onus publicum ineant privatis exercitationibus diſcipulos excolendi, uno alteroque menſe antequam examinis diſcrimini ſe ſubjiciant; ſi tamen ſtudiorum curriculum præſcriptum ſe peregiſſe probaverint, atque ex legibus poſſint ad Magiſteriorum gradus adſpirare. Eo anno peracto, qui hoc ſubierint onus, vacent per annum, eliganturque alii modo eodem hoc ipſum officium Diſcipulis præſtituri. Illud Profeſſoribus reliquis præſtare non liceat. Si qui contra faxint, aut in docendis Punctis tempus, modum, aut facultatem auctoritate publica dandam exceſſerint, ſummatim atque compendio à Triumviris puniantur. Salva tamen poteſtate, quæ Profeſſoribus Publicis jure conceditur, exercendi eadem ratione diſcipulos per dies quindecim ante Doctoratum, uti lex Senatûs conſtituit an. 1614. 6. Decembris.

1671. 23. Februarii. Edicto Triumvirali, quæ ſæpè aliàs decreta ſunt, inculcantur: Profeſſorum eſſe, ut privatim, quæ ad ſuas Tractationes pertinent, prælegant eo tamen

tempo-

tempore, quo nulla prælectio in Gymnaſio proponitur; quò facilius diſcipuli, pleniùſque ſcientias adipiſcantur. Ut nemini liceat, horis, quibus in Gymnaſio docetur, domi privatim docere, ne quâ parte conventus Gymnaſtici, concurſuſque ad publicas Prælectiones, minuatur. Ut Profeſſores caveant, ne quacunque ex cauſa vel nomine quolibet ſumptus diſcipulorum augeatur.

1671. 6. Maii. Interdicto Triumvirali vetantur Metaphyſicorum, & Paginarum Sacrarum Interpretes, præſentibus Theologis, quemquam ad gradus Magiſtrorum provehere; ſanciturque id illis non licere, niſi cùm Theologiæ Magiſtri omnes non adſunt.

1673. 25. Januarii Senatuſconſulto iterum recuduntur jam cuſa, ſtatutaque aliàs. Ne quis ad lauream à Profeſſoribus provehatur, niſi ex teſtimoniis jurejurando confirmatis, legitimamque ſtudiorum periodum comprobantibus: ne quis Punctorum ſcelus admittat, ſub pœna, quæ Triumvirorum arbitrio committitur. Utque Profeſſores omnes, quas Paginâ docendas materias propoſuerint, totas plenè percurrant.

1673- 24. Septembris. Reſcriptum Triumvirale Profeſſores admonet officii fidei publicæ debiti in ferendo teſtimonio diſcipulis de morâ gymnaſticâ. Jubet, hæc teſtimonia clara eſſe, nulla æquivocatione captioſâ, quò pateat clarè eos, qui ad Inſignia Doctoratûs provehendi ſunt, prælectionibus publicis interfuiſſe ſtatuto legibus tempore, citra quod ad præmia virtutis & honores ſcientiarum non ſunt idonei. Hos ut digniùs aſſequantur, jubentur Profeſſores iterum, quæ ad ipſos pertinent, privatim exponere.

1674-7. Martii. Novo Senatuſconſulto confirmantur decreta An. *1654*. *16*.Januarii, *1655*. 18. Auguſti, *1665*. 21.Martii, ac jubetur inquiſitio adverſus eos, qui Publici Profeſſores auctoritate privatâ Puncta Diſcipulis explicant. Eorum explanatio ſolis Profeſſoribus per Triumviros deſignatis demandatur, & quidem habenda legitimo tempore, atque ad exercitationem diſcipulorum illorum, qui debitum ex legibus tempus Diſciplinis impenderint. Iidem Profeſſores monentur, ut præter lectiones ſignatas in pagina, nihil exoticum doceant; toto autem anni tempore ſignatas doceant, atque illas ipſas, quas publico uſui proponunt ab Exedris; caveantque omnino, ne alter in alterius meſſem invadat. Hinc illis moram in urbe præſcribit; multatque lucro è ſtipendiis percipiendo, ni conſtet legitimo teſtimonio data opera Prælectionibus publicis ex diario per ſingulos menſes. Lucro quolibet, munere, pecuniâve exigendâ quocunque prætextu à provehendis interdicit Promotoribus omnibus, quos jubet eſſe contentos portione Depoſiti, quæ illis jure debetur. Prævaricatoribus pœnas ex arbitrio Triumvirorum ſancit, quas producit etiam ad illos, qui lauream non ex gravitate Magiſtrali, quam ea functio ſeria poſtulat, ſed Oratorio apparatu contulerint. Denique ſeveriſſimè pœnam dicit, adimitque ſtatim Profeſſoris munus iis, qui Patronos ſe dixerint Nationis cujuſcunque Scholaſticæ niſi ea Germanica ſit, cui ob imperitiam linguæ Patronum ex Profeſſoribus aliquem habere permittit. Hæc eadem ſervari jubentur Decreto Triumvirali recentiore Anni *1694*. 11. Decembris.

1674-3. Junii Reſcripto Triumvirali ingreſſus Collegii interdicitur omnibus ſine abollâ, togâve, quam dignitas muneris exigit. Si quis non togatus his cœtibus interfuerit, is jure ſuffragii ferendi privandus, aliiſque per leges Gymnaſticas feriendus pœnis edicitur. Additur, teneri omnes ſupplicationi, quæ ritu ſolemni quotannis cultui D. Antonii ſacra eſt, intereſſe ex præſcripto legis Gymnaſticæ. Si legitimum adſit impedimentum, abſentes teneri ad eadem ſolemnia facem mittere.

CAPUT XI.

Onera Profeſſorum recentioribus Conſtitutionibus confirmata vel innovata ad Annum 1687.

An. *1677*. 23. Octobris. Reſcriptum Triumvirale, quæ legibus adverſus Punctorum Mangones, quæque deprivatis diſciplinarum ſuarum explicationibus, cùm ſilet Gymnaſium, decreta ſunt toties, inculcat; jubetque in eos, qui peccant, inquiri.

1679. *26*. Januarii. Reſcriptis Triumviralibus duobus indicitur Præſidibus Collegiorum cæteriſque Doctoribus publicis, ne quam fœminam, cujuſcunque ea conditionis cenſeatur, inconſultis Triumviris, vel invitis, ad lauream admittant, neu quid agant, quod ad hoc ipſum facere videatur. Iiſdem fides præcipitur præſtanda in teſtimoniis, quę perhibentur diſcipulis, probaturis interfuiſſe ſe aſſiduè Prælectionibus publicis.

1679. 28. Octob. Multa decernunt Triumviri edicto propoſito. I. ut nemini liceat in eâ,

quam leges vetant, doctrinâ Punctorum diſcipulos exercere, quatuor illis exceptis, quos Triumviralis auctoritas ad id munus elegit. II. ut Profeſſores ad normam Diarii publici doceant, & cum adminiſtratur Anatome, & cùm Botanicus Hortus recluditur. III. ne quem ad lauream ſiſtant Præſidibus, neu conferant laureas ipſas, niſi diebus extraordinariis, & quidem poſt habitas in Gymnaſio Prælectiones. IV. Cum primùm Profeſſores novi Cathedras ineunt, primaſque publicè ad Auditores diſſertationes habent, ut ii ſolùm triduo vacent, qui eadem horâ idem argumentum tractant, & *Concurrentes* vocabulo Gymnaſtico nuncupantur. Quod ſi contingat, ex pluribus in eadem Doctorum Claſſe aliquem ad exedram aliam transferri, ſemel tantum vacare *Concurrentibus* liceat. V. Ut ii, ad quos ſpectat privatim docere diſcipulos, ea doceant dumtaxat, quæ in Gymnaſio profitentur, nec alibi, quàm in Gymnaſio Theſes defendendas exhibeant. VI. ut quæ in generalibus recitationibus, ſeu prævio examine, quo diſcipulis ineundi pro Doctoratu diſcriminis poteſtas fit, teſtimonia perhibentur à Profeſſoribus, ab iiſdem præſentibus ſubſcribantur; quos interim admonent, ut in teſtimoniis pro literariis Trientibus dandis, fidem ſervent, ſinceram, & incorruptam, interminati peccantibus pœnas.

1679. 15. Decembr. Obſequium legi latæ *1665* - 21. Martii præſtandum inculcat Triumvirale Reſcriptum, quo liceat Profeſſoribus diſcipulos in Punctis exercere diebus quindecim tantùm ante Doctoratum eo modo, qui eâ lege præſcribitur. Eodem contextu, quod in parte poſtrema Edicti proximi de ſubſcribendis Recitationibus Generalibus conſtitutum eſt, explicat, docetque eas eſſe ſubſcribendas etiam à Profeſſoribus illis, qui adverſus diſcipulum ſuffragium tulerint; poſſe tamen illos in ipſa ſubſcriptione diſſenſionem ſuam annotare, ſi velint: quæ, ſi numerus major ſuffragatorum Candidati jura probaverit, nihil operabitur, quominus ad Doctoratûs aleam ſubeundam Candidatus admittatur.

1680- 16. Januar. Hoc habet Triumvirorum epiſtola. Non patiantur Profeſſores ſe à diſcipulis ad Gymnaſium deduci, abducive inde; ne hi à Prælectionibus aliorum avertantur. Iidem ex officii fide teſtimonia literariorum Trientium perhibeant Diſcipulis, qui ſingulis Trientibus Auditores ipſorum fuerint, ſi tamen id aſſiduè præſtiterint.

1680- 5. Febr. Triumvirale Reſcriptum conſtituit, ea teſtimonia deinceps ab illis dumtaxat Profeſſoribus danda eſſe, quibus id juris lege 1655-18. Auguſti fit, Extraordinariis quoque Profeſſoribus excluſis.

1680-23. Maii Reſcripto Jubent Triumviri, cum aliquando Præſidi Collegii Gymnaſtici à Magiſtratu poteſtas fit conferendæ extra ordinem Laureæ, eum illi ſubſtitui Profeſſorem, qui proximam illi Exedram obtinet.

1680-28. Octobris. Vetant univerſim Triumviri Profeſſores docere Puncta, ſi ex quatuor illis non ſint, quos ad id oneris publica poteſtas elegit, quique non alios doceant, quàm qui quadriennium Gymnaſio frequenter impenderint; atque illa omnia peregerint, quæ debent ex legibus. Monent Profeſſores deinde, ut ex Diario doceant, ſubſcribant datas facultates in Recitationibus generalibus, teſtimonia pro litterariis Trientibus ex fide publicâ faciant.

1680-28. Novembris. Conſtituunt ex Reſcripto Triumviri, ſi quando principes Exedræ vacent; atque adeo ſenarius Profeſſorum numerus ad Generales Recitationes deficiat, primis Exedris ſecundas ſuffici, earumque implere vices, ut ſemper ſex Profeſſores Recitationibus hujuſmodi adſint ex legum præſcripto.

1680-18. Decembris. Sanciunt Reſcripto Triumviri, Prælectiones ad diem D. Antonio Abbati ſacram protrahi; eâque Anatomes adminiſtrationem iniri. Majorum verò Jejuniorum tempore Prælectiones haberi ad diem in Diario ſignatam; nec niſi diebus, quibus Exedræ Gymnaſticæ otiantur, Theſes propugnandas proponi. Si quis contra quid fecerit, ejus eſſe ſtipendia differenda, donec Triumviratus indulgeat.

1681- 30. Januarii. Ex Reſcripto Triumvirali, Profeſſores cùm diſcipulis poteſtatem faciunt, ut Doctoratûs diſcrimen ſubeant, non aliis faciant, quam qui omnibus literariis Trientibus publicas aſſiduè prælectiones audierint; idque legitimis teſtimoniis probaverint.

1681-7. Martii. Ex Reſcripto Triumvirali, Eſto Præſidis onus, ut de teſtimoniis literariorum Trientium cognoſcat.

1681-19. Martii. Ex Reſcripto Triumvir. Teſtimonia, quæ diſcipulis perhibentur, ſubſcribantur à quatuor Profeſſoribus Publicis, quorum duo ſaltem in primis, vel ſecundis Exedris profiteantur, quo ſoli Tertiani, quos urbanos dicimus, excludantur. Hæc teſtimonia ex decretâ formulâ typis edita ſunto; nec ante ad probationem recipiantur, quam ſubſcripta ſint à Collegiorum Præſidibus.

1682- 3. Octobris. Plura Reſcripto Triumviri decernunt. Ut Profeſſores, cùm publicè Theſes habentur, interſint: ut horis certis, & in Diario ſignatis Prælectiones ſuas habeant accuratè, ſuæ quiſque horæ tempus ità diſtribuens, ut quadrantes tres docendo inſumat, quod reliquum eſt encyclicis diſceptationibus, ſi quæ habebuntur, impendat. Ut qui auctoritate publica in Punctis diſcipulos exercent, quindecim ante Doctoratum diebus, non excedant fines ipſis traditæ facultatis: ſi deliquerint, norint, ſe certiſſimè caſtigandos, præſtituroſque aliis exemplum, quo conſtet nunquam licitum fore, id ut munus ultra dies quindecim exerceatur, aut cum aliis ab iis, qui identidem ſe proximè præparant ad Doctoratûs Inſignia. Ut ii, ad quos attinet Recitationibus Generalibus intereſſe, ſiquidem abſint, ſportulę lucro multentur. Ut in exitu trientis literarii cujuſque edantur à Profeſſoribus teſtimonia diſcipulis, qui eorum Prælectionibus interfuerint. Ut Preſes ea teſtimonia ſubſcriptione ſua muniat die tantùm quarto, vel ſexto à fine trientium, quò certiùs appareat conſtans diſcipuli mora Patavii.

1682- 12. Novembris. Ex Reſcripto Triumvir. Non liceat Profeſſoribus auditum ire aliorum Profeſſorum Prælectiones, ni prius defuncti ſint ſuis. Præfationes eorundem, cum primùm Exedras ineunt, habeantur horarum Gymnaſticarum in fine, diebuſque extraordinariis, vel Feſtis minoribus, ne publicæ Prælectiones interturbentur. Nulli Profeſſorum fas eſto, aut quæ alii tractant, aut privatim horis Gymnaſticis docere. Idem jubetur Reſcripto 1687- 25. Novembris.

1682- 7. Decembris. Reſcriptum Triumvirale inculcat, ut ex Diario, & diebus ibi notatis, tractationes ſibi commiſſas quiſque doceat.

1683- 12. Auguſti ex Reſcripto. Interdicitur Profeſſoribus illis, ad quos pertinet dare teſtimonium quadrienii diſcipulis, id ullo modo prȩſtare, vel ſubſcribere, ni prius Cancellarius ad id conſtitutus ſubnotaverit in ſchedula typis excuſa, diſcipulum per menſes octo & quadraginta in Matriculis fuiſſe Gymnaſticis. Si quis contra faxit, multatur Exedrá ſuá, aliiſque pœnis obnoxius edicitur ad Triumvirorum arbitrium.

1684- 1. Novemb. Ex edicto Triumvirali. Puncta docere permittitur nemini, niſi ex iis quatuor ſit, quibus hæc poteſtas à Magiſtratu delegatur, quibuſque illos dumtaxat ad hanc exercitationem recipere liceat, qui Studiorum curriculum confecerint, atque eo tantùm tempore, quod leges præſtituunt. Jubentur cæteri ex Diario prælegere, nec niſi extraordinariis diebus, & poſt lectiones Doctoratûs examen habere, Inſignia conferre. Ea privatim docere diſcipulos, quæ publicis explanationibus illuſtrarunt; nec niſi aſſiduis Auditoribus ſuis teſtimonia perhibere, aut quadriennii fidem facere, niſi diſcipulis illis, quos certò ſciunt, quod debent Gymnaſticis trientibus, & Matriculis, prȩſtitiſſe.

1685- 7. Martii. Ex reſcripto Triumvir. Indicitur extraordinariis Profeſſoribus prȩlectiones habere à die D. Thomȩ Aquinati ſacra, eaſque continuare, quamvis Ordinarii vacent. Reliquis interdicitur univerſim teſtimonia trientibus dare, niſi pro diſcipulis, qui reipſa prȩſentes ſint, & aſſiduè Prælectionibus interſuerint. Prȩvaricationi minæ intenduntur poſt multam muneris interdicti. Idem ex Reſcripto anni ejuſdem 7. Maii.

1685- 22. Septembris. Reſcriptum Triumvir. ſancit, quod An. 1682. 3. Octobris in eos, qui recitationibus generalibus ex non legitima cauſa ſe ſubducunt. Hos iiſdem pœnis obnoxios dicit, & aliis functionibus Doctoratûs, in quas peccarunt, abſtinendos. Repetit deinde, quȩ, quod attinet ad exercitationem Punctorum iterum, iterumque, ac toties decreta, ſancita ſunt à Senatu. Jubet Profeſſores edere paginam eorum, quȩ docturi ſunt; monetque, ut caveant à novis opinionibus ex profeſſo aſſerendis, aut defendendis, ne Doctrina in Gymnaſio moribus obtinens perturbetur. Tempus, quod Prælectionibus horariis ſupereſt, encyclicis diſceptationibus dandum decernit. Fidem in teſtimoniis interponendam pro Scholaſticis trientibus exigit; nec patitur trientibus hujuſmodi finem imponi, ni lectiones ex diariis, & paginis in ſolidum abſolvantur. Hoc idem pluries decernitur Reſcriptis 1690. 22. Octob. 1692. 29. Octob. 1694. 30. Octob. 1695. 29. Octob. quò videlicet mos malus ante legitimum tempus impediendi vetandique lectiones per fragores, ac ſtrepitus diſcipulorum importunos tolleretur.

1686- 27. Februar. Ingerunt Triumviri novo Reſcripto, quod proximè decreverant in Profeſſores, qui recitationibus generalibus non interſunt. His eſſe ſufficiendos ſequentes in Rotulo, qui quod abſentibus debebatur, lucrum faciant, ut ſex Profeſſores examini hujuſmodi adſint, ac cæteris functionibus Doctoralibus, donec Diſcipulus lauream conſequatur.

1686- 2. Martii ex Reſcripto. Jubetur Artis Chirurgicȩ Profeſſor, quam docet, oſtenſionem diſcipulis exhibere, eoſque quaſi manu ducere ad utiliſſimam praxim poſt habitas Prȩlectiones.

CAPUT XII.

Onera Profeſſorum reliqua, ad Annum, quo ſcribimus ex Senatuſconſulto, & Reſcriptis.

1687- 30. Januar. EX Reſcripto Triumvir. Profeſſoribus utriuſque Univerſitatis proponitur formula Magiſtralis, ex qua lauream conferant his verbis: *Ergo, Egregie adoleſcens, injuncto mihi munere defungens, doctorali Pileo pro laurea Corona, in Dignitatis, quam adeptus es, ſignum, tua redimio tempora. Libros clauſos mox recluſos exhibeo, & hunc locum tibi aſſigno, ut valeas plurimos erudire: aureo annulo digitum tuum exorno in Symbolum æternitatis ac fidei. Addo tandem oſcula & amplexus pro teſſera pacis. Deus te &c.*

1687- 27. Junii. Corrigitur Triumvirali Reſcripto, quod jura priora receperant, ut ex Rotulo Promotores ad lauream dicerentur. Statuitur, ut deinceps ſacculi habeantur duo, in quorum altero ſint nomina Profeſſorum primarum ſedium, in altero reliquorum; & à Præſide primùm è Primorum Sacculo ſorte nomen extrahatur Profeſſoris ad lauream, ita ut unus poſt alium, ſortitione propoſitus, eo munere defungatur; mox ordine eodem ſecundus exhauriatur ſacculus Exedrarum minorum, donec ſinguli vicibus quiſque ſuis, Promotoris officium exerceant, redeat deinde ordo idem uſurpandus perpetuò. Hoc igitur extrahendi Promotores ad lauream Præſidis munus eſt, maloque more apud Juriſconſultos hoc decretum Triumvirale corrumpitur.

1687- 4. Auguſti. Ingerunt iteratò Triumviri, quod ſancitur Decreto 1674- 7. Martii, ut nihil oneris, impendiive inferatur lauream recepturo præter Depoſitum, quod more, & conſuetudine præſcripta jampridem obtinet. Ut laurea non niſi ex formula data, ſine oratorio apparatu phaleriſque rhetoricis conferatur. Idem Reſcripto 1687. 29. Novembr.

1688- 21. Julii. Ex Senatuſconſulto vetantur duo Patavini eandem Materiam in Gymnaſio publicè profiteri. Hoc eſt, ut phraſi utamur ſcholaſticâ, eſſe *concurrentes* in eâdem materiâ. Hæc lex antiquiſſima eſt. Indulſit deinde Senatus Patavinorum precibus exoratus An. 1479. ut ab ea quadantenus recederetur; ſtante tamen Statuto Gymnaſtico, dummodo in Exedris Ordinariis Exterorum unus profiteretur. At ea indulgentia ex hoc Senatusconſulto penitus aboletur.

Poſt hæc eodem Senatuſconſulto decernitur, ut deinceps duæ Anatomęs Exedrę cum duabus Chirurgicis conjungantur ita, ut ex quatuor duæ ſint: ut Profeſſor Primarius Practicæ, vel Theoricæ Medicinæ gratis abſque ſtipendio prælegat, quæ pertinent ad Tractatum de pulſibus & Urinis: Ut ſedes de Regulis Juris, ſi Triumviris neceſſaria, vel utilis Juventuti ſtudioſæ videbitur, conjungatur cum alia Civili, quæ Regulas Juris Civilis enucleet ſine ſtipendio.

1688- 25. Novemb. Ex Reſcripto Triumvir. Iis Profeſſoribus, quibus id muneris demandatum eſt, liceat ſolis Puncta docere: hi autem legibus pareant, eaque illos dumtaxat diſcipulos doceant, qui proximi ſunt diſcrimini pro laurea ineundo. Profeſſores reliqui, pro ſe quiſque, in argumento, quod publicè tractant, horis, quibus Gymnaſium vacat, docendo privatim verſentur. Omnes ex Diario Gymnaſtico publicè doceant; nec ad didaſcalicas functiones quemquam recipiant, niſi extraordinariis diebus poſt lectiones. Solis in eadem ſociis, *Concurrentibus* nimirum triduo vacare liceat, cùm novi Profeſſores primùm Exedras ineunt. Si ex una transferantur ad aliam, cùm primam habent prælectionem, ſemel id tantùm Concurrentibus permiſſum eſt. Omnes autem ex Formula data, & decreto propoſita Doctoratûs Inſignia tradant.

1689- 6. Februar. Ex Reſcripto Triumvir. Circulis Diſcipulorum habendis tempus præſtitutum eſt, quod ſupereſt horæ publicis prælectionibus: in privatis verò ac domeſticis lectionibus ſtatuta per leges tempora ſerventur, quemadmodum & in Theſibus publicè proponendis, diſceptandiſque.

1689- 1. Decembr. Ex reſcr pto Triumvir. Nulli Profeſſorum liceat, ab onere prælegendi publicè ſe excuſare ex peculiaribus impedimentis privatorum negotiorum. Una eos excuſat morbi cauſa, probanda Viatorum, Medicorumque teſtimonio. Idem decernitur eod. An. 6. Decembris.

1691- 27. Februarii. Cùm Theſes publicis diſceptationibus exponuntur, ea ſemper exponantur, quæ Scholaſticis Argumentis conſentanea ſunt, & ad ſtudioſam juventutem erudiendam pertinent; viteturque ſententiæ, quarum pertricoſa, difficilis, aut periculoſa tractatio eſt.

1695-

1695- 13. Januar. Ex Reſcripto Triumvir. Ex obligatione, quam habent Profeſſores, interſint Supplicationibus publicis; pareantque in hac parte Statutis Gymnaſticis.

1695- 4. Aprilis. Ex Triumvirali Decreto. Profeſſores apud ſe cuſtodiant ſchedas typis impreſſas ad teſtimonia pro literariis Trientibus excipienda: in illis manu propria nomen, & cognomen, ac Patriam diſcipuli, cui ea præſtant, inſcribant, atque etiam tempus, quo eadem perhibent. In fine autem Trientis cujuslibet catalogos duos edant, annotentque nomina diſcipulorum, quibus ea teſtimonia conceſſerint; atque horum catalogorum alterum tradant Rectoribus Urbis ad Triumviros Venetias tranſmittendum, alterum Cancellario, ut nomina in librum publicum regerat ad Quadriennii probationem. Præſides, tum Juriſconſultorum, tum qui Artium Magiſtris præſunt, cùm Diſcipuli teſtimonia illis facta ſubſcribenda, recipiendaque offerunt, ea apud ſe detineant per dies octo, neque illa diſcipulis reſtituant, nequid vitii obrepat, ſed illa Cancellario tradant, in linea officii ſui cuſtodienda.

1696- 22. Julii. Ex Edicto Triumvir. Caveant Profeſſores ab inducendis novis moribus in ea, quæ pertinent ad Doctoratûs; intelligantque nullam ſibi eſſe poteſtatem indulgendi, vel Depoſitum minuendi contra Decretorum auctoritatem publicam, ac immemorabilium conſuetudinum normam.

1697- 31. Julii. Ex Decreto Triumvir. Nefas eſto Præſidibus quidpiam quadantenus novare circa mores, qui hactenùs obtinent in ſuffragationibus Doctoratuum Collegii Gymnaſtici: ſed ſervetur, quod conſuetudine ſancitum eſt.

1698- 21. Junii. Ex Senatuſconſulto. Caveant Triumviri Moderatores Gymnaſii, ne quid Profeſſores in exhibendis Trientium literariorum teſtimoniis negligant: decreta ad id proponant, quibus occurrant prævaricationibus, certaque fiat mora legitima Diſcipulorum in Gymnaſio; quo conſtet, eos interfuiſſe Prælectionibus publicis tempore per leges præſcripto.

1698- 22. Junii. Ex Reſcripto Triumvir. Profeſſoribus publicis Inſtitutionum liceat ferre teſtimonium moræ Gymnaſticæ diſcipulis pro primo, & ſecundo anno. Annis ſequentibus ea teſtimonia legitima ſint, quæ tulerint Canonum, Juriſque Civilis Interpretes Ordinarii, primi ac ſecundi loci, ex Decreto Anni *1655*- 18. Auguſti. Quod attinet ad Artium Doctores. Anni primi teſtimonia ferant Logicæ Profeſſores primi, ac ſecundi Ordinis, Anni ſecundi Profeſſores Philoſophi, & Anni tertii, quarti, quinti Profeſſores Ordinariæ Medicinæ.

1701- 30. Maii. Ex Decreto Triumvir. Profeſſores teſtimonia Trientium concedentes ante integram Prælectionum, & à legibus præſcriptam periodum, ſeverè puniuntor.

1702- 24. Aprilis. Ex reſcripto Triumvir. Ex Ephemeride gymnaſtica integrè Prælectiones habeantur: quod ſi has diſcipuli ſtrepitu, ac pulſationibus importunis, aut inſolenti tumultu interturbaverint, illis teſtimonia Trientium denegentur. Idem ex ſimili 1702. 13. Maii & 1703- 11. Martii.

1703- 1. Martii. Ex Reſcripto Triumvir. Profeſſores, quos ad ſedem ſuperiorem Triumviralis auctoritas deſignavit, in eadem, in qua ſunt, munus proſequantur ſuum, donec Senatuſconſulto, quod Triumviri deſignarunt, ſanciatur.

1703- 11. Martii. Ex decreto Triumvir. Si Profeſſores integros Trientes Gymnaſticos Prælectionibus ex Diario minimè impenderint, multantor ſtipendio à die, qua ceſſaverint ad finem Trientis cujuslibet.

1703- 11. Aprilis ex Reſcripto Triumvir. Nullus Profeſſor audeat, aut Collegium ingredi, aut in Exedram aſcendere non togatus more Doctorum. Idem 1704. *16* Maii. Idem 1713. 8. Octobris; additurque idem ſervandum in ſupplicationibus S. Catherinæ, & D. Thomæ Aquinatis, & in Recitationibus Generalibus.

1711- 8. Octobris ex Senatuſconſulto. Præſidibus non liceat, quenquam ad lauream in Collegio Gymnaſtico reportandam admittere, niſi examine prævio natalia probaverit ſua, ac legalibus teſtimoniis comprobaverit Patriam ſuam: ut ſoli Greci, Tranſmarini, & pauperes poſſint in eo collegio conſequi Doctoratus Inſignia.

Præſidibus iiſdem non liceat ex titulo Paupertatis quenquam admittere, ſi Depoſitum exhibuerit; ſteturque Senatuſconſulto *1636*. 24. Septembris.

1714- 7. Martii. Triumvirale Reſcriptum Senatuſconſulto 1711. 8. Octobris neceſſariam explicationem apponit, auctoritate, qua fungitur, ut venerabilis Decreti ſtrictæ interpretationi, qua Privilegia Nationum multarum læduntur, & manifeſtum Gymnaſio damnum infertur, occurrat. Quamobrem, ſalvo eo Senatuſconſulto, aliiſque vetuſtioribus, ſtatuit, exteros omnes admitti poſſe, ſi ea probatione, quæ in Senatuſconſulto decernitur, exteros eſſe conſtiterit.

M 3 CAPUT

CAPUT XIII.

De Privilegiis Profeſſorum.

PLeraque, ac præcipua Privilegia Profeſſorum ab ultima origine Gymnaſii legibus, ac perenni more ſancita ſunt, confirmanturque in ſtatutis utriuſque Univerſitatis, quæ quidquid habet prærogativæ, juriſve ſingularis in Præceptores ſuos refudiſſe videtur: ita dictante Natura, teſte Philoſopho, pluries effato: propter quod unumquodque tale, & illud magis: cui adſtipulatur legum ſententia docens, eorum, quę invicem referuntur, unam eandemque rationem eſſe cenſendam. Hinc quæcunque Privilegia Matricula Diſcipulorum continet, ea omnia, quâ parte convenire Magiſtris poſſunt, his & debentur olim, & præſtantur etiamnum.

Cenſentur ergo exempti ab omnibus muneribus, & oneribus publicis, ab omnibus vectigalibus, tributis, portoriis, angariis, & parangariis, tranſitu fluviali quolibet, atque aliis, quæ, quia proſtant ineditis Diplomatibus Matricularum, & cuilibet Diſcipulo quotannis conceduntur, non eſt operæ pretium pluribus proſequi; præſertim cum diplomata illa propoſuerit etiam Tomaſinus(1), à cujus dictis, cùm non videntur operi noſtro uſui eſſe, ex propoſito ejuſdem operis abſtinemus. Ex hac à vectigalibus immunitate ad hanc diem obtinet jus importandi Patavium quidquid ad alimenta cum Profeſſorum, tum ipſorum Familię neceſſarium, aut utile eſt, carnes, fructûs, frumentum, ligna, fœnum, alia omnia, quæ victui ſerviunt, & quidem ſine onere ſolvendi, quod pro his ad portas urbis à Civibus Patavinis exigitur. Quippe ſyngraphâ teſtatus Profeſſor ſuum eſſe, quod infertur, ab oneribus abſolvit communibus, & immune penitus efficit.

(1) lib. 1. c. 43. p. 144. 145.

Ne tamen benigniſſimi Principis munificentia fraudi locum faciat in iis, quorum immunitas dolo vitiata vectigalibus publicis graviori damno eſt; prudenter conſultum, ut immunitas taxaretur. Hinc ex priſco decreto, quod mos quotannis confirmat, Profeſſori cuique dolia vini meraci decem, cadi nimirum centum, immunes vectigali vinario conceduntur, ſeptem autem cum dimidio modii Veneti farinæ immunes tributo piſtrini; caveturque, ne in reliquis quid quis peccet, ſuoque ſub nomine quidquam immunitatis hujuſmodi transferat in alios, quorum nullum eſt Privilegium.

Stipendia publica menſtruis ſolutionibus cuique tribuuntur pridie Idus, vel Idibus ipſis menſis cujuslibet; eaque merces ſunt peracti laboris itidem menſtrui. Solutio fit ex arca Gymnaſtica, quæ peculiariter Profeſſoribus ſolis, Alumnis Collegii Græci patet, aliiſque, qui ejus Collegii nomine pecuniam publicam exigunt ex Senat. Conſulto 1681 - 3. Julii. Idem univerſim ſancitur pro ſumptibus neceſſariò vel utiliter faciendis ad cuſtodiam, aut incolumitatem Gymnaſii, cui arcæ Gymnaſticæ dives Ærarium obligatum eſt adeo, ut quod alibi diximus, ſanctione auguſti Senatûs cautum ſit, ne cuiquam illam tangere, vel diminuere, ne ipſi quidem Præfecto Patavino, liceat, quem pœnæ nomine, ſi quid contra faxit, ubi redierit in Patriam, à ſuffragationibus abſtinet Senatoriis: quippe Reipub. Venetæ ea olim ſententia eſt, ut Gymnaſticis duntaxat ſumptibus ſuppetat arca Gymnaſtica, nec Profeſſoribus decreta ſtipendia minuantur, diſferanturque. Hinc ſi quando his perſolvendis impar ea arca fuit, illam Senatus illata aliunde pecuniâ decretis munificentiſſimis auxit. Nam anno 1614 - 31. Martii ob hanc illi cauſam vectigal Benemeritorum adjecit per annos novem; eodemque anno 16. Octobris novo decreto antecedentem conceſſionem prorogat, atque infert in Ærarium Gymnaſticum cenſus pecuniarum, quæ colliguntur è multis.

Quid! quod ſubſidium extra ordinem in arcam intulit è publico Ærario iterum iterumque An. 1651. 10. Auguſti 1653. 30. Januar. 1654. 6. Januarii, quo certiùs ac munificentiùs ſtipendia Profeſſoribus tribuerentur. Hæc omnibus ſolvi jubet ex æquo, eodemque tempore, ac ſine mora, an. 1660. 19. Novembris 1681. 2. Julii. Eadem ſolemnibus Decretis an. 1664-4. Februarii, & 29. Martii omnibus decumis, taxationibus, collationibus, reliquis quibuſcunque oneribus immunia pronunciat. Idem ſancitur Senat. Conſulto 1716. 7. Aprilis, quo aſſeruntur, Profeſſorum Privilegia præcipua eſſe, ac ſingularia: hique unà excipiuntur à Decreto 1715. 14. Septembris; ne vectigalia recens impoſita ſolvant. Stat enim, ſtabitque, Deo propitio, ſemper hoc auguſti Senatus propoſitum, ut à cavillis, vel potius unguibus Publicanorum immunitates Profeſſorum ſint ſalvæ. Idque decernitur Senatûs Conſultis 1635. 18. Septembr. 1636. 29. Octobr. 1637. 1. Octobr. 1639. 8. Novembris.

Nec aliter Decreta Senatûs recentiora; nam cùm Profeſſorum ſtipendia more antiquiſ-

ſimo

ſimo ad Florenorum valorem numerentur, quorundam parcitas, ſeu veriùs ſiniſteritas ex communi ea ęſtimatione conſtituenda eſſe eenſebat, ne quincuncis Italici ſeu vulgarium librarum quinque ſummam excederent, neu quod ad eam diem priſcomore obtinuerat, ſex libras valerent Italicas. Rejecit auſteram, ac ſordidam, & conſuetudini olim præſcriptæ, in primis autem publicę munificentiæ inimicam argutiam, palamque ſanxit Senatus Florenum Gymnaſticum quinque quidem libris conſtare, ſed Venetis, & majoribus, quæ minoribus & communibus ſex Italicis ęquivalent.

1688. 21. Jul in Rogat. Decret. Cod 2. pag. non ſignata 4.

1713. 4. Octobr. Eadem Senatus auctoritas tum Profeſſorum ſtipendia, tum Arcam Gymnaſticam clementiſſimo Patrocinio ſuo munit, & hanc quidem edicit privilegiis majoribus frui, nec affici impoſito aliis onere prioribus Decretis: illa verò, eo Florenorum valore, quo antiquitùs, ac ſemper ſoluta ſunt, exhiberi jubentur. Non eſſe rationem eandem Ærarii Gymnaſtici; quę cęterorum continentis Veneto Imperio ſubjecti: inſtandum conſtanter eſſe ſtipendiorum expeditis ſolutionibus, nec retardandam mercedem ſtudiis Profeſſorum, atque laboribus de re publica optimè meritis.

1715-23. Novembr. Reſcriptum Triumvirale, hanc Senatûs ſententiam proximè propoſitam ratam eſſe, ac futuram edicit; jubetque Archirelonem nullam Profeſſoribus exhibere moleſtiam.

1715-11. Decembris, cùm fiſcales Miniſtri, qui enixis precibus à perurbana Profeſſorum patientia, vel benignitate obtinuerant, donari ſibi particulas aliquas ex eo valoris incremento, quo cum cæteris monetis Florenus excreverat, cœpiſſent jam non precariò, ſed ut debitas particulas illas retinere, eaſque ſui jam eſſe juris, ac muneri ſuo debiras dicerent, evocari ad auxilium Triumviri reſcripſere, tribuenda eſſe ſtipendia ſine mora, & ex integritate ſolita ſolutionis, donec Senarûs decernat: repetitumque eſt hoc Triumvirale Reſcriptum datis literis ad Præfectum Urbis eodem anno, & menſe.

1716-7. Aprilis & eod. anno 27. Maii Senatûs Conſultum ſancit I. Decretis recentioribus, quibus auctarium impoſiti farinæ vectigalis jubebatur univerſim, nullo modo gravari Profeſſores, ab eoque & aliis ſtipendiarios Gymnaſii liberos fuiſſe ſemper, affirmar. II. Stipendia Profeſſorum ſine diminutione ſolvenda eſſe. III. ſervandum eſſe in ſolutionibus Gymnaſticis morem, qui ante ſemper obtinuit, eaſque faciendas eodem monetæ genere, quod infertur in arcam Gymnaſticam.

1717-26. Februarii. Reſcriptum Triumvirale datum ſupplici Profeſſorum libello patrocinium implorantium adverſus impotentiam Miniſtrorum Fiſcalium collationes particularum è ſtipendiis Gymnaſticis exigentium, reſpondet, ſolvenda eſſe ſtipendia è Senatus Conſulto proximè edito.

1717-15. Aprilis. Cum iidem Fiſcales Miniſtri, qui cauſâ ceciderant, ad afferendam Profeſſoribus moleſtiam, contenderent, non eſſe ſolvenda ſtipendia Profeſſoribus illis, quorum conductio finem habuerat, Triumviri, ex auctoritate ipſis conceſſa à Senatu lege lata 1681-3. Julii, conſtituunt; ſtipendia Profeſſoribus, etiam poſt finem conductionis, eſſe ſolvenda: dignum quippe Operarium eſſe mercede ſua, & Jure naturali, & Evangelico.

1718-1. Septembris. Confirmat hæc omnia, ac planè Sanctione perenni ſtare jubet, & obtinere perpetuò lex à Senaru lata pronuncians, arcam Gymnaſticam Profeſſorum ſtipendiis, aliiſque, ſolius Gymnaſii commodis addictam eſſe, nec ejus pecuniam, quæ ex vectigalibus Buccatici, Carrorum, èque Seridoribus, ut ajunt, colligitur, aliò diſtrahendam.

CAPUT XIV.

De Officiis & Privilegiis Diſcipulorum ad Annum MDCLXXX.

Officia, quibus olim obligabantur hujus Gymnaſii Diſcipuli ſæpè, quamvis obiter, Tomaſinus commemorat; Privilegia verò, & quidem ampliſſima, quibus fruebantur, & exemplaribus Marriculariam, & Statutis Gymnaſticis continentur, ut actum ſit agere, ea ſi ad hoc, in quo juſſi laboramus, Auctarium ac Supplementum referamus. Illa ergo hic proponimus, quæ circa annum MDCLIII. ſancita ſunt, vel iterum iterumque poſtea confirmata, Senatûs Conſultis & Reſcriptis Triumviralibus vigent.

1647-26. Octob. Ex S.C. aliiſque & Senatûs Conſultis, & Reſcriptis Triumviralibus plurimis, itidemque Edictis Prætorum, & Præfectorum diſcipulis interdicitur arma deferre, idque diſtrictè, interminanturque hæ leges majores pœnas quietem publicam perturbantibus ea præſertim nocturnorum præliorum ſpecie, quę funeſta ſæpe Juventuti Scholaſticæ,

Ci-

Civium quoque animos ad atrocis, & efferi ludi provocat imitationem.

1654-16. Januar. Ex Senatusconſulto non licet Diſcipulis Punctorum exercitationem inire, niſi poſt annum Studiorum quartum, quo jubentur quadriennii Gymnaſtici exhibere teſtimonium jurejurando confirmatum à Profeſſoribus quatuor Exedrarum primarum & ſecundarum.

1655-18. Auguſti ex S.C. Quicunque init ſtudiorum curriculum, hoc iniiſſe Patavii minimè cenſebitur, niſi à die, qua ſteterit in Aula Fiſcali Quæſtorum, ibique adnotandum curaverit in Codice ad idipſum parato, nomen ſuum, agnomen, patriam, ac domicilium; nec aliter annalem in Gymnaſio moram probabit, quàm ſi teſtimonium quotannis produxerit firmatum jurejurando quatuor Profeſſorum, conductorum à Principe, quorum duo ſint è primoribus, totidem è ſecundariis: teſtenturque Diſcipulos aſſiduè ſuis prælectionibus interfuiſſe. Hæc teſtimonia notentur in Codice Fiſcali, reſtituanturque Diſcipulis, qui ea tradant Præſidibus Collegii Gymnaſtici cuſtodienda per annos quatuor, quibus elapſis, anno quinto, quo licet Doctoratûs diſcrimen ſubire, id experiri nullo modo liceat, ni teſtimonio ſcriptove Rectorum Urbis conſtiterit, Candidatum quadriennio ſtudiorum perfunctum. Si quis in hæc peccet, privilegiis omnibus, ac prærogativis multator, numeroque Doctorum eximitor. Decretum hoc novis emendatum eſt ſanctionibus, moribuſque, quibus nunc ille Fiſcalis Codex apud ſcribam eſt peculiariùs à Triumviris conſtitutum, nec jam ſe Diſcipuli ſiſtunt in aula Quæſtoria Gymnaſticam probaturi moram: hanc probant exhibitione Matricularum, & Gymnaſticorum trientium teſtimoniis, proinde neque indigent Rectorum teſtimonio, ſed merâ permiſſione.

1655-10. Septembr. Reſcripto Triumvirali Diſcipulis interdicitur, domo in Gymnaſium, cùm ibi Prælectiones habentur, vel è Gymnaſio domum Profeſſores deducere, ne ſe publicæ diſciplinæ ſubducant. At unà interdicitur Pro-Rectori, & Syndico Doctoris gradum aſſumere ante annum integrum impenſum muneri. Si id audeat, omnibus Privilegiis ejus dignitati concedi ſolitis multatur.

1655-11. Octob. Senatusconſulto damnantur Expupillationes. Sunt hæ more malo, & licentiâ planè ſcholaſticâ inducta onera pupillis, ſive tyronibus ad Gymnaſium cauſa ſtudiorum accedentibus, pro offellis, chirothecis, ac pecuniis, quarum à tyronibus exigendarum ſeniores Diſcipuli Jus ſibi fecerant ex arbitrio. Has vetuit Senatus ſemper, ac damnavit decretis plurimis, quibus renaſcentem identidem hanc iniquam ac ſordidam corruptelam inſectatus eſt, nec tamen penitus abſtulit ante annum 1711, ut infra notabimus.

1656. 3. Junii. Ex Senatusconſulto non licet ei, qui primus eſt à Conſiliis Germanicæ Nationis, gradum Doctoris more nobilium adſumere, ni anno integro Pro-Syndici munere functus ſit.

1656-23. Septemb. Ex Reſcripto Triumvirali jubentur Pro-Rectores & Syndici Matriculas in ipſo Gymnaſio diſtribuere Diſcipulis omnibus, qui mox annotari ſe curent in Aula Fiſcali.

1657-9. Martii ex Edicto Triumvirali. Dignitas Pro-Rectoris & Syndici ita in utrâque Univerſitate inter Tranſalpinos, & Ciſalpinos diſtribuenda eſt, ut eodem anno Jureconſultis, & Artium ſtudioſis Ciſalpini duo, vel duo Tranſalpini minimè præſint, ſed cum Tranſalpinus Juris prudentiæ addictos ducit, Ciſalpinus præſideat Artibus, habituris anno ſequenti Syndicum Tranſalpinum, cum Ciſalpinus dabitur Juris prudentiæ; atque hoc ordine deinceps procedat per annos ſingulos hic honor ſcholaſticus alternis ab his Gentibus obtinendus. Porro ejus ætatis Pro-Rector ſit, ejuſque conditionis, quam Gymnaſtica Statuta præſcribunt, quæque antequam eligatur, appareat; innoteſcat autem, poſtquam eſt electus, Urbanis Rectoribus, quò quæ acta ſunt Triumviris nuncient.

1657-21. Aprilis Ex Senatusconſulto qui Veneto ſubſunt Imperio, ſive laici ſive Eccleſiaſtici, quive ex Regula vivunt, & Regulares dicuntur, ſi Doctoris honorem extra ditionem Venetam fuerint conſecuti, nullam aſſequi queunt dignitatem laicam, vel Eccleſiaſticam, eâque uti, frui intra Venetam ditionem, ſalvâ Triumvirali auctoritate, quâ indulgendum quandoque ſit iis, qui neceſſitate quapiam cogente, extra fines Venetos Operam ſcientiis navaverint, laurumque præmium operæ fuerint conſecuti. Hoc idem olim pluribus Senatusconſultis conſtitutum eſt an. 1444-31. Martii. 1458-25. Septembr. 1531-15. Septembr. *1636*-24. Septembr. *1649*-8. Maii; præſtatque in Statuto Gymnaſtico lib. 5. p. 92. terg.

1664-24. Martii. Ex Triumvir. Decreto. Cum Pro-Rector & Syndicus ab urbe diſce-

diſcedit, Matriculas ac ſigillum Conſiliario Germanicæ Nationis tribuat ſervanda, cuſtodienda, uſurpandaque ex legibus.

1664. 29. Januar. Ex edicto Triumvir. Præconis voce vulgato. Vetantur ſubjecti Venetis operam literis dare in Gymnaſiis exteris, aut lauream Doctoris aſſumere, multanturque, ſi quid contra patrent, omnibus privilegiis. Vetuſtiſſima hæc in Gymnaſio noſtro lex eſt, & celeberrimum interdictum, nam idipſum prohibetur Senatuſconſulto 1434. 31. Martii. 1444. ult. Martii 1465. 7. Novembr. Adduntur pœnæ graviſſimæ. Si quis cauſa ſtudiorum extra Venetam Ditionem contenderit: ibi Doctoratum, vel facultatem ad lauream, quam *licentiam* vocant, fuerit aſſecutus, nummos Ducatos quingentos pœnæ nomine numerato Fiſco: nullo gaudeat honore, prærogativa, vel Privilegio Doctoribus jure, vel conſuetudine permiſſo, conceſſove: cooptari minimè poſſit in ullum Collegium ſubjectæ Civitatis vel Oppidi; nec in ulla cauſa conſilium dare. Interdictum illi eſto officium Vicarii, Judicis, Aſſeſſoris apud quencunque Magiſtratum Rectoremque. In eum Rectores omnes inquirant, quà latè patet Imperium Venetum ex Senatusconſulto 1456. 20. Septembr. & 1625. 24. Octobris, provocanturque accuſatores propoſito præmio ex bonis rei, ac monentur ſub iiſdem pœnis parentes, agnati, cognatique adoleſcentium & puerorum, etiam minorum, qui extra ditionem Venetam degunt, ut eos inde ad hoc Gymnaſium, vel certè intra fines Venetos revocent.

Eadem ſancit S. C. 1636. 24. Septemb. in Eccleſiaſticos omnes, declaratque lex lata 1649. 8. Maii eo Senatusconſulto affici Regulares quoque, quos vetat ad Doctoratum admitti, ni teſtimonium Cœnobiarchæ, vel Præfecti Provinciæ jurejurando confirmatum produxerint, docens candidatos curriculum ſtudiorum integrè confeciſſe. Quid quod hæc ipſa ſæpiſſime ac frequentiſſimis, urgentiſſimiſque Sanctionibus iterantur cum à Senatu 1682. 12. Nov. 1718. 10. Martii, jubente, latas hac ſuper re leges pœnaſque, quibus in has leges peccantes percelluntur, præconio publico in omnibus Civitatibus Venetæ Juriſdictioni ſubjectis indici; tum à Magiſtratu Triumvirali, ingerente leges hujuſmodi crebris Reſcriptis; mandante quæſtiones de prævàricatoribus haberi, inferri decretas pœnas, eaſque voce Præconis omnibus denunciari, notari, ac nominatim deferri eos omnes, qui privilegiis peregrinis muniti verſantur in foro, aut Medicinam exercent. Ne eadem ſæpe repetamus, vide 1664. 29. Januar. 1682. 12. Novembr. 1698. 25. Septemb. 1713. 9. Octobr. 1715. 29. Martii 1716. 14. Octob. 1717. 8 Octobr. 1718. 10. Martii.

1665. 21. Januar. ex S.C. Primò diſtrictè diſcipulis interdicitur exercitatione Punctorum apud Profeſſores non publicos; conceditur ea tantùm intra duos menſes ante Doctoratum penes duos Juriſconſultos, totidemque Artium Doctores, lectos à Triumviris quot annis; per dies autem quindecim ante Doctoratum apud quoſcunque publicè profitentes. II. Jubentur Diſcipuli omnes non Tranſalpini, ſingulis annis in Aulam Quæſtoriam inferre teſtimonium quatuor Profeſſorum, quorum duo ſint è primoribus, duo ſaltem è ſecundariis, quo probetur interpoſito jurejurando mora ipſorum annalis in Gymnaſio, & in prælectionibus audiendis aſſiduitas. Hæc teſtimonia in Regeſtum Quæſtorium illata reſtituantur diſcipulis, ut ea Collegiorum Præſidibus cuſtodienda dent. Hoc Decretum, ut ſuperiùs annotavimus, re quidem viget, aliter attamen uſurpatur poſt inſtitutionem Scribæ peculiaris, ad quem ſpectat hæc teſtimonia ſignata per Profeſſores, & à Præſidibus confirmata recipere, in codicem referre, ſervare apud ſe.

1667. 1. Octobris ex Reſcripto Triumvir. Vetantur omnino Pro-Rectores ac Syndici convivia celebrare, cujuſcunque ea generis ſint: jentacula quoque ac merendæ, quæ illis permittuntur, modeſtæ ſunto, ac moris antiqui. Idem vetat recentius Reſcriptum 1679. 4. Auguſti, quo jentacula ipſa ſumptuòſiùs parata prohibentur. Idipſum interdicitur 1712. 21. Novemb. & 1713. 21. Octobr.

1674. 7. Martii ex S. C. Non liceat Diſcipulis, peracto ſtudiorum curriculo, ſe Præſidibus Collegiorum ad Doctoratus diſcrimen ſiſtere, ni prius illis poteſtatem fecerint ſex Profeſſores ſtipendiarii Principis, quorum ſint quatuor è primoribus, duo è ſecundariis ad ipſius Diſcipuli arbitrium. Hoc tamen arbitrium ſublatum eſt, ac ſecundarii ex ordine ſedium, ac certis vicibus ad poteſtatem hujuſmodi faciendam adſunt Diſcipulis. Eodem Senatusconſulto Nationibus ſcholaſticis omnibus, Germanâ exceptâ, Patronum ſibi eligere Profeſſorem publicum vetitum eſt.

Addimus hic data his annis nationibus quibuſdam Privilegia.

1641. 8. Decembris. Ex Reſcripto Triumviralis Tranſmarini Tranſalpinis Nationibus annumerantur. Id ab iiſdem Triumviris ſententiâ pro Tribunali latâ confirmatur 1642. 29. Novembr. Idipſum tertiò conſtituitur Reſcripto Triumvir. 1643. 4. Maii.

1664.

Digitized by Google

1664. 9. Decembris, & 7. Januarii M.V. Ex Triumvir. Decreto Tranſmarinis conceditur, ut adſcribi Matriculis poſſint menſe Auguſto. Idem Privilegium jiſdem confirmatur novo reſcripto pro menſibus Septembris, & Octobris 1676. 25. Septembris.

1677. 17. Octobris. Privilegium Tranſmarinis conceſſum, quo poſſint Matriculas conſequi menſibus Septembri, & Octobri, Decreto Triumvir. extenditur ad Alumnos Cottunianos.

1679. 26. Januar. M.V. Ex Reſcripto Triumvir. non licet Cœnobitæ ulli degenti in Veneta ditione, gradu, privilegio, titulovè Magiſtri frui, uti, niſi hæc fuerit adeptus in hoc Gymnaſio.

1679. 15. Decembris. Ex Reſcripto Triumvir. teneantur ex lege Diſcipuli in fine trientium Scholaſticorum ſingulorum teſtimonia exhibere ſubſcripta per Profeſſores, quorum aſſiduè Prælectionibus interfuerint, quò pleniùs comprobetur eorum diligentia, ſtudiumque ſcientiis impenſum, quod præcipuum eſt, ac maximè neceſſarium Diſcipulorum officium.

CAPUT XV.

Reliqua Diſcipulorum Officia, & Privilegia.

1679. 3. Januar. M.V. EX Reſcripto Triumvir. Tridentini, Goritienſes, Tergeſtini, & Græci Veneto Imperio ſubiecti Doctoratûs inſignia conſequi poſſint in Collegio Gymnaſtico.

1680. 23. Maii. Ex Reſcripto Triumvir. præſtituitur locus habendarum generalium recitationum in Gymnaſio, conclave, ubi olim Collegium Gymnaſticum cogebatur. Deinde permittitur Candidatis, ſi placuerit, aliis ſe recitationibus exercere, eas alibi ex arbitrio celebrare.

1680. 19. Auguſti. Senatuſconſultum continet Privilegium conceſſum Dalmatis, ut lege quadriennii ſoluti ſint, ac jure fruantur Tranſmarinorum.

1680. 23. Maii. Ex Reſcripto Triumvir. Germanis conceditur, Recitationes habere cum eo Profeſſorum numero, quem promptum, ac paratum repererint; ut ea facilitate ſe expediant, quæ ex propoſito, ac mente publica ſemper fuit.

1680. 28. Novembris. Ex Decreto Triumvir. palam vetitum eſto Diſcipulis, Profeſſores ad Gymnaſium deducere, vel inde reducere domum, ne à Prælectionibus audiendis his officiis avertantur.

Quicunque deinceps inſigniorum ſuſcipiendorum in Collegio Gymnaſtico facultatem obtinuerit, lege recitationis generalis teneatur, eorumque omnium præſtandorum ad experimentum virtutis, quæ in Collegio Pontificio præſtantur; ut loci mutatio nihil præter diminutionem ſumptûs operetur, quâ fortunæ tenuioris incommodo diſcuſſo in reliquis naturæ dotes, & laborum ſuorum pretium probent, & explicent.

1681. 31. Martii. Ex Reſcripto Triumvir. ſubiectis Veneto Imperio non licet in hoc Gymnaſio lauream reportare, niſi peracto quinquennio. Hoc poſtea reductum eſt ad quadriennium.

1681. 3. Julii. Collegii Græcorum alumni, ejuſque Cuſtos ante operam ſtipendium accipiant, ut moris eſt; quò illi quidem ſibi alimenta parent, hic verò, quod illis debet, miniſterium præſtet.

1682. 7. Decembris. Ex Reſcripto Triumvir. monentur Diſcipuli intra fines modeſtiæ ſe continere, nec procaci pulſationum inſolentiâ profeſſores docentes perturbare, ſed pati quietè, ac modeſtè Prælectiones haberi ex Diario. Additur, non licere ad munera obeunda in Gymnaſticis Nationibus illos aſſumere, qui vel Doctoratûs inſignia conſecuti ſunt, vel anno ſexto fuerint in Gymnaſio, niſi permiſſu Triumvirali.

1685. 22. Aprilis. Reſcriptum Triumvirale iterum in procaces Diſcipulorum pulſationes, ac ſtrepitus invehitur: jubetque judicium inſtitui, ut prævaricatores deprehenſi ad exemplum perenne ſeveriſſimè puniantur.

1686. 27. Februarii. Ex Reſcripto Triumvir. nemini fas eſt ſibi Promotorem ex arbitrio ſeligere.

1695. 13. Januarii. Ex Reſcripto Triumvir. pareant Pro-Rectores, & Syndici legibus 4. Auguſti 1679. propoſitis; nec toleretur in poſterum mos peſſimus Jentaculorum, quæ parantur Studiorum initio, aliiſque diebus feſtis Gymnaſii.

1698. 22. Junii. Ex Decreto Triumvir. ea lege tenentur Juri operam dare Diſcipuli, ut anno Studiorum primo teſtimonium à Profeſſoribus Inſtitutionum exhibeant; ſecundo

illis

illis proſit datum ab iiſdem Profeſſoribus, & altero ex Ordinariis. Annis verò ſequentibus, nullo juventur teſtimonio, niſi à Profeſſoribus Juris Canonici, vel Civilis, qui juſſu Principis perlegunt, perhibeatur.

Diſcipulum Artium ſtudioſum anno primo teſtimonium datum à primis vel ſecundis Exedris Logicæ probet. Secundo datum ab ordinariis Profeſſoribus Philoſophiæ; Annis reliquis ea dumtaxat illi teſtimonia utilia ſint, quæ dederint Profeſſores itidem ordinarii Medicinæ.

Nulli Diſcipulorum, ſive peregrinus is ſit, ſive Ditioni noſtræ ſubjectus, fas eſto jure Matriculæ frui, niſi id illi jure deberi conſtet teſtimonio typis edito, & confirmato ſubſcriptione, tum Profeſſoris primi, & ſecundi loci ordinarii, cujus prælectionibus interfuerit, tum Conſiliariorum Univerſitatis. Hac tamen lege ſoluti ſunto Pupilli, qui nondum Scholas publicas adiere, quibus conceditur, ut, interpoſitâ Conſiliarii Nationis ſuæ fide dumtaxat, Matriculas conſequantur.

Hæ ſolùm toto menſe Novembri diſtribuantur; ſingulisque diebus cujuſque Nationis Conſiliarii conceſſum ad Matriculas teſtimoniorum ſyllabum ad Gymnaſticos Cancellarios tranſmittant. Iidem ex hoc Decreto jubentur, elapſo menſe Novembri, novum quiſque ſuæ Nationis Catalogum ſcribere; ibique nomina, agnomina, patriam diſcipulorum, qui Matriculas conſecuri ſunt, atque annum primum, ſecundum, tertium, quartum, uſque ad quintum, ſi ſubditi Matriculas retulerunt, moræ Gymnaſticæ, ſi Exteri, tempus impenſum ſtudiis uſque ad Doctoratum annotare. Catalogum hunc manu propria exaratum, confirmatumque juramento Conſiliarii Cancellariis Gymnaſticis edant; à quibus exemplar alterum ad Magiſtratum Triumviralem mittatur, alterum Immunitatum Procuratori detur, ut illud cum Mandatis Matricularum conferat; quò fraudibus via intercludatur, atque index opportunè paretur ad Triumviros emittendus.

Porro Diſcipuli, poſtquam ad gradum Doctoris evecti ſunt; ſubjectique Venetæ Poteſtati, poſt quadriennium Studiorum ab uſu Matriculatum arceantur, & immunitate minimè gaudeant, iis exceptis, quos peculiaribus privilegiis ornant Statuta.

1698. 20. Septembris. Ex edicto Triumvirali Nationum Gymnaſticarum Conſiliarii, qui à majoribus Univerſitatibus eliguntur, menſe Novembri, cùm Gymnaſium frequentius eſt, eligantur; & quidem coram excellentiſſimis Rectoribus Urbis, & ſuffragatione legitima. Sacerdotes, & ad Doctoratum provecti arceantur ab his ſuffragationibus: quilibet autem Conſiliarius munere defunctus ſuo, à die, qua deſiit Conſiliarius eſſe, per annos integros tres vacet, nec in Conſiliarium eligi poſſit, niſi poſt triennium.

1700. 10. Julii. Ex Senatuſconſulto Curriculum literarium ad quadriennium reſtringitur; ſtatuiturque, ut Diſcipulis ſubditis, poſt annum quartum ſtudiorum, exhibitis teſtimoniis Trientium ſcholaſticorum duodecim, liceat eo temporis intervallo, quod ad inaugurationem publicarum prælectionum anni ſequentis extenditur, vacare punctorum exercitationi, provehique ad Doctoratûs honorem.

1702. 12. Maii. Ex edicto Triumvir. nullus diſcipulus è numero Subditorum audeat in aliam à ſua Natione Matriculam ſuum nomen obtrudere, aliamque Nationem ementiri. Si ſecus quis faxit, non pœnis dumtaxat à Statuto ſancitis obnoxius erit, ſed facto ipſo, ſine ſpe veniæ, noverit uſu, ac Jure Doctoratûs ſe penitus excidiſſe. Conſiliarius verò, qui teſtimonium huic mendacio perhibuerit, affirmaritque ſuæ Nationis eſſe eum, qui alienæ ſit, pœnis ex arbitrio Triumvirorum obligatus eſto.

1702. 14. Aprilis. Ex reſcripto Triumvir. ſi qui Diſcipuli publicas prælectiones interturbaverint, ſteterintque cauſa quominùs Profeſſores eas habere ex Diario potuerint, jure excidant petendi, obtinendique teſtimonium ſcholaſticum Trientium à Profeſſoribus. Hi vetantur id illis edere, quotieſcunque pulſationibus importunis munus publicum impedierint. Idem edicitur eodem Anno 13. Maii, & 1713. 11. Martii.

1707. 25. Auguſti. Ex Decreto Triumvir. Patricii Veneti, Canonici Cathedralium Eccleſiarum, aliique Dignitatibus Eccleſiaſticis inſigniti, qui Jus habent ad lauream accedendi more nobilium, provehi eo modo, vel more minimè queant, ni prius, præter alia ad id neceſſaria, teſtimonium ediderint, quo probent, datam ipſis fuiſſe poſſeſſionem ſpiritualem, ac temporalem beneficiorum, ac dignitatum, quas obtinent.

1707. 2. Octobris. Ex Reſcripto Triumvir. Studentes Formati Cœnobii S. Auguſtini, lege tenentur intereſſe prælectionibus publicis Metaphyſicæ, ac Theologiæ in Via D. Thomæ.

1709. 27. Novembris. Ex Reſcripto Triumvir. Cœnobitæ Collegiati S. Antonii Patavini eâdem lege tenentur publicas Metaphyſicæ, ac Theologiæ in Via Scoti audire.

1711. 8. Octobris. Ex Senatuſconſulo Diſcipuli, qui propriam Originem mendacio diſſi-

diſſimulant, ut quadriennium eludant, & in Collegio Gymnaſtico provehantur, fructu quæſiti privilegii multantor.

1711. 31. Octobris. Ex Edicto propoſito Patavii damnatæ à Triumviris Decreto ejuſdem anni 26. Septembris expupillationes exterminantur: Exactorum nomen, quod in Nationes irrepſerat, prohibetur: ne deinceps ſub quocunque colore, aut prætextu à tyronibus quidquam collationis, aut tributi, neque debiti, & planè exempli peſſimi, exigatur. Hoc edicto non vetantur, quæ Nationis Germanicæ, & Tranſmarinæ Tyrones in arcam publicam conferunt, quò bono publico, ipſiſque, qui conferunt, neceſſario cedat.

1714. 22. Novembris. Reſcriptum Triumvir. jubet in Natione Tranſmarina honores, & Officia diſtribui, ſalvo Statuti, & Decretorum Nationis ejuſdem obſequio, & illæſis moribus, qui Tranſmarinorum conventibus obtinent.

1715. 26. Martii. Edicto Triumvirali renovatur priſcarum legum, conſuetudinum, ac Statutorum vigor in eo, quod jubent Diſcipulos omnes in Albo Gymnaſtico ſeu Matricula deſcribi, ediciturque his legibus teneri etiam Patricios Venetos, & Cives Patavinos. Quamobrem legum earumdem obſequium his etiam indicitur, ac jubentur Præſides, & Cancellarii Collegiorum omnium, neminem cujuſcunque conditionis aut gradûs, ſeu dignitatis honore præfulgeat, ad lauream, & Inſignia Doctorum admittere, quin priùs teſtimonium exhibeat, quo probet, ſe in Albo, ſeu Matricula ſcholaſtica fuiſſe deſcriptum. Si quis contra hoc delictum faxit, is pœnis à Statuto Gymnaſtico decretis obnoxius eſto. Additur ex ipſo ſtatuto, neque Patricios Venetos, neque Cives Patavinos, neque eos, qui ex Agro Patavino juribus Patavinis gaudent, inſcribi Albo Gymnaſtico poſſe, niſi ſemel, neque inde illis concedi ullam immunitatem, privilegium, juſve ſuffragationis, aut facultatem petendi, recipiendive munera, & officia Gymnaſtica.

1715. 12. Julii. Ex reſcripto Triumvir. cùm agitur de ſubſtituendo Vicario Conſiliariis abſentibus, nullum ſubſtituere liceat, niſi eandem facultatem profiteatur, inſcriptuſque ſit in eadem Matricula, & ſi fas fuerit, ejuſdem Nationis eſſe cenſeatur. Subſtitutus autem proponatur Syndico, & Pro-Rectori, vel coram, vel per epiſtolam: aliter eſtò ſubſtitutio nullius momenti, pertineatque ad Pro-Rectorem poteſtas ſubſtituendi. Quod ſi, condictâ ad Univerſitatem, ſeu Conventum habendum horâ, Conſiliariorum quiſpiam defuerit; licebit Pro-Rectori eâ dumtaxat vice ſubſtituere, ut numerus ad Conventum integrum neceſſarius compleatur. Si Conſiliarius ter ab Univerſitatis Conventibus abfuerit, excidiſſe eum officio, quo fungebatur, certum eſt; fitque poteſtas Syndico alium ſubſtituendi, ſi tamen Conſiliarius, qui abfuerit in Actis Notarii Gymnaſtici alium è Natione ſua minimè ſubſtituiſset. Si Conſiliarii omnes alicujus Nationis abfuerint, ſubſtituere non liceat alium, qui reipſa tunc officio Conſiliarii fungatur in ulla Nationum Gymnaſticarum.

1716. 14. Octobris. Ex Encyclico Decreto Triumvir. emittendo in vulgus voce Preconis, interdicitur ſubjectis omnibus, causa ſtudiorum, adire Gymnaſia extera, ibique gradus Doctorum aſsumere. Jubentur auctoritate Senatûs Rectores Urbium, inquirere, ſecretis etiam denunciationibus admiſſis, in reos, & identidem, quid actum ſit Magiſtratui Triumvirorum nunciare, ut, quod ex legibus eſt, decernat; atque interim mittere nomina eorum, qui vel in Foro verſantur, vel Medicam artem exercent, exteris privilegiis muniti.

1718. 10. Martii. Ex Senatuſconſulto confirmatur Edictum Triumvirale proximum; deinde ſancitur, ſolvi lege Trientium teſtimoniis legitimis probandorum neminem poſſe, niſi ex indulgentia Senatûs recepta in Majore Sapientum Collegio, confirmatâ verò in ipſo Senatu ſuffragatione peractâ, quæ ex partibus Suffragiorum ſex, quinque partes habeat veniam poſtulanti propitias.

1717. 30. Julii. Ex Reſcripto Triumvirali in Comitiis Tranſmarinis, cum Nationis officia diſpenſantur, ſtetur Statuto Tranſmarinorum, & ex eo rejiciantur à ſuffragiis ferendis ii, quos conſtiterit Ærarium expilaſſe, quique alienaverint, vel oppignoraverint libros Nationis. Soli admittantur idonei ex legibus Traſmarinis, qui ſi defuerint, idonei fiant, quos pars major ſuffragiorum deſignaverit. His comitiis interſint Profeſſores duo Nationis, qui cenſentur legum, Decretorumque ejus eſſe periti. Erit autem peropportuna ad idipſum præſentia excellentiſſimi Præfecti.

1719. 27. Novembris. Ex edicto Triumvirali typis propoſito auctoritate Sereniſſimi Principis interdicitur ſeveriſſimè Alumnis Collegii Græcorum Patavii, quod Venetum appellatur, apud ſe domi retinere arma vetita, cujuſcunque ſint generis, præſertim Syphones incendiarios breves, vel oblongos. Si quis hæc apud ſe in Collegio habuerit, facto

facto ipſo jure Collegii, & quocunque alio beneficio multator, atque in exilium pellitor, ſine ulla ſpe veniæ, vel reſtitutionis in integrum. Præſes Collegii curato, ne quid contra hoc edictum fiat, ſi quid patratum deprehenderit, ad Præfectum Urbis deferat, ut reus ex edicto ſtatim puniatur.

1721. *6.* Decembris. Ex edicto Triumvir. edito, & promulgato Patavii eodem Anno 27. Decembris, ſalvis Senatuſconſulto 1711. 8. Octobris, & reſcriptis Triumviralibus 1714. 7. Martii, quibus Candidati Doctoratûs tenentur legitimis teſtimoniis comprobare Patriam ſuam, plectunturque, ſi eam fuerint ementiti pœnis, quæ illis legibus continentur: jubentur ſubditi omnes in Albis Gymnaſticis profiteri Patriam ſuam ſincerè, ſine involucro captioſæ mendacitatis; quamobrem iiſdem nefas eſto, ſe exteros dicere, quòd, aut domos, aut agros poſſideant apud exteros, aut aliâ aliquâ ratione ad illos pertineant: ſi quid adversùs hæc peccent, plectuntur iiſdem pœnis, quæ vi legum ſuperiùs notatarum infliguntur, atque etiam hac pecuniariâ, ut cùm ex Gymnaſticis legibus multentur libris italicis vigintiquinque, ex hoc edicto pœnâ teneantur omnino exigendâ ducatorum nummûm quinquaginta, quarum pars altera publicæ Bibliothecæ extruendæ addicta ſit, altera lucro cedat accuſatoris occultè recipiendi; qui, ſi reus in bonis non ſit, partem hujuſmodi exigat ab arca Gymnaſtica. Iiſdem pœnis obnoxius eſto ſi quis è ſubjectis, ſe Patavinum, vel Agri Patavini dixerit incolam, ac per mendacium ita ſe in Albo Gymnaſtico annotandum curaverit.

Diſcipuli Tranſmarini ſubditi, qui extorres à Patria, vel Venetiis, vel in alia Urbe Venetæ Ditionis domicilium fixerint, habendi ſunt ut Tranſmarini, & ex eo loco, undè traxerunt originem, illiſque peculiare Nationis ſuæ privilegium, quod & ad Dalmatas productum eſt, conceditur.

Quamvis autem quiſque noſſe Patriam ſuam cenſeatur, attamen ſi qua dubitatio circa exterorum conditionem interceſſerit, erit ejus, cui dubitatio ejuſmodi adverſetur, ad Magiſtratum Triumvirorum confugere, indeque quod dubitationem dirimat, propoſitis neceſſariis teſtimoniis, expectare.

1722. 8. Auguſti. Ex edicto Triumvirali juſſu Senatûs interpoſito, quò fraudibus hactenus uſurpatis more malo obviam eatur, decernitur, ut deinceps tyrones, qui nondum noti ſunt Profeſſoribus, non ampliùs eo tempore immunitatum Diploma, quo reliqui veterani diſcipuli, recipiant, ſed ad exitum Trientis literarii primi, hoc eſt, poſt 20. Januarii, ut nimirum, recepto Profeſſorum teſtimonio, probare ſe poſſint eſſe diſcipulos. Atque hoc quidem decretum eſt de tyronibus Veneto Imperio ſubjectis.

Quod attinet ad eos diſcipulos, qui exteri ſunt, & immunitates recipiunt menſe Septembri, hoc eſt ad Germanos, Græcos, Dalmatas, & Illyricos, cùm hæc ſanctio ipſis aptari minimè poſſit, ità ſervandum deinceps decernitur. Ut Germani, tum Juriſconſulti, tum Artium ſtudioſi teſtimonium habeant à Profeſſoribus duobus, qui etiam eorum Patroni nuncupantur, ſinguli à ſingulis Profeſſoribus alterutrius Univerſitatis, cui nomen dedere. At Græci, Dalmatæ, & Illyrici non alio teſtimonio muniantur, quàm dato à Præſide Collegii Græci.

Ejuſdem conditionis ex æquo ſunto Nationum diſcipuli Scotæ, Provincialis, Polonæ, Anglicæ, quibus unicè proſit Præſidis teſtimonium præfecti Collegio Gymnaſtico, vel Juriſprudentiæ, vel Artium.

Additur, hæc teſtimonia eſſe præcipua, planèque neceſſaria obtinendis immunitatibus. Ea ſubſcribenda eſſe à Conſiliario Nationis, quam diſcipulus profitetur: iſque teneatur hac, & aliis legibus, ea teſtimonia tradenda eſſe Scribæ Fiſcali, ut ea in linea cuſtodiat, annoteṭque numerum Matriculæ reſpondentem, quò hæc omnia conferantur ad fraudes averruncandas.

1722. *6.* Decembris. Ex Reſcripto Triumvir. ad me miſſo, & in vim legis perennaturo, quod ex legibus Nationis Tranſmarinæ conceditur Doctoribus privilegium, ut ſi velint alteram ſtudiorum claſſem, in qua Doctores minimè ſunt, inire, ineantque reipſâ, & Patavii ſtudeant, omnibus gaudeant privilegiis, quæ diſcipulis cæteris conceduntur, confirmatur; at ſimul cavetur, ne Doctoribus hujuſmodi abſentibus, aut alibi degentibus Matricula tribuatur, aut tribui ſimuletur, neu cuiquam eorum hoc privilegium ſit, niſi Patavii præſens ſit, & ſtudiis, quæ profitetur, operam impendat. Si cui abſenti, aut domicilium habenti extra Patavium immunitas Matriculæ fuerit conceſſa, is uſu privilegii Doctoratûs, quod obtinuit, multetur, eumque Præſes ad Triumviros deferat ulteriùs puniendum.

Quamvis more receptum ſit apud Tranſmarinos, ut etiam ii, qui Venetiis morantur, ſoluto eo, quod à tyronibus arcæ Nationis debetur, ad Privilegia Nationis

N admit-

admittantur, iiſdemque juribus gaudeant; non tamen immunitatis Matricularum capaces ſunt, niſi Patavium venerint, ut per moram Gymnaſticam ſcientiis operam dent, ſintque re ipſa Diſcipuli Patavini. Hinc officium eſto Conſiliarii Tranſmarini nulli abſenti, morantive, aut habitanti Venetiis, aut alibi teſtimonium ad Matriculam perhibere, nec aliis illud concedere, quàm reipſa præſentibus, & habitaturis Patavii toto ſtudiorum curriculo. Si contra hæc audeat, ipſo jure munere, quod obtinet, multator, aliiſque ad Triumvirorum arbitrium pœnis emendator.

Quod hactenus apud Tranſmarinos malo more irrepſiſſe fertur, ut ex arbitrio quiſque ab una ſtudiorum profeſſione, cui ſe olim addixit inſcriptus ejus Matriculæ, ad alteram transfugiat, in qua ſe tyronem dicat, ut pluribus quàm leges patiuntur, immunitatibus lucrum ſibi paret; id inpoſterum nefas eſto, ſed unuſquiſque Albo, cui ſe ab initio adſcripſit, inſiſtat. Quod ſi ratio, vel cauſa aliqua quandoque poſtulet, ut ea mutatio, ac transfugium fiat, eſto cauſæ, ac rationis cognitor, & judex Præſes Collegii Græcorum, qui annotabit Matricularum, quas in ea Profeſſione, quam deſerit, conſecutus eſt, numerum, ut in illa Profeſſione, quam init, reliquas tantum ad ſex, nec his plures toto utriuſque Profeſſionis tempore conſequatur.

Nullus Tranſmarinorum, ſive tyro ſit, ſive veteranus, aliunde Patavium adveniens eo tempore, quo immunitatum jura diſtribuuntur, eorum eſto capax, niſi probaverit aſſatim, ac prorſus evicerit, ſe anno Gymnaſtico victurum Patavii: & quidem teſtimonio hoſpitis, apud quem ſe moram trahere, tracturumque toto anno profitebitur.

CAPUT XVI.

De Officiis, & Privilegiis Miniſtrorum Gymnaſii ab An. 1653. ad 1724.

Miniſtrorum nomine ji cenſentur, qui mercede conſtitutâ Profeſſoribus, Univerſitatibus ſcholaſticis, diſcipulis ipſis, univerſim Gymnaſio, rebuſque ad Gymnaſium ſpectantibus famulantur. Sunt autem Cancellarii, Scribæ, Cauſidici, Notarii, Arcarii, Viatores, quos Pedellos, vel Bidellos ſcholaſtica vox appellat, Nuncii, Cuſtodes, Chirurgi, Pictores, Curatores, ſeu potius cultores Horti Botanici, aliique, quorum paſſim apud nos, & in hac parte Operis noſtri mentio eſt. Inde ſigillatim noſces officia illorum, ac privilegia priſcis moribus, legibuſque ſancita. Recentiora, & quæ nunc obtinent, hic damus promiſcuè.

An. 1640. 23. Decembris. Ex Decreto Triumvir. ea, quæ ex Depoſito ad lauream debentur Bidellis, & Miniſtris, integrè recipiantur à Bidello Generali, ſeponanturque à reliquo depoſito, tribuenda, diſtribuendaque in eos, ad quos ex legum, morumque præſcripto ſpectant. Idem confirmatur 1654. 7. Junii.

1655. 18. Auguſti. Ex Senatuſconſulto ſi Patroni eorum, qui ad lauream provehuntur (Promotores dicimus) ita diſcipulo proximè aſſideant, ut ſolutiones argumentorum ingerere queant; ſi non omnes interſint examinibus publicis, aut alios ſibi ſubſtituant, officium Bidellorum eſt delinquentium apud ſe ſportulas retinere, alienandas ex lege 1636. 26. Septembris.

1655. 10. Septembris. Ex Reſcripto Triumvir. Bidelli jubentur ad Magiſtratum Gymnaſio præfectum ſingulis quindecim diebus tranſmittere indicem prælectionum, quæ die qualibet habebuntur à Profeſſoribus. Si præſtare id negligant, muneribus mulctantur ſuis. Jubentur quoque admonere Rectores Urbanos de prælectionibus per Profeſſores omiſſis. Idem ex Senatuſconſulto 1673. 25. Januarii, & 1664. 19. Decembris, ex Reſcripto Triumvir. 1679. 28. Octobris, 1684. 1. Novembr.

1655. 10. Septembris. Ex Reſcripto Triumvir. Cancellarii ad Triumviros Acta omnia Univerſitatum, cùm in iis aliquid ſancitur, tranſmittant.

1656. 23. Septembris. Ex Reſcripto Triumvirali Cancellarii nullum edant Privilegium Doctoratûs, in quo ratio illa, quâ laurea reportata eſt, nimirum verba illa, *nemine penitus*, vel, *pro majori*, literis aureis exarata ſit, ſed illa proponantur eo charactere, quo reliquum deſcribitur Privilegium. Idem in ipſo Privilegii Diplomate enuncient, exprimantque clarè rationem, quâ Laurea recepta eſt, vel, *nemine penitus*, vel, *pro majori*: Diplomata, quæ data teſtantur inſignia *pro majori*, ne ſcribant in membrana, ſed in charta ſcriptoria; teneanturque indicem, ſeu Catalogum

Diſci-

Diſcipulorum omnium, qui inſcripti ſunt albis Gymnaſticis ſeu Matriculis in Aulam Quæſtoriam inferre.

1673-24. Octobris. Ex Reſcripto Triumvir. Non ſinant, nec patiantur Bidelli Conventûs ad examina fieri, niſi ex legibus, neque ferant quidquam omitti ex iis, quæ ad normam probatis moribus conſtitutam pertinent. Eſto eorum officium, ſi quid in his fuerit peccatum ad Triumviros deferre, ſi diſſimulaverint, nullâ ſpe veniæ noverint ſe munere multandos.

1674-2. Martii. Ex Senatusconſulto Bidellis non licet à diſcipulis, dum ad Doctoratus honorem provehuntur, pecuniam vel munus exigere, aut accipere: ſi quid, quamvis exiguum ſibi dari curaverint, Triumvirorum arbitrio puniuntor. Contenti enim eſſe debent portione ſolius Depoſiti, quæ illis debetur. Idem ſanciunt Decreta Triumvir. *1695*-13. Januarii, *1699*-4. Octobr. Reclamavere his Bidelli, & coram Triumviris probavere, legitimè quæ peterent, & exigerent à Doctoribus, à ſe peti, atque exigi loco pecuniæ collatitiæ, quam Jure Statuti diſcipulus quilibet ipſis debet Trientibus ſingulis, obtinueruntque, ut Univerſitates pecuniam hujusmodi taxarent, quam plenâ ſuffragatione taxatam, decretamque in publicis Gymnaſii conventibus confirmavit Magiſtratus Triumvirorum.

1674 7. Martii ex Senatusconſulto. Officium Cancellarii Gymnaſtici eſto, menſe quolibet, teſtimonio, quod jusjurandum firmet, docere, Profeſſorem quemlibet, quod ſuum eſt, expleſſe in publicis prælectionibus habendis. Sine hoc teſtimonio nulli Profeſſorum licebit ſtipendium conſequi.

1674-3. Junii Ex Reſcripto Triumvir. Officium ſit Cancellarii, poſtquam diſcipulo à ſex Profeſſoribus publicis facta poteſtas eſt (quam licentiam vocant) ineundi diſcriminis ad lauream obtinendam, ut decernitur Senatusconſulto 1674-7. Martii, hoc ipſum confirmare, datâ diſcipulo ſyngraphâ manu propria ſubſcriptâ.

1679-21. Aprilis. Ex Reſcripto Triumvir. Cancellarii Juriſconſultorum, & Artium, ſi cui ſubditorum dara facultas ſit obtinendi Doctoratûs in Collegio Gymnaſtico à Triumviris per Epiſtolam, hanc in anteceſſum in ipſo Collegio perlegant, atque ingerant omnibus, quò notint id ex indulgentiâ fieri; non enim cuiquam ſubjectorum licet, in illo Collegio ad gradus provehi ſine veniâ Triumvirali.

1679-28. Octobris. Ex reſcripto Triumvir. Cancellarius nullum diſcipulum referat in Matriculas, qui re ipſâ non adſit, & interſit Gymnaſticis prælectionibus aſſiduè. Fungatur officio ſuo diligenter, & ex ordine temporum in ſolito Codice Regeſtum in Matriculas relatorum cuſtodiat.

Ex eodem. Bidelli recitationibus generalibus interſint: iidem altâ voce Auditores evocent ad prælectiones, adſtentque publicis functionibus, quæ ſolemnes & præcipuæ ſunt ex more togati. Idem 1684. 1. Novembris.

1680-16. Januarii. Ex Reſcripto Triumvir. Cancellarius ad teſtimonia Trientium delegatus teneatur ea diligenter notata in librum ad id deſtinatum referre.

1682-3. Octob. Ex Reſcripto Triumvir. Cancellarius ad Teſtimonia Trientium datus, ea neque recipiat, neque in lineam & Codicem referat, niſi ſtatis temporibus, & modis more, legibusque præſcriptis.

1682-7. Octobr. Ex Reſcripto Triumvir. Bidelli, poſtquam diſcipulos evocaverint ad Prælectiones verbis illis *hora*, *Domini*, Profeſſores excipiant, ac deducant ad exedram ex legum præſcripto. Si quid hac in parte deliquerint, ſciant, ſe à Magiſtratu plectendos. Idem 1684-1. Novembris.

1683-12. Auguſti. Ex edicto Triumvir. Cancellarius ad Teſtimonia Trientium officio multatur ſuo, aliiſque ad arbitrium Triumvirorum pœnis afficiendus edicitur, ſi teſtimonia Scholaſticorum Trientium annotaverit in Codice ad hoc parato, nec ex adverſo ſubnotaverit, diſcipulum, quo de agitur, eo anno in Matriculas fuiſſe relatum. Porro id præſtetur ſine diſpendio diſcipuli.

Non licet eidem Cancellario, quocunque prætextu interjecto, Teſtimonia conditionibus à jure præſcriptis deſtituta recipere; teneaturque vi legis hujus, ſingulis Menſibus Magiſtratui Triumvirali diligentem notitiam facere Doctoratuum, qui celebrabuntur, adjectis teſtimoniis & Matriculis in Codice deſcriptis, quo conferri invicem omnia poſſint, ut conſtet in Actis hujuſmodi nihil fuiſſe peccatum.

1683-12. Octob. Ex Reſcripto Triumvir. non liceat Bidellis ad exedram quenquam Profeſſorum evocare, niſi elapſâ horâ præcedente, ut Lector tribus ho-

ræ quadrantibus perlegat, reliquum encyclicis diſceptationibus tribuat. Idem 1682. 3. Octobr.

1684. 1. Novembris. Ex Reſcripto Triumvir. caveat Cancellarius, ne quis ad Doctoratum provehatur non idoneus ex eo, quòd legibus decretum ſtudiorum curriculum non confecerit.

1684. 6. Decembris. Reſcripto Triumvirali laudatur Senatusconſultum 1664. 4. Februarii, quo Bidelli, tum Gymnaſtici, tum Bibliothecæ cuſtodes, Horti Botanici cultores, horologii curator, delegatuſque ad ſartatecta Gymnaſii obligatione ſolvendarum è ſtipendiis, & ſalariis decimarum eximuntur, quo jure uti etiam Alumni Collegii Græcorum aſſeruntur. Extat hoc Senatusconſultum in Codice decretor. 2. p. 534. terg.

1685. 7. Martii ex Reſcripto Triumvir. Cancellarius ad Codicem Trientium, horum teſtimonia non referat in Codicem publicum, neque ea recipiat niſi à diſcipulis, qui nominantur in illis, quique ipſi Cancellario noti ſunt, tradantur. Idem 7. ejuſdem menſis & anni, quo Reſcripto reprehenduntur Bidelli, quòd ut vacantes notaverint ſextas Quadrageſimæ Ferias: jubeturque, iis diebus, tametſi non notatis in Diario, prælegi, ac de cætero eoſdem dies vacantibus non annumerari.

1688. 29. Aprilis ex Senatusconſulto Ii, ad quos pertinet diſcipulos admittere ad lauream Doctoratûs in Collegiis Pontificiis, tum Juriſconſultorum, tum Artium, & Cancellarii vocantur, excidant officio, quod habent, ſine ulla ſpe veniæ, ſi quenquam admiſerint, qui teſtimonium minimè producat à Delegato ad Codicem Matricularum, & Trientium, quo conſtet Candidatum talem eſſe, qualem ſe ſiſtit, ac profitetur in petitione diſcriminis ad Doctoratum: ut hac diligentiâ occurratur fraudibus, ne unquam poteſtas fiat cuiquam ſubditorum in Veneto Continente ab obligatione moræ Gymnaſticæ ſe eximere.

1688. 25. Novembr. Ex Reſcripto Triumvir. Cancellarius ad Matriculas & Trientes Gymnaſticos nemini teſtimonium perhibeat, ſi Matriculæ in Codice non reſpondeant teſtimoniis omnibus, quæ ut neceſſaria jubentur à legibus. Hæc teſtimonia ſi deſint, nemini mandatum concedat ad Doctoratum. Quolibet trimeſtri tempore Catalogum diligentem ad Triumviros mittat, nomina continentem eorum, qui ad lauream, tum in Jure, tum in Medicina pervenerunt, notetque ex adverſo Matriculas, & Trientium teſtimonia, quæ in Codice fuerint ſignata, ut invicem conferri poſſint. Additur Cancellario pœna, ſi ſecus faxit, officii multa; iis verò qui ad gradus evecti ſunt, uſu commodove ex reportato privilegii Diplomate interdicitur. Eadem in Cancellarium iterantur Reſcriptis 1695. 4. Aprilis, & 1698. 22. Junii.

Ex eodem Reſcripto 1688. 25. Novembris præcipitur Bidellis, in teſtimoniis, quæ pro prælectionibus habitis exhibentur ſingulis quindecim diebus ad Triumviros tranſmittenda, ut palam exponant cauſas, ob quas Profeſſor prælectionem omiſerit, quò, ſi minus ea ſit legitima, corripiatur. Bidello quod imperatur negligenti multa muneris indicitur.

1690. 26. Junii ex Reſcripto Triumvir. Bidelli, ni teſtimonium Profeſſores produxerint Medici, vel factam à Triumviris poteſtatem vacandi, hoc nuncient Triumviris, eoſque ut reos ſimpliciter deferant.

1690. 22. Octobris. Ex Decreto Triumvir. Bidelli, præter ea, quæ jubentur reſcripto proximè notato, poſt triduum à ſolemni ſtudiorum inauguratione teſtimonium jurejurando firmatum edant de Profeſſoribus, qui prælectiones inierint: deque iis, qui nondum conſcenderint exedras, addant ſimul cauſas officii deſtituti: atque hoc teſtimonium Urbanis Rectoribus tradant ad Triumviros tranſmittendum. Idem ſæpiſſimè, ac ferè quotannis literis Triumviralibus jubetur.

1693. 3. Novembr. Syndicis, & Conſiliariis Artium Gymnaſticarum refragantibus in judicio, Bidelli minores optionem poſtulantes ad primum Generalis Bidelli locum, Sententiâ Triumvirali cadunt à petitis ex Codice Decret. 2. p. non not. 20.

1695. 4. Aprilis. Ex Decreto Triumvir. Cancellarius, cuſtos datorum pro Trientibus teſtimoniorum, ea jubetur à Præſidibus recipere Trientibus ſingulis intra dies octo à fine Trientis, eademque in lineam Officii ſui referre.

1707. 13. Junii ex Reſcripto Triumvir. Jura Nolarii Gymnaſtici ſanciuntur, ut ſarta tecta Gymnaſii, turrimque campanariam curet.

1707- 16. Auguſti..Ex Senatuſconſulto laudatur, ſanciturque Decretum in Univerſitate Juriſconſultorum probatum pro Bidellis, ne illis, niſi per optionem ad ſummum Bidelli Generalis gradum liceat aſcendere.

1711- 30. Aprilis. Ex Reſcripto Triumvir. Cuſtos arcæ Univerſitatis nullam æris numerationem faciat, cùm in arca pecunia non eſt.

1711- 8. Octobris. Ex Senatuſconſulto Cancellarius Gymnaſticus, antequam ad Doctoratum in Collegio Gymnaſii diſcipulo cuipiam aditum aperiat, curet, ut examen præcedat, & probatio natalium Candidati legitima. Exigat teſtimonia legalia patriam comprobantia; conferatque omnia cum Matriculis: ut in eo Collegio nemini liceat lauream conſequi, niſi Græcis, Tranſalpinis, & pauperibus.

Hoc Senatuſconſultum, ut ſuperiùs annotavimus à Triumviris Reſcripto 1714- 7. Martii declaratur; ne quid novi inferat, aut quæ priſcis moribus obtinent arctiùs adſtringat: ſed eò dumtaxat ſpectet, ut diligentiùs agatur impoſterum, & exterorum, quæ Jure ad Collegium Gymnaſticum admittuntur, conditio legitimè comprobetur; avertanturque fraudes antea à diſcipulis Venetæ Ditioni ſubjectis uſurpatæ.

1712- 24. Septembris. Ex Reſcripto Triumvir. Ad cuſtodiam Cancellarii Gymnaſtici deferatur Sigillum Univerſitatis, ſi quando Syndicum vel Pro-Syndicum abeſſe Patavio contigerit.

1713- 16. Maii. Ex Reſcripto Triumvir. Arcarum, quæ ad Univerſitates ſpectant, cuſtodes nullam numerationem pecuniæ faciant ex decreto in Univerſitatibus edito ad ſumptus itinerum vel moræ Venetiis Syndicorum vel Pro-Syndicorum, niſi Decretum ipſum Triumviri ratum habuerint.

1714- 5. Januarii. Ex Reſcripto Triumvir. Cancellario Juriſconſultorum Gymnaſtico conceditur immunitas à vectigalibus carnium ad uſum domeſticum.

1716- 10. Aprilis. Ex Reſcripto Triumvir. Cùm locus Bidelli generalis Juriſconſultorum vacat, optio habeatur inter minores eorumdem Bidellos; vigeatque Senatuſconſultum relatum 1707- 16. Auguſti.

1716- 10. Decembris. Ex Reſcripto Triumvir. Univerſitati Juriſconſultorum conceditur Cauſidicus cum immunitate Matriculæ.

1721- 21. Auguſti. Ex decreto Præfecti Urbani, cui à Triumviris rei cognitio committitur, Tranſmarinæ Nationis Chirurgo conceditur privilegium Matriculæ.

CAPUT XVII.

Mantiſſa ad Profeſſores à Riccobono, & Tomaſino omiſſos.

I. OPeræ pretium eſſe duximus, addere omiſſos, vel non omnino receptos, planèque neglectos Profeſſores, cum à Riccobono, dum raptim, atque obiter rerum ſui temporis ſatagit, aut editum it, & oratiunculas ſuas, & habitas cum pluribus controverſias, tum à Tomaſino, qui licet ex profeſſo Catalogum Profeſſorum inſtituat, attamen ſuo more, incurioſè in antiquitate verſatur, atque ad Chronologiam ſuam properans, non quò res Gymnaſticas annotet, ſed ut in leviſſimis, quæ contigere Patavii, operam perdat, multorum penitùs obliviſcitur. Id nobis neceſſarium eo magis exiſtimavimus, quòd quandam in anteceſſum probationem eorum ponat, quæ in altera noſtri Operis parte tradenda ſunt. Nam acturi de Claris Profeſſoribus Gymnaſii noſtri, illud ante omnia conſtituendum eſt, eos, quos nominabimus, & ad qualem qualem, ut licuit, Poſteritatis notitiam evocabimus, reipſâ in hoc noſtro lycæo docuiſſe, jureque Patavinis Athenis tribuendum eſſe, ſi quid illi gloriæ apud Poſteros conſecuti ſunt.

II. Porro ſupplementi noſtri hujus hac in parte labor cum nobis quadantenus tribui poſſit, reipſa aliorum eſt. Sudavit in eo Salomonius in primis, dum de Inſcriptionibus Gymnaſticis ſcribere meditatur; quæque ad eam operam excuſſis diligentiſſimè Tabulariis Patavinis collegerat, nobis peramicè largitus, ut ipſe (1) profitetur, ad cenſum retulit noſtrum. Plura deſumpſimus ex Ficardo, Mantua, Pancirolo, Frehero, reliqua debemus curæ ſedulæ, atque operoſæ Adami Pivati Rectoris S. Julianæ è Theologorum Collegio Viri Clar. humaniſſimi, qui Congregationi Patavinæ caſuum conſcientiæ præpoſitus, dum ſæpe in Curia Epiſcopali verſatur, ejuſque Adverſaria ſtudioſè tractat, ex his multa nobis ad notitiam vetuſtatis Gymnaſticæ laborioſè ſepoſuit.

(1) Præfat. ad Inſcript. Patav. in fine.

CAPUT XVIII.

Profeſſores Jureconſulti Omiſſi.

1264. SImeon Hengelfridus Pat. Portinarius p. 228.
1290. Tranſalgardus Capiliſtius Pat. Port. p. 228.
1314. Joannes Martellus Mutinenſis, Port. p. 228.
1316. Aldobrandinus Campanatus. Port. p. 236.
1348. Joannes Andreas Ficar. p. 7. Mantua 12. 132. Port. p. 228.
1380. Galvanus Bononienſis. Port. 228.
1388. Alvarotus de Alvarotis Patavinus, Port. 236.
1390. Antonius Dandulo Patr. Venetus, Mant. n. 36.
1393. Antonius Naſeri Patav. Port. p. 236.
1402. Petrus de Rodolin-Epiſcopus Cracovienſis notatur Promotor ad Doctoratum in Adverſar. Epiſcop.
1409. Dominicus de Ponte Patr. Venetus. Salom. & Adverſ. Epiſc.
1413. Zacharias Treviſanus Patr. Venet. Salom. & Adverſ. Epiſc.
1420. Reprandinus Urſatus Pat. Salom. & Adverſ. Epiſc.
1423. Leo de Lazara Canonicus Patavinus Lect. Primar. ex Arbore Genealogica Familiæ de Lazara p. 226.
1430. Ludovicus Calza Patav. Salom. Adverſ. Epiſcop.
Joannes de Leone } Adverſar.
Daniel de Doctoribus } Adverſar.
1433. Ubertus Trapolinus. Adverſar. Curiæ Epiſc.
1436. Joannes Kirchmayr de Monaco. Adverſ. Curiæ.
1441. Leonardus Baſiolus Pat. Salom. Adverſar.
1442. Barbonus Maurocenus Patr. Venet. Salom. Adverſ. Mant. n. 37.
Antonius de Leone Patav. Salom. Adverſ.
1466. Nicolaus de Spilimbergo. Adverſar. Curiæ.
Aloyſius Bertoldus Patav. Salom. Adverſ.
1469. Georgius de Priolis Patr. Venet. Salom. Adverſar.
1470. Joannes Baptiſta Paſchalico Patr. Venet. Salom. Adverſar.
Hieronymus Contareno Patr. Venet. Salom. Adverſar.
1471. Dominicus de Purcillis. Adverſ. Curiæ.
Joannes de Leone Junior Patav. Adverſ. Curiæ.
1472. Stephanus de Minis. Adverſ. Curiæ.
Antonius Urſatus Patav. Mantua n. 8.
Antonius Turchettus Patavinus. Mantua n. 9.
1476. Dominicus Canis Patav. Adverſ. Curiæ.
Comes de Alvarotis Patav. Adverſar. Mantua n. 81.
Paſchalinus de Maſtellariis. Adverſar.
1477. Bernardus Buzzacharinus Patav. Adverſar.
Franciſcus à Lignamine Patav. Salom. Adverſar.
1479. Angelus Buzzacharinus Patav. Curiæ Adverſar.
1480. Angelus Aretinus. Riccobonus p. 15. terg.
1482. Paulus Bagarotus Patav. Porten. p. 247.
1487. Michael Milarius. Adverſ. Curiæ.
Alexander Papafava Patav. Adverſar. Mantua n. 40.
1492. Salio Buzzacharinus Patav. Salom. Adverſar.
Alexander à Sole. Adverſar.
1496. Joannes de Manzano. Adverſar.
M. Antonius Baveria Imolenſis. Mant. n. 187. Port. 229.
1497. Hercules à S. Bonifacio. Adverſar.
Albertus de Rubertis. Adverſ.
1500. Aloyſius à Ponte Patav. Salom. Adverſar.
Bartholomæus Bagarotus Patav. Adverſar.
1501. Aloyſius Diſcalcius Patav. Adverſar.
1502. Lazarus Baldus Patav. Portin. p. 243.
Hector Saxonia Patav. Portin. p. 243.

1503.

1503. Laurentius Campeggius Bonon. Mantua n. 170.
1503. Gaſpar Uſatus Patav. Mantua n. 112.
1505. Antonius Zacco Patavin. Port. 237. Mant. n. 24.
1506. Aloyſius Porcellinus Patav. Portin. p. 236.
Nicolaus Caſtrenſis Patav. Portin. 236.
1506. Antonius à S. Leonardo. Mantua n. 30.
1507. Franciſcus Malchioſtrus, Portin. p. 230.
1518. Vincentius Salviolus aliàs ab Ocha Bononienſis. Mantua n. 228.
Alvarotus de Alvarotis Canon. Patav. Portin. p. 236.
Hieronymus Juſtus Patav. Portin. 246. Mantua n. 124.
1520. Franciſcus Parma Parmenſis. Mantua n. 100.
Auguſtinus Fatius Patav. Mantua n. 44. Portin. p. 236.
1524. Jo. Franciſcus Ozerius Tolentinas, Mantua n. 147.
1525. Antonius Caſalius. Portin. p. 237.
1526. Franciſcus Niconitius Dalmata è Corcyra nigra. Mantua n. 103.
1528. Gaſpar Caballinus Patav. Portin. 240. Mantua n. 116.
Marſilius Papafava Patav. Portin. 243. Mantua n. 184.
1529. Antonius Porcellinus Patav. Mantua n. 23. Portin. p. 237.
Hujus habemus notas in Matriculas.
1530. Julius Bonettus Tolentinas. Portin. 243.
1531. Bartholomæus Laurarius Patav. Mantua n. 56.
1535. Jo. Leoniſſa Patav. Mantua n. 144.
1539. Ludovicus Braynus Patav. Mantua n. 178.
1540. Arcuanus Buzzacharinus Patav. Port. 237. Mantua n. 26.
1541. Hieronymus Terolinus Patav. Portin. 239.
1544. Franciſcus Curtius Laudenſis. Portin. 239. Sanſon. in Diario A.
1548. Vincentius Rubeus Patav. Portin. 248. Mantua n. 230.
Jo. Philippus Imolenſis. Portin. 230.
Antonius Bagarotus Patav. Portin. 237.
1551. Angelus Buzzacharinus Patav. Portin. 237. Mant. n. 39.
1557. Andreas Malatinus Patav. Portin. 236.
1558. Aloyſius Branca. Portin. 46.
1559. Galeatius Ferro Patavin. Portin. 240.
1559. Baptiſta Panzetta Patav. Portin. 238.
1560. Antonius Carrarius Patav. Portin. p. 237.
1564. Nicolaus Giannotus Patav. Portin. p. 246.
1568. Michael Miliaria Patav. Portin. 245.
1570. Chriſtophorus ab Alexandris Patav. Portin. 238. Mant. n. 70.
1575. Bartholomæus Rolarius Patav. Portin. 238.
1581. Joannes Ficardus Francofurtenſis. Sanſonus in Diario A. 1524.

CAPU XIX.

Profeſſores Artium omiſſi.

1315. GUlielmus S. Sophia Patav. Medic. Portin. p. 254.
1359. Bartholomæus de Campo Medic. Adverſar. Curiæ.
Joannnes de Dondis, ponitur etiam ad annum 1404. in Adverſar.
1370. Michael Miliaria Bellunenſis. Pilonus Pilonus.
1400. Ludovicus Bertepalea Patav. Portin. 261.
1404. Bartholomæus à Mantua. Adverſar.
Martinus à Mantua. Adverſar.
1415. Julianus à Rhodigio. Adverſar.
Nicolaus de Brudigine. Adverſar.
1416. Franciſcus da Aneaſio. Adverſar.
1419. Ugo Bencius de Senis. Adverſar.
Joannes Ludovicus de Radicibus de Monte-Silice. Adverſar.
1442. Chriſtophorus de Barziziis de Bergomo. Adverſar.
Joannes Benedictus de Padua. Adverſar.
1444. Zacharias de Monte-Silice. Adverſar.

1448.

1448. Andreas de Majoribus Venetus. Adverſar.
1461. Matthiolus de Peruſio. Adverſar.
1465. Balthaſſar de Peruſio. Adverſar.
Antonius Bernardus Patr. Venet. Philoſophus. Adverſ.
Matthæus de Verona. } Adverſar.
Hieremias de Utino.
1469. Hieronymus de Vallibus. Adverſar.
1470. Jacobus de Ragazzonibus Venetus. Adverſ.
1472. Petrus Saccus de Verona. Adverſar.
1476. Chriſtophorus de Sopranis de Recanato. Adverſ.
Antonius de Muſſatis Patav.
Nicolaus Theatinus Vicentin. } Adverſar.
Petrus de Monte Silice.
Belletius de Monte Silice.
Hieronymus de Polcaſtris Patav. Adverſar.
Petrus Leonius Spoletinus. Jovius Elog. p. 67. Varrillæus in Anecdotis lib. 7. p. 155.
1477. Chriſtophorus Roccobonella. Adverſar.
Hermolaus Barbarus. } Adverſar.
Franciſcus de Torreſellis.
1479. Joannes Jacobus de Feltro. Adverſar.
1480. Petrus de Montagnana. Adverſar.
Petrus Carrerius Patav. Med. Portin. 255.
1487. Corradinus de Bergomo. Adverſar.
Vincentius Tuſcus Senenſis Philoſoph. Moralis. Adver.
1489. Lupatinus Antonius. Adverſ.
Victor Maripetro Venetus. Adverſ.
Proſdocimus Baldus Pat. Adverſ.
1492. Michael de Florentiolis Aſtrolog. & Mathem. Adverſ.
1493. Joſue de Cauciis Aſtronom. & Medic. Adverſ.
1495. D. Creticus Marcus Muſurus. Adverſ. Porcellin. ad Matriculas Salom. Inſcript. Gymn.
1496. Jo. Petrus de Carrariis. Adverſ.
Nicolaus de Zanettis. Adverſ.
Hieronymus Muſſatus. Adverſ.
1497. Bernardinus Malſperonus de Alvarotis. Adverſ.
Thomas Tagliavia de Concha.
Jo. Antonius Bucconus Moral Philoſoph.
Bernardinus Spazzarinus Patav. } Adverſar.
Auguſtinus de Bene.
Ricchardus de Piſellis de Sutrio.
Bartholomæus de Baronibus de Amandula Chirurgus Lector. Adverſ.
1498. Laurentius de Noali. } Adverſar.
Simon Eſtenſis.
1502. Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis ad Logicam. Adverſ.
Calphurnius Brixienſis ad Rhetoricam.
Hieronymus Surianus Patr. Venetus.
Bernardinus de Bonhenricis.
Philippus de Lambertis. } Adverſar.
Hieronymus à Mulſo.
Baptiſta de Barziziis de Bergomo.
1506. Benedictus de Oddis. Adverſar.
1520. Ludovicus da Carraria Patav. Medic. Portin. 232.
Brandaporus Mediolanenſis Philoſoph. Portin. 234.
1523. Laurentius à Saxoferrato Medic. Portin. 233.
Aurelius Thaddæus Patav. Philoſ. Portin. 256.
1527. Baptiſta Leonius Patav. Philoſ. Portin. 257.
Auguſtinus Baldus Patav. Humaniſta. Port. 233.
1531. Abracius de Abraciis Appulus Philoſ. Port. 251.
Magnus Mantuanus Medic. Portin. 233.

1532. Joannes Chiocchi Veronenſis ad lib. Elenchorum. Puteus Elog. p. 2.
Andreas Alpagus Bellunenſis. Pilonus Pilonus.
1538. Chriſtophorus Maximus Patav. Medic. Portin. 251.
Ludovicus Campolongo Patav. Medicus. Portin. 254.
1539. Antonius Soncinus Patav. Medic., & Philoſ. Portin. 250.
1540. Hieronymus Pindemontius Veronenſis ad Theoric. Medicin. Puteus Elog. p. 230.
Jo. Baptiſta à Puteo Veronenſis ad Medic. Extraord. Idem in append. ad Elog. p. 263.
1542. Hieronymus Urbinus Patav. Medic. Portin. 253.
1544. Hieronymus Tolentinus Patav. Medic. Portin. 253.
1546. Hieronymus Ferrarius Patav. Medic. Portin. ibid.
1553. Gaſpar Gabrielius Patav. Portin. 252.
1557. Angelus Cominius. Thuani Elog. Theiſſer Tom. 1. p. 125.
1560. Joſeph Ovetanus Patav. Medic. Portin. 252.
1563. Ludovicus Tomitanus Patav. Philoſ. Portin. 258.
1564. Marianus Stephanellus Patav. Medic. Portin. 254.
1575. Fabius Niſus Neapolitanus Medic. Portin. 233.
1582. Salvator Bortoluccius Aſſiſienſis Minorita Metaphy. Portin. p. 232.
Periander Noalius Patav. Chirurg. Portin. 262.
1583. Sanctus Citius Utinenſis Dominic. Theolog. Portin. 232.
1585. Jacobus Pernumia Patav. Philoſ. Port. 258.
1589. Franciſcus Zambonus Venetus S. Scripturæ Carmelita. Portin. 232.
1592. Evangeliſta Boſius Patav. Eremitan. Philoſ. Portin. 257.
1593. Joannes Rodulphus Sfortia Patav. Philoſ. & Medic. Port. 256. 273.
1605. Innocentius Florinus Patav. Chirurg. Portin. 262.
1606. Franciſcus à Sole Patav. Philoſ. Portin. 257.
1609. Gaſpar Ventura Atheſtinus Philoſ. Portin. 234.

SECTIO II.

De Profeſſoribus Juris & Artium ab anno MDCLIII. ad MDCCXXIV.

HActenus de iis actum eſt, quæ ad originem Gymnaſii noſtri, ſtatum, & incrementum, atque ſplendorem pertinent, ejuſdemque hoc noſtro tempore conſtitutionem, regimen, ordinem, mores, ac leges, quarum ductu virtuti, ſapientiæ, gloriæ militavit, ac militat: nunc de ipſis ejus militibus agendum eſt, nimirum de Profeſſoribus ipſis, dicendumque, quo nomine, ac patria ſint, fuerintve, qua in claſſe pro ſcientiis ſteterint, ſtentve, qua mercede ſudent Gymnaſio, aut inſudaverint, quo denique tempore eos, vel mors, vel honeſta miſſio munere, quo fungebantur, depulerit. Et eorum quidem, qui ante Annum MDCLIII. vixere, pleroſque cum Riccobonus breviter ſucceſſoribus propoſitis nominarit, latiùs & peculiariùs Tomaſinus poſteritati noſcendos expoſuit, non tamen aut ex merito, aut omnes ex debita hiſtoriæ diligentia, quorum alterum data proximè Mantiſſa probat, alterum hujus operis noſtri pars altera comprobabit; quam dum opportunè differimus, interea hic liber noſtri temporis Profeſſores ab anno, quo Tomaſinus deſiit ſcribere, dabit. Ex ejus ordine nomina, tempora, ſtipendia cujuſque annotabimus; ſi quid laudis occurret in viventibus ex gloria ſapientiæ, vel famâ ſcriptorum, ſignabimus, diſſimulabuntur cætera, ne aſſentationi videantur data, quæ vera ſunt, & Poſteritas, ſi minus veriùs, at fidentiùs conſtantiùſque celebrabit.

CAPUT I.

De Profeſſoribus Juris Canonici Mane in 1. loco ab Anno 1653. ad Annum 1724.

I. 1653. LÆlius Mancinus Canonicus Politianus, qui è Gymnaſio Piſano, mercede florenorum mille ad primam Sedem ſacrorum Canonum matutinam evocatus docere Patavii ceperat An. 1636. 4. Novembris, auctoque primùm ſtipendio ad Fl. mille ducentos An. 1642. 12. Octobris, mox iterum An. 1648. 25. Febr. auctarium Salarii acceperat Fl. 1500., in eo obiit 1654.

II. 1654. 14. Octobris. Mancino ſuffectus eſt Jacobus Sala, Canonicus Patavinus, translatus ab exedrâ claſſis ejuſdem ſecundâ, in qua merebat floren. 800. Auctum illi ſtipendium eſt ad nummos argenteos mille An. 1660. 25. Septembris, mox ad mille & ducentos Anno 1665. 15. Septembr. denique ad mille quadringentos An. 1671. 4. Novembr. deceſſit An. 1678. 19. Maii ſenex, virtute, ſapientiâ, gravitate, ac no-
(1) p. 360. bilitate inter Patavinos ab ultima ſtirpe Patritiâ venerabilis. Vide Inſcriptiones (1)
361. n. 36. Patavinas Salomonii.

III. 1676. 11. Februarii biennio poſt obitum Salæ ad hanc Sedem accitus è Neapolitano Gymnaſio venit flor. octingentorum mercede Hyacinthus Palumbus Neapolitanus, vir inter Italos, & in Patria, ſuâ ætate, ex Juriſprudentiæ gloriâ famâque clarus, at hìc infelix. Nam cùm primùm exedram aſcendiſſet, ut inde ſolemni diſſertatione coram Rectoribus Urbanis, doctiſſimis Profeſſoribus, maximâque, ut mos habet, auditorum frequentiâ, muneris initium caperet, paratorum repentè memoriâ deſtitutus, paucis extra propoſitum perturbatè propoſitis, planè conticuit, ac re infectâ è ſuggeſtu deſcendit: id quod homini, præſertim ab altero Rectorum immitiùs recepto, tantum mœroris fecit, ut exinde æger, diuque morbo ſontico conflictatus mortem obierit eodem anno.

IV. 1678. 17. Maii. Almericus Paſſarellus Ferrarienſis è Patrio Gymnaſio ad hanc Sedem evocatus Palumbo ſucceſſit octingentorum flor. ſtipendio. Docuit Canones triennio, deinde ad Juris Civilis veſpertinam interpretationem in primo loco traductus eſt.

V. 1681. 23. Octobris. Antonius Vaira Venetus, Excanonicus Forojulienſis è prima Inſtitutionum ad hanc Sedem aſcendit, aucto, quod habebat, ſtipendio ad flor. quadringentos. Ei hoc iterum auctum An. 1689. 17. Junii ad ſeptingentos, mox An. 1693. 26. Julii ad octoginta ſupra octingentos. Ad mille deinde An. 1703. Denique anno 1710. ad mille ac ducentos. Functus graviter, ac diligenter officio ſuo, ad Parentinas in Iſtria Inſulas provectus eſt biennio poſt An. 1712., undè poſtea ad Eccleſiam Adrienſem translatus, ibi etiamnum Sacris præeſt. Edidit volumen de OEcumenica Poteſtate, & Nomenclatione Romani Pontificis.

VI. 1712. 21. Januar. M. V. Nos Vairæ ſucceſſimus cum eo, quod merebamus, ſtipendio in prima Sede ſacrorum Canonum veſpertinâ flor. octingentorum. Hoc nobis excrevit ad mille An. 1714. 5. Decembris. In eo hæremus, ut ſpes Auctarii, nos ad hoc opus deproperandum alliciat. Reapſe hoc perfecto, & oblato munificentiſſimis Triumviris noſtræ ſpei reſpondit publica largitas, quę nos, dum hęc typis aptantur, ſtipendio mille quadringentorum auxit An. 1724. 10. Junii.

CAPUT II.

Profeſſores Juris Canonici matutini in 2. loco ab Anno MDCLIII. ad MDCCXXII.

I. JAcobus Sala Nob. & Canonicus Patavinus, ab Interpretatione feudorum ad hanc exedram traductus An. 1641. ſtipendio flor. 450., auctus eſt ad ſexcentos An. 1647. cui ducenti additi An. 1653., ut flor. octingentis doceret ex eadem ſede, undè ad primam ejuſdem ordinis traductus eſt, ut ſuperiùs notavimus.

II. 1654. 23 Octobris. Jo. Antonium Bonum ſucceſſorem habuit Presbyterum Ateſtinum cum flor. ducentis, cui ter auctum ſtipendium eſt, an. ſcilicet 1661. 11. Martii ad tre-

ad trecentos, Anno 1667. 23. Julii ad quadringentos; denique ad quingentos quinquaginta An. 1678. 5. April. Huic intra tempus conductionis extincto

III. 1684. 13. Decembris datus ſucceſſor eſt Joannes Palatius D. M. Canonicus, Venetus flot. quadringentis. Docuit utcunque per Annos circiter quatuor ex hac ſede, mox prænſare cœpit primam Canonum exedram veſpertinam, quæ olim vacua erat adlecto inter Auditores Rotæ Romanæ Antonio Pauluccio. Repulſam à Triumviris paſſus ſeceſſit Venetias, prælectionibus planè neglectis, ut officio vacaret Parochi S.M. Matris Domini, monituſque, tum ſtipendii mulctâ, tum minis pœnæ majoris, ut ad muneris Patavini officium rediret, pœnam prævenit, ſeque ſponte munere abdicavit. Scripſit multa, vel potiùs exſcripſit, quæ, ſi dignum videbitur, alibi recenſebimus.

IV. 1688. 29. Decembris hæc ſedes mihi neque petenti, ac ne cogitanti quidem conceſſa eſt. Præeram Collegio, ac Gymnaſio Juſtinopolitano apud Iſtros, cùm me inde auctoritas Publica abduxit: inii munus 3. Maii 1689. flor. quadringentis, qui Anno 1699. ad ſexcentos ſunt aucti.

V. 1705. 6. Auguſti mihi biennio ante ad primam Canonum ſedem veſpertinam translato ſucceſſit me longè præſtantior vir doctiſſimus D. Cyprianus Benalea Brixienſis Monachus Caſſinenſis, cui conſtituti pro ſtipendio flor. centum, & quinquaginta, aucti An. 1711. 12. Septembris ad trecentum.

VI. 1715. 28. Maii. Mihi iterum ſuffecto in veſpertina Canonum ſede primaria Cypriano Benaleæ ſubſtitutus eſt Petrus Bertoldus de Amatis Nob. Patavinus, Præpoſitus S. Sophiæ, Juriſconſultiſſimus vir. Is hunc locum implet doctrinæ gloriâ, auget reſponſis ad conſulentes datis crebertimè, venerabilem facit ſententiis inter diſſidentes ſapientiſſimè pronunciatis; ſtipendium ejus ducentis ſtetit, quod ad trecentos & quinquaginta flor. crevit An. 1723. 20. Junii.

CAPUT III.

Profeſſores Juris Canonici Matutini in 3. loco ad An. MDCLIII. ad An. MDCCXXIV.

I. Vacabat hæc ſedes, teſte Tomaſino (1), ab anno 1629. ad annum 1653. ſed & vacaverit ad annum 1659. propter eas de jure præcedendi, præſidendique controverſias, quæ diu inter Pro-Rectores Gymnaſii, & Patavinos Decuriones interceſſerunt, nec ante notatum annum compoſitæ ſunt. Quamobrem ſi quæ anno 1653., in quo Tomaſinus deſinit, vacabant exedræ tertianæ, vacarunt deinceps itidem ad annum proximum ſexageſimo, ſæculi XVI.

(1) lib. 3. c. 5. p. 244.

II. 1660. Data hæc ſedes eſt Ubertino Diſcalcio Nob. Patavino. Ei mox patuit ſedes explicationi regularum juris addicta anno 1664. Quare

III. 1665. Succeſſorem habuit Comit. Jo. Baptiſtam de Doctoribus Nob. Patavinum. Is quoque ad regulas juris exponendas provectus An. 1669. vacuam hanc ſedem reliquit biennio.

IV. 1672. Petrus Laurentius Malacreda Patavinus in illam ſubiit, quam tenuit per annos circiter tredecim, cum evocatus ad Parmenſe Gymnaſium, locum fecit

V. 1680. Petro Bertoldo de Amatis Nob. Patavino. Erat hic Antagoniſtes meus, cum alteram hujus ordinis exedram obtinebam. S. Sophiæ Præpoſitus renunciatus à Venerabili Card. Gregorio Barbadico, ſedem ceſſit

VI. 1691. Antonio Bombardino Nob. Patavino, qui ſubvectus triennio poſt ad ſedem Criminalium, ſucceſſorem habuit

VII. 1696. Carolum Pochinum Nob. Patavinum. Poſt annum ſeptimum ſponte ſe munere abdicavit, ut in Foro Patavino cauſidicum ageret, in quo etiamnum claret vir eloquentiſſimus, & eruditiſſimus, clarebitque profuſius ex edito nuper reſponſo: Utrùm Paduæ ſucceſſor ſingularis teneatur ſtare locationi.

VIII. 1705. Succeſſit Jo. Antonius Mori Patavinus. Is cùm ob crimina turpiter patrata ſolum vertiſſet, vacuam ſedem reliquit.

IX. 1708. Hanc obtinuit Carolus Antonius Solati Patavinus, eaque doctè, & utiliter functus eſt ad annum 1714., quo Sacerdotio apud Veronenſes auctus locum aperuit

X. 1716. Angelo Maraſchæ Patavino juveni elegantis ingenii.

CAPUT

CAPUT IV.

Profeſſores Juris Canonici ſero in 1. loco ab Anno MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. MArcus Matchianus Vicentinus, Patavinus Canonicus è ſecunda Canonum ſede matutina, in qua meruerat ab anno 1628. translatus ad primam Canonum veſpertinam an. 1631., in ea auctus eſt octingentorum ſtipendio an. 1649. 9. Octobris: erevit hoc ad quinquaginta ſupra mille an. 1656. 6. Julii. Provectus eſt ad Feltrenſis Ecclesiæ Præfecturam An. 1673. ad quam dum iter apparat, pius, & doctus ſenex obiit Patavii eodem anno Pridie Kal. Auguſti, ſepultus in Templo S. Matthæi Monialium D. Benedicti, ut noſces ex Salomonio (1).

(1) Inscript. Patav. 161. n. 3.

II. 1661. 22. Septembris. Marchiano ſuffectus eſt flor. quingentis quinquaginta ab exedra Codicis, quam poſt Pandectarum ſedem obtinuerat, Abb. Antonius Paulucius Venetus, Canonicus Patavinus; confirmatus acceſſione centum & quinquaginta an. 1665. ſtipendio flor. ſeptingentorum docuit ad an. 1671. quo annumeratus Senatusconſulto quatuor, qui ſolent à Republica Veneta Romano Pontifici proponi, ut unum ad Auditorum Romanæ Rotæ Collegium ſeligat, is ex fama ſapientiæ, quaſi præcipuus inter ſacrorum Canonum Interpretes Gymnaſii noſtri lectus eſt.

Vacavit hæc ſedes per annos fermè triginta, ſive prænſantibus multis, atque ambitu ipſo ſibi invicem impedimenta parantibus, ſive ea ſapientiæ Paulucii fama apud noſtrates fuit, ut illi parem crederent invenire ſe minimè poſſe; tandem

III. 1703. 22. Martii à ſecunda Canonum matutina nos evocati ad hunc honorem deſignatione Triumvirali, juſſuque Senatûs aſcendimus, ac tricennale ſilentium ſedis, deceſſorum, ac ſucceſſorum gloria conſpicuæ, abrupimus in eodem, quod merebamus, ſexcentorum ſtipendio, quodque auctum eſt anno 1708 25. Auguſti ad Octingentos.

IV. 1713. 25. Martii, nobis ad matutinam principem ſedem traductis ſubrogatus eſt D. Cyprianus Benalea Brixienſis Caſſinenſis Monachus è matutina ſecunda, quam poſt nos obtinebat, cum flor. trecentis, translatus. Pinguiore ſtipendio flor. quingentorum confirmatus an. 1718. 18. Auguſti eam ſedem nunc exornat eruditione Canonicâ ſingulari, diſſertationibus ſapientiſſimis, virtute comi, liberali, & ad pietatis normam exactâ.

CAPUT V.

De Profeſſoribus Juris Canonici Veſpertinis in 2. loco ad Annum MDCCXXIV.

I. OBtinebat hanc exedram Sebaſtianus Columbina Utinenſis ab anno 1632. 28 Octob. biſque aucto ſtipendio, cum An. 1640. 12. Septembris, tum An. 1646 12. Januarii docebat ad An. 1653. quo vivere deſiit, ætate, laboribuſque confectus.

II. 1653. 23. Octob. in ejus locum evaſit Julius Clemens Co: Scottus Placentinus, natus nobiliſſimo genere, ac majoribus de Republica Veneta optimè meritis. Is diu Societati Jeſu, cujus inſtitutum profeſſus fuerat, votis majoribus obligatus, ab ea deſciverat, atque extortis agebat Patavii; utque ex Ordine Sacro doctiſſimo, quam in eo ſapientiam didicerat, oſtentabat, hinc notus Jacobo Caimo juris civilis in prima Veſpertina ſede profeſſori clariſſimo, eo auſpice, Triumviris commendatus, & ex majorum eximiis meritis apud Venetos acceptus, ad primam ſedem extraordinariæ Philoſophiæ provectus eſt An. 1650. ſtipendio flor. 300. quod triennio poſt detulit ad ſecundam hanc Sacrorum Canonum veſpertinam ſedem Columbinæ ſucceſſor. Hoc munere quinquennio non integro functus eſt. Nam deſertæ religionis reum manifeſtarium, clauſtrique transfugam notum, publica pietas conceſſo ad vitam ſtipendio, ab officiis Gymnaſticis ceſſare juſſit. Vixit ad An. 1669., quo Patavii obiit VII. idus Octobris, conditus ad D. Auguſtini cum Epitaphio, quod leges apud Salomonium (2). Adverſus rationem ſtudiorum Societatis Jeſu ſcripſit infeliciſſimè, ut reliqui, quorum camarina hæc eſt. Eum Sfortia Cardinalis Pallavicinus, cognatus, & olim inſtituti ſocius, edito commentatio Vindicationum ſocietatis doctiſſimo, profligavit.

(2) Inſcript. Patav. p. 56. n. 52.

III. 1658.

III. 1658. 4. Aprilis Scotto ſucceſſit Vincentius Franciſconus Nob.& Canonicus Patavinus, Vir graviſſimus, & in aſſerendis Canonicorum ſuorum juribus longè omnium vindex accuratiſſimus. Docuit ab exedrâ Authenticorum ſuffectus Paulucio ab Anno 1653. flor. 80. Provecto ad hanc ſedem auctum ſtipendium ad 150., illudque iteratis acceſſionibus amplificavit. Nam confirmatus an. 1665. 13. Junii flor. ducentos, & quinquaginta meruit, mox ab anno 1670. 26. Novembris quadringentos, an. 1678. 17. Maii quingentos & quinquaginta; iterum an. 1682. 12. Septembr. octingentos. Deni-que an. 1698. 23. Auguſti ad ſummam flor. mille ſtipendium ejus excrevit. Obiit anno eodem Kalend. Novembr. ætat. LXVII. muneris publici XLVI Sepultus eſt in Templo Majori cum Elogio à nobis conſcripto: quod exhibet Salomonius (1). [1] Inſcript. Patav. p. 14. n. 69.

IV. 1699. 8. Auguſti. Poſt Franciſconum ab hac exedra docere cœpit flor. ducentis Antonius Conſtantini Bellinus Nob. Patavinus, Vir Juriſconſultiſſimus, nec ſapientiâ tantùm, verùm etiam probitate morum, ſuavitate conſuetudinis, facilitate docendi, atque erga diſcipulos charitate omnibus venerabilis. Auctus eſt an. 1710. ſtipendio trecentorum, mox quadringentorum quinquaginta, an. 1718. 18. Auguſti, quo etiam num docet ſummâ cum utilitate ſcholaſticæ juventutis, tum Gloriâ Gymnaſii. Edita ſunt ſine nomine aliqua ejus ſcripta pro Curia Epiſcopali adverſùs petita per Monachos S. Juſtinæ. Nihil illis in Jure ſolidius, uberius.

CAPUT VI.

De Profeſſoribus Juris Canonici Veſpertinis in tertio loco, ad Annum MDCCXXIV.

VAcua erat hæc Sedes ab anno 1628. ad annum 1653., ut habet Tomaſinus (2), vacaveritque diutius. (2) lib. 2. Gymn. cap. 8. p. 249.

I. 1660. Eam iniit Toldus Conſtantini Bellinus. Biennio poſt ad ſedem Authenticorum provecto ſucceſſit

II. 1663. D. Placidus Fraſcà Ord. S. Benedicti Monachus Caſſinenſis, Nob. Patavinus, diuque eâ perfunctus ad plures abiit.

III. 1676. Suffectus eſt Leonardus Badiolus Nob. Patavinus, qui non alium intra annum vigeſimum ſucceſſorem habuit.

IV. 1696. Excepit eum Antonius Bellinus Conſtantini Nob. Patavinus. Hoc ad ſecundam ejuſdem Ordinis translato an. 1699,

V. 1701. iniit hanc ſedem Aloyſius Savonarola Nob. Patavinus, quam obtinuit ſexennio poſt

VI. 1707. Comes Aloyſius Zabarella Nob. & Canonicus Patavinus. Hoc fatis erepto an. 1714. vacavit Sedes quadriennio.

VII. 1719. Gregorius de Campo S. Petri hanc habuit Nob. Patavinus, lectiſſimus juvenis, ac pereruditus, & ad majora natus, eamque nunc auget.

CAPUT VII.

Profeſſores matutini Juris Civilis in primo loco ab An. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. 1651. 7. MArtii. M. Aurelius Galvanus Ferrarienſis, qui ann. 1641. è Gymnaſio Piſano accitus honorario flor. nongentorum, & quinquaginta, & centum pro viatico, ſecundam hujus ordinis ſedem, pari tamen dignitate cum prima conſcenderat; mox auctus mercede nummorum mille centum, & quinquaginta in eadem ſede meruerat; evectus eſt ad hanc principem exedram, aucto ſtipendio ad mille quadringentos, & quinquaginta. Obiit intra tempus conductionis, condituſque eſt in Ædibus DD. Apoſtolis Simoni & Judæ Sacri, eodem tumulo, quo Alexandrum Juriſconſultiſſimum Patrem, ac Præceptorem ſuum ante annos XLVI. ipſe condiderat.

II. 1661. 22. Septembris Galvanum excepit Michael Pierucius Bondichius origine Florentinus, natus Colle in Oppido Hetruriæ ad Elſam fluvium. Vir variæ, multæque eruditionis, & pro ſuggeſtu diſertiſſimus, qui jam pridem in Gymnaſio noſtro meruerat. Primò in ſede Inſtitutionum ſecunda, par tamen primæ floren. quadringentis quinquaginta: deinde cum eodem ſtipendio Pandectarum Interpres, denique ſecundæ Veſpertinæ Juris Civilis Profeſſor octingentis flor. qui ad quinquaginta ſupra mille novis acceſſionibus excrevere ex hac prima ſede docenti uſque ad Annum

1678. quo deſiit eſſe mortalis Patavii, ſeptuagenario major. Jacet in magnifico Conditorio ad D. Franciſci Majoris cum Elogio, quod Salomonius exſcripſit (1).

(1) Inſcript. Patav. p. 325. nu. 6.

III. 1678. 5. Aprilis. Pierucio ſuffectus eſt mille & quadringentorum flor. ſtipendio Paulus Doctus, celeberrimus Juriſprudentiæ Præceptor, è cujus inſtitutione, privatique, ac publicâ ſcholâ clariſſimi, qui nunc in Urbe Patavina florent, Jureconſulti prodiere. An. 1635. ab interpretatione Regularum juris exorſus flor. centum, tum & ducentis, ad ſecundam Inſtitutionum aſcendit an. 1644 aucto ſtipendio ad quingentos. Inde ad primam Inſtitutionum provectus anno 1653. ſexcentorum mercede, meruit in ea ſede annis fermè viginti quinque, ſummo Gymnaſii cum plauſu, ac diſcipulorum utilitate; multiſque ſtipendiorum acceſſionibus honoratus, ad eam ſummam pervenit, quam notavimus: in illa Primarius Profeſſor Juris Civilis vivere deſiit intra annum conductionis.

IV. 1681. 23. Octobr. In locum Docti ſubrogatus eſt flor. octingentorum ſtipendio accerſitus à Patria, quam Cauſarum Patronus clariſſimus illuſtrabat, Aloyſius Othelius, Nobilis Utinenſis, è poſteris, atque familia M. Antonii Profeſſoris celeberrimi, & de Gymnaſio noſtro optimè meriti. Ann. 1692. 21. Julii auctum illi ſtipendium eſt ad mille, eoque docuit ad an. 1702. quo laboribus ac ſenio confectus abdicavit ſe munere, datumque illi an. 1703. 20. Dec. ut miles meritus acceptâ rude, in quadringentis reliquum vitę quietè tranſigeret.

V. 1703. 27. Septembris, ſucceſſit Stephanus à Nivibus Cardeira comes & Eques Luſitanus, vir planè doctus, à Pandectarum & Codicis exedra ad hanc translatus, aucto ſtipendio ad ſeptingentos floren. qui an. 1710. 18. Decembris ad nongentos excrevere, anno verò 1720. 8. Julii ad Millenos. In ſenio pluſquam ſurdaſter, & penè non captus oculis Profeſſorum diligentiſſimus fuit; nec unquam vel in extrema, & incommoda ſenectute ſibi fas eſſe cenſuit, ab ulla prælectione vacare. Deceſſit Patavii octogenario major ann. 1720. 15. Julii, conditus in Baſilica Antoniana. Librum edidit inſcriptum *Clava Pontificia*, quâ ſperavit, hoſtes Sacri Romanorum Pontificum Imperii poſſe à ſe conteri, productis è Canonum apud noſtrates receptorum auctoritatibus, & rationibus translativis: at nonniſi armis majoribus cum his hoſtibus congredi, utile ac decorum eſt.

VI. 1721. 19. Auguſti. Joannes Baptiſta Ceſſis, oriundus Bergomo, natus Patavii ad ſedem hanc venit ſummâ gratulatione Gymnaſii totius, cujus lectiſſimam juventutem per annos fermè undetriginta primæ ſedis Inſtitutionum Profeſſor, ad veros, puroſque Juris utriuſque fontes deduxit, ſincero ſolidoque doctrinæ pabulo aluit, infinitâ rerum ad legalem ſcientiam ſpectantium notitiâ ditavit. In eadem conductione flor. ſexcentorum & quinquaginta hanc exedram iniit eodem anno 17. Decembris ſolemni prælectione, auditorum frequentiâ maxima, omnium ſummo cum plauſu, & commendatione, quam blandè extorquet ab omnibus vir in omnes beneficus, apud omnes gratioſus, & quod rarum eſt, mirę in ſumma ſapientię gloria, ex qua Monarcha legum apud nos audit, modeſtiæ. Quæ edidit recenſebimus inferius, quæ poſteris profutura, aucturaque Gymnaſii noſtri gloriam, ſcripſit, aut ſcribit, Reſponſa plurima, Juris Veneti Juri Romano priſco reſpondentem Prudentiam, Practicam Inſtitutionem Judicis, de re ſacra & profana cognituri, alia multa cedro, & immortalitate digna, ſi per importunos conſulentes, & Arbitraria Judicia perpetua licebit, typi vulgabunt. Ann. 1723. auctum eſt illi ſtipendium ad octingentos 2. Decembris. At hoc ipſo anno 1725. vir Juriſconſultorum noſtrâ ætate maximus ab Auguſto Senatu ad Conſilia & Juris Reſponſa publica lectus ita publicæ Majeſtati ſervit, ut noſtro ſimul Gymnaſio militet, quod illum nec totum capit, nec eo carere omnino poteſt.

CAPUT VIII.

Profeſſores matutini Juris Cæſarei in ſecundo loco ab An. MDCLIII. ad An. MDCCXXV.

I. M. Aurelius Galvanus Ferrarienſis ex hac ſede docebat ab An. 1647. quo 5. Februarii auctum illi ſtipendium eſt ad flor. mille centum & quinquaginta. Ann. 1551. provectus ad ſedem ejuſdem claſſis primam, hanc vacuam reliquit.

II. 1653. 5. Februarii ea conceſſa eſt tranſlato ab exedra Inſtitutionum prima cum flor. ſeptingentis Antonio Aloyſio Aldrighetto Nob. Patavino, viro Juriſconſultiſſimo & judiciis, ac publicis muneribus Patriæ commendato. Auctum illi ſtipendium eſt ad flor. nongentos quinquaginta an. 1657 14. Aprilis, atque intra tempus conductionis acceſſio dignitatis facta, traducto ad ſecundam veſpertinam Juris Civilis.

III. 1661. 10. Februarii ſucceſſorem habuit Paulum Doctum à Caſtro-Franco, ſeptingentis octoginta docturum. Docuit deinde flor. mille ab ann. 1665. 18. Maii: mox mille ac ducentis an. 1672. 27. Julii: denique mille & quadringentis 1677. 10. Martii, poſt quem annum evectus ad primam ſedem Juris Civilis matutini hanc ceſſit. IV.

IV. 1678. 25. Junii Jo. Baptiſtæ Gnagnoto Patavino, qui dudum in prima Inſtitutionum ſede prælegebat ab An. 1676. flor. trecentis, confirmato an. 1680. 20. Julii crevit honorarium ad quadringentos quinquaginta, deinde ad quingentos triginta an. 1691. 20. Decembris; denique ad ſexcentos triginta an. 1703. 7. Februarii: nec diu ſuperſtes fuit, mœrore confectus, quòd quam prænſabat matutinam exedram primam, alius obtinuiſſet. Conticuit hæc ſedes ferè per annos octo.

V. 1711. 8. Octobris data eſt Fauſto de Pace civi ab origine Veneto ad ſtipendium trecentorum, quo merebat anno 1722., cum ſcribebamus; nunc additis centum, an. 1724. 10. Junii ſapientiæ militat quadringentis.

CAPUT IX.

Profeſſores Juris Cæſarei in prima ſede veſpertina ab An. MDCLIII. ad An. MDCCXXIV.

I. CArbonchio ſubrogatus Jacobus Caimus (1), Tiſſani Comes anno 1651. 3. Martii ſedem hanc iniit flor. nongentis inſtructus: hos illi trecentorum acceſſione ad mille ac ducentos Senatus auxit an. 1654. 10. Oct. iterumque an. 1660. 20. Novembr. ad mille quadringentos; mox tertiùm confirmato mille ſeptingentos decrevit anno 1666. 18. Auguſti, quos denique ad mille nongentos produxit anno 1676. 12. Aprilis, atque in tam amplo honorario deceſſit Patavii anno 1678. 14. Februarii. Vir Gymnaſio noſtro memorabilis, ſive gravitatem vitæ, ſive præſtantiam doctrinæ, ſive ſpectes morum integritatem, & ſtudium erga Gymnaſium, cujus gloriæ, atque incolumitati curis omnibus militavit. Conditus eſt in Baſilica Antoniana cum elogio, quod exhibet Salom.(2)

(1) Tom. Gym. lib. 2. c. 12. p. 256.

II. 1681. 23. Octob. ſuffectus eſt Almericus Paſſarellus Ferrarienſis è prima Sede matutina Canonum ad hanc traductus cum eo, quod merebat ſtipendio flor. octingentorum. Nec diu ex hac docuit vir doctiſſimus: nam cùm ſenex decrepitus os maritali capiſtro porrexiſſet, hôc ad ſepulcrum pertractus eſt; jacetque ſine titulo in Ædibus D. Franciſco majori ſacris Patavii.

(2) Inſcrip. Patavin. p. 362. n. 40.

III. 1682. 12. Septembris Julius à Puteo Eques, & Marchio Veronenſis ſucceſſit, ſpectatiſſimæ famę vir, cui minimè reſpondit ab exedra, quam ſenex iniit flor. octingentis. Auctum illi ſtipendium eſt ad octingentos octoginta an. 1691. 10. Januarii M.V. Ætate confectus obiit in Patria an. 1693.

IV. 1694. 28. Julii ſedem vacantem Senatus ſanxit Jo. Baptiſtæ Rainis Veneto evocato cum eodem quingentorum ſtipendio ab exedra ſecundâ Claſſis ejuſdem anno 1699. accrevit illi ſtipendium ad ſexcentos octoginta, qui aucti ſunt ad octingentos triginta an. 1708. Denique mille decreti ſunt an. 1715., quamvis ęgrotanti graviſſimè: & quidem ex merito; quippé vir elegantiſſimę literaturæ, eruditiſſimæ verò Juriſprudentiæ, licet apoplecticus, parte dextera corporis obſtupuerit, attamen munere ſuo fungitur gnaviter, atque diphoro delatus in Gymnaſium, ex eo docet, cæteriſque Gymnaſticis functionibus, quaſi corporis integrâ valetudine utatur, operam impendit egregiam. His laboribus hoc an. 1725. ſuccubuit è vivis ereptus 24. Julii legatis Bibliothecæ Gymnaſticę lectiſſimis Codicibus, queis utebatur. Ei ſucceſſor deſignatus eſt Antonius Bombardinus Primicerius Patavinus ab exedra Criminalium ad hanc evectus.

CAPUT X.

Profeſſores in ſecunda Sede veſpertina Juris Cæſarei ab An. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. SCrutabatur arcana (3) Juriſprudentię in hac Sede Jacobus Caimus Utinenſis, Tiſſani Comes ab an. 1648. 24. Aprilis cum nongentorum fl. ſtipendio. Tranſlato ad primam Sedem anno 1651. poſt annos quatuor

(3) Tomaſ. lib. 2. Gym. c. 13. p. 258.

II. 1655. datus ſucceſſor cum honorario flor. octingentorum Jo. Michael Pierucius Bondichius Florentinus è Colle Oppido Thuſciæ ad Elſam.

III. 1661. 14. Januarii Antonius Aloyſius Aldrighettus Nob. Patavinus Pierucii ad ſedem Juris Civilis matutini primam tranſlati vices ſubire juſſus eſt cum æqualitate primi loci, & ſtipendio flor. mille centum & quinquaginta, quibus pridem in altera ſede Juris Civilis matutini merebat. Excrevit ei honorarium ad mille quadringentos an. 1668. 19. Maii. Deceſſit eodem anno 24. Auguſti.

IV. 1668. 5. Decembris in ejus locum ſubiit cum flor. trecentis Pandectarum Interpres Achilles Bonfius Nob. Patavinus. Confirmatus an. 1673. 8. Junii mercedem habuit flor. quadringentos, qui an. 1678. 13. Julii ad quingentos & viginti crevere. Huic muneri addictus è vivis exceſſit an. 1683. 3. Auguſti.

V. 1684. 29. Aprilis. Hunc excepit ab Exedra Inſtitutionum prima Jo. Baptiſta Caſtellus Patavinus, conductus flor. ducentis. Hi confirmato an. 1686. 25. Januarii producti ſunt ad quadringentos; eoque laborum præmio vir aeris, & acutæ juriſprudentiæ, ſed aſperioris, ac ſiniſterioris ingenii, vivere deſiit anno 1692. 31. Octobr.

VI. 1693. 10. Aprilis à Pandectarum, & Codicis interpretatione ad hanc exedram venit eum quingentorum ſtipendio Jo. Baptiſta Rainis Venetus, provectus biennio poſt ad primam veſpertinam hujus claſſis ſedem.

VII. 1695. 7. Maii. Hanc poſt Rainis obtinuit Stephanus à Nivibus Cardeira Comes & Eques Luſitanus, à prima Inſtitutionum ſede traductus eum eo, quod merebat, ſexcentorum ſtipendio, quodque auctum ad ſeptingentos an. 1703. 20. Decembris. Hoc ad primam ſedem Juris Civilis matutinam provecto, vacavit hæc fermè quinquennio.

VIII. 1708. 28. Decembris conceſſa eſt Pandectarum, & Codicis interpreti Vincentio Viali Patavino, cui auctum eſt honorarium ad ducentos, & quinquaginta flor. qui confirmato ann. 1719. 16. Martii ad trecentorum & quinquaginta ad hunc annum excrevere.

CAPUT XI.

De Profeſſoribus Juris Civilis Veſpertini in tertio loco ad annum MDCCXXIV.

(1) lib. 2. Gym. c. 14. p. 159. VAcabat hæc quoque Sedes, ut reliquæ tertianæ, authore Tomaſino (1) ab an. 1629. vacaveritque poſt annum 1653. diu eaſdem ob cauſas, ad annum ſcilicet

I. 1659. Quo eam obtinuit Franciſcus Salinerius nob. Patavinus, cui poſt quadriennium ſuffectus eſt

II. 1664. Franciſcus Savonarola nob. Patavinus; atque hunc quinquennio poſt excepit

III. 1669. Vincentius Viali Patavinus, qui hanc per annos duodetriginta egregiè procuravit, multiſque propterea extra ordinem privilegiis Senatuſconſulto auctus eſt; ut nimirum, quamvis non ex ordine Profeſſorum, qui datis à Principe Sedes obtinent, attamen & jus Collegii Patavini haberet, & functionibus didaſcalicis intereſſet. Eo ad ſedem Pandectarum & Codicis anno 1697. traducto vacavit hęc exedra biennio.

IV. 1699. Ceſſit juri Antonii Panzoldi Patavini, quo è vivis erepto poſt annos XXI. peracti muneris

V. 1721. Data eſt Jo. Baptiſtę Gombetti Patavino, juveni egregiæ indolis, ac militaturæ Gymnaſio pari gloriâ cum Patruo Sanctę, ſummo patrono cauſarum in Foro Patavino.

CAPUT XII.

De Profeſſoribus Criminalium diebus Extraordinariis ab anno MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. MIlle ac trecentis flor. de Re Criminali diſceptabat in hoc Gymnaſio celeberrimus Profeſſorum ſui temporis Joannes Galvanus Patavinus, de quo nos plura ſuo loco.
(2) lib. 2. c. 15. p. 161. Exorſus ab. an. 1620., ut habes ex Tomaſino (2) ſingulis ſexenniis amplè illi auctum ſtipendium eſt, eâque ſtipendii ſummâ, quam notavimus, merebat in hac parte Juriſprudentię ad an. 1656. quo merces crevit ad mille quingentos quinquaginta flor. 28. Septembris. Denique ad mille ſexcentos quinquaginta an. 1662. 16. Novemb. Deceſſit an. 1665. 7. Auguſti.

II. 1665. 4. Septembris. Deceſſori tanto datus eſt ſucceſſor Ubertinus Diſcalcius nob. Patavinus, Exprofeſſor Regularum juris, vir doctrinâ, virtute, cęteriſque ingenuæ nobilitatis ornamentis conſpicuus. Meruit ad an. 1673. 8. Junii flor. centum & quinquaginta, mox aucto ſtipendio flor. ducentis quinquaginta ad an. 1679. 13. Septembris, inde quadringentis quinquaginta ad an. 1683. 5. Februarii, qui crevere ad ſexcentos quinquaginta eo anno, ac menſe; denique ad ſeptingentos quinquaginta an. 1692. 23. Julii. In hac mercede laborum diem ultimum obiit 2. Februarii 1694.

III. 1694. 21. Julii ſuffectus eſt ex tertia juris Canonici matutini Antonius Bombardinus nob. Patavinus, nunc in Patavino Canonicorum Collegio Primicerius, conductus flor. 200. cui confirmato an. 1708. 28. Februarii crevere ad trecentos. Auctum deinde ſtipendium factâ ducentorum acceſſione in quingentis ſtetit an. 1715. 5. Octobris; anno verò quo ſcribimus iteratâ acceſſione ſeptingentis conſtat viro clariſſimo, & elegantiſſimi ingenii, ſive Latinè, ſive Italicè diſſerendum ſit, aut tractanda Muſarum venuſtas. Edi-

Digitized by Google

Edidit librum de Carcere, & antiquo ejus uſu ad hæc uſque tempora deducto. Laudatur in Ephemeride literatorum (1). Hoc an. 1725. datus eſt ſucceſſor in prima ſede Juris Civilis veſpertini Jo. Bapt. Rainis.

(1) Tom. 18. p. 63. 64.

CAPUT XIII.

De Profeſſoribus Pandectarum, & Codicis diebus extraord. ab anno MDCLIII. ad MDCCXXIV.

HÆc ſedes ſecta bifariam, cum olim, tum intra tempus de quo ſcribimus, diverſis horis Pandectas à Codice ſeparatas interpretata eſt. Noſtra tandem ætate in unam abiit, eundemque nunc habet interpretem, qui Codicis titulo adjectas in Gymnaſio Pandectas auditoribus explicat.

I. *1653.* à 30. Maii explanabat Pandectarum libros Antonius Paulucius Venetus, Canonicus Patavinus, ab Authenticorum ad hanc ſedem translatus ſtipendio flor. quadringentorum, cui attulit incrementum ad quingentos, & quinquaginta annus *1659.* 18. Martii. Ei ad primam ſedem veſpertinam juris Canonici provecto

II. *1661.* 14. Januarii datus ſucceſſor eſt Achilles Bonſius, nob. Patavinus mercede flor. centum & ſexaginta, cui confirmato crevere ad trecentos an. *1666.* 5. Maii. Biennio poſt ad ſecundam juris Civilis veſpertinam evaſit.

III. *1668.* 22. Decembris ſubrogatus ab exedra Codicis ad hanc aſcendit honorario flor. trecentorum, & quinquaginta Joannes Capivaceus nob. Patavinus. Obiit anno *1669.*

IV. *1669.* Succeſſit ab altera Inſtitutionum ſede 21. Decembris, conductus flor. trecentis, Nicolaus Gagliardus Tridentinus. Hoc è vivis erepto an. *1681.* 23. Decembris hæc exedra planè conticuit, atque ex hac, & altera Codicis, una ad utrumque munus præſtandum deinceps Senatusconſulto coaluit. Interim docebat in ſede Codicis ſtipendio flor. centum Achilles Bonſius nob. Patavinus ab an. *1653.* 24. Septembris. Confirmatus auctario centum & ſexaginta an. *1661.* 11. Martii, exactoque biennio, interpretationem iniit Pandectarum.

V. *1662.* 29. Aprilis ſucceſſit ad Codicem Joannes Capivaceus nob. Patavinus ſtipendio ducentorum viginti, quo aucto in eadem ſede meruit flor. trecentis, & quinquaginta ab an. *1666.* 23. Martii Biennio poſt provectus ad interpretationem Pandectarum

VI. *1669.* 11. Novembris locum aperuit Aloyſio Angeli à Regulis Juris ad hanc Codicis exedram provecto flor. centum & quinquaginta. Confirmato dati flor. ducenti anno *1676.* 21. Januarii, creveruntque ad trecentos anno *1682.* 20. Junii, atque hac mercede operam dedit publicæ utilitati ad annum *1687.* quo vivere deſiit 12. Julii.

VII. 1687. 25. Septembris vacuam Codicis exedram, ſed adjecto Pandectarum explanandarum onere graviorem, dictamque deinceps Pandectarum, & Codicis, conſcendit Jo. Baptiſta Rainis Venetus, honoratus ducentorum, & quinquaginta flor. ſtipendio. Nondum exacto conductionis tempore ad ſecundam juris Civilis veſpertini traductus eſt.

VIII. *1692.* 23. Julii. Subiit in ejus locum Stephanus à Nivibus Cardeira flor. quadringentorum quinquaginta ſtipendio. Creverunt hi ad ſexcentos confirmato ann. *1694.* 3. Februarii. Translato ad ſecundam ſedem veſpertinam juris Civilis anno ſequenti

IX. *1697.* 3. Octobris ſubrogatus eſt in hac exedra, quę triennio vacaverat, Vincentius Viali Patavinus, habuitque pro mercede flor. centum & quinquaginta; ſed & hic tranſlatus eſt ad ſecundam ſedem Juris Civilis veſpertini.

X. *1709.* 26. Septemb. Succeſſit Comes Andreas à Nivibus Cardeira Stephani filius mercede flor. centum & quinquaginta, decennio poſt confirmatus aucto ſtipendio ad trecentos an. *1619.* 16. Martii.

CAPUT XIV.

Profeſſores Inſtitutionum Imperialium in primo loco ab an. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. *1653.* DOcebat ab hac ſede ſummâ cum diſcipulorum utilitate, nec minore plauſu acutiſſimus Juriſconſultorum ſui temporis Paulus Doctus à Caſtro Franco flor. ſexcentis. Confirmatus anno *1659.* 26. Januar. eodem munere functus eſt flor. ſeptingentis octoginta. Ad alteram juris Civilis matutini cum aſcendiſſet,

II. *1661.* 10. Februarii ſucceſſor Docto datus eſt Joſeph Marchius Appulus flor. centum & viginti. Confirmatus incremento mercedis an *1663.* 28. Septembris docuit flor. trecentis, conductuſque tertiò florenis quingentis an. *1668.* 23. Decembris nondum finitâ conductione elocavit ſibi ſepulcrum moriens circa annum *1673.*

III. 1674. 23. Jannarii ſubſtitutus eſt Jo. Baptiſta Gnagnottus Patavinus mercede Florenorum centum, & octoginta, qui ad trecentos crevere confirmato an. 1676. 11. Aprilis. Provecto ad alteram ſedem juris Civilis matutini

IV. 1678. 25. Junii datus eſt ſucceſſor Antonius Vaira Venetus florenis centum, & octoginta, quibus dudum in ſecunda hujus claſſis exedrâ militaverat. Hic ubi ad matutinam Canonum interpretationem in primo loco ſubvectus eſſet,

V. 1681. 29. Octobris in ejus locum ſubiit Jo. Baptiſta Caſtellius Patavinus flor. ducentis. Verùm cùm hic, biennio poſt, operam ſuam elocaſſet exedræ ſecundæ veſpertinæ juris Civilis

VI. 1683. 12. Septembris Carolus Thebaldus Patavinus hanc ſedem obtinuit honorario flor. ducentorum, vixque biennio ſuperſtes, eſſe inter mortales deſiit 18. Septemb. 1685.

VII. 1685. 5. Januarii M.V. hoc eſt 1686. ſuffectus Thebaldo Stephanus à Nivibus Cardeira Luſitanus à ſecunda ad hanc hujus Ordinis primam ſedem evocatus detulit idem ſtipendium flor. ducentorum, & quinquaginta, quod an. 1687. 25. Septembris auctum ad quinquaginta ſupra quadringentos. Quinquennio ab hac exedra docuit, evaſitque ad ſedem Pandectarum, & Codicis.

VIII. 1692. 16. Auguſti ſucceſſorem accepit, bono omine, eximiâ Gymnaſii noſtri felicitate, miro diſcipulorum profectu, uſuque, virum virtutis raræ, ſingulariſque in utroque jure ſcientiæ, Jo. Baptiſtam Ceſſis Bergomatem. Conductus cum flor. ducentis docuit ab hac ſede annos undetriginta, ter aucto ſtipendio; an. 1708. 28. Februarii ad quingentos; an. 1717. 15. Aprilis ad ſexcentos quinquaginta. Ejus clariſſimis meritis, laboribus utiliſſimis, nomini, famæ, ſapientiæ apud exteros quoque notiſſimæ præmium datum prima juris Civilis exedra matutina. Scripta ab eo edita uſu, plauſuque communi probata laudantur; *Index ſelectarum Quæſtionum ad Auroram Legalem Caroli Thebaldi. Notæ præfixæ editioni Patavinæ Weſembecii; de Urbe Roma, & aliis pluribus ad Juriſconſultos, & Juriſprudentiam pertinentibus. Diviſiones ſingulorum Weſembecii titulorum.*

IX. 1721. 19. Auguſti tanto viro ſuffectus eſt flor. quadringentis quinquaginta Joſeph Alaleonius Maceratenſis. Diſſertationem luculentiſſimam, & in latinitate nitidiſſima refertam nervoſis laudibus Juriſprudentiæ ex Platone, & Tullio petitis habuit. 21. Decemb.

CAPUT XV.

Profeſſores Inſtitutionum in ſecundo loco ab An. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. 1653. 24. Septemb. PAulo Docto ad primam ſedem claſſis hujus evecto ſucceſſit ſtipendio flor. 200. Felix Rubeus Vicentinus. Deceſſit an. 1660.

II. 1661. 8. Decembris Nicolao Gagliardo Sacerdoti Tridentino hæc ſedes patuit mercede flor. centum, & quinquaginta, qui acceſſione dupli ad trecentos excrevere an. 1668. 19. Maii.

III. 1670. 24. Maii data eſt Jo. Baptiſtæ Gnagnotto Patavino in exiguo ſatis ſtipendio flor. octoginta. Quadriennio poſt

IV. 1674. 20. Februarii ſucceſſit Antonius Vaira Venetus, cujus merces intra centum, & octoginta ſtetit, atque intra quinquennium

V. 1679. 25. Junii excepit Vairam Jo. Baptiſta Caſtellius Patavinus ſtipendio flor. centum. Quo ad altiora provecto

VI. 1681. 29. Octobris, hæc ſedes patuit Stephano à Nivibus Cardeiræ Luſitano mercede flor. ducentorum quinquaginta.

VII. 1685. 5. Januar. idem ſtipendium datum Jo. Baptiſtæ Rainis Veneto Carderiæ ſuffecto. Translatus eſt ad ſedem Pandectarum.

VIII. 1687. 25. Septembris in ſedem hanc ſubiit eâdem ducentorum quinquaginta mercede conductus Camillus Othelius Nob. Utinenſis, Aloyſii Profeſſoris primarii filius, vir in forenſibus cauſis, ac judiciis verſatiſſimus, ingenuæ nobilitatis exemplar, & ad omnem modeſtiæ, ac virtutis normam compoſitus. Docuit in eodem honorario ad an. 1703. quo patrem ob ſenium rude donatum ſecutus in patriam, hoc ſe munere libens volens abdicavit.

IX. 1708. 22. Septembr. Sedes hæc vacua conceſſa eſt Ludovico Pighio Jacobi celeberrimi Profeſſoris filio. Merces illi conſtituta flor. ducenti, qui aucti ſunt ad trecentos an. 1717. 15. April. ad quadringentos an. 1724. 18. Novembris.

C A-

CAPUT XVI.

De Profeſſoribus Inſtitutionum in tertio loco, ab an. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

EX Tomaſino (1) vacua erat hæc ſedes ab anno 1632. & vacaverit ad annum 1659.

(1) lib. 1. Gymn. c. 10. p. 168.

I. 1660. In eam aſcendit Aloyſius Angeli Patavinus. Provectus ad ſedem Artis Notariæ,

II. 1665. hanc ſedem reliquit Ludovico Juſtachino Patavino, quo itidem ad ſedem Artis ejuſdem translato

III. 1667. ceſſit hæc juri Joannis Baptiſtæ Gnagnotti Patavini. Evectus hic etiam ad ſecundam Inſtitutionum eſt.

IV. 1671. In vacuam ſedem ſubiit David Cattaneus Lendenatienſis, cui ſuffectus eſt.

V. 1673. Jo. Baptiſta Caſtellius Patavinus; huic verò ad ſecundam Inſtitutionum traducto

VI. 1678. Firmanus Pochini Antonii clariſſimi cauſidici in patrio foro filius, nob. Patavinus, vir ſummi ingenii, & ſi ſors non læva fuiſſet, ſingulare decus Gymnaſio facturus.

VII. 1683. Succeſſit Aloyſius à Campo Sancti Petri nob. Patavinus, gravitate morum, ac ſapientiâ, publicisque patriæ muneribus planè conſpicuus.

VIII. 1696. Matthæus Bellinus Conſtantini nob. Patavinus, poſt triennium munus demandavit

IX. 1699. Petro Antonio Flexatò Patavino. Is intra triennium obiit.

X. 1707. Vacuam triennio ſedem iniit Nicolaus Barbaroſſa nob. Patavinus. Poſt annos octo ad ſedem Regularum juris translato

XI. 1716. Michael Fantonus nob. Patavinus ſuffectus, tyronibus juriſprudentiæ non inutilem operam præſtat.

CAPUT XVII.

Profeſſores Feudorum diebus extraordinariis ad An. MDCCXXIV.

I. 1653. 27. Septemb. SCipio Gonemius nobiliſſimus Cyprius à Regularum Juris interpretatione, cui ab an. 1629. inſudaverat, evocatus ad hanc ſedem, aucto ſtipendio ad flor. ſexcentos docere cœpit. Auctario centum, & quinquaginta profitebatur ex hac exedra flor. ſeptingentis, & quinquaginta an. 1659. 12. Januarii. Inde anno 1666. 5. Maii merebat flor. nongentis, qui aucti ſunt ad mille, & quinquaginta an. 1672. 27. Julii, mox ad trecentos ſupra mille an. 1679. 13. Septembr. His cùm acceſſiſſent ducenti, ſedem hanc inſigni virtutis, ac ſapientiæ famâ clarus augebat flor. mille, & quingentis ab an. 1683. 5. Februarii. Stetitque in hac ſummâ ſtipendium confirmato an. 1692. 16. Auguſti. Poſt ſexennium, petitâ rude, miſſione honorariâ ob ætatem decrepitam annorum XCIV. donato, cumulatoque ad meritorum argumentum equeſtri ab Senatu ordine, diminutum ſtipendium eſt intra flor. ſexcentos. Obiit biennio poſt vir. clar. an. 1700. 25. Novembris, qua ante annos XCVI. vivere cœperat.

II. 1698. 8. Auguſti. Excepit Profeſſoris tanti munus flor. ducentis conductus Parmeſanus Curtivo de Sanctis nob. Patavinus è legatione ordinaria patriæ Venetiis datus adhuc ſuperſtiti Gonemio ſucceſſor, cujus ad gloriam, ac famam aſſurgit jura Regalia copiosè, eruditè, doctè, atque eleganter enucleans, ſibique apud omnes gratiam officioſè prudentiæ laude concilians. Confirmato an. 1707. 27. Aprilis crevit ſtipendium ad quadringentos, mox ad ſexcentos an. 1713. 23. Auguſti. Nunc ab anno 1719. 29. Septembris ſeptingentis, & quinquaginta docet.

CAPUT XVIII.

De Profeſſoribus Authenticorum diebus extraordinariis ad Annum MDCCXXIV.

I. 1653. 30. Maii. DOcebat flor. octoginta in hac ſede Paulucio ſubrogatus Vincentius Franciſconus nob. & Canonicus Patavinus, qui triennio poſt traductus ad ſecundam ſacrorum Canonum veſpertinam, Authenticorum tractationem reſignavit

II.

II. 1658. 4. Aprilis Joſepho Marchio Appulo, conducto flor. centum & viginti. Translato ad primam inſtitutionum an. 1661.

III. 1662. 15. Septembris ſucceſſit Toldus Bellinus Conſtantini nob. Patavinus ſtipendio flor. octoginta, quod auctum ad centum & ſexaginta an. 1669. 2. Septembris; deinde ad ducentos & quinquaginta an. 1676. 6. Julii. Iterum ad trecentos quinquaginta an. 1682. 29. Julii; exinde an. 1688. 13. Januar. ad quadringentos & quinquaginta, tum ad quingentos & quinquaginta an. 1693. 23. Decembris, denique ad ſexcentos & quinquaginta an. 1711. 8. Octobris. Obiit 12. Martii an. 1715.

IV. 1715. 28. Maii conſtituto ducentorum & quinquaginta ſtipendio Authenticorum explanator dictus eſt Jo. Andreas Donoli Ilicenſis Hetruſcus, juvenis doctrinâ & probitate conſpicuus. Crevit ei ſtipendium ad quadringentos florenos an. 1723. 21. April.

CAPUT XIX.

De Profeſſoribus Regularum Juris diebus extraord. ad annum MDCCXXIV.

(1) Tomaſ. lib. 2. Gym. c. 23. p. 169.

I. HÆc juris Axiomata mercede flor. octoginta explanabat ab an. 1644. Zachus (1) Zachus nob. Patavinus. Confirmato data merces flor. centum & viginti an. 1652. 23. Octobris. Docuit non integro conductionis tempore, intra quod vel ſe munere abdicaverit, vel ægrotaverit, ita ut illi ſucceſſorem dare oportuerit. Nam in tabulario Magiſtratûs curandæ Patavii ſanitati præfecti emortualis ejus dies eſt 9. Junii anni 1669., cùm interim

II. 1657. 28. Septembris conductus notetur flor. octoginta ad regulas juris Bernardinus Corneanus, clarâ inter cives ab origine Venetos familiâ natus, Canonicus Patavinus, qui anno (2) 1664. Polenſis Antiſtes in Iſtria, ibi deceſſit an. 1689.

(2) Ughell. T. 5.

III. 1662. 15. Septembris Franciſcus Salinerius nob. Patavinus ſtipendio eodem flor. octoginta docuit ex hac ſede anno non integro. Quamobrem fallitur inſcriptio cippo inſculpta Prudentiæ ſororis ejus in templo Aponi, hunc celebrans inter claros interpretes Logicæ in Archilycæo Patavino. Nuſquam alibi legitur, quàm in hac ſede, quam brevi vel vivens dimiſit, vel moriens vacuam reliquit.

IV. 1663. 9. Februarii cum eadem octoginta mercede hæc exedra patuit Ubertino Diſcalcio nob. Patavino, qui brevi ad ſedem criminalium traductus

V. 1666. 23. Martii, locum aperuit ad idem ſtipendium, & munus Aloyſio Angeli Patavino, quo ad codicis interpretationem traducto,

VI. 1669. 1. Junii Regularum juris explanatio demandata eſt Co. Joanni Baptiſtæ Doctorio nob. Patavino in eodem flor. octoginta ſtipendio, quod an. 1675. 18. Decembris crevit ad centum & quinquaginta; anno verò 1682. 19. Martii ad ducentos & ſeptuaginta, tum ad trecentos & quinquaginta an. 1690. 19. Julii, denique ad quadringentos triginta an. 1710. Obiit 18. Novembris 1711.

VII. 1614. 5. Decembr. Vacuam triennio ſedem, quam Triumvirorum arbitrio Senatus reliquerat, ut alibi diximus, hi juſſere bono publico ſtare, in eamque ex S.C. Nicolaum Barbaroſſam nob. Patavinum provectum donavere fl. centum & quinquaginta, qui an. 1722. aucti ſunt ad 250.

CAPUT XX.

De Profeſſoribus Artis Notariæ diebus extraord. ad annum MDCCXXIV.

(3) Tomas. Gym. lib. 2. c. 14. p. 272.

I. EX hac ſede, appoſitis ad praxim tabellionatûs diſſertationibus auditores formabat ſuos Jo. Capivaceus (3) nob. Patavinus ab an. 1641. auctuſque iteratis ſtipendiis, centum & quinquaginta merebat ab an. 1653. 13. Januarii ad an. 1660. 20. Novembris, cùm ejus honorarium crevit ad ducentos & viginti. Hoc ad ſedem codicis traducto,

II. 1662. 15. Septembris Aloyſius Angeli Patavinus flor. 80. merens vacuam ſedem ſuſcepit. Sed cum & hic ad codicis exedram provectus eſſet

III. 1666. 3. Novembris Ludovicus Juſtachinus Patavinus in hanc ſubiit eodem octoginta floren. ſtipendio, quod auctum ad centum, & quinquaginta an. 1675. 30. Maii, ad ducentos an. 1682. 20. Junii, ad trecentos ſexaginta an. 1711. 5. Septembris. Denique an. 1715. 15. Septembris, impetratâ miſſione honeſtâ ob ſenectutem, ac ducentorum præmio donatus, comes ex lege, notuſque ex editis ad inſtitutiones Cæſareas commentariis, vir optimus, & priſcæ ſimplicitatis 27. Junii 1716. deceſſit.

IV. 1716. 7. Maii inſtructus flor. centum & ſexaginta ſubſtitutus eſt Petrus

Domi-

Dominicus Ceſſis Bergomas Patavii natus, magni Jo. Baptiſtæ filius, virtute ſua, patriſque gloriâ commendatus: memorandus quoque ex doctiſſimo Commentario de Regulis Juris, quod attinet ad diem, & conditiones contractuum, & ultimarum voluntatum; cujus partem, in qua de die agitur, edidit, altera ſummo eruditorum virorum deſiderio expectatur. Crevit illi ſtipendium ad 350. an. 1723. 24. Junii.

CAPUT XXI.

De Profeſſoribus Artium; & primo Profeſſores Theologiæ in via D. Thomæ ab An. MDCLIII. ad An. MDCCXXIV.

I. SAcra ex D. & Angelici Doctoris mente ſcientia, quæ poſterior ætate in Gymnaſio noſtro Scotiſtarum Theologiâ eſt, priorem locum obtinuit ob Doctrinæ præſtantiam, & nomen Auctoris nunquam interiturum, atque omnibus omninò Gymnaſiis venerabile. Erectam, decretamque ejus in noſtro ſedem ex Senatuſconſulto 1490. 6. Novembris ad an. 1649. illuſtrarunt Profeſſores novem, quos nominat Tomaſinus (1), recenſentque catalogi Gymnaſtici. Horum ultimus eſt Mag. Cyprianus Philippinus, Ord. Præd. Venetus, qui ſucceſſor Benedicti Bovii Feltrenſis ab an. 1631. 22. Januarii hanc ſedem obtinebat an. 1649. 22. Octobris aucto ad quadringentos flor. ſtipendio, quod crevit confirmato ad quingentos an. 1656. 28. Septembris.

(1) lib. 3. Gymn. c. 3. p. 282. 283.

II. 1662. 15. Septembris Philippino ſucceſſit Mag. Michael Angelus Riveta Caſalenſis Ord. Prædic. flor. centum & octoginta. Vir doctiſſimus arcanis Theologicis explanandis gnaviter inſudavit. Confirmatus eſt flor. trecentis an. 1668. 20. Februarii, mox quadringentis an. 1676. 11. Aprilis. Obiit 30. Julii anno 1681.

III. 1681. 23. Octobris. Rivetæ ſubrogatus eſt Mag. Seraphinus Piccinardi Brixienſis Ord. Prædic. Theologus eruditiſſimus, de quo nos alibi. Stipendium ejus fuit flor. trecentorum & quinquaginta: variis gravibuſque morbis conflictatus ſeceſſit in Patriam, atque intra tempora conductionis extinctus eſt.

IV. 1689. 18. Junii. Ab exedra Metaphyſicę in via D. Thomæ ad hanc Theologicam translatus eſt Mag. Nicolaus Arnù Lotharingus aucto ſtipendio ad flor. trecentos; nec diu hanc ſedem doctrinâ, quâ maximè claruit, decoravit, è vivis ereptus Bononiæ, quò per vacationes majores relaxandi animi cauſâ commeaverat an. 1692. 8. Auguſti. Siluit deinceps hæc ſedes per annos circiter quatuor, dum illam honeſto ambitu prænſat quidam ſcire omnia profeſſus, qui tamen ſui nullum è ſuggeſtu publico experimentum dederat.

V. 1697. 3. Octobris. Tandem accitus eſt Mag. Hyacinthus Serry Gallus, Doctor Sorbonicus flor. ducentis, ac quinquaginta, qui ei primò crevere ex iterata conductione ad quadringentos & quinquaginta an. 1711. 21. Martii. Denique ad ſeptingentos an. 1717. 20. Januar. His nunc militat Gymnaſio vir linguâ, & calamo diſertus, & Auguſtinianæ Doctrinæ tutor. Scripſiſſe eum ferunt plurima: nobis nota ſunt, quæ de Auxiliis prodiere, quæ circa Chriſti Domini Noſtri, & Deiparæ Virginis vitam, & quæ ſcripſit in cauſa Pirauſtæ, quęque nuperrimè edidit, nempè, *D. Auguſtinus D. Thomæ Doctrinæ Angelicæ conciliatus in Quæſtione de Gratia primi hominis, & Angelorum.*

CAPUT XXII.

Profeſſores Theologi in via Scoti ab An. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. MAg. Matthæus Ferchius Veglienſis Dalmata Ord. M.C. ab an. 1630. 4. Februarii ab explanatione Metaphyſicorum in via Scoti ad hanc ſedem Theologicam venit, multiſque, ac pinguibus præmiorum acceſſionibus auctus, tandem raro, imo nullo inter Cœnobitas exemplo

II. 1653. 30. Maii confirmatus ad ſtipendium flor. mille pervenit, qui eidem confirmato poſtremùm an. 1659. 28. Januarii ad centum ſupra mille crevere; in hoc ſalario mortalitatem emeritus exuit an. 1669. ætatis 88. De eo nos alibi.

III. 1665. 4. Septembris. Ferchio annum octogeſimum quartum agenti ſuffectus eſt Mag. Felix Rotundus è Monte Leone Sabinorum oppido Ord. M.C. Honorarium illi datum flor. centum & octoginta, quibus auctarium tulit ad trecentos iterata conductio an. 1672. 27. Julii. Crevere ad quadringentos viginti ex tertiò repetita conductione an. 1684. 13. Decembr. ſtetere

autem

autem in ſummá quingentorum ſeptuaginta an. 1691- 10. Januarii. Nam intra tempus conductionis, majoribus & muneribus, & honoribus ſacræ, quam profitebatur, familiæ diſtentus, oneri docendi ſe crebrò per intervalla ſubtraxit, evectuſque ad ſupremam ſui Ordinis præfecturam, ea piè, ſanctè, prudenterque defunctus, Ex-Generalis Magiſter deceſſit Patavii 7 Februarii 1702.

IV. 1702- 14. Octobris in vacuam ſedem ſubiit Mag. Nicolaus Buicò à Spinazzola. Stipendium illi decretum flor. ducentorum, & quinquaginta crevit confirmato ad quadringentos an. 1710- 18. Decembris: nunc quingentis & viginti docet ab an. 1719- 16. Martii, vir apprimè doctus, eruditus & eloquens, parque muneri, quod obit; unum ejus libellum doctiſſimum vidimus in cauſa Pyrauſtæ.

C A P U T XXIII.

Profeſſores Sacræ Scripturæ ab an. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

D. Hieronymum Priorem Caſſinenſem, mox in eodem Ordine S. Benedicti Abbatem Bendandum Tomaſinus (1) Mag. Andreæ Lao Catanenſis Carmelitæ in hac ſede ſucceſſorem laudat, docentem flor. trecentis anno 1645- 5. Februarii. Crevit illi ſtipendium ad quingentos an. 1654- 14. Octobris, videturque intra quadriennium immortuus muneri, quo ſunctus eſt eruditione variâ, & exquiſitâ ſermonis elegantiâ.

II. 1658- 19. Februarii ſubrogatus Magiſter Jacobus Rachia docuit flor. trecentis ad annum 1662. quo mortuus videtur ex relatis per Salomonium (2), qui eum Ordinis Prędicatorum, & natione Dalmatam ſcribit, virumque ſermonis Hebraici peritiſſimum.

III. 1663- 13. Octobris conceſſa hæc ſedes eſt cum ſtipendio flor. 250. D. Leoni Matinæ Abb. Caſſinenſi Neapolitano, aucta verò merces ad trecentos quinquaginta an. 1669- 23. Novembris. Devixit 11. Februarii 1678. Edidit præſationes, ſeu diſſertationes aliquot habitas in Gymnaſio, & Elogia Ducum Venetorum, quorum unum pretium eſt ex appictis Principum imaginibus.

IV. 1678- 5. Aprilis. Matinæ ſuffectus eſt cum flor. 250. ſtipendio D. Jo. Hieronymus Teſtoris Nicienſis Sabaudus, Monachus Caſſinenſis, ac deinde Abbas, vir eruditus, & eloquens, qui Sacras Paginas ingenuis, doctis, ac ſolidis interpretationibus illuſtravit. Confirmato auctum honorarium ad flor. trecentos & quinquaginta an. 1684- 13. Decembris, mox ad quadringentos & quinquaginta 1692- 3. Julii: deinde ad ſexcentos an. 1698- 23. Auguſti, denique ad ſeptingentos quinquaginta, anno 1708- 20. Decembr. Poſt eum annum ter apoplexi ictus, tertiæ ſuccubuit, extinctus 11. Septembris an. 1710- ætat. octogeſimo in vico Biſciolæ apud Meſtrium Tarviſinæ Diœceſis. De eo Patinus (3) & Ephemerides (4) Literatorum. Ex quibus coram Senatu Veneto in funere Franciſci Mauroceni Peloponneſiaci Principis orationem habuit, quam tamen minimè edidit.

V. 1710- 18. Decembris conceſſa ſedes hæc eſt Mag. Hyacintho Tonti Anconitano ex Eremitarum S. Auguſtini familia, concionatori claro, & ad captandum auditorum plauſum ex acutiſſimo dicendi genere idoneo. Merces illi conſtituta flor. trecentorum, quæ crevit ad quadringentos & quinquaginta an. 1718- 1. Decembris. Verùm, cùm ad conciones habendas undequaque conquiſitus, expetituſque, oneri, cui ſe obligaverat, reſpondere minimè poſſet, afflictuſque ægritudine corporis permoleſtâ vix ſibi curando ſufficeret, honeſtâ miſſione impetratâ, ac diminuto ad flor. ducentos ſtipendio, ſedem dimiſit an. 1719- 31. Auguſti. Edidit Italicè habitarum à ſe concionum in Quadrageſima, ſeu jejuniis majoribus volumen non unum, itidemque volumen geminum concionum in Adventu Domini habitarum; Dogmata Romanæ Eccleſiæ defenſa adverſus impugnationes Jacobi Picenini hæreticorum Apologiſtæ latinè; Auguſtinianam de rerum creatione ſententiam. De eo Ephemerides (5) literatorum non uno in loco.

VI. 1719- 20. Septembris Tonto ſuffectus eſt Jo. Antonius Urſatus, Monachus Caſſinenſis S. Juſtinæ, Sertorii Equitis nepos, nob. Patavinus, cui decreti flor. ducenti. Præluſit muneri facundiſſimâ Oratione, ſummo auditus cum plauſu, cui reſpondet affatim eruditis Prælectionibus hiſtoriam ſacram exponens. Laudatur in Ephemeride (6) Literatorum Italiæ ob præfationem, & notas operi poſthumo avi ſui additas.

(1) lib. 3. Gymn. c. 5. p. 287.
(2) Inſcript. Gymn.
(3) Lycæ. Pat. p. 105., & ſeq.
(4) Tom. 4. p. 435.
(5) Tom. 11. p. 412. T. 14. p. 168. T. 18. p. 474. T. 24. p. 408. T. 27. p. 453. T. 29. p. 386.
(6) Tom. 33. P. 1. à p. 198.

CAPUT.

CAPUT XXIV.

Profeſſores Metaphyſicorum in via D. Thomæ ab an. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. MAg. Innocentius Pincinus Ord. Præd. Venetus ab an. 1644. 15. Januar. mentem D. Thomæ in Metaphyſicis exponebat bis ad flor. 200. aucto ſtipendio, quod crevit ad quinquaginta ſupra ducentos an. 1656. 6. Decembris. Obierit intra tempus poſtremæ conductionis. Nam

II. 1659. 12. Januarii centum & quinquaginta flor. ad hanc exedram provectus eſt ex eodem Præd. Ord. Mag. Jo. Dominicus Puſterla Mediolanenſis. Confirmato dati flor. ducenti quinquaginta an. 1667. 2. Decembris. Evocatus in patriam, ut ſcribit Salomonius (1), vacuam hanc ſedem reliquit ad an. 1669. (1) Inſcript. Gymn.

III. 1669. 18. Martii flor. ducentis conductus hanc ſedem obtinuit Mag. Seraphinus Picinardi Brixienſis: de eo inferiùs aliqua dabimus. Is imbecillâ valetudine diu preſſus, quò ſanitati recuperandæ nihil omitteret, impetratâ veniâ, ad patrios lares reverſus eſt, cui

IV. 1679. 31. Auguſti ſubrogatus eſt Mag. Nicolaus Arnù Lotharingus, ex eodem Ord. & eodem ducentorum ſtipendio, quorum incremento ad trecentos docuit ab an. 1685. 28. Februarii, nec majore mercede translatus eſt ad exedram Theologiæ anno 1689.

V. 1692. 10. Aprilis. Ferè autem triennio poſt ſedem hanc accepit, evocatus centum, & quinquaginta flor. honorario Mag. Hyacinthus Felix Mazzachius Ferrarienſis, Ord. Præd. Excrevit confirmato merces ad ducentos & quinquaginta an. 1699. 20. Januarii, deinde ad trecentos quinquaginta an. 1711. 5. Septembris; anno verò 1720. 8. Junii ad quadringentos & quinquaginta. Hoc ſalario Gymnaſium vir doctus, eloquens, prudens, aliiſque virtutis eximiæ ornamentis inſtructiſſimus. Provinciæ ſuæ gubernandæ nuper plenâ Sociorum ſuffragatione præfectus eſt; cui ad id munus peragendum reſcripto triumvirali feriæ datæ: ut deinceps, quod nunc præſtat Ex-Provincialis, alacritate majore gymnaſticæ utilitati ſapientiſſimis prælectionibus militet.

CAPUT XXV.

Profeſſores Metaphyſicorum in via Scoti ab an. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. 1653. 24. Septembris. MAg. Franciſco Bettoto Bononienſi ex Ord. M. C. qui ab anno 1644. flor. ducentis & viginti Scoti doctas argutias in Metaphyſicis explicabat, facta eſt acceſſio ſtipendii ad trecentos viginti, nec diu poſt ſeceſſit Bononiam, ut Salomonius (2) notat; apud quem Bettotus acutiſſimus audit Scotiſtarum ſui temporis. (2) Inſcript. Gymn.

II. 1654. 31. Octobris. Ad hanc ſedem accitus eſt flor. ducentis, famâ doctrinæ & probitatis commendatus Mag. Antonius Cottonus Tertii Ordinis S. Franciſci ex Nicoſia Siciliæ Oppido, quod Geographis (3) Machara vel Hemachara olim fuit. Auctum illi ſtipendium anno 1659. 28. Januarii ad quadringentos. Mox ad quingentos an. 1666. 12. Februarii. Vir fuit doctiſſimus, ſed & acris, ac nimium in ſententia firmi, & pervicacis ingenii, ſi Salomonio credendum; undè illi non mediocres ærumnæ, nec minores viræ præliaris anguſtiæ. Ferox Bellarmini, ac Baronii propugnator, multa paſſus eſt, ex quibus exedræ valedicere coactus, Romæ vixit maximi inter doctiſſimos habitus, & curiæ gratus. Ibi deceſſit ætate noſtra ſui Ordinis Expræfectus. (3) Ferrar. lex. Baudr. Tom. 1. p. 311. 1.

III. 1672. 6. Octobris ſubrogatus eſt F. Antonius Maria de Blanchis Venetus Minorita ex illis, quos appellant de Obſervantia. Primus hic ex eo ordine ad hanc ſedem aſcendit. Vir in ſua, quam profitebatur, familia maximis muneribus functus, ingenuum ſe adeò Ariſtotelicorum dogmatum interpretem jactitabat, ut Ariſtoteles per quandam veluti antonomaſiam apud omnes audiret. Stipendium intra ducentos illi conſtitutum eſt, quod excrevit ad trecentos & quinquaginta an. 1679. 31. Auguſti; deinde ad quadringentos quinquaginta an. 1684. 13. Januarii, demum ad quingentos

quin-

quinquaginta an. 1692. Obiit intra biennium perſenex, ex pinguedine nimia obeundo munere parum idoneus. De eo multa Patinus (1), quæ non vacat exhibere. Laudatur etiam à vir. clar. Thoma Cattaneo Crerenſi Cyodonio in præfixâ vitæ B. Joannis à Capiſtrano nuncupatoriâ.

(1) Lycæ. p. 64. 67.

IV. 1694. 28. Julii ſucceſſit Mag. Franciſcus Maripetro Venetus, ex Ord. M. C. mercede flor. centum & quinquaginta. Aucti ſunt ad ducentos & viginti an. 1703. 12. Septembris, inde ad trecentos viginti an. 1711. 21. Martii, intra quem abiit ad plures Patavii.

V. 1712. 11. Januarii. Mag. Alexander Burgos Meſſanenſis ex eodem M. C. Ordine accitus Româ flor. trecentis, ſui nominis, & doctrinæ famâ Gymnaſium augere cœpit, vir diſertiſſimus, & in ſummâ omnifariam eruditione candidiſſimæ latinitatis, ſponte ſe obtulit explanandæ publicitùs Hiſtoriæ Sacræ, exoticiſque Gymnaſio noſtro prælectionibus extra ordinem habendis à ſecundo ſtudiorum triente, quibus ad caſtigatæ Critices notitiam ingenia provocat, magna cum utilitate diſcentium, nec minore gloriâ ſacræ vetuſtatis, ac delectatione frequentium auditorum, quorum in numero nos eſſe profitemur. Decretum illi hoc extraordinarium onus, ac veluti Mantiſſa muneris eſt, an. 1718. 1719. 13. Auguſti, ſimul ex meritorum egregio cenſu auctum ſtipendium ad quingentos. Ejus orationum editarum Romæ, præfationumque habitarum, tum Peruſiæ, tum Patavii meminere non ſine laude Literatorum Ephemerides (2), & Acta Lipſienſia (3).

(2) T. 1. p. 415. T. 2. p. 516. T. 6. p. 530. T. 14. p. 422.
[3] A. 1711. à p. 83.

CAPUT XXVI.

Profeſſores Medicinæ theoricæ in primo loco ab an. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. PHiloſophiæ ordinariæ in ſecunda ſede diu arcana expoſuerat Fortunius Licetus Genuenſis Patavii, indeque magno accitus ſtipendio Bononiam, gloriâ nominis ſui Gymnaſium ejus urbis impleverat, cùm revocatum Triumviri literarii millenorum ſtipendio ad hanc primam ſedem ordinariæ Medicinæ theoricæ provexere an. 1645. Auxere deinde mille ac trecentorum honorario an. 1652. 27. Februarii, eoque docuit ad an. 1657. & diem emortualem 17. Maii. Sepultus eſt in templo S. Auguſtini ſub epigraphe, quam filio Jo. Federico ipſe & uxor poſuerant an. 1642. legendum apud Salomonium (4).

[4] Inſcript. Pat. p. 76. n. 189-190.

II. 1661. 8. Decembris. Datus illi ſucceſſor eſt Antonius Molinettus Venetus, cui, quòd onus adminiſtrandæ Anatomes, quo dudum gravabatur artis ejus Profeſſor primarius, fuiſſet additum, adjecti quoque ſunt mille ac centum florenis trecenti quinquaginta, ut in mille quadringentis & quinquaginta utroque munere fungeretur. Mox in ampliorem ſummam evaſit flor. 1650. an. 1667. quo ſedem theoricam vel dimiſit, vel neglexit, Anatomen retinuit fato functus intra tempus conductionis.

III. 1676. 26. Martii. Suffectus eſt ex altera ſede claſſis ejuſdem Hieronymus Frigimelica Roberti Comes & Eques, nob. Patavinus, qui fertur primus omnium Patavinorum ad primam exedram fuiſſe provectus, & quidem cum ingenti præmio floren. 1300., quod iteratâ conductione crevit ad mille & quingentos an. 1677. 13. Aprilis, creviſſetque ulteriùs, ni mors interceſſiſſet plura merito, ac merituro. Deceſſit an. 1683. 23. Julii, Profeſſor in re Medica maximus, & maximi habitus tota penè dixerim Europâ, ut noſces ex iis, quæ multa Elogio brevi Patinus (5) complexus eſt. Vacavit hæc ſedes per annos fermè ſeptendecim, dum tanto viro par ſucceſſor quæritur.

[5] Lycæ. p. 12. 13.

IV. 1700. 15. Aprilis. Ad hanc gloriam venit Pompejus Saccus Parmenſis, conductus flor. octingentis, practicus major, minor theoricus. Biennio poſt abdicavit ſe munere, ut in Patriam rediret, in cujus Gymnaſio primis functus honoribus obiit. Edidit volumen in folio inſcriptum: *Medicina practica rationalis Hippocratis ſanioribus recentiorum doctrinis illuſtrata*, de qua obiter Ephemerides (6) Literatorum.

[6] Tom. 29. p. 398.

V. 1702. 20. Aprilis. Subiit in ejus locum Dominicus Guglielmini Bononienſis, decretumque illi ſtipendium flor. mille, quod 1704. 29. Januarii raro exemplo auctum eſt ad mille, ac trecentos. Illud mors intra tempus conductionis poſt longum, ac difficilem morbum diſcuſſit an. 1710. 12. Julii. De hoc magni nominis viro plura dicemus inferiùs.

VI.

VI. 1711. 12. Septembris. Subrogatus eſt è ſecunda theoricæ Medicinæ cum eodem flor. quingentorum ſtipendio Antonius Valliſneti è nob. de Vallifneta Regienſis. Iterarâ conductione an. 1713. auctum eſt honorarium ejus ad ſeptingêntos & quinquaginta, ſimul adjectum extra ordinem onus diſſerendi de pulſibus, & urinis in noſocomio. Nunc ab an. 1720. 8. Junii nongentis, tum Gymnaſtico, tum extraordinario munere, doctè, glotioſè, & utiliter fungitur. De eo mulra alii, nos hęc. Is eſt, tantique hac noſtrâ ętate nominis, ut parcendum nobis ſit, ſi in illo deſcribendo diutiùs, quàm inſtituti noſtri brevitas ſerat, immorabimur. Nati nobili, uti diximus, genere adoleſcentiam literis humanioribus ac Peripatetica Philoſophiâ ſcholę Societatis Jeſu imbuêre. Mox converſum ad Democriticam curioſitatem excepit Bononia, aluitque ad gloriam naturalis Hiſtorię inſtitutio Marcelli Malpighii Philoſophi celeberrimi. Doctoris Philoſophi, & Medici laurum reportavit in Patriâ; praxim ſcientię utriuſque, cùm Bononię ſub eodem præceptore didicit, tum Venetiis ſub Flotio; inſtruxitque majoribus documentis Paravii, claris Profeſſoribus auditis, inſpectâque demonſtratione Botanicâ. His otnamentis ad clariorem artis Jatricæ ſamam idoneus, Medicinam fecit in patria, interim naturę contemplator egregius, & obſervandotum eorum, quę in illa minima cenſentur, inſectorum explorator eximius. Hæc ex ovo natci docuit duobus dialogis, qui editi Venetiis, tum ſeorſim, tum in Pinacotheca Minervę, tantę virtutis virum ad noſtri Gymnaſii decus accivere, eo habendum & ſtipendiotum, & honorum ordine, quem deſcripſimus proximè; quemque illi datum ex merito probat, tum quædam veluti concertatio in illo ſibi conciliando, & Collegiorum, & Academiarum Europæ, quarum, ut minotes diſſimulemus, hæ ſunt præcipuę; Florentina linguæ Hetruſcæ, Phyſiocriticorum Senenſis, Londinenſis Regia, Bononienſis Scientiarum, Romana Arcadum, Curioſorum Germanica, Bradetatenſis Innominatorum; quæ, & aliæ hunc ſibi ſocium optavere, atque inter ſocios receptum gratulantur.

His calculum, ut Græci loquimut ἐπιψήφιον addidit nuper Auguſtiſſimi Cæſaris Caroli VI. torqui magni ponderis auteo adjectum diploma, quo hunc Medicum ſibi eligit, honoribus auget; eique, cùm ab ultima ſtirpe nobilitatis, tum vetò rarę & Principum maximo notæ ſapientiæ perlıber teſtimonium. Confitmat hoc ſi minùs uberiùs, evidentiùs certè ſcriptorum ejus docta numeroſa varietas. Non eſt hic animus recenſere edita ſparſim, quę continent Ephemerides Curioſorum Germaniæ, quæ paſſim oſtentant diaria literatorum Italiæ. In his penè omnes Analyſes librorum ad Medicinam, Botanicam, Anatomen, Naturalem Hiſtoriam, Philoſophiam, Chymicam, Chirurgicam, & Pharmaceuticam pertinentium, hujus calamo conſcriptæ, atque editæ bono publico prodiere, ut longum videri poſſit, loca operis ad Tomum XXXII. hactenus producti ſignare, ſupervacaneum etiam & inutile; cum ſatiùs ſit ipſa opera præcipua Vallıſneri, nota licet aliunde, hic ſaltem de titulo poſteritati proponere.

Poſt relatos Dialogos de Inſectorum Origine, edidit *Meditationes & Experimenta de Cerebro Bovis adhuc vivi in lapidem verſo.*

Meditationes itidem *& experimenta de Generat. vermium in corpore humano paſſim naſcentium.*

Novas obſervationes circa ovariam in vermibus rotundis, tum in homine, tum in vitulis.

Syllogen tractationum XX. *cum notis & Iconibus.*

Hiſtoriam Chamæleontis Africani, & aliorum quorundam Animalium Italiæ, cui addita eſt conſcripta per Ceſtonum Hiſtoria Cocci, ſeu Grani Kermes, alteriuſque, quod in Agro Liburni Portus in Thuſcia reperitur; ſimul de Muſculis ſpuriis ejuſdem, de Cimice oborto in Acrimoniis, de Ficuum pediculis, de Echinis, & Curculione, de Cantharulis Leguminum, eorundemque Papilliunculis. Adnectitur Epiſtola Maximiliani Speneri ad Vallıſnerium de re Medica, & Naturali.

Diſſertationem Academicam de Origine Fontium cum notis.

Hiſtoriam de Generatione hominum, & Animalium, an à vermibus ſpermaticis ſit; an ab ovis. Additur Tractatus de ſterilitate, & ejus remediis, quæ probantur, ſuperfluis ac noxiis rejectis. Subditur Diſſertatio Academica de Connexione, ſeu compage rerum omnium creatarum, littera quoque, ac rariores hiſtoriæ, atque obſervationes.

Epiſtolas Criticas de Marinis Corporibus, quæ reperiuntur in montibus: de ſtatu mundi ante Diluvium, in Diluvio, & poſt Diluvium, cum notis: quibus ſubjiciuntur tres itidem criticæ adverſùs Opera Andry Galli.

Syllogen primam obſervationum, & experimentorum cum Iconibus.

Ex his porro, aliiſque quamplurimis, quibus enumerandis impat eſt brevitas, quam profitemur, paſſim hac noſtrâ ætate nominatur, laudatur, ad auctoritatem producitur à literatiſſimis noſtri ſæculi viris, quorum ex pluribus hæc ſunt, quæ ſubjicimus, nomina: Nigriſolus de Generatione hominis; Gimma de Fabuloſis hominibus, & animalibus; Morgagni, in adverſariis; Pontadera in compendio Tabularum Botanicarum; Ludovicus à Ripa

in hiſtor. plantarum; Eques Vetua in principe medicaminum Phlebotomia; Daniel Clericus in hiſtor. Vermium, & ibi Præfat. Lanciſius de Noxiis Paludum effluviis, de origine Vermium, & alibi; Mercatus Muſæo 10. Metallotheca; Zanichellus de Ferro, ejuſque nivis præparatione; Cogroſſus de Febribus, & Appendicibus ad Tract. de Chinachina; Marchio Polenus lib. de Motu aquarum miſto, lib. de Caſtellis, per quæ derivantur fluviorum aquæ; Baruffaldus in Tabaccheide, & alibi; Anelus in Fiſtula lacrymali; Signorotus in Criticis Criticæ; Scheudizerus in Herbario Diluviano, & libro inſcripto, *Piſcium querela*, Aloyſius à Fabra de Animi affectionum phyſica cauſa; Malpighius in Opere poſthumo Venetiis edito; Mangerus in Theatro Anatomico; Cinellus in Bibliotheca Volante; Vaglius in Anthropogonia; Muratorius de Peſte, & alibi; Comes Silveſtrius Rhodiginus in Anaglypho Græco, & ibi Præfat. Heiſterus in Vindiciis ſententiæ ſuæ, & Orat. de Incrementis Anatomes; Aberizzius in Crerologia Medica; Creſcimbenius in Vita Lanciſii; Riccha in hiſtoria Vulgarium Morborum; Breinius Danus in Appendice Centur. V. Curioſorum. Aliorum prolixum Elenchum omittimus, ne ad pompam ſcribere videamur. His ſiquidem accenſeas & illos, qui doctiſſimo viro ſcripta ſua nuncuparunt non pauci, nec ignobiles, ſatis intelliges, quantus habeatur in Literatorum republica, qui tot virorum doctorum elogiis naturæ myſtes inter Medicorum antiſtites declaratur.

C A P U T XXVII.

Profeſſores Theoricæ Medicinæ ordinariæ in ſecundo loco ad An. MDCCXXIV.

I. GUidus Antonius Albaneſius nob. Patavinus, ſubſtitutus Jo. Dominico Salæ iniit hanc ſedem an. 1644. flor. trecentis inſtructus. Excrevit illi ſtipendium ad ſexcentos 1650. 20. Septembris. Peracto conductionis tempore, dum expectat auctarium, an. 1657. 27. Maii, percuſſus ſclopulo, interemptus eſt à diſcipulo, cujus in carcerem detruſi ſcelus atrociſſimum propinatum ab agnatis venenum ultum eſt, ne ſupplicio publico puniretur; nomen lapis ex decreto XVirali parietibus infixus Gymnaſii ad poſterorum memoriam infamat.

II. 1657. 28. Septembris. Ad hanc exedram flor. ſexcentis conductus eſt Proſper Todeſchi Florentinus, Caſſulæ natus in Oppido Hetruriæ, magni nominis Medicus, cui majorem flor. octingentorum, & quinquaginta mercedem attulit an. 1663. 28. Septembris, auxitque deinde ad mille, & quinquaginta an. 1670. 14 Februarii. Hoc ſtipendio docuit ad an. 1678. quo ſenex vivere deſiit.

III. 1679. 28. Septembris ſubſtitutus eſt flor. ſeptingentis, quibus militabat in ſede Theoricæ Medicinæ extraordinariæ prima Pompilius Scottus nob. Patavinus, inter Practicos non vulgaris nominis habitus. Crevit illi honorarium ad nongentos an. 1681. 7. Martii, mox ad mille an. 1689. 18. Junii, eoque deinceps non aucto, patriæ, ac Gymnaſio utilis, quo per ætatem licuit, modo vixit ad an. 1697. eoque abiit ad plures.

IV. 1698. 12. Julii ſucceſſit ex primo Theoricæ Medicæ extraordinariæ loco Comes Alexander Borromæus nob. Patavinus, officioſiſſimæ, ac modeſtiſſimæ, & ſapientiæ, & prudentiæ vir; noſtræ ætatis clariſſimus Medicus, & ex his cum doctrinæ, tum verò morum ornamentis carus ſummis Principibus, ægris autem, præſertim advenis accurrentibus undequaque, ſoſpitalis. Conductus eſt ad hanc exedram flor. mille, qui an. 1702. confirmato 14. Octobris non ſunt aucti. Pro auctario ſupereſſe viſus ſupraordinarii titulus, & par dignitas cum primo loco Senatuſconſulto illi decreta: & titulum ſanè reliquo vitæ tempore obtinuit: ab æqualitate primi loci repulſus invictâ ſedium ſummarum repugnantiâ, ſenex mortalitati ſuccubuit an. 1708. 17. Novembris.

V. 1709. 21. Martii ad ejus locum vocatus à prima ſede Medicinæ practicæ extraordinariæ acceſſit Antonius Valliſneri de nobilibus de Valliſnera Regienſis. Datum illi ſtipendium quingentorum, biennio poſt, ad primam, ut ſupra notavimus, Theoricæ extraordinariæ ſedem detulit.

VI. 1711. 8. Octobris ſubrogatus illi Jo. Baptiſta Morgagnus Forolivienſis docere cœpit mercede flor. quingentorum: hos ſecum tulit provectus ad ſedem primam Anatomes. Vir inter paucos clariſſimus, de quo plura dicemus inferiùs.

VII. 1716. 7. Maii. Succeſſorem habuit Alexandrum Knips Macoppe ex Agrippinenſi Colonia conductum flor. trecentis, quos an. 1719. 31. Auguſti auxit confirmatio ad quingentos. Hac mercede lectam, frequentemque juventutem in arte Medica inſtituit, Profeſſor autem Traſmarinæ nationis, hanc beneficiis cumulat, habituſque in curationibus ægrotorum ſingularis experientiæ, tum Civibus Patavinis, tum maximè advenientibus

affectæ

affectæ valetudinis cauſâ Patavium ſalutarem operam præſtat. Edidit Prelectionem inſcriptam: *Pro Empirica Secta adversùs Theoricam Medicam*, de qua vide Diaria (1) Literatorum Italiæ.

(1) Tom. 28. p. 438.

CAPUT XXVIII.

Profeſſores practicæ Medicæ ordinariæ in primo loco.

I. Benedictus Comes Silvaticus nob. Patavinus, Bartholomæi filius, ex hac ſede docebat ab (2) an. 1632. flor. nongentis; randemque meritis ejus datum eſt à Senatu, ut appellatione Supraordinarii conſpicuus inter primarios Profeſſores flor. mille, ac ducentorum ſtipendio quoad viveret frueretur ab an. 1650. 20. Octobris. Vixit an. LXXXIII. Deceſſit an. 1658. Tumulum habet in templo majore cum epigraphe (3) marmori inſculptâ curantibus Bartholomæo Canonico, & Benedicto Comite pronepotibus an. 1693.

(2) Tomaſ. Gymn. lib. 3 c. 10. p. 293. (3) Vid. Salom. Inſcript. Pat. p. 17. 18. num. 87.

II. 1658. 20. Decembris. Silvatico ſucceſſit Raymundus Zanſortius, ſeu Joannes Fortis Veronenſis, celeberrimus Practicus XVII. ſæculo. Conductus eſt ingenti ſtipendio flor. quingentorum ſupra millenos, qui aucti ſunt ad mille, & octingentos an. 1660. mox an. 1675. 21. Septembris diminuti ad ſexcentos, miſſione honeſtâ conceſſâ, & ſupraordinarii titulo, quoad vixiſſet. Vixit autem non plus triennio, fato functus an. 1678. 25. Februarii. Sepultus ad S. Mariæ Servorum cum epigraphe (4).

(4) Salom. ibid. p. 464. 455. n. 1.

III. 1678. 17. Auguſti. Accitus eſt ad implendam hanc exedram Gualterus Carletonus, clariſſimus Medicinæ Profeſſor apud Anglos; decretique ſunt docturo flor. mille, & quingenti. Sed is diu vora expectantium eluſit; multaque cauſatus ad officium non venit. Igitur vacavit hæc ſedes per annos circiter octo.

IV. 1686. 22. Februarii data eſt Georgio à Turre nob. Patavino, qui flor. mille centum, & quinquaginta merebat in ſecunda claſſis ejuſdem. Medicus ætate ſuâ maximi nominis: vix biennio ex hoc ſuggeſtu docuit; obiitque an. 1688. 19. Octobris ad D. Auguſtini conditus in tumulo, quem (5) ſibi, & uxori vivens paraverat.

(5) Salom. ibid. p. 45. n. 25. 26.

V. 1689. 17. Martii accitus ex Anglia ſubiit in locum Georgii, flor. 800. Bernardus Martinus de Berendon Anglus, quem ferebant Medicinæ peritiſſimum. Sed fallimur quandoque famæ rumoribus. Tutiſſimum eſt uſu, & experientiâ probaros ad ſumma provehere. Ipſo anno primo ſenſit Gymnaſium, muneri, quod aſſumpſerat, hominem imparem eſſe; dimiſſuſque eſt, datis pro viatico centum centuſſibus an. 1690. 22. Aprilis.

VI. 1690. 19. Julii. Comes Franciſcus Jona Veronenſis ex ipſa Medicinæ praxi, quâ maximè commendabatur, flor. octingentis evocatus docere cœpit. Verum ſenex labori ſuccubuit intra tempus conductionis, ac regreſſus in patriam ibi deceſſit an. 1695.

VII. 1699. 8. Auguſti. Vacantem quadriennio ſedem procurandam ſuſcepit à ſecunda claſſis ejuſdem provectus, eodem, quo in illa merebat, ſexcentorum ſtipendio Franciſcus Spoleti Hetruſcus è Luvignano, vir acris ingenii, in prælectionibus publicis elegans, ac diſertus, & ad convellendas è roſtris Gymnaſticis, quas non profitebatur, ſententias efficax, ac robuſtus. Non eſt illi auctum ſtipendium, quippe, annuente Senatu, datus Legato Veneto ad Turcarum Imperatorem Medicus, diu Conſtantinopoli fuit, ac pro auctario habuit nomen, & opes apud barbaros partas, ſed infeliciter. Nam penè non interemptus furis domeſtici ſcelere, mox ab equo ſternaci dejectus, oculorum uſum amiſit, ac regreſſus Patavium miſſione cauſariâ petitâ, & impetratâ, rediit in patriam, ubi fertur, quod illi jampridem fata portenderant, à fure domeſtico fuiſſe necatus. Sed hoc ſanè falsò vulgatum percrebuit. Nam certum eſt, eum in patria ictum apoplexi ad plures abiiſſe an. 1712. 26. Decembris. Scripſit Commentarium hoc titulo: *De momento, quo gravia nituntur deorſum per datum planum; quo ſubjectum planum urgent; quo planum inclinatum grave conatur deorſum.* Editum eſt Venetiis cum ejuſdem Tractatu *de ſecretione bilis in hepate*. Proluſiones varias, quas inter præſtant, quæ agit *de Univerſo, & amore ſciendi*, quæque inſcribitur: *Deum neſcit, qui Philoſophiam ignorat.*

VIII. 1709. 1. Martii. Suffectus eſt Profeſſor eminentiſſimus, & noſtrâ ætate ob multiplicem eruditionem, & mores ſanctiſſimos omnibus venerabilis, Bernardinus Ramazzinus Mutinenſis à ſecunda claſſis ejuſdem ad hanc principem ſedem translatus cum eodem, quo in illa merebat, ſtipendio flor. ſeptingentorum, & quinquaginta. Senio confectus, captuſque oculis, intra conductionis tempus occubuit Patavii an. 1714. 5. Novembris. De eo nos plura ſuo loco. Vacat hæc ſedes ab obitu tanti viri.

CAPUT XXIX.

De Profeſſoribus Practicæ Medicinæ ordinariæ in ſecundo loco ab An. MDCCXXIV.

[1] Tomaſ. Gym. lib. 3. c. 11. p. 301.

I. Diuturno meritorum, quæ in minoribus (1) exedris ſibi paraverat, niſu Io. Franciſcus Bonardus Patavinus ad hanc ſedem aſcenderat An. 1636. ac repetitis auctariis ad honorarium flor. ſeptingentorum, & quinquaginta pervenerat. Confirmatus an. 1654. 5. Februarii docuit florenis nongentis, qui ei ad mille excreverunt an. 1662. 19. Novembris. Obiiſſe illum ante an. 1665. certum eſt.

II. 1665. 5. Decemb. ad hanc ſedem ex prima practica extraordinaria traductus Comes Hieronymus Frigimelica Roberti nob. Patavinus, cum eo, quod habebat ſtipendio flor. mille & centum docuit ad an. 1670. 2. Septembris, cùm confirmatus auctario ad flor. mille ac trecentos, hoc poſt ſexennium tranſtulit ad theorices principem ſedem.

III. 1676. 19. Septembris. Subrogatus eſt Hieronymus Vergerius, nob. Juſtinopolitanus ex Iſtria; flor. octingentis meruit ad an. 1678. 17. Auguſti, cùm auctum illi honorarium eſt ad nongentos & quinquaginta; nec ultra biennium ſuperſtes fuiſſe videtur vir doctiſſimus, & rei Medicæ ſcientiſſimus.

IV. 1680. 29. Septemb. Georgius à Turri nob. Patavinus docebat flor. mille centum & quinquaginta ex hoc loco, cui an. 1683. 29. Aprilis, paria primis Profeſſoribus privilegia conceſſa, quæ triennio poſt ad primam ſedem provecto conſolidata ſunt.

V. 1692. 10. Aprilis. Georgio ſubſtitutus eſt Hilarius Spinellus Comes Patavinus, ſtipendio flor. ſexcentorum è ſecunda Practicæ Medicinæ extraordinariæ ad hoc ſubſellium translatus: Profeſſor clari nominis inter medicos ſuæ ætatis, de quo plura Patinus (2).

(2) Lycæ. p. 32. 33.

VI. 1693. 23. Decembris. Hunc excepit Franciſcus Spoleti Hetruſcus è Bono Conventu, quo ad primam ſedem provecto

VII. 1700. 26. Auguſti ſucceſſit Bernardinus Ramazzinus flor. quingentis ad hoc Gymnaſium illuſtrandum accitus. Confirmato crevit ſtipendium ad ſeptingentos quinquaginta an. 1708. 25. Auguſti.

VIII. 1709. 18. Julii ſucceſſit Georgius Calaphates Cydonius ex inſula Creta, vir nobilis. Stipendium illi in flor. quingentis fuit, qui ad ſexcentos quinquaginta creverunt an. 1711. 21. Martii: mox implicito graviſſimis morbis, ac perpetuò decumbenti, ob eamque cauſam miſſione cauſariâ donato ad ducentos quinquaginta decrevere. Deceſſit

IX. 1718. 22. Septembris. In ejus locum ſubiit è ſecunda matutina extraordinariæ Medicinæ Leal Leali Veronenſis. Docet ex hac ſede flor. octingentis, habeturque Chirurgices peritiſſimus. Edidit opuſculum inſcriptum. *Hebdomada febrilis ſeptem Dialogis abſoluta*, de qua ſcriptores Ephemeridum (3) Italiæ.

(3) Tom. 28. p. 439.

CAPUT XXX.

Profeſſores Philoſophiæ ordinariæ in primo loco ab An. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. HÆc ſuprema ordinariæ Philoſophiæ implebat ſubſellia ſummus Philoſophus, & ſuo nomine non impar Joannes Cottunius Berrhoenſis Macedo ab an. 1637., pluribuſque acceſſionibus aucto ſtipendio an. 1650. flor. mille ac ſexcentorum mercede docebat. Ea incrementum extra ordinem habuit an. 1653. 14. Aprilis ad flor. mille ac nongentos; atque in his ſtetit intra tempus conductionis extincto an. 1659. Plura de illo inferiùs.

II. 1660. 29. Januarii flor. mille & quadringentis inſtructus, ſucceſſor Cottunio datus eſt Claudius Berigardus Gallus, qui par loco deceſſori ſuo, in ſede ſecunda Philoſophiam ordinariam explanabat. De eo ſuo loco dicendum erit. Triennio ab initâ prima ſede ſuperſtes fuit. Obiit an. 1663.

III. 1664. 4. Februarii, è ſecunda hujus claſſis ad primam ſtipendium flor. quadringentorum detulit D. Anaſtaſius Galdiolus Vicentinus, Abbas Caſſinenſis, nec triennio ſupervixit.

IV. 1667. 1. Octob. Carolus Renaldinus Anconitanus è Comitibus Montagnoli, vir æquè nobilitate, atque literis, Philoſophiâ præſertim, & Matheſi, tum etiam inſtitutione Principum per Italiam clarus, è Piſano Gymnaſio, cui per decennium in prima ſede Philoſophus militaverat, ad hanc principem Archilycæi noſtri exedram venit, accitus flor. mille ac ducentis. Hi confirmato ad mille & quadringentos creverunt an. 1675. 13. Septembris. Iterum

an. 1679.

an. 1679. 14. Februarii ad mille, & quingentos, denique an. 1683. 28. Februarii ad mille octingentos. Hac mercede docuit ad an. 1698. 12. Julii, cùm illi jam capulari facta poteſtas eſt, ut emerito militi, ſecedendi ad lares patrios, atque ibi fruendi liberali otio, ac prœmio flor. quingentorum.

V. 1700 15. Aprilis. Evectus eſt ad hoc primum Philoſophiæ ſubſellium è Meteororum explanationibus Abbas Michael Angelus Fardella Drepanenſis Siculus, aucto ſtipendio ad flor. quingentos. Ariſtoteli, cujus interpretationem profitebatur, non admodum æquus, & in quotidianis prælectionibus declamator uſque ad hybernum ſudorem fervidiſſimus, peritus Matheſeos, & notionibus Theologicis ſatis inſtructus. Confirmato auctum eſt honorarium ad ſeptingentos an. 1707. 11. Auguſti. Hos ille dimiſit, valedixitque Gymnaſio ſpe majorum, à quibus magna ex parte excidit, ut ſuo loco notabimus.

VI. 1711. 5. Septembris. Eo, quo in ſede hujus ordinis altera merebat, quadringentorum ſtipendio in vacuam, & à Fardella relictam ſubiit Joannes Gratianus Bergomas magna & utilitate, & felicitate Gymnaſii. Crevit illi merces ad flor. ſexcentos an. 1717. 20. Januarii, deinde ad octingentos an. 1724. 18. Novembris. Ea nunc Gymnaſticam exaggerat gloriam vir, ex opulentiſſimo eruditionis, & ſapientiæ cenſu, ſingulari commendatione nominandus. Quippe qui, ſive facundiam ſpectes, eloquentiſſimè diſſerit, ſive naturæ ſecreta rimetur, ſolidiſſimè diſputat, ſive de Philoſophorum ſententiis calculum fert, ore profundo, acutâ, & vigili mente veritatem aſſequitur, ut ſummus, ita gravis reipſâ, & ingenioſus Philoſophus, laudum interim, ac virtutum ſuarum tam circumſpectus, tam modeſtus diſſimulator, & cautus, ut nobis, quamvis per immiſſos exploratores conatis, ab eo minimè licuerit aliquid expiſcari, quod ad hoc ejus elogium redundaret. Sed quantus, quantique habendus ſit, ipſa ejus Opera, ipſa ejus prædicant ſcripta, nitida, caſtigata, erudita, docta, & quæ Scriptori nominis æternitatem ampliſſimè pollicentur. Edidit adoleſcens: *Rerum Venetarum Hiſtoriam, de Geſtis Franciſci Principis Mauroceni Peloponneſiaci*; mox *Commentarium de Thermis Patavinis*; cui acceſſit: *Diſſertatio de Fonte Lælio Acido Reubarii*. Opera eruditiſſima, elegantiſſima, de quibus ſingulari cum laude Acta Eruditorum (1) Lipſiæ, Memoriæ (2) Trevoltianæ, Ramazzinus (3), Morgagnus (4), Polenus (5), Vulpius (6). Nunc impendit latiniſſimum calamum hiſtoriis conſcribendis, quorum argumentum neſcimus. Noſcet hoc, & pretium ejus poſteritas.

(1) A. 1699. p. 97. & ſeq. Ao. 1702. p. 1. & ſeqq.
(2) Tom. 8. à p. 362.
(3) Epiſt. de motu Mercur. &c.
(4) Adverſ. IV. p. 20. V. p. 53. VI. p. 124.
(5) De Caſtellis p. 24. & Prolegomen. in Frontinum p. 17.
(6) Epiſtol. Nuncupat. in Edit. Patav. Lucretii.

CAPUT XXXI.

De Profeſſoribus ordinariæ Philoſophiæ in ſecundo loco ad Annum MDCCXXIV.

I. DOcebat, ut proximè diximus, ab hac ſede, par Cottunio Profeſſori primario, Claudius Berigardus Gallus, accitus è Gymnaſio Piſano, creveratque illi ſtipendium ad flor. mille, & ducentos an. 1653. 8. Aprilis. Succeſſit Cottunio.

II. 1661. 29. Aprilis ſuffectus Berigardo D. Anaſtaſius Galdiolus Vicentinus, Abbas Caſſinenſis quadringentorum flor. honorarium detulit ad ſedem primam Berigardi ſucceſſor.

III. 1665. 5. Decembris Galdiolum excepit Jacobus Cadenedus Scotus, conductus flor. trecentis, quos auxit ad quingentos annus 1669. 4. Januarii, mox ad ſeptingentos an. 1677. 20. Martii. Deceſſit Patavii an. 1679. Kal. Julii.

IV. 1679. 31. Auguſti cum flor. ducentis hanc ſedem obtinuit D. Vitalis Terra-Rubea Parmenſis Prior Caſſinenſis, ex eo maximè Bononienſi, ac noſtro Gymnaſio notus, quòd argutis prælectionibus conatus ſit, Democritum Ariſtoteli conciliare. Confirmatus anno 1685. 28. Februarii meruit flor. trecentis. Meditabatur concordiam edere Philoſophicam cum Hiſtoria ſacra antiqua, aliiſque philoſophicis, & philologicis lucubrationibus. Obiiſſe videtur in patria circa finem conductionis an. 1691. Vide Patinum (7).

(7) Licr. p. 117. 120.

V. 1692. 16. Auguſti accitus flor. quadringentis Franciſcus Spoleti Hetruſcus in hanc ſedem aſcendit. Confirmato merces aucta ad flor. ſexcentos an. 1693. 23. Decembris, hanc ſummam detulit ad ſecundam exedram practicæ Medicinæ.

VI. 1694. 21. Julii. Vacua ſedes conceſſa eſt D. Alexandro Buſinello Veneto, Magni Venetæ Reipublicæ Cancellarii fratri, Abbati Caſſinenſi, viro doctrinâ, pietate, ac vitæ ſanctimoniâ venerabili. Stipendium illi decretum flor. centum, & quinquaginta, qui ad trecentos crevere confirmato an. 1703. 7. Februarii. Triennio poſt graviſſimis morborum incommodis tentatus mortem ſanctiſſimam obiit an. 1707.

VII. 1709. 21. Martii. Joannes Gratianus Bergomas evocatus ad illuſtrandum

Gymnaſium in hanc ſedem, quod obtinebat, ſtipendium attulit flor. ducentorum, & quinquaginta, quos auctos ad quadringentos an. 1710. 19. Martii, ad primam claſſis hujus tranſtulit ſedem anno ſequenti.

VIII. 1705. 28. Maii ſuffectus eſt ab Aſtronomiæ, ac Meteororum exedra Joannes Polenus Marchio Venetus cum honorario, quod obtinebat flor. ducentorum, & quinquaginta, quodque mox confirmato excrevit ad quadringentos an. 1716. 23. Septembris. Translatus eſt ad Geometricas, & Mathematicas demonſtrationes. Has docentem virum libris editis toti Europæ notiſſimum, nos quoque ſalutabimus.

CAPUT XXXII.

Profeſſores ad Anatomen cum Ordinariis, & ad Chirurgiam in prima Sede ab An. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. AD Anatomicam, & Chirurgicam exedram loco Weslingii electum tradit Antonium Molinettum Venetum Tomaſinus (1) an. 1649. flor. octingentis: mox his additos fuiſſe quinquaginta, quibus auxiliarem ſibi juvenem ſingulis annis eligeret; id quod illi decretum an. 1655. 20. Martii, qua etiam illi auctum ſtipendium fuit ad mille & centum. Hi porro ipſi ad mille quadringentos, & quinquaginta excrevere, cùm an. 1661. 8. Decembris provectus eſt ad primam ſedem Medicinæ Theoricæ ordinariæ, cum onere Anatomes adminiſtrandæ quotannis.

(1) Gymn. lib. 3. c. 13. p. 304.

II. 1675. 18. Decembris. Succeſſit conductus flor. trecentis Jacobus Pighius Veronenſis, annorum duodetriginta juvenis, nec tamen impar tantæ ſedi, aut tanti nominis Deceſſori; quin imò & auxiſſe illam viſus eſt, & hunc ſuperaſſe. Ita omnium expectationem prævertit, ut ſtatim ab initio maximus appareret, canamque prorſus, & emeritam in ipſo flore juventæ ſapientiam explicaret. Vide, quæ latiùs de Pighii facundia, eruditione, dexteritate in Anatome adminiſtranda Patinus (2) congerit; atque inde diſce, non gratìs ab Auguſtis Principibus Leopoldo, & Eleonora ſummis honoribus cumulatum, nec ſine cauſa probatum, laudatum, & uſque ad delicias amatum à ſummis viris Zanfortio, Georgio à Turre, & Molinetto, quorum poſtremi duo hunc ſibi ſucceſſorem optavere, habuere. Nam confirmato cùm duplicatum fuiſſet ſtipendium ad ſexcentos flor. an. 1681. 8. Auguſti, ſimul onus oſtendendarum in horto Botanico plantarum impoſitum eſt. Sed magna, & quæ brevi ad verticem gloriæ vi præcoci meritorum aſſurgunt, brevia plerunque ſunt, & ut Græci ex adagio dicimus εἰς ἀλῶ καρπὸν φέρουσι ad meſſem fructificant. Pighio hac rerum ſuarum fama frui ultra quinquennium haud licuit; obiitque Patavii an. 1683. Kal. Martii.

(2) Lycæ. p. 71. 76.

III. 1685. 9. Octobris ad hanc ſedem, relictâ primâ Chirurgiæ, cui præerat conductus flor. ſeptingentis, venit Dominicus de Marchettis Patavinus celeberrimi nominis in hac arte, tum ſecandi cadavera, tum vulnera curandi. Auctum illi ſtipendium eſt ad mille an. 1686. 14. Novembris. Vivere deſiit an. 1688. 2. Julii Sepultus eſt ad D. Antonii in operoſo ſepulcro (3), quod inſignia, ſimulacrum ex optimo marmore, atque etiam inſcriptio, ignota hactenus lapidariæ notabile faciunt.

(3) Salom. Inſcript. Pat. p. 358. nnm. 29.

IV. 1688. 13. Januarii, è ſecunda claſſis ejuſdem ad hanc ſedem provectus eſt, aucto ad flor. quingentos honorario Michael Angelus Molinettus, Antonii filius confirmato an. 1707. 11. Auguſti, denique mille an. 1715. 5. Decembris. Vix quatriduo amplius ſupervixit 9. Decembris ejuſdem è vivis ereptus.

V. 1715. 5. Octobris, relicta ſede ſecunda ordinariæ Theoricæ Medicinæ cum eodem ex conductione quingentorum ſtipendio, magnâque, ac rarâ gratulatione Gymnaſii Molinetto ſuffectus eſt Jo. Baptiſta Morgagnus Forolivienſis, & Romanus Patritius, Profeſſor, cum in omni literatura doctrinaque clariſſimus, tum in primis in hac Medicinæ parte incidendorumque cadaverum, & Anatomes adminiſtrandæ ſcientia peritiſſimus. Auctus acceſſione trecentorum an. 1717. 20. Januarii, octingentis docuit, nunc ad millenorum ſtipendium provectus an. 1724. 18. Novembris, eandem operam præſtat; utili ſplendore prælectionum, auditorumque ſingulari frequentia de Gymnaſio noſtro optimè meritus. Antequàm acciretur Patavium, præfuit an. 1704-1705. Academiæ ſcientiarum Bononienſi, in qua rem Medicam, & Anatomicam profitebatur, legeſque illas, quibus hodieque cœtus ille literatorum utitur, optimas, & ſanctiſſimas tulit. Eum Clemens XI. Pontifex Maximus, ſumma benignitate, laude, & exiſtimatione dignabatur, nec minore fama, & gloria cenſetur apud ſapientiſſimos noſtri ſæculi Scriptores.

Nam

Nam Laurentius Heiſterus, qui eum ſæpiſſimè laudat in Operibus, & Commentariis doctiſſimis de Fiſtula lacrymali (1), de Valvula (2) Coli, de Incrementis (3) Anatomes, de Inventis (4) Anatomicis, in Vindiciis de Cataracta (5), & Compendio (6) Anatomes eidem, quamvis tanti nominis Profeſſor tum in Altorfino, tum in Helmſtadienſi Gymnaſio, alteram Anatomici Compendii ſui editionem dicavit, ut noſtrâ ætate inter Anatomicos facile Principi. Nec aliud de illo judicium eſt aliorum graviſſimorum noſtri temporis auctorum, in quibus Joannes M. Lanciſius (7) Pontificius Archiater. Quid ſenſerint, quantâque cùm laude, ſcripſerint, ſcribantque de ipſo, ejus Inventis, obſervationibus, & ſcriptis cum Profeſſores, & Archiatri hac tempeſtate clariſſimi, tum alii Literariæ Reipublicæ Proceres, & noſtrates, & exteri, noſces ex Lipſienſibus (8) Actis eruditorum, ex Trevoltienſibus memoriis (9), Diario (10) Sapientûm Pariſienſi, Bibliotheca (11) ſelecta Jo. Clerici, Hiſtoria Fabricianę (12) Bibliothecæ, Ephemeridibus (13) Academiæ Cæſareæ N. C. Germaniæ, Pinacotheca Minervæ (14), & Diariis Literatorum (15) Italiæ.

His non pigebit adjungere Scriptores exteros primùm, deinde Italos, à quibus Morgagnus noſter honorificentiſſimè nominatur, & ad auctoritatem, ut Anatomicorum Antiſtes, producitur. Inter exteros vide, ſi vacat, ex pluribus, quos omittimus, Verheyenum in Anatome, Ruyſchium in Theſauro Anatomes, Boerhaavium in Medicis Inſtitutionibus Epiſt. de fabric. Glandul. p. 7. 12. 30. Schrokium in obſervationibus, L. Goelikium Hiſtor. Anatom; Danielem Clericum in hiſtor. Lumbr. Anelum in continuatione novæ Methodi, Magetum Diſſert. de Foram. Oval. & in Theatro Anatom. Henricium diſput. de Veſic. Semin. mulier. Vaterum de novo ductu ſaliv. & in Programmate ad Anatomen Cadaveris Fœmin. Wedelium de Liquore non corros. Teichmeyerum in Elementis Anthropol. Beurlinum Diſſert. de luxat. Hilſcherum obſervation. circa generation. Richterum de Gland. Thyroid.

Tranſalpinis majore cum plauſu adſtipulantur noſtrates, quorum hìc aliquos nominamus; Lanciſium de mortibus ſubit. in tabulas Anatom. Euſtach. in Append. ad Metallothecam Vatic. in Diſſertation. de Vena ſine pari, & de Sangliis Nervorum; Valliſnerium Meditat. &c. Novæ Obſervation. &c. in ſylloge diverſorum Tractat. in Hiſtor. de Generation. in Epiſtolis Criticis; Polenum in Obſervation. Solar. Eclyps. de Caſtellis, in Comment. de defectu Lunæ, in Prolegom. ad Frontinum; Fantonum in Anatom. Valſalvam de Aure humana; Bertinum in Speculo, & in Opinione ſua &c. Contium Epiſt. ad Epiſcopum Adrienſem, in Reſponſione ad Apologiam; Nigriſolum in Meditationibus; Lanzonum in Adverſariis, Baruffaldum in Notitiis de Cinonio, in Tabaccheide; Pachionum Diſſertat. ad Fantonum, Manfredium in Vita Stancarii. Facciolatum in Editione Patavina Celſi; Aſſaltum in Elogio Lanciſii; Petrignanum in Guſtu Philergitatum; Cortium in notitiis hiſtoricis, Pontaderam in Compendio Tabularum Botan; Rotarium in obſervationibus I. II. III. Michielottum in Diſſertat. de ſeparatione fluidor. & Animadverſ. ad Kail, Riccham in Conſtitutio. Epidemic. Taurinenſ. II. Blanchum Diſſert. de ductu lacrim. Saracenum annotation. in Anatomen, Volgium in Anthropogonia, in Hiſtoria fluidorum; Cocchium Epiſt. de lente Chriſtallina, Marcheſium Compend. Hiſtor. Forolivii, Vulpium Præfat. in Celſi edit. Patavinam, & alios, quorum eruditos labores nobis hæc ipſa deproperantibus percurrere, ac loca ſignare, nimium ſit.

Porro has laudes, hanc in re anatomica & exiſtimationem, & auctoritatem ſibi Morgagnus vindicat, his eruditis operibus, quæ ad hanc diem edita, notiſſima ſunt, & his titulis celebrantur.

Ad Anatomica ſex doctiſſima Adverſaria, edita Patavii ann. 1719. & Lugd. Bat. Ann. 1714. & 1723.
Epiſtola de Lumbricis.
Nova Inſtitutionum Medicarum Idea.
In Anatomicas Euſtachii Tabulas Epiſtola.
De Vita Dominici Guglielmini Commentariolum.
Obſervationes Acus intra Veſicam, & Exoreſcenti Membrana Adipoſa.
De Genere Mortis Cleopatræ Epiſtolæ duæ.
De Glandulis Epiſtola.
In Aur. Corn. Celſum, & Q. Samonicum Epiſtolæ IV.
De Tertio Sex. Julii Frontini Conſulatu Epiſtola.

(1) p. 12.
(2) p. 28.
(3) p. 43. 53. 79. 84. 91. 96. 101.
(4) p. 140. & ſeqq. 148. & ſeqq. 151. 159. 163.
(5) p. 58. 173. 206.
(6) p. 3. 13. 24. 25. 32. 61. 73. 81. 84. 101. 118. 122. 146. 153. 162. 182. 185. 188. 191. 196. 199. 201. 212.
(7) de mort. ubit. p. 101. In Tabul. Euſtach. p. 14. 33. 47. 63. 90. 93. 96. 98 100. Appen. ad Metallot. p. 43. 46. 49. De vena ſine pari, & de Sangliis paſſim.
(8) A. 1708. à p. 32. A. 1711. à p. 131. A. 1713. à p. 35. A. 1715. à p. 330. A. 1716. à p. 481 A. 1717. à p. 208. A. 1718. à p. 14. A. 1719. à p. 442. 24. 536. A. 1720. à p. 143. 172. 177. 404. A. 1721. p. 360. 498. & ſeqq. A. 1722. p. 257. A. 1723. p. 43 189. Supp. T. V. p. 289. 293. 527. T. VI. p. 503. T. VII. p. 217 & à p. 526.
(9) A. 1708. p. 1281.
(10) A. 1707. p. 709.
(11) T. 20. à p. 140.
(12) T. IV. à p. 12.
(13) Cent. I. & II. in Catalogo & in App. p. 157. Cent. III. p. 56. 59. Cent. VIII. p. 366. 380.
(14) T. VI. p. 145. T. 7. p. 105.
(15) Tom. 34. p. 223. 343. 463.

C A-

CAPUT XXXIII.

De Profeſſoribus in Anatomen in ſecundo loco ad Annum MDCCXXIV.

I. OPeram dabat Anatomię in hac ſede Petrus de Marchettis Patavinus ab an. 1652. 28. Februarii confirmatus aucto ſtipendio ad flor. quingentos; tractabatque ſimul rem ipſam Chirurgicam, ſummâ in utrâque, cum ſecandi cadavera, tum curandi vulnera, ulcera, tumores, cum gloriâ famâque virtutis atque ſcientiæ, ſcriptis etiam ac titulo equitis clarus. Confirmatus iterum eſt an. 1659. 2. Aprilis flor. ſexcentis & quinquaginta: mox Anatomes labore abſolutus ad primam Chirurgiæ traductus eſt an. 1661. titulo tenus; quippe ſedem utramque, utrique par, imo major utrâque, implebat. Rediit denique ad ſecundam Anatomes, quam paulò poſt

II. 1669. 23. Novembris Antonio de Marchettis filio nob. Patavino, flor. ducentis conducto, reſignavit: ipſe obiit an. 1673. 6. Aprilis, conditus tumulo eodem, quo filius Dominicus in baſilicâ Antoniana. Antonio auctum ſtipendium eſt ad trecentos & quinquaginta an. 1676. 11. Februarii, mox ad quingentos anno 1682. 29. Julii. Traducto ad primam ſedem Chirurgiæ

III. 1682. 30. Octobris è ſecunda Chirurgiæ ſucceſſit Michael Angelus Molinettus Venetus flor. ducentis inſtructus, cui ad primam Anatomes evecto

IV. 1689. 17. Martii ſuffectus eſt cum flor. quadringentis ab ordinaria explanatione ſimplicium Jacobus Viſcardus Venetus, vir probitatis eximiæ, ſingularis doctrinæ, atque in retinendis, confirmandiſque ingenuis veræ Philoſophiæ naturalis dogmatibus acutiſſimus. Crevit illi ſtipendium ad quingentos an. 1693. 4. Julii, deinde ad ſexcentos an. 1703. 18. Julii: ad ſeptingentos & quinquaginta an. 1710. 20. Septembris. Denique ad nongentos an. 1718. 1. Decembris. Hoc ſtipendio docuit ad an. 1721. nunc miſſione ob ſenium, & incommodam valetudinem honeſtâ donatus diminuto laborum præmio ad flor. quadringentos, ſibi, ſapientiæ, ac Deo vacat.

V. 1722. 3. Decemb. Subiit in ejus locum Jo. Baptiſta Vulpius Bergomas non mediocris expectationis juvenis, atque interim Anatomes peritiſſimus, in praxi iatrica ſtudioſè verſatus. Stipendium illi decretum eſt flor. trecentorum. Edidit *Præfationem in adverſaria omnia Morgagni*, *aliam in Aur. Corn. Celſum*, *&* *Q. Serenum Samonicum*. *Epiſtolam Italicam ad Valliſnerium de Anatome linguæ Chamæleontis*. Ejus meminere perhonorificè Acta Lipſienſia (1), Diarium literatorum Italiæ (2), Morgagnus (3), Valliſnerius (4), Fabricius (5).

CAPUT XXXIV.

Profeſſores ad Theoricam Medicinam extraordinariam in primo loco ab An. MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. 1653. VAcabat hæc ſedes ab obitu Hieronymi Golzadii nob. Vicentini, qui biennio ante in ipſo ætatis & honorum flore an. 1651. 21. Aug. deceſſerat; vacavit quoque quadriennio deinceps, cum

II. 1657. 28. Septembris conceſſa eſt flor. ducentis conducto Comiti Hieronymo à S. Sophia nob. Patavino, qui jam pridem inter tertiarios, & ſecundarios ejuſdem claſſis meruerat. Auctum illi ſtipendium eſt ad flor. trecentos & quinquaginta anno 1663. 28. Septembris. Invitatus à Sereniſſimis Parmę, ac Placentiæ Ducibus, ac titulo Archiatri in Aula ſplendidiſſima decoratus, ex eminentiſſimo quoque Parmenſis Gymnaſii ſubſellio docuit anno 1679., & 1682., quo monumenta familiæ ſuæ inter Patavinas clariſſimæ, ſuaque decora vulgabat, ut explicat Salomonius (6). Obiit Patavii anno 1690. jacet in tumulo, quem ſibi ad D. Petri Monialium (7) vivens extruxerat anno 1687.

III. 1665. 5. Decembris. Abeunti Hieronymo ſubrogatus eſt flor. ſexcentis Hieronymus alius Vergerius nob. Juſtinopolitanus ex Iſtria. Confirmato crevit ſtipendium ad octingentos an. 1672. 6. Octobris, quos tranſtulit ad ſedem alteram ordinariam practicæ Medicinæ.

IV. 1676. 19. Septembris ſucceſſit conductus flor. quingentis triginta Pompilius Scotus nob. Patavinus; auctarium mercedis accepit an. 1677. 20. Martii ad flor. ſeptin-

(1) A. 1720. p. 143., & ſupplem T. 7. p. 328.
(2) T. 33. P. 1. p. 74. et P. 2. p. 489.
(3) Adverſ. III. p. 75. IV. p. 24. VI. 69. et in Epiſt. in Celſum et Sammonicum ad eum ſcriptis.
(4) in hiſt. Generatio. p. 139. et ſeq. et in Epiſt. Criticis p. 158.
(5) Hiſtor. Biblioth. P. 4. p. 12.
(6) Inſcript. Pat. p. 29. 30. n. 147 148.
(7) Vid. eund. ibid. p. 116. n. 3. 4.

ſeptingentos, queis auctus ad ſecundam ordinariam Theoricæ Medicinæ provectus eſt.

V. 1679. 17. Martii ſuffectus cum flor. ſexcentis in hanc exedram venit Comes Alexander Borromæus nob. Patavinus. Acceſſere ſexcentis flor. ducenti an. 1681. 7. Martii: mox centum an. 1689. 17. Martii, militavitque ab hac exedra flor. nongentis.

VI. 1698. 21. Auguſti. Provecto ad ſecundam ordinariæ Medicinæ Theoricæ Borromęo datus ſucceſſor eſt Simon Eghen Tridentinus, conductus flor. quadringentis. Is intra tempus conductionis abdicavit ſe munere, eò regreſſus undè huc commeaverat.

VII. 1702. 20. Aprilis à ſecunda claſſis ejuſdem traductus eſt Alphonſus Donoli Ilicienſis Hetruſcus, aucto ad ſexcentos ſtipendio, quod an. 1709. 18. Julii crevitad octingentos, eoque etiamnum docet, ſenex incurvæ ætatis, ſed mentis erectæ, ac vividæ, quem non Æſculapius & Hygia dumtaxat in praxi medica, verum etiam Apollo, Muſæque in humanitate literaria maximè diligunt: quippe his omnibus & litavit egregiè olim, atque etiam num litat. Edidit enim latinè, *Comment. de iis qui ſemel in die cibum capiunt*. Italicè, *Medicum Practicum*, & quædam Opuſcula de *Varietate Medicinæ*. Carmine luſit *Job Hetruſcum, ſeu Paraphraſim proſa & Verſu libri Iob. Lyricorum Tomos duos, Panegiricos aliquot, Orationes, Odas, Dithyrambos*, & alia.

CAPUT XXXV.

De Profeſſoribus ad Theoricam Medicinam Extraordinariam in ſecundo loco ad an. MDCCXXIV.

I. 1653. DOcebat ab hac ſede glorioſè & utiliter auctus flor. quadringentis Antonius Gambarus civis Patavinus ex Prævotii diſciplina Medicinæ peritiſſimus. Obiit Patavii annos natus LIII. 20. Septembris an. 1655. ſepultus in Eremitana Baſilica cum elogio (1), quod illi nepos ex ſorore, & hæres Antonius Majetanus poſuit.

II. 1656. 28. Septembris è tertia claſſis ejuſdem ſede ad hanc acceſſit flor. centum & quinquaginta conductus Hieronymus à S. Sophia nob. Patavinus, de quo diximus. Provectus ad primam ſedem,

III. 1657. 28. Septembris locum ſecit Hermenegildo Peræ Carno ex Portu Buffaletto, ſed cooptato in cives Feltriæ, qua in Urbe diu anteſignanus Medicorum ſuit: indeque accitus flor. trecentorum mercede, profiteri cœpit. An. 1663. 15. Decembris ad flor. quingentos merces ejus excrevit, quam auxit ad ſeptingentos annus 1669. 4. Januarii; ad nongentos verò an. 1676. 21. Januarii, tandemque ad mille ac ducentos an. 1682. 20. Junii. Eo anno mortalitatem exuit ſenex mitiſſimus, & omnibus ægrotis liberaliter utilis; conditus eſt ad D. Franciſci cum Epitaphio legendo apud Salomonium (2).

IV. 1682. 12. Septembris ſubiit in ejus locum Alphonſus Donoli Ilicienſis Hetruſcus, mercede conductus flor. quadringentorum, quos ad quingentos perduxit auctarium an. 1691. 10. Januarii. Hoc ad primam claſſis ejuſdem evecto,

V. 1703. 29. Martii ſucceſſit ex Practicæ Medicinæ extraordinariæ ſecunda Georgius Calaphates Cydonius ex Inſula Creta, docturus quingentorum flor. ſtipendio. Traductum ad ſecundam Practicæ ordinariæ ſedem

VI. 1709. 27. Septembris excepit Comes Jo. Antonius Caſalius nob. Patavinus meriturus flor. ducentis, qui ad trecentos crevere confirmato an. 1717. 15. Aprilis.

(1) Salom. Inſc. Pat. p. 221. n. 57.

(2) Ibid. p. 324. 325. n. 2

CAPUT XXXVI.

De Profeſſoribus ad Theoricam Medicinam extraord. in tertio loco ad Annum MDCCXXIV.

I. 1653. TRaditur ab hac ſede docens ex Tomaſino Hieronymus à S. Sophia nob. Patavinus, cui nullus ſucceſſor ſuit niſi anno

II. 1660. Hercules Saxonia junior nob. Patavinus, qui ultra decennium ſedem hanc obtinuerit, quando in ea ſignatur Lector an. 1670. nec datur illi ſucceſſor ante annum

III. 1680. Solimanus Militia Bradiolus nob. Patavinus, quem poſt triennium excepit

IV. 1683. Ludovicus Maripetrus Saxonia nob. Patavinus, in cujus elogio Patinus (3) laudat ſamiliam.

V. 1688. Suffectus eſt Laurentius Bacchettus Patavinus Comes & Eques, juris unà utriuſque ac Medicinæ Doctor; nec in altera minùs quam in altera facultate verſatus. Medicinam tamen prætulit Juri, auſpice clar. Montanario, eamque publicè profeſſus eſt

(3) Lycæi p. 132. 134.

ab hac exedra ad an. 1708., quo ad praxim iatricam evocatus, doctrinâ, criterio, ac multiplici felicium curationum experientiâ inter præcipuos nunc Patavii Medicos, minor nemine, majoribus par, claret. Poſt hunc

VI. 1710. Comes Aloyſius Badiolus nob. Patavinus ſedem hanc tenuit: cui ſubſtitutus eſt

VII. 1714. Jo. Maria Roſſi Patavinus. Hoc porro ad explanationem ſimplicium tranſlato, Sedem vacuam obtinuit

VIII. 1716. Domninus de Domninis Patavinus. Is vero Romam profectus, & Orioli nunc Medicus, locum aperuit

IX. 1718. Joſepho Guerræ Patavino, qui cùm ob interceptam dolo malo pecuniam amici, reus etiam falſi, & munere, & patriâ publico judicio damnatus, excidiſſet, vacuam ſedem, ac deceſſoris infamiâ turpem

X. 1721. Gulielmus Scotus nob. Patavinus accepit, eamque priſtino decori, ac ſplendori reſtituit, excolit morum nobili ſanctitate, auget virtute, & doctrinâ.

CAPUT XXXVII.

De Profeſſoribus ad Practicam extraordinariam Medicinæ in primo loco ad annum MDCCXXIV.

I. 1652. 23. SEptembris flor. ſexcentis merebat in hac ſede Hieronymus Frigimelica Roberti Comes & Eques, nob. Patavinus. Confirmato decreti ſunt octingenti & quinquaginta an. 1660. 25. Septembris, mox mille ac centum an. 1664. 4. Februarii, cui eodem tempore onus impoſitum extra ordinem habendarum in Noſocomio diebus vacantibus prælectionum de pulſibus & Urinis. Nam ſignatum invenio illi pro onere hoc ſtipendium flor. ducentorum an. 1656. 6. Julii; anno verò 1661. 7. Decembris trecentorum. Ubi ad ſedem ſecundam Practicæ Medicinæ ordinariæ aſcendit,

II. 1666. 18. Auguſti. Suffectus illi eſt in hac ſede Georgius à Turre nob. Patavinus, cum onere plantas Medicas oſtendendi in Horto Botanico, ſimul conſtitutum illi ſtipendium quingentorum, quod auctum eodem cum onere ad ſeptingentos an. 1667. 2. Decembris; mox ad nongentos an. 1679. 21. Januarii.

III. 1680. 29. Septembris ſucceſſit ex prima Chirurgiæ Dominicus de Marchettis nob. Patavinus, merens florenis ſeptingentis. Illi adjectum eſt onus Anatomicæ demonſtrationis in primo loco anno ſequenti producto ſtipendio ad mille.

IV. 1683. 9. Octobris vacuam ſedem obtinuit ſtipendio flo. ſexcentorum, quo docebat in prima ſede Chirurgica Carolus Patinus eques Pariſienſis, de quo nos pauca alibi, ſignatura, quæ de ſe ipſe plurima ſcribit. Confirmato iterum intra ſeptingentos honorarium fuit an. 1689. 18. Junii. Vivere deſiit intra tempus conductionis ſexagenarius an. 1693. 10. Octobris: conditus eſt in templo majore cum epigraphe, quam dedit Salomonius (1).

V. 1694. 20. Novembris ad hanc ſedem accitus flor. ſexcentis venit è Gymnaſio patrio Pompejus Saccus. Crevere illi ad octingentos triennio poſt, anno ſcilicet 1697. 3. Octobris.

VI. 1700. 26. Auguſti. Sacco ad primam Theoricæ ordinariæ ſedem evecto ſubrogatus eſt Antonius Valliſneri Regienſis, ad Gymnaſium invitatus flor. trecentis & quinquaginta, quorum ſumma fuit quingentorum & quinquaginta confirmato an. 1707. 28. Aprilis.

VII. 1709. 18. Julii. Valliſnerio ad ſecundam Theoricæ ordinariæ traducto, hæc ſedes ceſſit juri Leal Leali, qui merebat in ſecunda hujus claſſis. Auctum tunc illi ſtipendium ad quadringentos ſeptuaginta, mox anno ſequenti ad ſexcentos quinquaginta.

VIII. 1718. 22. Septembris. Leali provecto ad ſecundam Practicam ordinariam hæc ſedes data eſt Marco Navarræ, in eo, quo docebat trecentorum & quinquaginta ſtipendio; quod auctum eſt ad flor. quadringentos ſexaginta an. 1723. 24. Junii. In hac gloriæ ac utilitati Gymnaſticæ militat vir practicus, & in curationibus verſatiſſimus.

(1) Inſcr. Pat. p. 18. n. 88.

C A-

CAPUT XXXVIII.

De Profeſſoribus practicæ Medicinæ extraordinariæ in ſecundo loco ad annum MDCCXXIV.

I. 1653. 27. SEptembris Angelo Montagnanæ nob. Patavino, qui ſubierat anno 1647. in locum Com. Hieronymi Frigimelicæ, liber tamen ab onere diſceptandi de pulſibus, & Urinis in Noſocomio diebus vacantibus, confirmato ſtipendium fuit flor. ducentorum & viginti, crevere ad trecentos an. 1661. 10. Maii, deinde ad quadringentos & quinquaginta an. 1666. 5. Maii, tum ad ſexcentos an. 1671. 4. Novembris, denique ad ſeptingentos & quinquaginta an. 1678. 17. Auguſti, quo è vivis ereptus eſt 24. Octob.

II. 1678. 13. Decembris ſucceſſorem habuit mercede flor. quingentorum Hilarium Spinellum, nob. Patavinum, qui non aucto ſtipendio diu in hac ſede meruit, provectuſque ad ſedem Practicæ Medicinæ ordinariæ ſecundam, hanc reliquit

III. 1692. 2. Julii transferendam in Laurentium Languidis Forojulienſem, domo accitum floren. quingentis. Ne biennio quidem ſuperſtes fuit, ac ſenex, & quamvis alioqui doctus, & Practicus magni nominis, oneri tamen publicarum prælectionum impar, labori inſueto ſuccubuit, mortuus Patavii an. 1694. 5. Februarii.

IV. 1695. 7. Maii ſubrogatus eſt Georgius Calaphates Cretenſis Cydonius, atque à ſede theorica extraordinaria diebus vacantibus in hanc intulit ſtipendium flor. quadringentorum & ſeptuaginta: quod illi non aliter crevit, quàm traducto ad ſecundam theoricæ medicinæ extraordinariæ.

V. 1703. 18. Julii, hæc data eſt flor. quadringentis Leal Leali Veronenſi, venienti è ſede ſimplicium. Hoc quoque ad primam hujus ordinis exedram translato

VI. 1709. 26. Septembris patuit hic locus Marco Navarræ Rhodigino, conducto flor. ducentis, qui aucti ſunt ad trecentos quinquaginta an. 1716. 23. Septembris; ſed & hoc provecto ad primam hujus ordinis

VII. 1718. 12. Septembris, hæc ſedes conceſſa eſt Bartholomæo Lavagnolo Patavino à Meteorologicis & Aſtronomicis explanationibus ad hanc ſedem centum & quinquaginta flor. conducto. Hi illi ad quinquaginta ſupra trecentos crevere an. 1723. 21. Aprilis. Docet eloquenter, & doctè, ut probant diſſertationes duæ habitæ ab exedra Meteorologicorum, editæque, de quibus conſule Diaria Literatorum Italiæ (1). [1] Tom. 24. p. 410.

CAPUT XXXIX.

De Profeſſoribus practicæ Medicæ extraordinariæ in tertio loco ad Annum MDCCXXIV.

VAcabat hæc ſedes ex cauſis, quas ex Tomaſino ſuperiùs annotavimus ab anno 1647.

I. 1654. Ea tandem conceſſa eſt Hilario Spinello nob. Patavino, quem tamen vulgò ferunt Goæ natum apud Indos.

II. 1670. Hunc excepit Alexander Vigontia nob. Patavinus, cui poſt annos ſeptem ſuffectus eſt

III. 1680. Octavius Saviolus Patavinus. De hoc multa cum laude diſſerit Patinus. Eo abdicante (2) [2] Lycæ p. 115. 116.

IV. 1682. Ceſſit hæc ſedes Annibali Dominico Bimbiolo nob. Patavino, qui deinde Sacra ſecutus, adſumpta in fœdus virtutis pietate, lectus eſt in Canonicum Eccleſiæ Patavinæ, quem honorem doctrinâ, morum integritate, Sacrarum literarum ſcientiâ, ſtudioque religionis mirum in modum amplificat.

V. 1688. Succeſſit Ferdinandus Carolus Anſelmi Rinaldini nob. Patavin, quo abdicante.

VI. 1698. Locum obtinuit Jo. Baptiſta Bonhomo Patavinus, qui ad alteram ſedem Philoſophiæ vocatus hanc tradidit

VII. 1703. Jo. Baptiſta Urſato nob. Patavino. Sed & hic ad alteram Avicennæ juſſus aſcendit.

VIII. 1717. Horum ſucceſſor Angelus Piſani, virtute, atque in obeundo docendi munere diligentiâ & ſedulitate par deceſſoribus ſuis, par itidem laborum ſuorum præmium expectat.

CAPUT XL.

Profeſſores Philoſophiæ extraordinariæ in primo loco ad Annum MDCCXXIV.

I. *1656. 6.* Decembris. D. Anaſtaſius Galdiolus Vicentinus, Abbas Caſſinenſis, qui ab an. *1651.* flor. centum & quinquaginta in hac exedra extra ordinem Ariſtotelem explanabat, confirmatus flor. ducentis & viginti eandem explanationem proſecutus eſt per ſexennium, mox ad primam ordinariæ Philoſophiæ traductus, ut diximus,

II. *1663. 15.* Decembris. Succeſſorem habuit Petrum Franzanum Vicentinum, virum nobilem è ſede Logicę venientem aucto ſtipendio ad flor. quingentos. Confirmato crevere ad ſeptingentos an. *1667. 11.* Februarii, iterum ad nongentos an. *1677. 13.* Aprilis. Obiiſſe Patavii an. *1689. 6.* Martii colliges ex ejus titulo in ſacris ædibus SS. Simonis & Judæ poſito. In tabulario Magiſtratûs Sanitati curandæ præpoſiti mors ejus notatur an. *1681.* atque hujus auctoritati ſtandum eſt. Nam

III. *1681. 24.* Julii Franzano ſufficitur Nicolaus Calliachius Cretenſis ad hoc Gymnaſium bonis avibus accitus flor. ducentis & quinquaginta: cui confirmato aucti ſunt ad quadringentos & quinquaginta an. *1683. 29.* Aprilis.

IV. *1687. 2.* Aprilis Calliachio ad ſedem humanioris literaturæ translato, ſubrogatus eſt flor. ſexcentis Joannes Cicala Cyprius, ex urbe Leucoſia, quam Nicoſiam vocant: vir linguæ Græcę peritiſſimus, & ad illuſtrandas ingenuas magni Stagiritę ſententias ſuâ ætate omnium maximè idoneus. Diu meruerat in altera ſede ordinis hujus. Ex hac vix unam, & alteram pręlectionem habuit è vivis ereptus eodem anno *5.* Novembris.

V. *1688. 5.* Februarii in hanc ſedem ſubiit Franciſcus Spoleti Thuſcus è Luvignano flor. quadringentis conductus. Provecto ad ſedem ordinariæ Philoſophiæ,

VI. *1692. 29.* Septembris Thomas Cattaneus Cydonius Cretenſis ſubſtitutus eſt è ſecunda claſſis ejuſdem ad hanc accitus flor. ducentis, cui confirmato die *13.* Januarii an. *1693.* duplicati ſunt. Abdicavit ſe munere, vir doctiſſimus & eruditiſſimus. Edidit Italicè nitidiſſimo, & elegantiſſimo ſcribendi charactere, & ad Gallicam venuſtatem expreſſo, *Ideam equitis honeſti in Vita S. Martyris Demetrii, Periphraſim Hymni apud Græcos celeberrimi, quem Acathiſtum appellant, Librum Epiſtolarum ab Anonymo equite apud Pannonas militante ad Matronam Anonymam.* Hæc ſuppreſſo ſuo nomine, vel profeſſus è ſermone Gallico Italice reddita, ſua eſſe diſſimulat, cum ejus omnino ſint, & in ſolidum ipſi debeantur. Obiit Venetiis hoc ipſo, quo hæc eduntur anno *1725.*

VII. *1703. 29.* Martii Ludovicus Saccus Parmenſis hanc ſedem obtinuit flor. trecentis & quinquaginta, cui mortuo

VIII. *1708.* 28. Februarii datus ſucceſſor Proſper Brexellus Mutinenſis docere *cœpit* mercede flor. ducentorum & quinquaginta, qui confirmato duplicati ad quadringentos auxere ſtipendium an. *1716. 7.* Maii.

CAPUT XLI.

De Profeſſoribus Philoſophiæ extraordinariæ in ſecundo loco ad Annum MDCCXXIV.

I. *1653.* Docebat in hac ſede poſitus flor. centum & viginti ab anno *1651.* Julius Clemens Scotus Comes Placentinus, laudatus à Tomaſino (1). Translato ad ſecundam veſpertinam S. Canonum ſedem

(1) Gymn. lib.3.c.35.p.321.

II. *1654. 23.* Octobris, centum & quinquaginta ſtipendio ſucceſſit Æneas Lucius Albertarius Patavinus: in ejus fato functi locum

III. *1661. 6.* Auguſti, pari floren. numero conductus Valerianus Bonvicinus Veronenſis. Auxit ſummam ſtipendii ad trecentos & ſexaginta an. *1667. 11.* Februarii. Eo anno obiit.

IV. *1668. 22.* Decembris accepto flor. centum & octoginta honorario ad hanc ſedem acceſſit Joannes Cicala Cyprius. Confirmato crevit ad flor. trecentos an. *1673.* 8. Junii:

Junii: mox ad quingentos an. 1679. 14. Febr. tum ad ſexcentos an. 1687. 2. Aprilis, quos ſecum tulit ad primam ordinis ejuſdem evectus.

V. 1687. 2. Aprilis vacuam biennio exedram conſecutus eſt Thomas Cattaneus Cydonius Cretenſis, accitus Venetiis flor. ducentis, qui cùm fuiſſet traductus ad primam claſſis hujus an. 1692. hæc ſecunda eodem anno 29. Septembris Senatuſconſulto abolita eſt.

VI. 1695. 7. Maii à funere ſuo rediviva hæc ſedes conceſſa eſt Antonio Roncono Utinenſi, militaturo ſtipendiis centum & quinquaginta florenorum.

VII. 1703. 23. Auguſti ad hanc venit Jo. Baptiſta Bonhomo nob. Patavinus ab exedra tertia Medicinæ Practicæ extraordinariæ flor. ducentis inſtructus, quibus auctis ad trecentos & quinquaginta, is etiam num ex hac ſingulari doctrinâ & diligentiâ docet.

CAPUT XLII.

De Profeſſoribus Philoſophiæ extraordinariæ in tertio loco.

I. Compoſitis, quas notavimus alibi, de jure præcedendi controverſiis, hæc ſedes, ex qua nemo docuit poſt Bernardum de Laurentiis Patavinum Ordinis Servatarum, cui illam tribuit ab an. 1649. Tomaſinus (1). (1) lib. 3. Gymn. c. 16. p. 321.

II. 1663. Data eſt Adriano à S. Juliana nob. Patavino ex ord. Prædic. de quo multa Patinus (2). Is docuerat in tertia Logicæ indeque ad hanc venit; nec tamen ulteriùs progreſſo (2) Lic. p. 30. 31.

III. 1670. Alexander Vigontia ſuffectus eſt nob. Patavinus ex tertia Practicæ Medicinæ ad hanc traductus.

IV. 1683. Succeſſit Campolongus Campolongus nob. Patavinus, juventuti privatim inſtituendæ perutilis. Hoc ad ſecundam Avicennæ translato

V. 1709. Sedes hæc obtigit Bartholomæo Lavagnolo Patavino; atque hoc etiam ad alteram Practicæ Medicinæ extraordinariæ ſubvecto

VI. 1715. Vacuam in ſedem ſubiit Aloyſius Blaſius Speronus nob. Patavinus è tertiâ Logicæ. Provecti ad alteram Philoſophiæ ordinariæ

VII. 1720. Succeſſor fuit Joannes Campolongo nob. Patavinus ſtudioſiſſimus Juvenis. Sed eo vivis erepto hoc ipſo, quo ſcribimus anno, ſedes hæc vacat.

CAPUT XLIII.

Profeſſores Philoſophiæ Moralis ab an. MDCLIII. ad annum MDCCXXIV.

I. Explicabat Ariſtotelis de Moribus Inſtitutiones datus an. 1651. ſucceſſor Albertino Bariſono nob. Patavino, itidemque Canonico, mox Antiſtiti Cenetenſi D. Joſeph Maria Maraviglia Mediolanenſis clericus Regularis, docebatque flor. centum & quinquaginta conductus, quos ad ducentos & octoginta annus 1657. 18. Maii auxit, mox iterum repetita conductio ad quadringentos & octoginta an. 1663. 28. Septembris. E ſede Gymnaſtica ad Epiſcopalem aſcendit dictus Novarienſis Antiſtes 1668. Vir diſertiſſimus & eruditiſſimus, quem ferunt multa ſcripſiſſe. Nos unum ejus Italicum Opuſculum vidimus editum, inſcriptumque *Errores Sapientum*.

II. 1667. 18. Decembris ſucceſſit ad hanc exedram flor. quingentis accitus Franciſcus à S. Auguſtino Macedo Luſitanus è caſtris Societatis Jeſu ad Minoritarum, quos de obſervantia vocant, inſtitutum transgreſſus. Vir miri prorſus & fœcundiſſimi in re literariâ ingenii, ut inferius annotabimus. Confirmato ſtipendium auctum ad ſexcentos ann. 1675. 18. Decembris, mox ad octingentos ann. 1680. 5. Decembris. Supervixit menſibus non integris ſex, obiitque, Patavii nonagenarius an. 1681. Kal. Maii. Sodales illi Simulacrum erexere marmoreum in templo D. Franciſci majoris cum Elogio, quod Salomonius dabit. (3). (3) Inſcr. Pat. p. 317. nu. 10.

III. 1681. 8. Auguſti. Macedo ſubſtituitur Joſeph Carlottus Cyrnæus, Patavinus, Canonicus Pœnitentiarius, venerabili Card. Gregorio Barbadico, deinde Georgio Card. Cornelio inter paucos charus, acceptus omnibus, quippe humaniori literaturæ, muſiſque ac ſeverioribus diſciplinis comitatem, urbanitatem, pietatem, modeſtiam miſcere doctus, ita humilem fortunam erexit ad magna, ut nulla ex parte invidiæ patuerit, vivendique ſibi genus tranquillum, ac liberale paraverit. Inituro hanc ſedem flor. trecenti decreti ſunt, confirmato quadringenti Anno 1687. 28.

Decembris, ſexcenti an. 1693. 28. Januarii M.V. ſeptingenti an. 1707. 28. Aprilis, octingenti denique an. 1713. 28. Auguſti. Ægrâ ſenectute confecto, ac decumbenti perpetuo an. 1718. 17. Martii diminuti ſunt ad trecentos. Octogenario major vivere deſiit an. 1719. 11. Aprilis,

IV. 1718. 18. Auguſti. Vacua ſedes nec petenti, nec ambienti, ac penè non palam invito decreta eſt Canonico Jacobo Giacometto Vicentino, Oratori clariſſimo, linguæ Græcæ perito, Latinæ peritiſſimo, qui quas in ampliſſimo Seminario Patavino tractavit, curavitque, Muſas Atticas, & Auſonias, publicæ utilitati ſervire cogit, hiſque mitigat Ethices ſuperciliosius ingenium. Scripſit Orationes elegantiſſimas plurimas, quæ ſparſim editæ ſunt. Docet ſtipendio flor. trecentorum.

CAPUT XLIV.

Profeſſores ad Aſtronomiam, & Meteora ab An. MDCLIII. ad Annum MDCCXXIV.

(1) lib. 3. Gym. c. 29. p. 324. HÆc ſedes minimi olim habita, ut colliges ex Tomaſino (1), vix aliquando, quæ ſola profitebatur, Ariſtotelis Meteora publicè expoſuit diebus vacantibus in ipſa matutina pulſatione campanulæ. Hinc ad Meteora dumtaxat dicebatur, demandataque eſt quaſi honoraria, ad unum titulum, & ſtipendium, quod ad flor. quadringentos auctum eſt an. 1647. 22. Junii Gaſpari Venturæ Lonigo, Ateſtino Canonico, qui inauditus Gymnaſio à Conſultationibus Eccleſiaſticis erat Venetiis Auguſtæ Reipublicæ noſtræ. Obiiſſe eum Venetiis in honore, & munere tradit Salomoniuus (2) an. 1665. Ei poſt quinquennium

(2) Inſcript. Gymn.

II. 1670. 15. Martii datus ſucceſſor eſt, publicè ab hac exedra locuturus eruditiſſimè Eques Sertorius Urſatus nob. Patavinus, qui ſedi titulum addidit Parvorum Ariſtotelis librorum, ne in leviore Meteororum, ut ante, vileſceret. Aſſignati laboribus flor. centum, & quinquaginta. Hi viro eruditiſſimo, & de Monumentis Patavinæ vetuſtatis optimè merito, creviſſe non videntur, quippe è vivis erepto 3. Julii an. 1678.

III. 1678. 23. Julii, flor. quadringentis accitus ad hanc exedram venit longè omnium ſuæ ætatis in re Aſtronomica verſatiſſimus Geminianus Montanarius Mutinenſis; cui munus indictum præcipuè Aſtronomica explanandi. Undè factum, ut ſedes hæc ab Aſtronomia primum nomen habeat, Meteoris rejectis ad ea, quæ ſolent accedere potioribus. De Montanario dicemus in loco. Anno 1683. 29. Aprilis quadringentis acceſſere floren. trecenti, ut in ſeptingentis doceret ad iterandam conductionem; parabaturque longè majus auctarium viro in re, quam tractabat, ſingulari: ſed morte interceptum eſt anno 1687. 13. Octobris. Jacet in templo S. Benedicti Monialium cum epitaphio, quod illi officii erga Magiſtrum memor erexit Laurentius Bacchettus diſcipulus, ac thalami ſucceſſor.

IV. 1693. 13. Januarii M.V. cum propè decennium vacaſſet hæc exedra, conceſſa eſt Michaeli Angelo Fardellæ Drepanenſi Siculo ad flor. quadringentos.

V. 1703. 22. Maii Fardellæ ad primam ordinariæ Philoſophiæ provecto ſucceſſit Joannes Gratianus Bergomas flor. ducentis, & quinquaginta.

VI. 1709. 26. Septembris in locum Gratiani ad primam itidem ordinariæ Philoſophiæ ſedem evecti ſubiit Joannes Polenus Marchio Venetus flor. itidem ducentis quinquaginta. Hunc in ſede Matheſeos ex merito ſalutabimus.

VII. 1715. 28. Maii. Suffectus eſt Bartholomæus Lavagnolus Patavinus flor. centum quinquaginta. Tranſlato ad ſecundam Practicæ medicinæ extraordinariæ.

VIII. 1718. 1. Decembris ſubrogatus eſt flor. ducentis, & quinquaginta Ludovicus à Ripa Venetus, eruditiſſimus juvenis ob linguæ Græcæ notitiam, ſplendorem latinæ locutionis, & in re Botanica doctè, atque eleganter verſatum ingenium, ſummæ in republica literaria expectationis, cui ſatisfecit in anteceſſum edito ſpecimine doctrinæ ſuæ planè ſenilis in Hiſtoria Univerſali Plantarum, quam bis legimus avidiſſimè, quamque meritò laudant Literatorum Diaria (3). Huic operi non minus doctas & plane philoſophicas diſſertationes addidit hoc anno 1725. tres, quas *Miſcellanea* inſcripſit, *de Meteoro ignito*, *de vi Vaporum in Hygrometris*, & *Demonſtrationes Theorematum ad Quadraturas ſpectantium*, quibus accedit *Proluſio habita in Gymnaſio*, cum primùm in hoc docere cœpit, elegantiſſima, eruditiſſima.

(3) Tom. 29. p. 389.

CAPUT

CAPUT XLV.

Profeſſores Chirurgiæ Ordinariæ ab an. MDCLIII. ad an. MDCCXXIV.

I. MUnus hoc in Gymnaſio noſtro, quà erudit Medicinam facturos, præcipuum ; plerunque adnexum primæ vel ſecundæ Anatomes adminiſtrationi fuit. Eo fungebatur, aucto ad flor. quingentos honorario ann. 1652. 28. Februarii Profeſſor magni nominis Petrus de Marchettis eques, Patavinus, qui an. 1659. 2. Aprilis productâ ad ſexcentos quinquaginta mercede ſcholaſticâ, cùm per annos aliquot arte ſua fuiſſet egregiè perfunctus, hujus gloriam unà cum ſede ſua, vivens in diſcipulum, & filium ſuum Dominicum, futurum patre majorem, tranſmiſit. Obiit anno 1673. 6. Aprilis.

II. 1662. 16. Maii florenis centum & quinquaginta, patre petente, ad hanc ſedem evectus eſt Dominicus de Marchettis nob. Patavinus, vir clariſſimus. Ampliore ſtipendio trecentorum quinquaginta donatus eſt anno 1668. 5. Decembris; crevitque hoc ipſum ad quadringentos & quinquaginta confirmato ann. 1675. 13. Septembris; an. verò 1680. 6. Julii ad ſeptingentos, cùm ad primam Anatomes translatus eſt, in qua ſexennio poſt flor. mille meruit.

III. 1680. 29. Septembris Franciſcus Boſſellus Patavinus è ſecunda claſſis ejuſdem ad hanc provectus flor. quingentis eodem anno deceſſit.

IV. 1681. 29. Octobris ſubiit Carolus Patinus eques Pariſienſis ex Avicennæ ſecunda ſede duplicato ſtipendio ad ſexcentos, cui biennio poſt, ad Primam extraordinariæ medicinæ practicæ translato,

V. 1683. 30. Octobris. Succeſſit Antonius de Marchettis nob. Patavinus, virtute ſua, & fama Petri patris, ac Dominici fratris notiſſimus. Conducto decreti flor. quingenti ; confirmato ſexcenti an. 1691. 20. Decembris. Iterum an. 1707. 11. Auguſti confirmato ſeptingenti. Ab anno verò 1714. 5. Decembris octingenti, poſtremò an. 1723. 2. Decemb. nongenti, quibus militat utiliſſimè Gymnaſio, ac Patriæ, feſtiviſſimus, & doctiſſimus ſenex octogenario major.

CAPUT XLVI.

De Profeſſoribus Chirurgiæ in ſecundo loco ad ann. MDCCXXIV.

VAcabat hæc ſedes ab an. 1649. quo Petrus Franzanus nob. Vicentinus ab hac ad exedram primam Logicæ traductus eſt,

I. 1662. 16. Maii cùm Franciſcus Boſſellus Patavinus ſedem vacuam implevit, instructus flor. centum & viginti. Hi illi aucti ad ducentos an. 1669. 2. Novembris, mox ad trecentos anno 1675. 6. Julii; ad qningentos denique an. 1680. 6. Julii, cùm evectus ad ſedem hujus ordinis primam, in ea animam poſuit.

II. 1681. 7. Martii datus illi ſucceſſor eſt Auguſtinus Pivatus Aſylienſis flor. ducentis. Eodemque anno traducto ad III. Avicennæ in ſecundo loco

III. 1681. 29. Octobris. Michael Angelus Molinettus Venetus, conductus flor. ducentis ſucceſſit.

IV. 1683. 30. Octobris Molinetto ad majora provecto, hæc ſedes conceſſa eſt Leal Leali Veronenſi ſtipendio flor. ducentorum. Translatus ad ſedem ſimplicium hanc vacuam reliquit, vacatque ab an. 1692. 27. Septembris.

CAPUT XLVII.

De Profeſſoribus ad Explicationem Simplicium ab an. MDCLIII. ad an. MDCCXXIV.

I. NAturam ac virtutem ſimplicium explanabat è ſede Gymnaſtica Georgius à Turre nob. Patavinus ab an. 1649. 6. Octobris ducentis flor. conductus, qui mox præfectus Horto Botanico onus oſtendendarum ibi Plantarum ſubiit ob inſignem Botanicæ Rei ſcientiam. Confirmarus eſt flor. trecentis an. 1656. 13. Januarii, arque iterum quingentis an. 1662. 16. Novembris, ſed quadriennio poſt, ſuggeſtu dimiſſo Gymnaſtico, in excolendo unicè Horto totus fuit.

II. *1666.* 5. Novembris. Ad enarrationem Simplicium pro roſtris Gymnaſticis venit Hilarius Spinellus nob. Patavinus flor. centum & quinquaginta conductus. Confirmato crevere ad quinquaginta ſupra ducentos an. *1673.* 8. Junii, deinde ad trecentos & quinquaginta an. *1679.* 14. Februarii.

III. *1684.* 13. Januarii. Spinello provecto ad ſecundam matutinam practicę Medicinæ extraordinariæ, explanatio Simplicium Jacobo Viſcardo Veneto, qui triennio Logicæ militaverat, demandata eſt flor. quadringentis. Hoc ad ſecundam Anatomes evocato

IV. *1692.* 21. Julii vacuam triennio ſedem hanc è minore Chirurgiæ traductus obtinuit Leal Leali Veronenſis flor. ducentis; ſed & hoc ad ſecundam matutinam practicæ Medicinæ extraordinariæ tranſlato

V. *1703.* 29. Auguſti explicatio Simplicium conceſſa eſt Alexandro Knips Macoppe è Colonia Agrippinæ conducto flor. ducentis.

VI. *1716.* 7. Maii eodem ducentorum ſtipendio Macoppe ad ſedem Theoricę ordinariæ ſecundam traducto ſubrogatus eſt Jo. Maria Roſſi Patavinus flor. ducentis, cui conceſſum Collegii jus an. *1719.* 20. Septembris. Claret ex libro Edito de *Interpretandis Simplicium Medicamentorum facultatibus*, provectus ad ſtipendium trecentorum & quinquaginta an. 1723. 24. Junii.

CAPUT XLVIII.

De Profeſſoribus præfectis Horto Botanico, quos ad oſtenſionem ſimplicium vocant, ab an. MDCLIII. *ad* MDCCXXIV.

I. DE his, ubi de Horto Botanico actum eſt, aliqua diximus, quæ ad hanc ſtipendiorum Chronologiam revocanda ſunt. Defuncto Weſlingio an. 1644. ſuffectus eſt Georgius à Turre nob. Patavinus, qui Hortum Botanicum tam ſedulò procuravit, ut ſummam ſibi, ac Gymnaſio gloriam paraverit, viſuſque ſit huic muneri penè dixerim ſuâ ætate omnium maximè neceſſarius. Diſſerebat quoque prælectionibus perpetuis ab exedra de virtute Plantarum; quæque tòto anno literario docuerat, mox Horto recluſo VI. Nonas Maii, accurrentibus undequaque ſtudioſis Medicinæ diſcipulis, oſtendebat. His officiis functus eſt ter aucto ſtipendio ad flor. quingentos ab an. *1649.* 4. Octobris ad an. *1666.* 5. Novembris, quâ provectus ad primam ſedem extraordinariæ Medicinæ Practicæ, matutinam enarrationem ſimplicium in Gymnaſio dimiſit, Horti præfecturam, vernamque demonſtrationem Herbarum retinuit, quàm donatus mille centum & quinquaginta flor. ſtipendio transferri in Jacobum Pighium, Anatomes in primâ ſede Profeſſorem clariſſimum, curavit. Pręfuit ergo Georgius Horto Botanico ſumma cùm laude, atque eruditionis, opinione ſupra annos triginta.

II. *1681.* 8. Auguſti ſucceſſit, quem laudavimus, Pighius Anatomicus, ſimul Horti præfectus, aucto ad ſexcentos ſtipendio. Cui è vivis erepto an. *1683.*

III. *1687.* 2. Aprilis, nempè poſt biennium ſuffectus eſt Abbas Felix Viali Patavinus, accitus è Gymnaſio Piſano, undè illi Profeſſoris honorarii titulus honeſtiſſimus *fuit*. Stipendium intra centum ſtetit, ſed crevit ad ducentos flor. an. *1694.* 21. Julii, deinde ad trecentos & triginta an. 1711. 21. Martii. Viro de Horto Botanico, cum ob diligentem & aſſiduam demonſtrationem Plantarum, quarum peritiſſimus fuit, tum ob ædificia, & ornamenta Horti, auctamque ſtirpium familiam optimè merito, ſed jam ętate decrepitâ prorſus inutili, ac decumbenti perpetuò miſſio cauſaria & honeſta data eſt, redactumque ad flor. ducentos ſtipendium an. 1718. 17. Martii. Obiit 21. Januar. an. 1722. Ætat. 84.

IV. *1719.* 16. Martii. Excepit munus Gymnaſio glorioſum ac perneceſſarium Julius Pontadera Piſanus mercede flor. ducentorum, vir Botanices ſcientiſſimus, ejuſdemque indagator accuratiſſimus, qui nulli labori parcit, ut exoticis, & ignotis hactenus herbis Hortum ditet, illuſtret, amplificet; utilemque Gymnaſio præſtet eruditiſſimis demonſtrationibus, ſcriptiſque doctiſſimis, quæ ſuperiùs recenſuimus. Illi ob hæc merita extra ordinem, ſub initium primæ conductionis, raro exemplo, duplicatum ſtipendium flor. quadringentis conſtat Senatuſconſulto anno 1721.

CA-

CAPUT XLIX.

De Profeſſoribus ad Theoricam Medicinam extraordinariam Diebus vacantibus ad An. MDCCXXIV.

I. PRælegebat quæ ad Theoricam Medicinam ſpectant extra ordinem feſtis diebus M. Antonius Peregrinus natus Patavii, alius à celeberrimo Juriſconſulto, ab an. 1637. ad 1649. quo auctum illi ſtipendium eſt ad flor. ducentos 3. Maii; eo contentus obiecit intra annum 1655. Nam

II. 1656. 28. Septembris ab hac ſede prælectiones habere cœpit Alexander Borromæus Comes nob. Patavinus centum flor. ſtipendio, quod confirmato crevit ad ducentos anno 1662. 3. Januarij, deinde ad quadringentos an. 1668. 5. Decembris, denique ad ſexcentos an. 1677. 30. Martii.

III. 1679. 20. Decembris. Borromæo ad majora provecto ſucceſſit Georgius Calaphates Cydonius Cretenſis flor. centum, & quinquaginta; hi ad trecentos producti an. 1685. 28. Februarii, deinde ad quadringentos an. 1693. 4. Julii. Provectus eſt ad alteram Practicæ extraordinariæ matutinæ.

IV. 1698. 23. Auguſti. Subiit in vacuam hanc Rinaldus Duglioli Bononienſis, cui decreti flor. trecenti, & quinquaginta, quippe accito ex patrio Gymnaſio, cujus honorarius profeſſor perpetuus eſt, & Medicus hac noſtrâ ætate notiſſimus ex felicitate curationum, tractandorumque morborum prudentiâ; crevit illi ſtipendium ad quingentos an. 1705. 6. Auguſti; tum ad ſeptingentos an. 1711. 12. Septembris. Nunc miſſione impetratâ cum flor. trecentis, & quinquaginta Venetiis medicinam glorioſiſſimè facit ab an. 1718. 1. Decembris, quo hæc ſedes Senatuſconſulto ſuppreſſa eſt.

CAPUT L.

Profeſſores ad III. Avicennæ in primo loco ab An. MDCLIII. ad An. MDCCXXIV.

I. 1654. 5. Februar. AUcto ad flor. ducentos, & quinquaginta ſtipendio Sebaſtianus Scarabicius Patavinus ad hanc ſedem venit, qui, ut ſcribit Tomaſinus (1), Medicus diligens, utilis ægris, & in curationibus maximè ſalutaris: tanti porro habitus a principibus, & ſapientiſſimis viris, ut non alio in adverſâ valetudine, quàm hoc Medico uterentur. Viget adhuc ejus memoria ex faceto, quo diſcipulos in Prælectionibus ſermone conveniebat, itidemque ex urbanis, ac jocoſis actis, atque dicteriis. Multa de eo Patinus (2). Productum illi honorarium eſt ad trecentos & ſeptuaginta an. 1659. 12. Januarii, mox ad quingentos, & viginti an. 1667. 23. Julii. Item ad ſexcentos, & ſeptuaginta an. 1672. 6. Octobris, denique ad octingentos quinquaginta an. 1678. 13. Julii. Docuit ad an. 1685. Vivere deſiit 24. Februarii an. 1686. Edidit Patavii libellum: *De lapidis concretione in homine. Comment. de Igne Febrifero. Hiſtoriam Bovini Cerebri in lapidem mutati.*

(1) Gymn. lib. 3. c. 42. p. 329.

(2) Lycæ. p. 20. 23.

II. 1686. 22. Februarii. Subiit in ejus locum Auguſtinus Pivatus Aſylienſis è ſede ſecunda Chirurgica flor. ducentis, & viginti. Confirmato decreti ſunt trecenti an. 1690. 19. Julii; occubuit 4. Junii 1695. Triennio poſt

III. 1698. 21. Auguſti, mercede flor. ducentorum hæc ſedes conceſſa eſt Homobono Piſono Cremonenſi, medicis, philoſophicis, & humanioris literaturæ ornamentis apprimè imbuto, inſtructoque. Confirmatus an. 1724. 27. Septembris auctarium ſtipendii habuit ad flor. trecentos, & viginti. Anno verò 1713. 22. Martii ad quadringentos quadraginta. Hoc ſtipendio utilitati Gymnaſticæ militat elegantiſſimis prælectionibus; quas doctrinâ medicâ graves, quandoque Muſarum latinarum deliciis exhilarat.

CAPUT LI.

Profeſſores ad III. Avicennæ in ſecundo loco ab an. MDCLIII. ad An. MDCCXXIV.

I. 1652. 27. Febr. POmpilio Scoto Patavino, qui ex hac exedra ſucceſſor Antonii Gambari Patavini docebat ab an. 1644. auctum eſt pertenue ſtipendium

ad centum & quadraginta flor. ſimul apertus ad Collegium aditus. Crevit merces ad flor. ducentos & viginti an. 1659. 28. Januarii M. V. inde ad trecentos an. 1662. 2. Januarii. Cùm ad Theoricam extraordinariam veſpertinam fuiſſet provectus

II. 1676. 19. Septembris patuit hæc ſedes Carolo Patino Eq. Pariſienſi, ſimul jus Collegii ipſi conceſſum eodem anno M. V. hoc eſt 1677. 15. Februarii. Hoc autem ad Chirurgiam tranſlato

III. 1681. 29. Octobris ad hanc flor. ducentis viginti conductus eſt Auguſtinus Pivatus Aſylienſis, de quo pauca Patinus (1). Eidem decretus ad Collegium ingreſſus an. 1683. 5. Februarii M. V. Sed & hic traductus eſt ad primam hujus claſſis: poſt quem

(1) Lycæi p. 135. & ſeq.

IV. 1687. 17. Aprilis ad hanc acceſſit Octavius Saviolus Patavinus, cui jus itidem Collegii conceſſum eſt an. 1690. 19. Julii. Obiit an. 1693. 21. Septembris.

V. 1694. 28. Julii ſucceſſit Campolongus Campolongo nob. Patavinus flor. ducentis, qui confirmato crevere ad octoginta ſupra ducentos an. 1713. 23. Septembris. Intra triennium deceſſit vir doctus, & rei Medicę, quam privatim & publicè ingerebat ſtudioſæ juventuti, inter paucos ſciens.

VI. 1716. 18. Martii ſuffectus eſt, me maximè, qua licuit, enitente, Joannes Baptiſta Urſatus nob. Patavinus flor. centum & ſexaginta, Juvenis eruditiſſimus; nec artis medicę minus, quàm antiquitatis prophanæ, & ſacræ peritus, magnæque apud omnes expectationis, cui mors præmatura interceſſit; eripuitque Gymnaſio ſpem magni nominis, majoris gloriæ, utilitatis ac literarii compendii maximam an. 1720. 21. Januarii.

VII. 1720. 16. Novembr. in ejus locum ſubrogatus hanc ſedem nunc obtinet Carolus Franciſcus Cogroſſus patria Cremenſis, origine Mediolanenſis flor. ducentis, vir in re medica egregiè verſatus, & ſcriptis editis clarus. Nam preter carmina varia ſparſim publici juris facta, multa ſunt, quibus prelo ſubjectis Æſculapio litat, & Hygiæ, ex iiſque viris eruditiſſimis accenſetur. Latina quidem: *Exercitatio Præliminaris de Praxi Medica promovenda. Oratio pro Medicorum virtute adversùs Fortunam Medicam. Appendix ad Tract. VIII. Jatroſophiæ Miſcellaneæ Jo. Baptiſtæ Sitoni, ſive de Peſtis natura.* Italica verò, *De natura, effectibus, & uſu Corticis Peruani ſeu Chinæ Chinæ Conſiderationes Phyſico Mechanicæ, & Medicæ per Epiſtolam propoſitæ. Nova Idea contagii Boum ad Antonium Valliſneri. Appendix ad Tractatum de Chinachina, ſeu Meditationes Problematicæ de Febribus Periodicis, earumque Febrifugis. Nova ad eundem Tractatum Appendix. Epiſtola ad Vincentium de Clavibus varias in Artem Poeticam annotationes complexa. Orationes duæ, altera Panegyrica ad Proſperum Comitem Valmaranam Prætorem, ac Præfectum Cremenſem; altera inſcripta, Tenax Virtutis Propoſitum.*

CAPUT LII.

Profeſſores Logicæ in primo loco ab an. MDCLIII. ad annum MDCCXXIV.

I. E Secundâ Chirurgica ſede, quam ad tempus cauſâ neceſſitatis acceperat, Petrus Franzanus nob. Vicentinus ad hanc traductus eſt flor. ducentis & quinquaginta ann. 1649. 23. Decembris. Conducto ad eandem operam iterum an. 1657. 14. Aprilis conſtitutum eſt trecentorum & quinquaginta ſtipendium. Succeſſit deinde Anaſtaſio Galdiolo concivi ſuo, evectus ad primam extraordinariæ Philoſophię.

II. 1663. 9. Februarii vacua ſedes data eſt Jacobo Cadenedo Scoto, mercede flor. trecentorum; eique apertus eſt ad Collegium aditus anno 1664. 10. Septembris; anno verò ſequenti cum ad ſedem alteram ordinariæ Philoſophiæ fuiſſet adſumptus

III. 1666. 13. Novembris, hæc patuit Joanni Moroſino Cretenſi è ſecunda claſſis ejuſdem conducto flor. centum & octoginta: nec diu ſuperſtes fuerit Venetiis interemptus.

IV. 1667. 2. Decembris Joannes Cicala Cyprius ex urbe Leucoſia, tranſlatus è ſecunda ordinis hujus, ad hanc proceſſit, inſtructus centum & octoginta flor. ſtipendio, quod ſecum detulit ad ſecundam extraordinarię Philoſophiæ.

V. 1668. 30. Januarii hanc Logicę primam conſecutus eſt Jo. Baptiſta Nigronius ex Ampuniana oppido Cirni. Illi flor. trecenti decreti ſunt, ac biennio poſt 26. Novembris jus Collegii conceſſum. Conducto iterum an. 1676. 28. Martii auctum honorarium ad quadringentos quinquaginta, quo non diu meruit è vivis ereptus eodem anno 26. Novembris, Philoſophus non contemnendi nominis, & in Ariſtotele peritiſſimus.

VI. 1676. 11. Februarii M.V. nimirum 1677. accitus Venetiis ſtipendio ducentorum & quinquaginta in hanc ſedem venit Nicolaus Calliachius Cretenſis; eique jus collegii conceſſum eſt an. 1678. 17. Maii. Docuit Logicam ferè triennio. Traducto ad primam Philoſophiæ extraordinariæ

VII.

VII. 1681. 24. Julii. Succeſſit à ſecunda ordinis hujus Albanius Albaneſius nob. Patavinus flor. trecentis, & quinquaginta, in Prælectionibus diſertiſſimus, atque adeo in Ariſtotelis libros verſatus, ut textus omnes Philoſophi, & memoriâ tenere, & ex tempore reddere ſolitus miraculo auditoribus ſuis eſſet. Confirmato aucta merces ad quingentos viginti an. 1688. 29. Decembris, iterum ad ſexcentos an. 1693. 4. Julii, demum ad ſeptingentos an. 1708. 25. Auguſti. Morbis deinde gravioribus affectus ab an. 1715. ad docendum lecticâ in Gymnaſium portabatur: tandem iiſdem ſuccubuit an. 1717. 16. Januarii.

VIII. 1718. 21. Martii ſuffectus eſt trecentorum flor. ſtipendio Michael Verius Vicentinus, Sacræ Theologiæ profeſſor in Seminario Patavino clariſſimus, Philoſophus acutiſſimus, qui bono publico ſcholaſticam juventutem doctis diſſertationibus ad organum omnium ſcientiarum inſtituit. Claret ex edito ſcripto in Cauſa Pirauſtæ, quod Sacrum Theologorum Collegium plenâ ſuffragatione comprobavit.

CAPUT LIII.

De Profeſſoribus Logicæ in ſecundo loco ab An. MDCLIII. ad An. MDCCXXIV.

I. HAnc exedram obtinebat ab an. 1645. flor. centum, & quinquaginta conductus Mag. Antonius Adami Novalenſis Minorita C. excrevit illi ſtipendium ad ducentos an. 1657. 18. Maii; objeritque intra annum 1660. Nam

II. 1661. 5. Auguſti illi ſubſtituitur Jacobus Cadenedo Scotus flor. centum, & viginti, cui ad primam claſſis hujus evecto

III. 1664. 6. Martii ſucceſſit Joannes Moroſinus Cretenſis flor. centum, & octoginta. Hic etiam ad primam evaſit.

IV. 1666. 29. Decembris ſubrogatur Jo. Cicala Cyprius è Leucoſia in eadem ſumma ſtipendii flor. centum, & octoginta. Hic quoque ad primam claſſis hujus aſcendit.

V. 1667. 9. Decembris ſuffectus eſt Albanius Albaneſius nob. Patavinus meriturus flor. centum, quos auxit iterata conductio ad centum, & octoginta an. 1675. 23. Aprilis, in primam ubi ſubiit,

VI. 1682. 12. Septembris hanc ſedem procurandam ſuſcepit flor. ducentis, & quinquaginta Jacobus Viſcardus Venetus, quo ad explanationem ſimplicium provecto,

VII. 1685. 7. Aprilis vacantem exedram ad officium revocavit Matthæus Bordegatus Patavinus flor. ducentis, cui jus Collegii conceſſum anno 1688. 29. Decembris. Honore diu frui non licuit morte ſublato an. 1689. 16. Novembris.

VIII. 1692. 3. Julii triennio vacua hæc ſedes ceſſit juri Pauli Cervini Cremenſis, conducti flor. ducentis, qui confirmato crevere ad trecentos & octoginta an. 1710. 26. Septembris. Hoc anno 1723. quo ſcribimus 21. Aprilis honeſtâ miſſione donato, reliqui ſunt flor. centum & octoginta. Obiit an. 1724.

IX. Ad vacuam ſedem deſignarunt Triumviri literarii neque petentem, neque volentem eloquentiſſimum virum, aucturum Gymnaſii decus famâ ſui nominis, majora meritum, atque hinc majoribus proluſurum 1723. 21. Aprilis Jacobum Faciolatum Colonienſem. Sedem iniit hoc anno, meretque in eâ ſtipendio ducentorum, quod ad flor. trecentos auctum eſt an. 1724. 10. Junii. Is multa ſcripſit, & edidit eruditiſſimè, latiniſſimè. Nuperrime exercitationes in M. T. Ciceronis Orationes duas.

CAPUT LIV.

De Profeſſoribus Logicæ in tertio loco ad An. MDCCXXIV.

I. 1653. TErtium hoc Logicæ magiſterium obire cœpit Mag. Adrianus à S. Juliana nob. Patavinus Ord. Præd. notus ex Tomaſino (1). Eo per annos multos defunctus, tertiam extraordinariæ Philoſophiæ ſedem maluit, atque hanc vacuam reliquit triennio.

II. 1666. Subiit Albanius Albaneſius nob. Patavinus; indeque ad 2. claſſis ejuſdem progreſſus, poſt triennium,

III. 1669. Tranſmiſit hanc ſedem in Attilium Panizolam nob. Patavinum.

IV. 1670. Succeſſit Alverius Zaccus nob. Patavinus, ac poſt quadriennium

V. 1674. Jordanus Jordani Patavinus, Ord. Præd. de quo multa Patinus (2) & Perazzi (3) Muſis inimici verſus.

(1) lib. Gymnaſ. 3. c. 37 p. 335.
(2) Lycæ. p. 68. 70.
(3) ap. Patin. ibid. p. 70.

VI.

VI. 1684. Marinus Pochinus nob. Patavinus Ord. Præd. Jordano poſt decennium ſucceſſit. Hunc autem poſt annos quatuordecim

VII. 1698. Aloyſius Blaſius Speronus nob. Patavinus excepit, diuque hanc ſedem obtinuit ſtudioſæ juventuti perutilis. Illa ſe tandem abdicavit.

VIII. 1702. Vacuam conſecutus eſt Matthæus Martinius Patavinus, ex eaque etiam num docet.

CAPUT LV.

Profeſſores ad Mathematicam ab An. MDCLIII. ad An. MDCCXXIV.

I. ANdreas Argoli è Taleacozio, Æquorum Oppido in Latio, Bartholomæi Soruerſ ſucceſſor, Mathematica tractabat ingenti ex hac parte doctrinæ famâ ab an. 1632. Jamque per annos undeviginti iteratis ſtipendiorum auctariis mille, ac ducentis floren. merebat ab an. 1656. 6. Julii, cùm eum numero vivorum exemit annus 1657. ætat. 89., ut annotat Monteroſſius in Diario, noſque inferiùs exponemus. Ab ejus obitu ſiluit hæc exedra per annos circiter quinque.

II. 1662. 2. Januarii M. V. hoc eſt an. 1663. conceſſa eſt Stephano de Angelis Veneto, è Sacra Jeſuatorum Familia, de quo multa Patinus (1), nos aliqua in loco. Decretum illi ſtipendium eſt ad flor. ducentos, & ſexaginta, qui producti ad quingentos an. 1668. 30. Januarii M. V, deinde ad ſexcentos an. 1675. 30. Maii, iterum ad octingentos an. 1682. 19. Martii, tum ad mille an. 1686. 5. Januarii M. V. denique ad mille, & centum an. 1693. 16. Julii. Obiit triennio poſt an. 1697. 11. Octobris.

III. 1698. 21. Auguſti. Accitus Bononiâ mille flor. mercede ad hanc ſedem venit Dominicus Guglielmini Bononienſis; clarus noſtrâ ætate Mathematicus, & in coercendis aquarum alluvionibus peritiſſimus, in re quoque medica præclarè verſatus; meruit an. 1702. ad ſedem Theoricæ medicinæ ordinariæ primam aſcendere.

IV. 1707. 28. Aprilis hæc jam quadriennio vacans decreta eſt Jacobo Hermanno Conſtantienſi, evocato Patavium ſtipendio ſexcentorum floren. ſed is Gymnaſio valedixit an. 1713. Vir cæteroqui in Geometricis, & Mathematicis demonſtrationibus doctrinæ ſingularis, quam laudant ejus ſcripta edita, ex quibus claret nunc in Regia Viadrina Academia ordinarius Profeſſor Matheſeos. Edita ejus Opera hæc ſunt.

Baſileæ an. 1700. Reſponſio ad Cl. V. Bernh. Nieuwentiit Conſiderationes ſecundas, circa Calculi differentialis Principia.

Amſtelodami 1617. Phoronomia, ſive de Viribus, & Motibus Corporum ſolidorum, & Fluidorum libri duo.

Francofurti ad Viadrum 1719. Diſſertatio Phyſica de Naturæ Legibus circa vires corporum, & veram earundem menſuram.

Extant & alia ejus Opuſcula in aliis aliorum Operibus, & primò Italicè in Diariis Literatorum.

Methodus (2) inveſtigandi Orbitas Planetarum in hypotheſi, quod vires centrales &c.

Solutio (3) Generalis ad inverſum Problema de Viribus centralibus.

Brevis (4) Appendix ad præcedentia duo Scripta.

Conſiderationes (5) Geometricæ pro ſecundo Scripto præcedenti.

Modus (6) facilis decernendi Legem Virium Centralium &c.

In Elementis Geometr. Ducis Burgundiæ.

Quatuor (7) Propoſitiones ad Trigonometriam apprime utiles.

In Actis Lipſienſibus.

De nova (8) accelerationis Lege, qua gravia &c.

De Vibrationibus (9) Chordarum tenſarum diſquiſitio.

Schediaſma (10) de Trajectoriis.

Additamentum (11) ad Schediaſma de Trajectoriis.

Solutio duorum (12) Problematum, quorum alterum integrale &c.

Methodus (13) nova ſolvendi Problemata, quæ circa figuras iſoperimetras, aliaſque proponi poſſunt.

Supplementum (14) ſolutionis ſuæ Problematis de Trajectoriis.

In Exercitationibus Francofurtenſibus.

Exercitatio (15) de Mechanica Gravitatis cauſa nondum inventa.

De motu (16) Gravium.

(1) Lycei Pat. p. 41. & ſeq.

(2) Tom. 2. p. 447.
(3) Tom. 5. p. 312.
(4) Tom. 6. p. 441.
(5) Tom. 7. p. 173.
(6) Tom. 13. p. 321.
(7) Edit. Patavinæ p. 136.
(8) A. 1709. p. 404.
(9) A. 1716. p. 370.
(10) A. 1717. p. 348.
(11) A. 1719. p. 68.
(12) Ibidem p. 351.
(13) A. 1718. p. 32.
(14) Ibidem p. 335.
[15] Tom. 1. Sect. 1. p. 79.
[16] ibidem p. 109.

De

De Motu Chordarum &c. (1).
De Motu Planetarum (2).
De quantitate Virium rectè æſtimanda (3).
De Motu Corporum in mediis reſiſtentibus (4).
De Motu Gravium in medio reſiſtente (5).
Additamentum alterum ad ea, quę ſuper Problema de Trajectoriis in Actis Eruditorum huc-uſque prodierunt (6).
In Monumentis (7) Academiæ Regiæ Scientiarum, legitur excerptum cujuſdam Epiſtolæ.
In Miſcellaneis verò Berolinenſibus an. 1710. p. 197.
Methodus generalis Puncta Stationum in Orbitis Planetariis determinandi.

Quorum omnium, quemadmodum & Auctoris ipſorum perhonorifica mentio eſt, tum in Actis Lipſienſibus (8), tum in Diariis Literatorum Italiæ (9); in Hiſtoria Regiæ Academiæ Scientiarum (10), apud Joannem Polenum (11), & Petrum Antonium Michielottum (12).

V. 1716. 23. Decembris. Vacuam ferè triennio ſedem à diſceſſu Hermanni conſecutus eſt Nicolaus Bernoulli Baſileenſis flor. ſexcentis conductus. Docuit non amplius triennio, ac parente mortuo, curâ rerum domeſticarum revocatus in Patriam, hîc ſe muneri abdicavit, ibi nunc Dialecticam publicè profitetur. Scripta ejus Latina, Gallica, Italica hæc ſunt.

Ad Jacobi Bernoulli Artem conjectandi Præfatio. Baſileæ.
Plures Epiſtolę Gallicè conſcriptę ad Montmortium; extant in ſecunda Editione Pariſina libri ab hoc editi, & inſcripti: ſpecimen Analyticum de ludis fortunæ.
In Diariis Literatorum Italiæ. *Annotationes in Schediaſma* (13) *Comitis Riccati &c.*
Reſponſio (14) *ad ea, quę Comes Riccatus inſeruit Tomo XXI. Diarii Literatorum.*
Obſervatio (15) *in Theorema propoſitum à Fagnano in Art. XI. Tomi XXVII. ejuſdem Diarii.*
Demonſtratio (16) *Analytica cujuſdam Theorematis &c.*
Analyſis (17) *Theorematis propoſiti Tomo XX. &c.*
In Actis Lipſienſibus.
Reſponſio (18) *ad Art. 6. Tomi XXXI. Diarii Literatorum.*
Demonſtratio (19) *Theorematum Patrui ſui.*
In Monumentis Regiæ Scientiarum Academiæ.
Appendix (20) *ad Epiſtolam Joannis Bernoulli, de modo inveniendi vires Centrales.*

Claret ex his vir eruditus & doctus, memoraturque cum laude in Actis Lipſienſibus (21), in Diariis Italicis (22), in Hiſtoria Regiæ Academiæ Scientiarum (23). Eundem honorificè appellant viri Clar. Jo. Baptiſta Morgagnus (24), Montmortius (25), Joannes Polenus (26), Petrus, Antonius Michelottus (27), quorum mihi venerabile judicium erit, glorioſum Bernoullio.

VI. 1719. 20. Decembris, qua die Bernoullius honeſtam, & cauſſariam miſſionem obtinuit in patriam redeundi, ſuffectus ipſi eſt, aucto extra ordinem, atque intra tempus conductionis ad flor. ſexcentos ſtipendio, ab altera ſede Philoſophiæ ordinaria translatus ad hanc, quam gloriâ ſui nominis auget, Joannes Polenus Marchio Venetus, vir, in quo non facilè dignoſcas, an major ſit vitę, morumque modeſtia, virtutis honor, meritum probitatis, an ex multiplici, plenâque ſcientiarum notitiâ, ex variâ, profundâque eruditione, ac ſingulari doctrinâ, præſertim in re Mathematica, exaggeratius ſit decus, ac nomen illuſtrius. Ex his notus eſt, ac locum obtinet inter Procêres litterariæ Reipublicæ, claretque in Actis Lipſienſibus (28), in Ephemeride Literatorum Italię (29), in Hiſtoria Regiæ Academiæ Scientiarum (30), & in monumentis ejuſdem (31): Meritis autem laudibus celebratur, atque producitur à præſtantiſſimis Ævi noſtri Scriptoribus, Jo. Baptiſta Morgagno (32), Joanne Gratiano (33), Jacobo Hermanno (34), Joanne Bernoullio (35), Petro Ant. Michelotto (36), & aliis, quorum huc nomina ad pompam otioſè congerere, properanti non licet. Apud hos quanti ſcripta ejus habenda ſint, noſces. Titulos damus, quos hactenùs publicæ utilitati prælum exhibuit.

Miſcellanea de Barometris, & Thermometris, de Machina quadam Arithmetica, de Sectionibus Conicis in Horologiis Solaribus deſcribendis.

Dialogus

(1) T. eod. Sect. 2. p. 67.
(2) ib. p. 109.
(3) T. eod. Sect. 1. p. 97.
(4) T. eod. Sect. 2. p. 129.
(5) T. III. Sect. 1. p. 117.
(6) eod. T. Sect. 2. p. 122.
(7) A. 1710. p. 519.
(8) A. 1701. p. 18 A. 1716. p. 1. A. 1718. p. 504. A. 1719. p. 470. A. 1720. p. 466. A. 1721. p. 493.
(9) Tom. 33. P. 1. p. 193. & 198.
(10) A. 1710. hiſtoriæ p. 90. & 103. Monument. p. 534. A. 1716. & pag. 136. A. 1719.
(11) de Caſt. p. 48. 60. 64. in Frontinum p. 74.
(12) Diſſert. de ſeparat. fluidor. p. 11. 32. 39. 67. 64. 91. 94. & alibi.
(13) Diarii T. 20. p. 316.
(14) T. 24. p. 205.
(15) T. 29. p. 150.
(16) T. 30. p. 163.
(17) T. 33. P. 1. p. 185.
(18) A. 1720. p. 304.
(19) ib. p. 471.
(20) A. 1711. p. 53.
(21) A. 1719. p. 69.
(22) T. 33. P. 1. p 198.
(23) A. 1711. p. 85., & A. 1719. p. 89. & ſeq.
(24) Adverſ. 11. p. 18.
(25) In monito præmiſſo edit. operis proximè laudati.
[26] De Caſt. p. 24. Pręf. de Matheſeos utilitate p. 8
[27] diſſert. de ſepar. Fluid. p. 11. 55. 86. 241. & alibi.
[28] A. 1711. p. 79. A. 1712. p. 420. A. 1717. p. 321. A. 1719. p. 210. A. 1720. p. 402. Supplem. T. 6. p. 501. T. VII. p. 94.
[29] Tom. 1. p. 369. T. 9. p. 465. T. 10. p. 1. T. 27. p. 270. T. 29. p. 1. T. 30. p. 430. T. 31. p. 1. T. 33. P. 2. p. 483.
[30] A. 1719. p. 9.
[31] Menſ. Mart. 1714. p. 550.
[32] Adverſ. IV. p. 21. 68. VI. p. 120. 124. in Epiſt. edit. cum Frontino.
[33] in Epiſt. edit cum Front.
[34] in Phoſonom. p. 193. & Diſſert. de Naturæ legibus circa vires &c. p. 20.
[35] Diſſert. De Mercurio Lucente p. 20.
[36] de Infir. Bovum. p. 31.

Dialogus de Vorticibus Cæleſtibus &c. Duos hos libros, quos Juvenis admodum ſcripſerat, ipſum recenſuiſſe, ut meliores factos iterum poſſit, ubi per occupationes liceat, prælo committere, certò ſcimus.

Obſervatio Solaris Eclypſis habita Patavii V. Nonas Maii Ann. 1715. *cum Epiſtolis nonnullis.*

De Phyſices in Rebus Mathematicis utilitate, Prælectio, edita primum Patavii A. 1716. deinde ibidem An. 1720. *cum Commentariolo de Obſervatione defectus Lunæ. V. Idus Septembris An.* 1718. Denique Lipſiæ A. 1722. inter Clariſſimorum virorum ſelectas Orationes ab Erhardo Kappio edita, & quidem ex merito, quippe doctiſſima, elegantiſſima, eruditiſſima.

Libri duo de Motu Aquæ Mixto.

Liber de Caſtellis, per quæ derivantur Fluviorum aquæ.

Sex. Julii Frontini de Aquæductibus Urbis Romæ Commentarium, antiquæ fidei reſtitutum, atque explicatum operâ, & ſtudio ipſius Poleni, qui in hoc recentiſſimo ſuorum Operum ſe ipſum ſuperaſſe videtur; tanta in eo eſt gravitas judicii, elegantia, & nitor ſtyli, eruditionis copia, antiquitatis reconditæ penituſque repoſtæ notitia. Fateor à me lucubrationem hanc æternitate dignam, ter lectam, illud à me meruiſſe, quod Græci τὸ κτῆμα dicimus; quippe mihi ex illa contigit multa diſcere, quæ ad hanc ſenectutem antiquitatis ſtudioſam ſemper deducto nondum ſcire licuerat.

Sunt & quædam Italicè ſcripta in Diariis Literatorum Italiæ, ibidemque laudata: Nempè *Conſiderationes* (1) *circa Barometrum Charteſii &c. Conſiderationes* (2) *circa varietatem celerioris vel tardioris motus, quem Corpora gravia paterentur, ſi Terra circumageretur per Orbem annuum.* A. 1723. 11. Decembr. Triumvirali reſcripto Arca illi Gymnaſtica ſolvit nummos Argenteos Venetos centum, quos impenderet in efformandis æreis characteribus & figuris mobilibus, quarum nova in re Mathematica & perutilis ratio præclariſſimum inventoris commendat ingenium. Anno quoque 1723. ſcripſit laborioſas Epiſtolas duas ad Cl. V. Gabrielem Manfredum de Mercurio in Sole viſo. V. Idus. Novembr.

(1) Diar. T. 5. p. 295. T. 2. p. ult.
(2) ibid. T. 2. p. 199.

CAPUT LVI.

Profeſſores humanioris literaturæ Græcæ & Latinæ ab Anno MDCLIII. ad MDCCXXIV.

I. Accitus à patria, ubi Rhetoricam docebat in Ambroſiano Collegio, Octavius Ferrarius Mediolanenſis Sacerdos, Profeſſorum noſtrâ ætate fortunatiſſimus humaniores literas hic docebat ab anno 1634. flor. quadringentis; auctiſque mira celeritate ſtipendiis, quòd ad onus quoque docendæ linguæ Græcæ obtuliſſet ſe, mille quadringentis merebat, conductus an. 1652. 28. Julii. Aucti hi quoque ſunt ad mille & ſexcentos an. 1659. 2. Februarii: deinde iteratâ conductione ad octingentos ſupra mille an. 1664. 4. Febr. Creverunt hi protinus ad biſmillenos an. 1670. 26. Novembris, atque in hac ſumma ſteterunt in extrema conductione anni 1680. 5. Decembris. Quippe ſenio confectus, vir ſummi nominis, & tot annorum Rhetor emeritus, rarò prodibat prælecturus ab Exedra. De eo multa Patinus (3); Nos etiam aliqua inferiùs Obiit an. 1683. Nonis Martii ſeptuagenario major. Sepulcrum ſibi vivens paraverat an. 1675. in templo Omnium SS. Monumentum illi filius extruxit in baſilica Antoniana cum elogio, quod prolixum ſatis exhibet Salomonius (4).

(3) in Lycæ. p. 14. 16.
(4) Inſcript. Pat. p. 360. n. 35.

II. 1686. 22. Februarii. Suffectus eſt triennio poſt Nicolaus Calliachius Cretenſis, ab exedra prima extraordinariæ Philoſophiæ ad hanc tranſlatus auctario trecentorum, & quinquaginta flor., ut ſtipendio flor. octingentorum Muſis Græcis, atque Latinis ex officio litaret: Par certè deceſſori ſuo, ſi abſit invidia dicto, fortaſſis major. Quippe ad Rhetoras inſtituendos Philoſophiâ ſolidâ, acutâ, rigidâ inſtructum ingenium attulit; nec luſit in umbra, ac merâ jactantiâ Græcæ litteraturæ, ſed apprimè ac verè in hac parte muneris ſui doctus, quam Græcos ipſos & Romæ, & Venetiis docuerat, Græcam linguam profitebatur. De hoc quoque aliqua Patinus (5), nos pauca ſuo loco. Renovatâ conductione ad florenos nongentos & quinquaginta illi honorarium productum eſt anno 1693. 16. Julii; anno verò 1703. 12. Septembris ad mille & centum. Majora merito, & maxima merituro mors interceſſit, obita penè dixerim in meo ſinu anno 1707. 8. Maii. Viri ex eruditione multiplici, ſapientiâ gravi, acrique facundiâ memorandi, cui parem Rhetorem diu Gymnaſium noſtrum deſiderabit, monumentum tituluſve non extat domeſticorum incuriâ: curâ ac pietate Co. Hieronymi Frigimelicæ Roberti, olim diſcipuli, mox inter amicos familiariſſimi, ſine titulo conditus eſt ad

(5) Lycæ. p. 107. & ſeq.

D. Ni-

D. Nicolai in ſepulcro Robertorum, de quibus conſule Salomonium (1).

III. 1708. 25. Auguſti. Succeſſit Calliachio florenis quadringentis conductus Sebaſtianus Melchiorius Tarviſinus, Profeſſor olim Rhetorices in Seminario Patavino. Edidit orationes aliquot, & inauguralem, cùm primùm docere publicè cœpit. Suo munere vix anno functus, eo abdicavit ſe ſponte, privatæ quietis amans, quâ nihil ſuavius non indigenti.

IV. 1710. 18. Decembris. Subrogatus eſt Dominicus Lazarinus de Muto Maceratenſis florenorum quingentorum ſtipendio, quod auxit ad ſeptingentos anno 1717. 20. Januarii, ad nongentos autem iterata conductio an. 1724. 18. Novembr. Eo præclarè nunc militat Gymnaſio noſtro, nobili adoleſcentiæ utilis, ac latinæ, & Italicæ Elocutionis vindex, quas damnatis tumoribus, phaleriſque ad priſcum candorem, ac ſimplicitatem revocat. Debet illi ſatis etiam Græcia noſtra, cujus linguam cùm primus omnium Latinis Italiſque neceſſariam penitus dixerit, ejus quoque obſoletum jampridem, ac prorſus recentioribus ſcenis ignotum Syrma ſpectandum Patavii dedit in Ulyſſe juniore, Tragœdia Itala Sophoclei cothurni quadamtenus æmula, de qua poetice ſapiens ex merito judicabit, quemadmodum & literata poſteritas de quibuſdam opuſculis ejus, quę feruntur intra centum typographicas paginas contineri, quæque laudata leges in Diariis literatorum Italiæ his titulis (2).

Epiſtola ad Amicum Pariſienſem, pro vindiciis antiquorum Diplomatum Juſti Fontanini.
Defenſio in P. Bartholomæum Germonium.
Epiſtola ad Cl. V. Juſtum Fontaninum.
Oratio prima pro optimis Studiis habita in Gymnaſio Patavino Nonis Maii 1711.

(1) Inſer. Pat. p. 124. n. 7.

(2) T. III. p. 294. & ſeq. p. 316. p. 328 T. IV. p. 437. T VI. p. 519. T. XXXIII. p. 489.

HISTO-

HISTORIÆ GYMNASII PATAVINI

LIBER III.

POtiſſima noſtri Operis hæc pars eſt, quam aggredimur. Nam cùm in altera, quid & quale Gymnaſium Patavinum fuerit, ſitque, additis, vel, ut licuit, illuſtratis, quæ Riccobonus ac Tomaſinus omiſerunt, obſcuraruntve, ſigillatim labor noſter expenderit, in hac quantum & fuerit, & ſit, propoſitâ ejus & dignitate certiſſimâ, & utilitate manifeſtâ, quarum utranque iidem Scriptores penitus neglexerunt, exponet conatus noſter laborioſior. Atque utinam huic aut non defuiſſet qui opem ferret auxiliarem, materiemque ampliorem ſufficeret, aut nobis non fuiſſet ſcribendum raptim, ac planè ſubſecivis, & graviorum munerum neceſſitate intereiſis, atque interruptis temporibus. Eſſet, ut quicunque hæc legeret, non immeritò judicaret Patavinum Gymnaſium, tametſi non omnium vetuſtiſſimum, omnium fuiſſe, & eſſe præclariſſimum, ac planè maximum, ſive Profeſſorum ſapientia in omni literarum, ſcientiarumque genere ſumma, ſpectanda ſit, ſive habenda ratio virtutis Alumnorum ejus, quorum decora, nomen, famam, & numerolam, ac perennaturam apud poſteros gloriam, quà ex vitæ ſanctimonia, quà ex honorum, titulorumque ſplendore, ſed præſertim ex doctrina ſcriptiſque, & literariis laboribus; ut per documenta temporum, quæ videre licuit, & brevitatem, quam profitemur, fas fuerit, explicabimus.

SECTIO I.

DE CLARIS PROFESSORIBUS JURISCONSULTIS GYMNASII PATAVINI.

CAPUT I.

Bartholomæus Lyus. Accurſius Reginus. Jacobus de Arena. Rolandus Placiola. Gabriel Capiliſtius. Joannes Anguſſola.

1279. I. BARTHOLOMÆUS LYUS Beneventanus. Hunc primum jura Civilia docuiſſe Patavii poſt erectum Gymnaſium tradit Porcellinus (1) in Præfatione ad Matriculas Patavinas, adſtipulaturque Pignorius ex Deſiderio Lignamineo (2), ſcribens in aula majore Gymnaſii, quæ juribus explanandis ampliſſimè patet ad Orientem, ubi nunc Phtaminii Rectoris pendent inſignia, fuiſſe lapidem è veteribus ſcholis delatum, infixumque parieti cum hac Epigraphe. *Bartholomæus Lyus de Benevento Patavinus primus hic jura docuit de mane, Fratre Thaddæo ſocio de ſero anno MCCLXIV. Vivat.* Hunc lapidem à ſe collectum, ſervatumque refert Pignorius, dono datum Dominico Molino Senatori ampliſſimo, & eruditorum hominum patrono benigniſſimo, à quo inſtar muneris maximi habitus fuerit. Hinc de hoc ipſo lapide plura ſcribit ad eundem Molinum Pignorius (3), quæ ſi relatus Salomonius legiſſet, non eas fuiſſet conjecturas amplexus, quibus viri hujus memoria penitus obſcuratur. Pignorium ſecuti dicimus, Bartholomæum Lyum nepotem fuiſſe Antonii Juriſconſulti celeberrimi ſub initium Sæculi XIII. de quo pauca ex epigraphe notata per ipſum & Salomonium (4) Pancirolus (5); atque adeo

Patavio

(1) apud Salom. Inſcr. Gym. (2) in Syllog. Inſcrip. expunctar. (3) Epiſt. Ital. 14. (4) Inſcrip. Pat. p. 323. n. 31. (5) de Clar. leg. Interp. lib. 2. c. 27. n. 21. p. 118.

Patavio fuiſſe oriundum, natum tamen Beneventi, ubi pater ejus Antonii filius Præturam gerebat; ſtuduiſſe Bononiæ, ibidemque docuiſſe; ac tunc, cùm, Actiolino interempto, inſtaurari cœpit Gymnaſium Patavinum, huc evocatum, ut aſſurgenti Palladi dexteram offerret, & Aſtræam Patavinis ſedibus reſtitueret. Conductum fuiſſe aureorum ſexcentorum ſtipendio, quę merces eſſent ipſi, atque etiam fratri, quem ſecum deduceret. Addit Pignorius apud ſe fuiſſe ſcripta quædam hujus Bartholomæi Longobardicis characteribus minutiſſimis exarata, quæ vix è microſcopio legi poſſent; ex eorum titulo colligi, Gloſſas fuiſſe in libros Pandectarum & Codicis. Quandiu Patavii docuerit, nec Pignorius, nec alius quiſpiam nos docet: non tamen ultra 1279. vixerit, cum & circa illum annum Accurſius Regienſis docere apud nos cœperit, & Bartholomæus Patavii deceſſerit: nam in templo Cathedrali ſepultus eſt, extabatque noſtra ætate ejus tumulus extra Januam ad Meridiem cum hoc octaſticho (1), quo clarus quoque Cauſidicus fuiſſe comprobatur.

Nate Benevento, tibi Jus Civile Cathedram
Dum coleres Paduam Bartholomæe dedit.
Tu vigil ad Cauſas, tu tradere Jura diſertus
Tu placidus cunctis dapſilitate tua.
Vixiſti prudens, prudens moriendo dicaſti
Huic Tumulo Corpus, oſſibus ampla tuis
Tu proprii Fratris tumulo dari corpus eidem
Mandaſti: factum eſt; parcat utrique Deus.

II. ACCURSIUS Reginus, ſive Regienſis, ſucceſſiſſe videtur Lyo circa annum MCCLXXX., nam ut antiquiſſimus Profeſſorum juris Patavii ſignatur ab omnibus. 1298
Docebat in Patria an. MCCLXXIII. ut Pancirolus (2) probat ex tabulario Regienſi. Claruiſſe eum in Gymnaſio noſtro conſtat, atque hìc & docuiſſe, & diſceptaſſe; memoratque (3) Gandinus quæſtiones aliquot ab Accurſio publicis diſſertationibus in ſcholis Patavinis actitatas, explicataſque. Scripſiſſe eum Conſultationes multas, tradit Porcellinus (4), quæ tamen perierint, quamvis bono publico Patavinorum pro eorum juribus editæ fuerint. Quo anno, quove in loco mortalis eſſe deſierit, non conſtat; non tamen attigerit initium XIV. ſæculi, quando à Jacobo (5) de Arena, & Gullielmo (6) Duranto, non ut ſuperſtes, ſed ad teſtimonium, auctoritatemque producitur. Filium habuit Franciſcum Profeſſorem Bononiæ, qui cum Bartholo ibidem de lectione legis cujuſdam acerrimè depugnavit (7).

III. JACOBUS AB ARENA Parmenſis floruit initio ſæculi XIV. Docuit Bononiæ, 1300
ut plerique colligunt ex ejus ſcriptis (8). Jacobus Spiegellius apud Pancirolum (9) eum Toloſæ jura profeſſum ſcribit, & fortaſſe utrobique leges Civiles fuerit interpretatus, antequam ad Gymnaſium noſtrum accederet; nam Patavii eum docuiſſe certum eſt, recenſeturque (10) inter primos Lycæi hujus Doctores. Annum ejus emortualem ignorant omnes, fatalem quoque locum; ſed mihi probabiliſſimum eſt eum deceſſiſſe Patavii. Nam cum ex iis, quæ præfert Salomonius (11), antiquos Codices Cœnobii Eremitanorum ſcrutatus, palam ſit, filium ejus Zachariam ab Arena vixiſſe Patavii, hìc uxorem duxiſſe, quæ domunculas quaſdam cum parte terræ Cœnobitis illis donavit, veriſimillimum eſt Jacobum ibi eſſe deſiiſſe, ubi domum, ac familiam reliquerat. Scripſit breviter, & utiliter in Pandectas, & Codicem; tantique habitæ ſunt, & habentur ejus opiniones, Bartholo (12) adſtipulante, ut ex mente eas juris eſſe certo Juriſconſultorum ſuffragio exiſtimentur. His Commentariis addidit Opuſcula, quæ magno in uſu ſunt, ut pluribus laudatis Pancirolus (13) evincit. Ea his titulis celebrantur.

De Commiſſariis; ſeu Ultimarum Voluntatum executoribus.
De Poſitionibus, & expenſis, quæ in Judiciis fiunt.
De Sequeſtrationibus, & Excuſſione bonorum.
De Exulibus, quos Bannitos appellant.
De Ceſſione Actionis, ex quo tractatu maximè laudatur.
Compendium Feudorum.

R IV.

(1) apud Pancirol. ibid. c. 28. p. 119. Salom. ibid. p. 4. n. 11. (2) d. lib. 2. c. 42. n. 39. p. 130. (3) de Bannit. pro Maleficio in fin. (4) Præf. ad Matric. (5) lib. de ceſſio. Actio. (6) in Speculo. (7) Vid. Pancirol. ibid. d. p. 130. n. 40. (8) Tractat. de Poſitionibus. [9] ibid. lib. 2. c. 50. n. 49. p. 135. [10] Riccob. Gym. lib. 1. c. 10. p. 11. Tomaſ. lib. 2. c. 10. p. 132. Pancirol. ibid. (11) Inſcript. Gymn. [12] in Tract. de Bannit. n. 11. [13] ibid. p. 136.

1310 IV. ROLANDUS PLACIOLA ex agri Patavini vico natali agnomen habet. Vir fuit doctiſſimus, additurque paſſim à ſcriptoribus noſtris, ut collega, vel ſocius in jure interpretando Patavii Jacobo de Arena. Subſcripſit his Pancirolus (1), ſequunturque Riccobonus (2) & Tomaſinus (3). Docebat ergo in patrio Gymnaſio magnâ nominis, ac doctrinæ famâ circa an. MCCC. quam ob rem fallitur Alvarus (4), qui eum floruiſſe ſcribit extremis temporibus Friderici III.; quæ illum ad an. MCCCXL. protrahunt, non autem ad an. MCDXL., ut legimus in Pancirolo (5). Ab obitu Actiolini, cum ſe Patavini dixiſſent liberos, iratuſque propterea Henricus VII. hanc urbem ſibi ſubjicere conaretur, miſſus ad eum orator eſt Placiola cum Albertino Muſſato Poeta clariſſimo: cùmque ſummâ, quâ pollebat, facundiâ nihil profeciſſet apud pertinaciſſimum Cæſarem, decreto Populi Patavini ad Clementem V. Legatus venit, ut ſacrâ Pontificis auctoritate ſævum hoſtem averteret. Conciliaſſe ſibi fertur Pontificis animum adeò verborum copiâ, & ſplendore, ac ſuavitate dicendi, ut pro fratre Sacerdotium aliquod poſtulans jus habuerit optandi ex vacantibus duobus alterutrum. Elegit ille præ altero pingujore mediocre alterum; interrogatuſque à Clemente, cur pingujus minimè optaſſet, reſpondit: *Frater meus pro quo poſtulo, non eſt pluris*. Guidoni Filio, & Aycardæ filiæ ſuperſtes Mauſoleum ſumptuosè in Antoniana Baſilica extruxit, cum hac Epigraphe (6).

Rolandus de Placiola Patavino Vico Pater
Guidoni Filio cariſſ. juveni
Mauſoleum & ſibi & ſuis.

Inſcribitur & hoc leoninum Diſtichon.

Hunc ſtatuit poni tumulum mors atra Guidoni,
Cui ſtans ſede Throni ſuperi det gaudia doni.

In vertice Sepulcri melius, & emendatius diſtichon leges.

Præter amare Deum cum cætera deleat ætas,
Hìc ſere, quod plena poſtmodo falce metas.

Auctore Pignorio, quem laudat Salomonius, hic primus auctor Antiſtiti fuit cogendi Collegium Juriſconſultorum penes ſe, qui auctoritate Pontificia ſtudioſis laboribus Magiſterii præmia tribuerent. Addit demandatum leges aliquot hujuſmodi cœtui conſcribendi Fabio Maximo à S. Urbano Doctori Patavino, & clariſſimo per ea tempora cauſarum patrono, cujus extat monumentum in periſtylio Cœnobii Antoniani cum hoc Elogio.

Fama, fides, gravitas, celebres in honore labores,
Archetypos poſt hunc ſolicitate viros.
Blandus is Orator, Vates, Doctor quoque Legum,
In cunctis Fabius Maximus actor erat.
Virgo Parens capias animam, Deus Optime parce.

Obiit Rolandus Patavii, nec tamen ante an. MCCCX., ut ex Mantua (7) colligo. Scripſit:

Commentarium in Feuda ſua ætate maximi habitum.

Opuſculum præclariſſimum *de Regibus*, quod Henrico VII. Cæſari nuncupavit. Ex eo laudatur ab Alvaro. Sunt qui (8) putant ſummam Rolandinam huic adſcribendam eſſe, ſed Criticorum (9) judicio ea Rolandini Paſſagerii, ſeu Rodulfini Bononienſis eſt, qui floruit an. MCCLV. ex Joanne (10) Andrea.

1310 V. GABRIEL CAPILISTIUS nobiliſſimâ Patavii ſtirpe progenitus inter clariſſimos Profeſſores juris Canonici recenſetur in Adverſariis curiæ Patavinæ an. MCCC., laudaturque à Jo. Ludovico Lambertaccio in oratione funebri Ottonelli Diſcalcii, ut princeps Juriſconſultorum ſui temporis. Eundem Porcellini (11) notæ ſummum Decretorum interpretem appellant. Floruit poſt initium ſæculi XIV. cujus anno quinto in Genealogiis Capiliſtiæ familiæ dicitur, ob inſignem doctrinam, & vitæ integritatem eximiam, à Clemente V. in Cardinalium Collegium fuiſſe cooptatus. Id quod Bernardinus Scardeonius

[1] lib. 2. c. 51. p. 136. n. 51. [2] d. c. 10. [3] d. p. 232. [4] tit. quis dicatur Dux &c. in princ. col. 9. & tit. de pace in princ. col. 2. [5] ibid. p. 137. [6] V. Pancir. ibid. & Salom. [7] de Vir. Illuſt. n. 218. [8] Mantua ibid. [9] V. Pancirol. ibid. n. 51. p. 136. [10] ad Specul. in Prœmio. (11) Porcell. in Matric. Salom. Inſcrip. Gym.

deonius (1) annotat ex iis, quæ ferebantur ſignata in tabulario Patriarchali Venetiis, cùm reipſâ nuſquam hunc à Clemente Cardinalem Platina, Contelorius, Panvinius aliuve ſignificent. Ferunt ab eo *Summam Decreti* conſcriptam, *Gloſſas* autem, & *Additiones in Decretales Gregorii IX.*

VI. JOANNES ANGUSSOLA Cæſenæ in Gallia Ciſpadana natus nobili genere, 1310
quod perennat in poſteris Aguiellis, etiamnum juriſdictionem in Caſtello Lenatiæ habentibus, ut annotat Pancirolus (2). Docuit jus Pontificium Patavii intra ſæculum MCCC. ibique Albertum Gandinum diſcipulum habuit: ut ipſe (3) Gandinus teſtatur. Docuiſſe etiam traditur Bononiæ poſt an. MCCC. quamobrem circa an. X. ſæculi XIV. fato conceſſerit. Fertur multa ſcripſiſſe, quæ temporum injuriâ perierint. Supereſt attamen doctiſſimus liber de *Proteſtationibus*, & alter *de Sponſalibus & Matrimonii*, quem ſibi adſcribere impudenter Joannes Andreæ non erubuit, ut jure quæritur Albericus (4).

CAPUT II.

Bovetinus. Richardus Malumbra. Oldradus de Ponte. Nicolaus Mattarellus. Raynerius Arſendus.

VIII. BOAT'NUS, melius *Bovetinus*, Mantuanus jus Pontificium docebat Bononiæ, cùm 1310
ibi Azo jus Civile profitebatur; quocum ſæpè depugnavit in foro, ac rubore ſuffuſum compulit ab arena diſcedere, ut ſcribit Joannes (5) Andreæ, de quo tamen vide, quæ inferiùs annotamus. Mercede conductus Patavium venit, atque Eccleſiæ principis Archipresbyter fuit, unàque in Gymnaſio jus Canonicum profeſſus eſt per annos (6) tres & quadraginta. Scripſit multa in eodem jure, quorum lacinias offendes non uno in loco apud Eccleſiaſtici juris Interpretes, cùm cæteroqui reliqua vetuſtate neglecta perierint. Obiiſſe eum (7) Pancirolus tradit an. MCCC. ex Epitaphio, quod extat in relato majore urbis Patavinæ templo, ex quo tamen Salomonius (8) colligit eum vitam produxiſſe ad an. MCCCX., fallique ſtemmata domi Archipresbyteri Patavini propoſita, in quibus ad ann. MCCCXXI. protrahitur. In relato epitaphio, ut nunc legimus, hæc habes.

Mantua me genuit Patavis Bovetinus & Orbi
A Bove nomen habens, patiens, ſine fraude, doliſve,
Quàm ſibi, plus aliis vigilans, pietatis alumnus,
Largus erat ſtudio, largus clero, ſibi parcus.
Canonicum luſtris docuit Ius ter tribus, annos
Deme duos: Obiit Auguſto, jam mille trecentiſ
........jacet hic. Colui te ſumme colenti:
Virgo patrocinium, precibuſque aſſiſte volenti.
Umbra humanum ejus genus, ò pia, voce tuis, ut
Supplice conſerves precibus te voce precatur.

Hiatus ille & Lacuna ſuppletur à Salomonio ex Pancirolo, addita voce *elapſis*, cum in MSS., quæ ad recenſionem Inſcriptionum Patavinarum ſibi paraverat, Lignamineus (9) legiſſet *atque decem*. Reverâ enim, cum conſtet Bovetinum, ſuffectum Uberto de Bruxenello Patavino Archipresbytero, non niſi poſt annos aliquot moriens dignitatem illam conceſſerit alteri. At Ubertus an. MCCC. deceſſit, ut ipſe Salomonius (10) notat: igitur non eo anno Bovetinus obierit; nec erit audiendus Pancirolus idipſum confidentiſſimè aſſerens, vir quidem doctus, & accuratus, ſed nimis credulus veterum Juriſconſultorum effatis, quorum quòd attinet ad hiſtoriam, minima fides eſt. Id quod, ut apertiſſimè pateat, noſque patienter excuſet, ſi ab eorundem narrationibus aliquando diſcedimus, notet Lector, quod ſuperiùs ex Joanne Andreæ de Bovetino tradidimus, victum ab hoc ſæpe Azonem in foro, eodemque cum Azone tempore jus Canonicum docuiſſe Bononiæ vera eſſe non poſſe, niſi Azo hic Martaganus ille ſit de Azonidis Bononienſis, de

R 2 quo

(1) lib. 2. claſſ. 6. p. 139. (2) de claris Interp. lib. 3. c. 18. n. 26. p. 334. 335. (3) tit. de pœnis reor. ann. 8.
(4) in Diction. ver. Matrimonium primò eſt viri & mulieris &c. (5) in c. relatum de offic. & poteſt Judic. delegat.
(6) colligo ex ejus Epitaphio infra. (7) lib. 3. de clar. Interp. c. 15. n. 23. (8) Inſcr. Pat. p. 5. in marg. nu. 22.
(9) apud Salom. Inſcrip. Gymn. (10) d. p. 5.

quo pauca quædam Gazalupis (1). Nam quod attinet ad celeberrimum Profeſſorem Azonem, is certe floruit in fine ſæculi XII., obiitque ipſo anno primo ſæculi XIII., ut ex ejus tumulo Bononiæ conſtat, recipitque ipſe Pancirolus (2), ac norat poſt alios Catelanus Cotta. At certum itidem eſt Boverinum ſæculo XIV. vixiſſe: Qui vel nondum natus, vel infans Azone vivo, terrori fuerit celeberrimo Juriſconſulto?

1334 VIII. RICHARDUS De MALUMBRIS, ſeu *Malumbra*, Cremonenſis, Patavii ſtuduit diſcipulus Jacobi ab Arena, è cujus inſtitutione tantus, tam clarus Juriſconſultus prodiit, in eamque brevi nominis famam evaſit (3), ut illo nemo doctior per ea tempora totâ Italiâ crederetur. Scripſit multa, ex quibus Pater legum appellatur ab Ancarano (4), Doctor ſolemnis à Barbatia (5). Scriptorum tamen ejus copia rara eſt Ficardo (6), & Pancirolo (7) teſtibus, ex quibus novimus eum in ſuſpicionem hæreſis incidiſſe, ex qua etiam condemnatus ſit, ac Bononiam relegatus. Notum (8) eſt, Collegium Juriſconſultorum Bononienſium pro eo preces apud Romanum Pontificem oratoribus miſſis interpoſuiſſe, ſed fruſtra. Reſtitutus tamen eſt circa ann. MCCCIX. ſimul ex doctrinæ celebritate Palatina & equeſtri dignitate donatus, vel tunc primum, vel iterum tunc docuit ſumma cum laude Patavii. Diſcipulum habuit Albericum Roſate Bergomatem, quo (9) teſte ſolebat irridere Doctores illos, qui dialecticis & ſophiſticis argumentationibus utebantur in jure; eos verò laudare, qui ex puris legum fontibus, atque adeo vivis ac legitimis rationibus diſcipulos inſtruerent. Laudatur à (10) Cyno ex facilitate ac perſpicacitate docendi; omnibusque poſt ipſum Scriptoribus maximus, omnium ſuæ ætatis Juriſconſultorum doctiſſimus, ac præſtantiſſimus eſt. Accitus Venetias ad condendas vel ordinandas Reipublicæ leges ibi deceſſit an. MCCCXXXIV. conditusque eſt ad D. Joannis & Pauli prope templi januam cum hoc Elogio.

Vas Juris, legumque jubar, ſine compare Doctor,
Militis & Comitis merita ratione Cathedræ
Donatum titulis, Richardus prole Malumbra,
Malleus ens umbræ, patriæ decus, atque Cremonæ.
Qui gratus Venetis jacet hic, ſed nuncia laudis
Vivet Fama Viri, nullum peritura per ævum.
Obiit an. Dom. MCCCXXXIV. Bartholomæi Malumbræ nati
Pientiſſ. inſtaurarunt MDXXVIII.

Filium ſuperſtitem ac hæredem reliquit ex aſſe Nicolaum, quem fuiſſe Profeſſorem juris Patavii, clarumque in hac urbe Cauſarum patronum ſub Carrarienſibus, tradit Salomonius (11) ex monumentis Cœnobii ſui S. Auguſtini, in cujus templo ad januam Aquilonarem extat (12) tumulus ejus in ſublimi cum hoc Tetraſticho.

Edite Nobilibus celſe Nicolae Malumbris
Urbe Cremonenſis, ſolers utriuſque Profeſſor
Juris, Cauſidicus doctiſſime, ſtrenue fautor
Juſtitiæ, vivas, oro, per Sæcula felix.

IX. OLDRADUS DE PONTE, Laudenſis, hoc eſt Laude Pompejâ natus in Inſu-
1335 bria, Dini Diſcipulus, authore (13) Baldo, docuit primùm Bononiæ, deinde circa ann. MCCCX. majore publicæ prælectionis cum laude ac celebritate Patavii (14), ubi edidiſſe creditur præclaros in jus Civile Commentarios, ex quibus Pater & ipſe legum eſt appellatus (15) Romam ad idem jus interpretandum conductus, actitaſſe cauſas dicitur (16), inde in Advocatum Conſiſtorii Pontificii lectus, claruiſſe mirum in modum ex ea præſertim cauſa, quam Avenione pertractavit pro Thoma extincti Comitis S. Severini filio adversùs Robertum Apuliæ Regem præſentem, cujus cauſidicos plenè adeo ſuperavit, ut clienti ſuo S. Severini Comitatum evicerit. Clarior exinde apud Joannem XXII. magno in honore ac dignitate fuit; nec aliunde factum crediderim, ut magno ſtipendio conductus fuerit ad publicam juris explanationem Avenione, ſed hæc omnia ſui nomi-

nis

(1) hiſt. Interpr. & Gloſſ. (2) lib. 2. c. 25. n. 17. p. 116. (3) V. Bald. in l. 14. cod. de Epiſc. & cler. Barth. in l. 11. ff. de teſtam. tut. (4) Conſ. 148. col. 3. (5) in Repet. c. Raynaldus col. 18. de teſt. (6) Vit. Juriſconſult. recent. in Malumbra. (7) lib. 2. c. 54. n. 56. p. 142. (8) Bart. d. l. 11. Butrigar. ibi: Silva Nupt. lib 2. n. 33. & alii (9) in Princ. Digeſtor. & alibi. (10) l. 2. in fin. cod. de bon. matern. (11) Inſcript. Gymn. (12) Salom. Inſcrip. Pat. (13) in l. 29. in fin. cod. de Fideicom. (14) Alberic. in l. 1. §. 3. ff. de dolo malo. l. 7. ff. de Stat. hom. (15) Alber. Roſ. in l. ult. n. 8. cod. de Juriſd. omn. Jud. & alii. V. Paul. Caſtr. l. 15. ff. de acq. hæred. (16) Pancir. l. 3. c. 52. num 53. p. 138. Ficard. Vit. Juriſc. recent.

nis decora moribus aſſeritur corrupiſſe peſſimis. (1) Ferunt enim, ſæpe prævaricatum clientes prodidiſſe, reque detectâ veluti perfidum à Pontifice graviter in Senatu Sacro fuiſſe reprehenſum, indeque ex mœrore (2) morbo contracto contabuiſſe. Mors ejus paſſim ſignatur anno MCCCXX., ſed verius eſt, eum ann. MCCCXXXV. communis Æræ mortalem eſſe deſiiſſe, ut Pancirolus notat (3) ex epigraphe ſatis corrupta ſarcophagi, quo tegitur Avenione, & vix legi poteſt.

Hic jacet Oldradus Dominus de Ponte vocatus,
De Laude natus, laus hujus & ab omnibus notus.
Fuit in Jure Doctor eximius verè: pro cujus
Anima quiſque Deum velis orare.
Qui obiit anno MCCCXXXV. Die Lunæ Idus menſis Aprilis ſexto.

Præter laudatos proximè Commentarios, plura ſcripſiſſe fertur (4), quæ perierint. Extat doctiſſimum reſponſorum Volumen, & paſſim laudatum ab omnibus, ex quo non pauca ſibi adſcripſiſſe Joannes Andreæ, reprehenditur (5). Lecturas ejus in jure Civili plures, & brevem ac utilem in Feuda & tractatum de legitimatione Jo. Baptiſta (6) Gazalupis ſeu Caccialupius recenſet.

X. NICOLAUS MATTARELLUS, Mutinenſis, clarus Juris Cæſarei Profeſſor, quo tempore (7) Cynus & Joannes Andreæ Bononiæ docebant, jus Civile Patavii frequentiſſimis auditoribus interpretabatur. (8) Ita Juriſconſultorum noſtrorum alba, ſive matriculæ apud Porcellinum (9), ex quibus colligimus, Collegas habuiſſe Paulum Titulum, Nicolaum Plebejum, & Jacobum Antonium Stennum ſive de Malitia, de quo videndus eſt Pancirolus (10), Juriſconſultos celeberrimos, qui tamen nihil noſcendum reliquere poſteritati. Ipſe Mattarellus, cum diu docuerit Patavii, atque etiam diſputaverit egregiè, teſte Cyno (11), Bononiæ quoque, ac Piſis jura fuerit profeſſus authore Joanne Andreæ, ſcripſit multa, quorum pauca ſuperſunt alienis lucubrationibus inſerta. Ferunt (12) Præturam geſſiſſe Lucæ, atque in eo magiſtratu deceſſiſſe; ſignatque hoc ipſum Pancirolus, ſed annum emortualem non ſignat, qui ex conjectura nobis eſt MCCCXXXIX. De illo Mantua (13), & Caccialupius (14). 1339

XI. RAYNERIUM ARSENDUM, vel de *Arſendis* Forolivienſem, primùm Roma ſuſpexit clariſſimum Auditorem (15) Sacri Palatii. Deinde ad ſe mercede conductum attraxit Bononienſe Gymnaſium, in quo aliquandiu docuit, mox majore cum laude Piſis, undè Ubertinus Carrarienſis, III. Patavinorum Princeps, eum Patavium accivit oblato ſexcentorum aureorum ſtipendio, quod maximum ea ætate fuit. An. MCCCXXX. Bartholum hic habuiſſe diſcipulum dicitur (16), & Signorinum (17) Homodeum, ut ex Chronicis Patavinis refert Pancirolus & Mantua, quos antagoniſtas deinde habuit, ſive, ut loquimur, *Concurrentes*. Subtiles noſtri juris interpretationes edidit, quas extare nuſquam ajunt: attamen earum fragmenta extare in aliorum operibus tradunt Rutilius (18), & Jo. Baptiſta à S. Blaſio. Statutorum ſeu legum Municipalium difficultates per annos circiter triginta uberrimè explanavit, Bartholo (19) teſte, præfuitque conſiliis Caroli Cæſaris & Bohemiæ Regis, eoque ſingularem Juriſconſulti præſtantiſſimi doctrinam honorante, non ſolùm Comes & Eques fuit, verùm etiam prædia multa poſſedit in agro Ravennate, habitavitque Ravennæ diu; ſed Patavii mortalitatem explevit an. MCCCXLVIII., ut refert Nellus (20) à S. Geminiano. Sepultus eſt in Baſilicâ Antoniana cum hoc elogio (21) 1348

Livia quem genuit Rainerius alma quieſcit
Hoc ſaxo, legalis apex, venerabile numen
Legibus in Mundo, Iuris ſummuſque Monarcha,
Fidum conſilium dubiis, rationis amicus.
Hoc pereunte perit legum veneranda poteſtas,
Virtus ſtrata jacet, cœlo viduata paterno.
Huc huc verte oculos lacrymans hic ſponte queraris

R 3 *Plus*

(1) Paul. de Caſtr. in l. 17. cod. ex quib. cauſ. infam. irroget. (2) Idem Paul. in l. 1. in fin. cod. de advoc. diverſ. judic.
(3) loc. cit. p. 139. (4) Pancirol. Ficard. l. c. [5] Iidem l. c. [6] Hiſtor. Interp. & Gloſsator. (7) Vid. ſubſcript. poſt conſultat. ult. Oldradi. (8) Jo. And. in addit. ad Specul. t. de confeſs. §. ſequitur. (9) not. 3. & Tomaſ. Gymn. lib. 2. c. 1. p. 232. (10) lib. 3. de clar. Interpret. c. 14. n. 22. p. 330. [11] in l. 1 col. 9. poſt. nu. 15. cod. de ſent. quæ pro eo quod intereſt, & l. 1. an. n. 2. cod. de Confeſs. Jo. And. ibid. tit. de locato §. id videndum [12] Pancir. lib. 2. c. 59. n. 64. p. 246. (13) n. 189.
(14] hiſt. Interpret. & Gloſsat. [15] Mantua n. 221. Pancir. lib. 2. c. 62. n. 70. p. 148. [16] Mant. & Pancir. l. c. Ficard. in Bartholo. [17] Pancir. lib. 2. c. 64. nu. 73. p. 250. (18] uterq. de Vir. Illuſtr. (19) in l. 9. ff. de juſt. & Jur. (20] in tract. bannito. P. ult. n. 12. (21) Salom. inſcript. Pat.

Plus ſtudioſa Patrem, quia, vix hanc paſſa ruinam
Heu tantum ſæclo damnum relevare futuro
Compos eris, Natumque ſilens Arſenda propago.

Filios poſt ſe reliquit ſuperſtites Fridericum & Arſendinum; atque hic vivo patre jura (1) Patavii profeſſus eſt ab an MCCCXL., parente mortuo plures obiit legationes ad Venetos pro pace cum Franciſco Carrarienſi ſancienda; poſtremòque cum nihil proficeret, ad Legatum Pontificis Bononiam profectus adverſus Venetos, ibi & docuit, & publicè diſputavit, ſecutique ſunt eum Carlinus, & Ægidius Mandelberti Cremonenſes (2) fratres, alter Juris Civilis, alter Canonici Profeſſores Patavii clari, quorum neuter ad opus pertinet noſtrum, cùm nihil extet, quo virtus ipſorum apud poſteros memoretur.

XII. BARTHOLOMÆUS CAPIVACEUS, patricia gente Patavii natus, vir doctiſſimus claruit eodem cum Arſendo tempore, docuitque Patavii diu. De eo Mantua (3), quo teſte floruit an. MCCCXLVIII.: ſed objerit decennio poſt, ut annotat Porcellinus (4), cui ſi fides præſtanda ſit, erat in tabulario Collegii Patavini non parvum Reſponſorum Volumen ab eo editorum, mandante collegio. Extat inter (5) Baldi reſponſa, unum ab hoc doctè conſcriptum adverſus Richardum Malumbram, ex quo ad hunc, quem conteximus, catalogum pertinet.

CAPUT III.

Jo. Andreæ, Bartholus, Signorinus Homodeus, Nicolaus Spinellus, Philippus Caſſolus.

1348 XIII. JOANNES ANDREÆ quamvis poſtremis duobus antiquior, his tamen ſubiicitur, quod ſeriùs hic in hoc Gymnaſio noſtro docuerit, ut ſingulariter notat S. Blaſius (6), ex quo Mantua (7) recepiſſe videtur, Joannem Andreæ Patavii aliquandiu docuiſſe. Natus eſt Mugelli in oppido agri Florentini, Andrea pædagogo, vel, ut alii ſcribunt, Ludimagiſtro patre, quamobrem (8) falsò plerique eum Bononienſem exiſtimant: paternâ inſtitutione Grammaticam didicit, patremque ſecutus Bononiam, adoleſcens veſtem (9) Clerici ſumpſit, & paupertate preſſus Bononiæ præceptorem domeſticum egit apud nobilem virum Mainardinum Ubaldinum, cujus filium Scarpettam literis, & moribus imbuit. Hujus viri nob. patrocinio fultus humanarum literarum ſtudium abſolvit, præceptore Bonifacio quodam Bergomate, qui adoleſcentis ingenium admiratus, veluti (10) vaticinans, fore, dixit, ut ſi Juri Canonico dediſſet operam, maximam illi lucem afferret. In hoc ergo pronus incubuit Doctore Guidone (11) à Baiſio, quem Archidiaconum appellamus. Sed & auditor fuit clariſſimorum juris Civilis interpretum Richardi Malumbræ, & Martini Syllimani, quibus per otium pacatè vacare licuit, jampridem à ſordibus egeſtatis aſſerto per Joannem Calderinum, qui juvenis experrectâ indole delectatus, eum in filium adoptavit. Tyrocinio juris utriuſque poſito, Doctor, flexit animum, ut præ Civili juri Canonico ſuas operas oppignoraret. Docuitque Bononiæ æmulus (12), ut ipſe refert, Joannis Monachi. Idem deinde Jus Patavii profeſſus eſt circa An. MCCCXXX., ut, præter Mantuam laudatum, notat ex ipſius Jo. Andreæ ſcriptis Pancirolus. Piſis etiam docuit, undè Bononiam revocatus, princeps habitus eſt, & verè fuit omnium ſua ætate Pontificii juris interpretum. Uxorem habuit (13) Milanciam, doctam, argutamque mulierem, & ex hac filias, quarum alteram Novellam deſpondiſſe ferunt Joanni Calderino, quem in filium adoptavit: alteram Betinam dedit uxorem Joanni à S. Georgio, quo Decretorum interprete Patavii illa deceſſit, jacetque in Antoniana Baſilica cum epigraphe, quam exhibet Salomonius (14). Prole maſcula legitima eum caruiſſe, certum eſt; fuit attamen illi naturalis filius Bonincontrus, quem Banicontium Pancirolus (15) appellat; iiſque inter claros Juriſconſultos numeratur ex tribus doctis libellis de *Privilegiis, & Immunitatibus Cleric. De Accuſatio. & Inquiſitio.*, & *de Appellat.* Plura de Joanne Andreæ Ficardus, Mantua, & Pancirolus, quos conſulat curioſus lector: & alioqui notiſſimus eſt ex Baldo (16), Romano (17), Anca-

(1) Pancir loc. cit. (2) V. Pancir. ibid. n. 71. (3) de Vir. Illuſtr. n. 69. (4) ad Matricul. (5) Vol. 3. Conſ. 419.
(6) de Vir. Illuſtr. in Bartholo. (7) de Vir. Illuſtr. n. 132. (8) V. Pancir. de Cl. Interpret. lib. 3. c 19. n. 18. à p. 335.
(9) Raph. Volater. Anthropolib. 21. (10) Ficard. Vit. Juriſconſult. in Jo. Andreæ. (11) Pancir. loc. cit.
(12) Ficard. Mant. Pancir. ibid. (13) V. Jo. Andr. ipſum in c. cum ſecundum 16. de præben. & c. qui prior. 54. de reg. juris in 6. Felin. Procem. Decret. n. 3. Tiraquel. in l. 5. Connub. n. 13. glo. 11 P. 5. & 11. l. Connub. n. 27. gloſ. 1. P. 11.
(14) Inſcript. Pat. (15) ibid. p. 338. in fin. (16) Conſ. 226. Vol. 1. (17) Conſ. 12. Col. 21. & Sing. 667.

Ancarano (1), Barbatia (2), Curtio Juniore (3), & aliis, apud quos tamen ex eo (4) reprehenditur, quod multa, ſupreſſo auctoris nomine, ſuffuratus in Additionibus ad Speculatorem ex Conſiliis Oldradi, ut ſua venditarit. Idem illi crimen objicit Albericus (5). Obiit Bononiæ peſtilentiâ ſublatus An. MCCCXLVIII. Sepultus eſt ad D. Dominici cum hoc tetraſticho.

Hic jacet Andreas notiſſimus Orbe Joannes,
Primò qui Sexti Clementis, atque Novellas,
Hieronymi laudes Speculique jura peregit
Rabi Doctorum, lux, cenſor, normaque morum.
Occubuit fato perdiræ peſtis in Anno
MCCCXLVIII. die VII. Julii.

Quæ ſcripſit & edidit hæc ſunt.

In ſex libros Decretalium Comment. novella.
Gloſſa continua in Sextum Bonifacii VIII.
Quæſtiones Feudales.
De Interdictis Civitatis, Caſtri, vel alterius loci, & de iis, quæ ſervari non poſſunt.
De Sponſalibus & Matrimoniis.
In Clementinas Volum. II. ſeu Novella Mercuriales.
De Filiis Presbyterorum.
Additiones ad Speculum Gullielmi Duranti.

XIV. BARTHOLI Sentinatis, ſeu à Saxoferrato Umbriæ oppido, Juriſconſultorum principis vitam habes præfixam ejus Operibus. Eandem Thomas Diplovatacius libro integro deſcripſit, compendio traddidit Joannes Ficardus, Mantua congeſtis 1355
legum, locorumque notationibus plurimis obſcuravit; ut de illo hìc pluribus agere, actum agere ſit, & cramben recoctam cœnaturis apponere. Natum omnes dicunt Sentini in Umbria Æræ communis An. MCCCIX. Progenitum ex concubina, & expoſitum illum fuiſſe in prima infantia, ex ejus effigie, quæ Toloſæ parieti Domus hoſpitalis affixa eſt, colligit Chovernovius (6), & ex eo Mantua (7). Annorum quatuordecim adoleſcentulus venit Peruſiam: ibi Philoſophiam Petro ab Aſſiſio præceptore, juriſprudentiam Cyno Piſtorienſi Doctore, didicit, quam mox perdidicit auditis Rainerio de Arſendis Patavii, & Butrigario Bononiæ, qua in urbe anno ætatis XX. cùm de Jure publicè diſputaſſet, inſignia Magiſterii recepit; falliturque famæ vulgaris rumoribus Antonius Monteroſſius (8), & ex eo Salomonius (9) rati Bartholum laureatum prodiſſe Patavii. Jam Doctor vertit ſe ad praxim juris, factuſque criminalium cauſarum Adſeſſor, fertur tam ſævæ, ac præcipitis fuiſſe ſeveritatis, ut reum furti, nec ritè convictum, confeſſumve, & inſontem extremo ſupplicio punierit. Inde in eum odium populi, & ſannæ doctorum virorum, quorum metu à munere judicandi deterritus, ad libros rurſus, & ſtudia ſe contulit, atque ad vicum S. Victoris vicinum Bononiæ ſeceſſit. ibi labore pertinaci in evolvendis legum voluminibus operam poſuit. Ajunt poſt hæc accerſitum Piſas, ibi aliquandiu docuiſſe, undè paſſim ad exedras Peruſinas traducitur à Scriptoribus actorum ejus, uno excepto Diplovatacio, cui adſtipulantur publica monumenta Gymnaſii noſtri, quæ conſtantiſſimè cum apud Riccobonum (10), tum apud Tomaſinum (11) aſſerunt, Bartholum jus Civile hìc per annos aliquot mane, & veſperi fuiſſe profeſſum, Rainerio præceptore collega matutino, Signorino Homodeo à Meridie. Addit Diplovatacius, quod ante eum ſcripſit Porcellinus (12), Bartholum, quamvis auctariis ſtipendiorum majoribus allectum, hic diutiùs profiteri noluiſſe, deterritum Patavino more prælegendi memoriter: etenim memoriam non ſatis firmam, ac fidelem habuiſſe, atque ex hac parte ſuo nomine fuiſſe minorem, ut nedum cum publicè diceret, ſed neque cùm privatìm commentabatur, leges haberet in promptu, ac memoriâ uteretur Franciſci Tigrini Piſani amiciſſimi Juriſconſulti, quo nomenclatore locorum, ac legum, profeciſſe eum admodum notat Baldus (13); ſequitur Angelus Caſtrenſis (14). Ex his claris Gymnaſii noſtri profeſſoribus Bartholum (15) annumeramus, idque ipſe confirmare videtur, cum apertè fatetur, acceſſiſſe ſe Patavium, indeque dediſſe reſponſa Veronâ eum con-

(1) Conſ. 411. in princ. (2) in Reper. c. Raynaldus col. 164. de teſtam. (3) Conſ. 1. col. 4. in princ. (4) Socin. Conſ. 6. poſt. n. 8. Bald. in addit. ad ſpec. de conceſs. Præb. (5) in diction. verb. Matrimonium primo &c. (6) Tract. de Concubinar. p. 365. n. 97. (7) de Vir. Illuſtr. n. 29. (8) in Chron. rer. Patav. (9) Inſcript. Gym. (10) Gym. lib. 1. c. n. p. 12. terg. [11] Gym. lib. 2. c. 1. p. 233. [12] Not. in Matric. [13] in l. 1. col. 10. Cod. qui accuſ. non poſſunt & in l. ſi accuſ. col. pen. Cod. de lib. præter, & alibi. [14] in l. ſi quis ſervo ff. de ſol. [15] Conſil. 198. in quæſt. ad fin.

conſulentibus. Patavio Peruſiam profectus, ibi uxore ductâ, & vitæ portu conſtituto, ætatem reliquam profitendo tranſegit. In ea urbe quotidianis prælectionibus exercitus illud Nomicæ faſtigium Eruditionis attigit, in quo poſitus, dum vixit, ſummi Juriſconſulti nomen in Italia conſecutus eſt, poſt fata, verò tota, qua latè diffunditur, Juriſprudentiâ Principatum unus obtinuit. Carpitur ex eodem capite, ex quo Joannes Andreæ, quòd eos, quorum ſcriptis in Codices ſuos receptis ad gloriam magnificentiùs aſſurrexit, relatum Franciſcum Tigrinum, & Nicolaum Mattarellum, nunquam nominaverit; ac plagii, & ſtellionatus inde à Baldo (1), & Angelo arguitur, imò palam fur appellatur. Sed commune id Juriſconſultorum crimen eſt, aliena, ut ſua, venditantium, & jam olim fas eſſe putantium, alienâ vivere quadrâ. Deceſſit Peruſię, unâ filiâ relictâ, emortuali die XIII. Julii anni MCCCLV., ut pluribus placet, ut quibuſdam MCCCLVII. ætatis certè XLVI. Sepultus eſt ad aram maximam templi D. Franciſco Sacri; fallitúrque Diſtichon Joſephi à Pinu, quod ſic proponit Freherus (2);

Explevit clarus natales Bartholus annos
Aſſurgit muris qua Patavina ſuis.

niſi pro Patavina Peruſinam ſubſtituas. Vide de his, quæ diximus, & pluribus aliis, quæ brevitas, cui nomen dedimus, non capit Biographos relatos, & Pancirolum (3).

Scripſit multa, quæ diu immiſta pſeudepigraphis, tandem Jaſon (4) recenſuit, veraque diſcrevit à ſpuriis: id, quod etiam ex parte præſtitit Mantua (5), ſignanturque à Jovio (6), Trithemio (7) Gaſpare Cunrado, & aliis, ac prudentiſſimâ Panciroli (8) cenſurâ æſtimantur, nimirum

Super Codice Libr. IX. — *Librum Tyberiadis.*
Super Inſtitutionibus Libr. IV. — *Librum de Guelphis, & Gibellinis.*
Super Pandectas ſeu toto ff. — *Volumen Conſiliorum.*

Omnia priſco Juriſconſultorum ſtylo conſcripta ſemibarbara ſunt, docta tamen, maximique ſemper apud Legulejos pretii, nullâ habitâ elocutionis ratione, quam Bartholus ipſe contempſit adeo, ut Ludovico Vives teſte (9), dicere ſolitus fuerit: de verbibus non curat Juriſconſultus; nec defuerint, qui eum Teutonicè alicubi loqui, & ſcribere, arbitrati ſunt.

1362 XV. SIGNORINUM, aliis SIGNOROLUM, HOMODEUM Inſubriæ Caput Mediolanum Juriſconſultiſſimum virum edidit. Studuit Patavii auditor aſſiduus Rainerii Arſendi, emenſuſque juris utriuſque curriculum, primò quidem Bononiæ docuit, ut Albericus (10) tradit, Parmæ deinde, mox autem, ac diutiùs Patavii ſummâ nominis, ac doctrinæ clebritate, ex qua meruit equeſtrem ordinem, ac titulos Comitis Palatini. Parmæ iterum profeſſus eſt, iterumque Patavii, unde à Galeatio Vicecomite Ticinum accitus, ampliſſimo ſtipendio, pari ſapientiæ gloriâ primam Legum Civilium ſedem implevit in illo Gymnaſio: inde à Ludovico Principe Achajæ Taurinum in Subalpinis conductus, ibi cum Petro Beſutio eodem munere doctiſſimè functus eſt, donec Princeps ille vixit; eo mortuo, cùm hæredes ſtipendio illi ſolvendo ſe obnoxios eſſe negarent reſponſo *Chriſtophori* Caſtilionei, quod quartum eſt inter ejus Reſponſa, ad ſolvendum compulſi ſunt. Poſtremò Vercellas ſe recepit an. MCCCXLV. ibique perdiu profeſſus, ſenex deceſſit poſt an. MCCCLXII. Nam eo anno illum fuiſſe ſuperſtitem conſtat ex ejus Reſponſo (11). Uxorem habuiſſe dicitur (12) Aquiliam, ipſi ſuperſtitem, quæ peſtilentia ſæviente Vercellis, cùm eodem afflata morbo condere teſtamentum vellet, ut numerum teſtium legitimum inveniret, deferri ſe in viam publicam juſſit. Antagoniſtam Patavii Bartholomæum Gloriam Patavinum habuit, cujus, quòd nihil ab eo ſcriptum extet, ad nos notitia non pertinet. Accuſatur (13) ut ingratus erga Magiſtrum Rainerium, cui, quem debebat, honorem non detulit. Plura de Signorino Pancirolus (14), & Mantua (15), quędam Caccialupius (16), & Cotta (17), ex quibus noſtra collegimus. Scripſit Diſputationem egregiam, quam Vercellis habuit, de eo an Doctor Equiti ſit præferendus: favet autem validiſſimè Doctoribus. Extat in ejus Reſponſis ordine XXIII. Diſputationi Tractatum addidit in eodem Argumento. Ludovicus Bologninus recenſuit, ac ſplendidis annotationibus illuſtravit. Edita ſunt ejuſdem Signoroli Reſponſa maximi habita.

XVI.

[1] loc. cit. [2] T. 2. P. 2. Sect. 4. p. 787. 2. [3] de Clar. Interp. l. 2. c. 67. p. 153. 158. [4] in l. quidam ff. VO. [5] de Vir. Illuſt. n. 47. [6] Elog. p. 15. & ſeq. [7] Proſopogr. Molic. Millen. I. [8] loc. cit. (9) apud Freher. l. c. (10) in Rubr. de VO. (11) Conſil. 187. (12) Fulg. & Jaſon. in l. ult. col. 3. Cod. de teſtam. (13) Rainer. Conſ. ult. inter Signorel. Conſ. (14) de Clar. Interp. lib. 2. c. 64. n. 73. p. 150. 151. (15) de V. Illuſtr. n. 223. [16] Hiſt. interpr. & Gloſsator. (17) Recens. interpr. & Doctor.

XVI. NICOLAUS SPINELLUS, Neapolitanus, magni nominis ſæculo XIV. Juriſconſultus, primùm in patria jus Civile profeſſus eſt; mox accitus à Joanne (1) Galeazio Vicecomite Mediolanum, inter præcipuos ejus Conſiliarios fuit: revocatus deinde Neapolim à Joanna Roberti Regis filia, apud hanc, poſt obitum patris regnantem, eodem functus eſt munere, ſed honorificentiùs, ac potentiùs: namà Joanna Equeſtri dignitate donatus dictus eſt Cancellarius Siciliæ, & Jojæ Comes. Creditur præcipuus Auctor magni ſchiſmatis, quod Occidentalem Eccleſiam diu, ac multum vexavit, diſcerpſitque. Cauſam, quâ ad ſcelus hujuſmodi impulſus eſt, variam refert hiſtoria. Nam Collenutius (2) tradit eum infeſtiſſimum fuiſſe Urbano VI. quòd ad eum ſalutandum à Joanna miſſus, invitatuſque ad cœnam, cùm ſuperiore loco inter convivas conſediſſet, inde decedere, atque in loco inferiore accumbere juſſus fuerit. Referunt alii (3), ab Othone Brunſuicenſi Duce Romam perductum, ut ex jure Urbano perſuaderet, Regnum Trinacriæ dandum eſſe Marchioni Montisferrati, cui puella Regni heres deſponſata fuerat, quòd nullo modo Pontificis animum flectere potuiſſet, odium, quod jampridem conceperat, foviſſe funeſtiùs. Quin imò impuliſſe ipſe Nicolaus dicitur Cardinales illos, ut ſchiſma illud funeſtiſſimum conflarent, in eo perſiſterent, illudque pertinaciſſimè proſequerentur. Rebus deinde mutatis Patavium invitatus (4) à Carrarienſibus, huc ad jus Civile interpretandum venit circa an. MCCCLXXVII, ubi cùm ſumma celebritate, auditorumque frequentiâ biennio diſceptaſſet, è vivis ereptus eſt anno MCCCLXXX. 1380 Duos filios reliquit, quorum alter patris heres familiam propagavit, quę ex ſtipite inter Principes, Proceresque Neapolitanos etiamnum viget, ex traduce diu patritia, Patavii; deſiitque noſtrâ ætate in Hilario Profeſſore Medicinę publico, ut ſæpius notavimus; alter Catanenſis Epiſcopus, Belfortius nomine an. MCCCLXXXIX. Patavii Collegium ſtudioſorum inſtituit, quod nunc etiam ſtat, appellaturque Spinellum. Filias quoque ſuſcepit, quarum Bartholomęa, Joannis Urſini uxor, mater fuit Jordani Cardinalis ab Innocentio VII. in Senatum Eccleſiaſticum adlecti.

Scripſit Nicolaus Spinellus.

In XII. Codicis libros Commentaria.

In Inſtitutiones Imperiales.

In Infortiatum, & magnam Pandectarum partem.

Rapidiſſimę, ac laborioſiſſimę Interpretationis Profeſſor Raphaelem Fulgoſium diſcipulum increpare ſolebat, quòd nonniſi decem Pandectarum libros explanaret, cum ipſe viginti quatuor prælegeret. Notant Caccialupus (5), Romanus (6), Jaſon (7), ipſe Fulgoſius (8), ex quibus Pancirolus (9), quo auctore hęc ſcribimus.

XVII. PHILIPPUS CASSOLUS, Regienſis clariſſimus Juriſconſultus exeunte ſæculo XIV., ut eum Baldus appellat (10), Camerarius, ſeu Quæſtor Apoſtolicus aliquandiu fuit, inde conſiliorum particeps (11) apud Comitem Virtu Mediolanenſem, quod ipſe teſtatur, reſtituto per Galeatium Vicecomitem Inſubriæ Principem Ticinenſi Gymnaſio, inter primos ad juris Civilis interpretationem accitus, ibi docuit tanta doctrinę apud omnes opinione, ut doctor Doctorum appellaretur. Evocatus deinde Patavium è ſuperiore loco auditoribus frequentiſſimis idem jus explanavit per annos non paucos, ut verbis Jo. Baptiſtę (12) à S. Blaſio utar, nec inficiatur Pancirolus (13). Patavio Ticinum revocatus doctiſſimos Collegas habuit, & antagoniſten Baldum, cujus interrogatione (14) interceptus, qui nimirum ex fama juriſprudentię tumebat, turgebatque paſſim, quod felici memoriâ uteretur, cum rubore detumuit; ac ſenex didicit, imprudentiſſimum eſſe, qui, vel opinione virtutis, qua fruitur, vel memoriâ, qua pręſtat confiſus, ſe omnia ſcire, aut in promptu habere temerè gloriatur. Orbus ex (15) Catherina Anguſſola Placentina hęredes Thaddęum, & Maffęum fratres dixit, ac poſtremi liberis bona, quę Ticini, Placentię, ac Bononię habebat, prælegavit; ſimul juſſit, ex redditibus trium millium florenorum, quę Venetiis depoſuerat, tres juris ſtudioſos Regienſes ali: quod legatum exitu, effectuque caruit. Nam occupatis Parma, & Regio per Othonem III., Maffęus cuſtodię traditus, ex pecunia Veneta, aliiſque rebus venditis ſe redimere coactus eſt. Obiit Philippus Ticini an. MCCCXCI. Cadaver ejus delatum Placentiam apud PP. Prędicatores in ſacello S. Joannis, quod ipſe conſtruxerat, conditum eſt. Edidit librum utiliſſimum *de teſtam. & ſucceſſionibus*. Extant etiam *Reſponſa* ejus nonnulla inter Conſilia Baldi.

1391

CAPUT

(1) Bald. Conſ. 147. col. 4. lib. 2. (2) lib. 5. Hiſt. Neapol. (3) Alber. Crantz. lib. 10. c. 11. de reb. Saxon. (4) Pancir. lib. 2. c. 69. n. 81. p. 161. 162. Mant. n. 191. (5) de modo ſtuden. docum. 5. (6) in Auth. ſimiliter Cod. ad l. Falcidiam. (7) Inſtitut. de Actio. in princ. (8) in Procem. ff. ſub n. 15. (9) loc. cit. (10) Conſ. 105. in princ. Vol. 3. (11) Bald. Conſ. 311. Vol. 4. in ſubſcriptio. (12) de Clar. I. C. (13) de Cl. Interp. lib. 2. c. 73. n. 92. p. 171. 178. (14) V. Pau. Caſtr. in l. 101. ff. de condit. & demonſtr. (15) Pancir. loc. cit.

CAPUT IV.

Baldus Ubaldus, Angelus Ubaldus, Jo Ludovicus Lambertaccius, Petrus de Ancharano.

XVIII. BALDUM UBALDUM, alterum à Bartholo Sentinate Juriſconſultorum
1400. principem, Patavinum fuiſſe Profeſſorem, ut diſſimulet Jo. Ficardus, & alii Ficardum ſecuti, aſſerit Diplovatacius (1), quem exſcribit Mantua (2), ſequitur Pancirolus (3), comprobat Baldus ipſe, qui ſcripſit alicubi (4), ſe Patavii pulcram diſtinctionem in materia legationis ex reſponſo Collegii Patavini didiciſſe; & alioqui cum Riccobonus (5), tum Tomaſinus (6) idipſum inter ea recipiunt, quæ ſunt extra dubitationis aleam. Peruſiæ honeſtâ familiâ Ubaldorum, Petro viro nobili & Medico patre natus eſt circa annum MCCCXXIV., ut Ficardus tradit (7). Pręcocis ingenii puer bonam ætatis partem ſtudiis Philoſophicis impendit, atque ad Medicinam tractandam ſe contulit; ſed brevi cùm comperiſſet, dignum laude nihil in arte illa præſtari à ſe poſſe, ad Juriſprudentiam transfugit; auditoque Joanne Pagliarenſi, quem primum Doctorem ſuum appellat (8), mox Franciſco Tigrino, anno ætatis decimo ſeptimo inter auditores Bartholi fuit; quem vultu plus, quam haberet, ætatis præſeferentem cùm Bartholus conſpexiſſet, ratus natu grandiorem dicitur (9) his verbis compellaſſe: *tardè venis*: cui ille modeſtè, ſed ſtrenuè; *ideo*, reſpondit, *celeriter me abſolvam*. Præſtitit, quod hiſce ſpoponderat, maturo jam tum, ac felici adoleſcens ingenio, qui eodem anno publicè repetierit legem *Centum Capuæ ff. de eo quod certo loco*. Emenſus legitimum ſtudiorum tempus, ac lauream Juriſprudentiæ conſecutus Peruſiæ, profitendi cauſa Bononiam venit circa an. MCCCXLIV., & quia eodem tempore Bartholus advenerat, eo præſente publicè de eo diſputavit: *an Municipes loci cujuſpiam vetare poſſint lege Municipali, ne quis niſi ad Judicem loci provocet*. Refert Ficardus (10) diſceptanti Baldo oppoſuiſſe ſe Bartholum acerrimum antagoniſten, & cum eo pugnaſſe ab hora diei decima ſexta ad vigeſimam primam, tandemque victum à Baldo diſceſſiſſe. Addit (11), aliàs quoque hos inter vehementem altercationem interceſſiſſe ad *Textum in §. ultimo l. ſi creditor 7. ff. de diſtr. Pign.* cum Bartholus in ſuo codice legeret *nullam venditionem*, Baldus verò *ullam venditionem*; adeoque tunc animos exarſiſſe, ut miſſum ſit Piſas, veteres Pandectas inſpectum, quæ cum codice Bartholi conſentire deprehenſæ ſunt. His idem Ficardus adjicit multa, quæ fabulis propiora, planèque falſa meritò rejicit. Moratus videtur Bononiæ Baldus uſque ad an. MCCCLV., quo invitatus (12) Patavium à Carrarienſibus, hìc docuit etiam ſub Franciſco Seniore ad an. MCCCLXXVIII., pedum dolore ſæpiſſimè tentatus ex podagra, ita ut ſubſtituto illi opus fuerit Rogerio. Poſt hæc à Jo. Galeatio Mediolanenſium Duce acceritus Ticinum, cùm primo aſpectu ex puſilla ſtatura corporis contemptus ſibi acclamari audiſſet: *minuit præſentia famam*, reſpondiſſe fertur (13): *augebit cætera virtus*; quo reſponſo res illi ceſſit in plauſum. Philippum Caſſolum, de quo diximus, Ticini æmulum habuit, *quem* ſuperbâ nomenclatione Doctorem ſe Doctorum appellantem detumeſcere coegit interrogatione propoſitâ, ad quam cum ille trepidaſſet, interroganti, ac ſtatim interrogationi ſuæ reſpondenti nomen apud omnes maximum conciliavit. Rem uti geſta eſt ex Paulo (14) Caſtrenſi narrat Pancirolus; quem plura ad ſatieta em & curioſitati placitura de Baldo, ejus familiâ, poſteritate, ſcriptorumque cenſura congerentem (15), ſi vacabit, conſule, ac brevitati noſtræ gratificare. Ticini Baldus profeſſus eſt jus utrunque. Neque enim in jure tantum Civili præſtantiſſimus Doctor fuit, ſed etiam in Pontificio præ reliquis ætate ſua claruit. Quamvis enim in multis, quæ à Pancirolo notantur (16), reprehendatur, ea tamen vivus ſui nominis gloriâ ex auctoritate contexerat. Quamobrem in magni ſchiſmatis cauſa, is præcipuè fuit, à quo reſponſa, pro ſe quiſque, contendentes extorquere conati ſunt. Vide quæ latiùs perturbatiſſimè tamen, more ſuo, conglomerat Mantua (17). Deceſſit Ticini poſtquam jura per annos LVI.

(1) de Clar. Juriſconſult. Græcis & Latin. lib. 3. c. 2. (2) n. 48. (3) lib. 2. c. 70. n. 84. p. 165. (4) l. inter cauſas §. non omnia col. 2. ff. mandati. (5) Gymn. lib. 1. c. 11. p. 12. terg. (6) Gymn. lib. 2. c. 1. p. 12. terg. (7) Vit. recent. Juriſconſult. in Baldo. (8) c. ſi Vaſſalluſ. tir. ſi controv. fu. inter Dom. & Vaſſallum. (9) Tiraquel. in Præfat. de jur. Primig n. 102. 206. Jaſon. in l. 2. §. 43. ff. de orig. jur. (10) Vir. Juriſconſult. in Baldo. Pancir ibid. p. 164. Bald. Tract. Judiciar. Rubr. de Appellat. q. 1. in fin. (11) Idem Bald. conſ. 160. Vol. 3. Alex. in l. 25. §. ult. ff. ſolut. matrim. n. 4. Barr. in l. 3. Cod. de Condit. ob cauſ. & alii. (12) Vid. Bald. in l. 2. in fin. Cod. de edend. in l. ult. ff. de aqu. pluv. arcend. in l. ult. in fin. de individ. toll. Cod. (13) Pancir. ibid. p. 165. (14) in l. 101. ff. de condit. & demonſtr. (15) d. lib. 2. c. 70. 71. 72. p. 162. 171. [16] ibid. p. 167. §. plura etiam. [17] d. n. 45.

LVI. publicè interpretatus eſt anno MCD. ætatis LXXV. Mirumque eſt à Mantua obitum ejus anno MCDXXIII. ſignari, niſi error graphicus ſit. Tradit poſt Pancirolum Wolphius (1) & Marcellus Donatus (2), eum à catello ſuo rabioſo demorſum in labio, poſt menſem obiiſſe delirantem: id quod diſcrepat admodum ab iis, quæ de illo moriente narrantur (3), quæque conſtituunt, illum adeo ſui compotem expiraſſe, ut tunc petierit, ac voluerit indutus D. Franciſci veſte, in habitu, cultuque Minoritico extremum ſpiritum exhalare. Conditus in templo D. Franciſci jacuit per ſæculum ſub hoc carmine

Vita, labor ſtudii, divini cultus amoris,
Artes maturæ, Regis Fulgentia dicta
Legalis normæ, Paſtorum Cœlica Jura
Ornant Baldi animum, quæ pandit dogmata clara.
Qui quia nunc linquit mortalia pondera Carnis
Dulcia jam guſtans Auctoris paſcua ſummi,
Clauditur hìc Baldus Franciſci tegmine fultus,
Doctorum Princeps, Peruſinaque editus arce.
Qui obiit an. MCCCC. Die XXVIII. Aprilis in Aurora.

Inde oſſibus ejus ad aram maximam tranſlatis ſaxum impoſitum cum hac breviſſima epigraphe.

Baldus editiorem hunc locum ſortitus hìc octo & decem
ſupra centum Annos obdormiverat MDXIX.

Vir fuiſſe dicitur perhumanus, affabilis, comis, atque facetus, & in pauperes largus, quibus convivia parare conſueverat, & obſonium præſtare ſtatis temporibus liberaliter. De eo etiam Trithemius (4), & Jovius (5). Edidit

Super Codice lib. IX.
Super Inſtitutionibus lib. IV.
Additiones ad Speculum.
Super ſecundo Decretalium.
De Uſu Feudorum.
Margaritam ſeu Repertorium, hoc eſt Indicem
Legum.
Conſilia multa.
Practicam.
Commentaria in totum Corpus Juris Civilis.
Librum, quem inſcripſit Peculium.
Tract. de Commentationibus DD. Famoſ. in V. I.

XIX. ANGELUS UBALDUS, Baldi frater, Peruſinus iiſdem cum fratre præcepto- 1400
ribus uſus in celeberrimum Juriſconſultum & Cauſidicum evaſit. Annorum viginti in foro clientibus patrocinium (6) impendit, poſt annos verò quatuor in patria Doctoris inſignia conſecutus ibidem docuit, mox etiam Romæ (7) deinde Florentiæ (8), undè cum ad Urbanum VI. veniſſet, ferunt (9) ab hoc exceptum, non uti reliquos, ad pedis, ſed ad oſculum pacis honoris gratiâ. Redux in patriam, invitatus Patavium ſe contulit ad juris Civilis interpretationem, eamque iniit Collega Alberti Guidalotii, cujus nihil extat. Sunt qui (10) tradunt, Angelum huc ſeceſſiſſe multatum à civibus ſuis exilio, quibus refragatur Pancirolus (11) ex merito. Nam certum eſt, eum diu Patavii docuiſſe, per annos nimirum ſeptemdecim, atque etiam publicè controverſias aliquot pertractaſſe, quas inter celeberrima ſecunda eſt, quæ inſcribitur de miraculis patratis ab icone Deiparæ Virginis, affixa publicis ædibus Patavinis. Fuit porro Angelus ditiſſimus Doctor, ejuſque (12) ſumptu Patavii extructum eſt Templum, atque Cœnobium virginum in via Aggeris, ubi nunc habitant Hieronymiani Patres. Reliquit poſt ſe filium Alexandrum, de quo, ejuſque poſteris multa idem Pancirolus ad rem noſtram non pertinentia. Patavio Angelus triennio ante obitum migravit Florentiam, ibidemque aliquandiu profeſſus, eodem, quo frater ejus anno MCCCC., ad plures abiit. Ejus exuviæ in Patriam delatæ ad D. Franciſci, ſepulcro majorum conditæ ſunt. Vir fuit tenui admodum memoria, ſed acri ingenio ac ſolido, ut notat (13) Alciatus: quamobrem inter Triumviros juriſprudentiæ unus eſt cum Bartholo, & Paulo Caſtrenſi, ſi ſtandum ſit Pyrri (14) judicio. Verè Angelus appellatur à Caſſanæo (15), Doctor judi-

[1] Memorabilium lib. 2. [2] lib. 6. hiſtor. Med. mirab. c. 1. [3] Ficardus in Baldo. [4] Catal. Vir. Illuſtr.
[5] Elog. p. 17. 18. [6] Ang. ipſe in l. 1. §. pueritiam ff. de poſtulan. [7] Idem Conſ. 300. ad fin. [8] Idem in l. 2. §. ult. & ibi Fulgoſ. ff. ſi de noxal. cau. agat. [9] Pancir. de Clar. Interp. lib 2. c. 71. n. 90. p. 169. [10] Troilus Malvet. de oblatio. n. 3. [11] ibid. [12] Pancir. ibid. (13) Orat. habit. Avenione. (14) Apud Pancir. l. c.
(15) Conſ. 53. num. 9.

ctor judicum à Merzario (1), Practicæ Pater à Calcaneo (2), ac paſſim ipſi Baldo fratri præfertur. Edidit

Commentaria præclariſſima in Jus Civile, *Celeberrimas Quæſtiones, &*
Volumen Reſponſorum eruditiſſimum. *Tractatum de ſequeſtro.*

1400 XX. JO: LUDOVICUS LAMBERTACIUS (3), Patavinus, anno MCCCLXXXIV., acceptis Doctoris inſignibus, publicè docuit in patrio Gymnaſio, primamque ibi juris tum Canonici, tum Civilis obtinuit ſedem. Vir, ut ea tempora tulere, facundiſſimus reis patrocinium præſtitit, egitque in foro cauſas feliciter. Summæ fuit auctoritatis cum apud cives ſuos, tum apud Franciſcum Carrarienſem juniorem, & omnino princeps in Collegio Patavino, cujus leges recenſuit, auxit, ordinavit, Matriculas ſive Alba Doctorum annotationibus illuſtravit, quibus admodum, imò totum, quod attinet ad vetuſtatem ſeſqui ſæculi integri, ſe debere aſſerit (4) Porcellinus. Hæc Legum recenſio ſalva etiamnum eſt, perennatque in relato Juriſconſultorum Collegio. Vidimus aliquot ejus Orationes latinas, quarum pleræque funebres ſunt, & ut parum latinæ ſint, redundentque in exſucca loquacitate, Petrarchæ tamen ſtylum referunt; ut veriſimile ſit, quod obiter ingerit Porcellinus, eum fuiſſe Petrarchæ diſcipulum. Muſarum quoque amicus carmina feciſſe dicitur, delectatuſque fuiſſe verſibus Leoninis. Quin imo Porcellinus idem non dubitat, eum auctorem facere impoſiti Petrarchæ cineribus epitaphii. Scripſit etiam Reſponſa plurima, & interpretationes in Pandectas, & Codicem, quarum lacinias aliquot extare Tomaſinus (5) tradit. Collegam in jure Canonico veſpertinum habuit Jo. Antonium à S. Angelo Patavinum Juriſconſultum ætate illa clariſſimum, & in Albis Profeſſorum noſtrorum laudatum, alium tamen ab Antonio, de quo inferius. Jo. Antonius ex his nobis unicè notus eſt, cùm vel nihil ediderit, vel ejus in ſolidum ſcripta perierint. Refertur à Tomaſino non ſemel ad ann. MCCCXXXVIII., cùm conſtet, ſuperſtitem Lambertacio fuiſſe, ac vivere deſiiſſe circa annum MCCCCVIII., ut notat Pancirolus, qui ex epitaphio Lambertacii ſepulti in templo Domus Dei colligit, eum deceſſiſſe an. MCCCC. XII. Maii

Ecce Ludovici lapis hic tegit oſſa Joannis,
Protulit inſignis quem Lambertacia proles,
Quique utriuſque tulit Doctor diademata juris,
Orator mirus, facundo Tullius ore.
Occubuit prima geminos qua luce ſubintrat
Sol decies octo poſt annos luſtra ducenta.

1410 XXI. PETRUS DE ANCHARANO, Bononienſis, ex illuſtri Farneſiorum familia, ut in ejus epitaphio litteris Gothicis exarato legitur Bononiæ in æde Sacra D. Dominico, propter ſingularem doctrinam cum in Philoſophicis, tum in iis, quæ ad ſcientiam juris pertinent; atque etiam propter uſum rerum Politicarum, vir fuit apud cives ſuos habitus maximi, auctoritatis eximiæ in Reſponſis & Scriptis: quibus impendit utilem patriæ ſuę operam, totâ demum Italiâ Principibus, Urbibus, & Academiis omni ex parte venerabilis. Præceptore uſus eſt Baldo, ejuſque intimâ familiaritate felix ea juriſprudentiæ penitiora documenta didicit, quorum graviſſimâ majeſtate ſibi nomen clariſſimum apud poſteros fecit. Docuit primo (6) Patavii Jo. Ludovico Lambertacio, Benedicto Plumbino, & Ludovico Cortuſio collegis ab anno ſalutis MCCCLXXXV. inde ad Gymnaſium patrium regreſſus, in eo magnâ auditorum frequentiâ jus Canonicum interpretatus eſt. Profeſſum eum etiam Ferrariæ aliquandiu, atque etiam Senis ex ejus ſcriptis colligit Pancirolus: ipſe palam aſſerit (7), ſe certo conſtituto honorario conductum à Conſiliis fuiſſe Reipublicæ Venetæ, Antonio Venerio Principe. Amiciſſimus fuit Franciſci Cardinalis Zabarellæ, quem luſtricum patrem, vulgo compatrem, filio voluit, ut ipſe teſtatur (8). Floruit maximè anno MCCCCX., vitam tamen produxit diutius, perſenex enim vivebat anno MCDXV. In Patria Collegium ſtudioſorum pauperum inſtituit, quod etiam num Ancaranum vocatur. Ibi obiit ſepultus ad D. Dominici: nam ibi poſt annos ferme octoginta monumentum inſtauratum eſt cum hoc elogio.

Canonis

(1) in Epitom. Fideicomm. (2) Conſ. 16. n. 46. (3) Pancir. c. 74. n. 93. p. 173. Mantuan. 150. (4) Præfat. in not. Matric. (5) in Athen. (6) Pancir. de Clar. Interp. lib. 3. c. 26. n. 36. p. 346. 347. (7) in c. 2. de conſtit. p. 22.
(8) Anchar. conſ. 188. in princ.

Canonis hic Speculum, Civilis & Anchora juris
Hìc jacet, æternas mens tenet alta domos.
Nomen erat Petrus, genuit Farneſia proles,
Nunc Ancharanum dat ſibi laudis opes.
Quis ſuperabat eum virtute micante? Quis iſto
Conſiliis hominum clarior ante fuit?
Pro meritis nunc aſtra dedit ſibi Iupiter almus,
Et voluit gelido membra jacere Solo.

Hinc noſces Boiſſardum (1) falli, cum refert ad S. Benedicti fuiſſe ſepultum; nam templum D. Dominici Ficardus (2) nominat, Pancirolus, Ghilinus (3). Extant ab eo conſcripta.

Super Decretales libri V.	*In ff. Vetus libri XXIV.*
Super VI. Decretalium lib. I.	*In ff. Novum libri XII.*
Super Clementinas liber I.	*Conſiliorum Volumen I.*
Super Titulum de Regulis Juris lib. I.	*Canonum ſtatuta.*

CAPUT V.

Benedictus Barzus, Antonius à S. Angelo, Bartholomæus Salicetus, Franciſcus Card. Zabarella.

XXII. BENEDICTUS BARZUS (4) à Plumbino oppido, quod è ruderibus exciſæ Populoniæ ad portum Trajanum extructum eſt in agro olim Piſano, undè Barzus civis etiam Piſanus appellatur in monumentis Gymnaſii noſtri, & juriſconſultiſſimus fuiſſe conſtanter aſſeritur. Auditor fuit ſtudioſiſſimus Baldi, ac depoſito Juriſprudentię tyrocinio Piſis primùm, deinde Florentiæ docuit, tum Peruſiæ, Ferrariæ, ac Ticini, demum Patavii diu, collegis Benedicto Petrucio Senenſi, & Michaele Reprando Maroſticenſi claris juris Civilis interpretibus, quorum tamen nihil extat. Nepotem ex Sorore nupta Patavii creditur habuiſſe Baldum (5) Bonifacium, qui ſe Plumbinum ſeu Plumbinatem dixit. Is dives ex avunculi hæreditate, cùm nullos ex uxore Sibylla de Cepto filios habuiſſet, quos hæredes faceret, conjuge conſentiente, imò etiam inſtigante pietatem inſtituit, ac vivens templum D. Franciſci majoris in ampliorem formam redegit. Noſocomium à fundamentis extruxit, quod deinde Sibylla dotavit, ſacellum, & annexas ędes ſocietati S. Marię, quæ à Charitate dicitur, donavit. Vir certè Patavio memorabilis, & in erogando magnificè ad pia opera patrimonio beneficentiſſimus. Scripſiſſe Barzum multa, quæ ſua ætate legerentur, annotat Porcellinus (6), & (7) Cotta, quos Salomonius (8) exſcribit, addens ex Pancirolo extare libellum Barzi geminum, alterum de *diſcuſſionibus*, alterum de *Guarentigia*. Sed Pancirolus primum Barzi Plumbinatis Opuſculum agnoſcit (9), librum Guarentigiæ Barzo Peruſino tribuit (10) qui Ferrarienſis Profeſſor jus Civile docebat declinante ſæculo XV. cum Barzus noſter obierit Patavii anno MCDX., humi poſitus in Baſilicâ Eremitanorum cum elogio 1410

Corpus humo, cœlis animam, famamque dediſti
Laudibus, & Legum Benedicte Monarcha fuiſti,
Nominis effectu radians virtutis imago,
Piſanus Civis, Plumbini clara propago.
Omnibus Italiæ Studiis tua lectio fulſit.
Publica dum legis hìc, tibi te Libitina revulſit.
Martia tunc orbi lux bis ſeptena nitebat,
Mille quater centum bis quinque annosque movebat.

XXIII. ANTONIUS à S. ANGELO, vulgo *Sanctangelus*, Patavinus, jus Civile interpretabatur in ſede veſpertinâ Patavii an. MCCCXCIV. teſte Mantua (11). Eo munere functus eſt, ſi credimus Porcinatio (12), & Pilumno (13) per annos ſex & triginta; cœperit- 1411

S que

(1) Vit. 50. Vir. Doctor. (2) Vit. Doct. in Ancharano. (3) Theatr. Vol. 2. p. 211. (4) Pancir. ibid. lib. 2. cap. 77. p. 175. nu. 98. (5) V. inferius. (6) Matric. 2. in not. (7) in recenſ. Juris DD. edit. Lipſiæ 1721. p. 526 (8) Inſcript. Gymn. (9) loc. cit. (10) d. lib. 2. c. 102. n. 158. p. 200. (11) nu. 7. de Vir. Illuſtr. (12) lib. 7. c. 5. p. 231. (13) hiſt. lib. 5. p 271.

que adeo an. MCCCLXXV. nam deceſſit in patria an. MCDXI. ex Panciroło (1) & documentis Gymnaſticis. Scripſit prolixam & doctam repetitionem, Commentario juſto parem in L. ſi inſulam ff. de VO. Alius eſt à Jo. Antonio, de quo, cùm nihil ſcripſerit, nihil habeo.

1412 XXIV. Tres nobis hiſtoria Salicetos Bononienſes proponit juris claros interpretes, Richardum, Bartholomæum, Jacobum; atque hic ad rem noſtram non ſpectat, cujus & neſcimus acta, & an alibi jus profeſſus ſit publicè, ignoramus, nec certò dicere poſſumus, fuerit ne Bartholomæi filius, an nepos, an agnatus ex traduce, quando tempus quo vixit nobis prorſus ignotum eſt, quibus non aliunde notus eſt, niſi ex reſponſo ejus, quod inter Joannis ab Imola reſponſa legitur ordine centeſimum quadrageſimum tertium. Ex eo vel alio ejuſdem generis ſcripto citatur à Cumano (2), notaturque per Pancirolum (3). Richardus quoque, qui primus inter Salicetos eſt, quamvis Patavii jura docuerit ab ann. MCCCLXV. mox Vercellis, ac diutius in patria, extra noſtri laboris penſum cenſetur: quippe qui vel nihil ſcripſit, vel quæ ſcripſit non edidit, mole negotiorum civilium oppreſſus, & curis publicis à ſcribendo deterritus. Bis enim Legatus pro patria in rebus graviſſimis fuit; primum ad Florentinos, deinde ad Joannem Vicecomitem Inſubriæ Principem, & Archiepiſcopum Mediolanenſem, ex quo rediens Bononiam Placentiæ deceſſit, ut ex Matthæo (4), Villano, & aliis tradit Pancirolus (5) videndus. Solus igitur BARTHOLOMÆUS SALICETUS propoſito noſtro relinquitur. Is Richardi ex fratre nepos (6), atque diſcipulus, Baldi ſynchronus fuit, quocum jus Civile profeſſus eſt primùm Bononiæ, undè exul, exceptuſque à Franciſco Carrarienſi juniore, jus idem magnâ nominis celebritate Patavii docuit (7) per annos quatuor ab an. MCCCLXXIII. quamvis non deſint qui referant (8) eum tunc obnoxium exilio, ac in urbe docere prohibitum, Jura fuiſſe interpretatum in ſuburbiis. Quod ſi verum, ſumma illa docendi celebritas, quæ Saliceto in Albis Gymnaſii noſtri tribuitur, non ad annos proximè ſignatos pertineat, ſed ad eos, quibus iterum Patavinas exedras illuſtravit. Nam bis eum Patavii profeſſum, certiſſimum eſt: primò exulem quadriennio illo, quod conſtat ex Albis Gymnaſticis, ſecundò ab an. MCDI., quo eum Brabeutis Candidatorum annumerant privilegia Doctorum nonnulla, quorum unum eſt, quod profertur à Tomaſino (9). Igitur Salicetus non ſolùm primo illo quadriennio Patavii docuit, ſed etiam poſt annos quindecim iterum. Nam poſtquam hinc digreſſus rediit in patriam, ibi vexatus iterum à ſeditioſiſſimis civibus, quibus licentia ſumma erat, flagrante peſtifero ſchiſmate, & factionibus Guelphorum, & Gibellinorum omnia ſuſdeque vertentibus, vel vi coactus, vel ſponte de ſeceſſu cogitavit, ac Ferrariam ſe recepit, ibi fertur (10) Alberto Ferrarienſium Principi auctor fuiſſe Academiæ publicæ inſtituendæ. In ea ipſe primus jus Civile (11) profiteri cœpit, juraque Municipalia Ferrarienſium ſanxit ab ann. MCCCXCI., tum rediit Patavum, atque hic in fine Sæculi XIV. quæ plurima ſcripſit, & recenſuit, & pleniſſimâ diſcipulorum frequentiâ publicè recitavit. Si credimus Porcellino (12) cataſtrophe Carrarienſium, quibus cariſſimus fuit, exterritus, inſalutato Gymnaſio, cum Henricum de Alano Dictatorem plebiſcito factum ad tradendam Venetis urbem vidit, Bononiam ſeceſſerit: ibi mortales exuvias poſuit ann. MCDXII. Ætat. 77. ut ex ejus epitaphio ad aram maximam templi D. Dominico ſacri palam eſt: ei hoc rude, & ineptum carmen præludit.

Hoc tumulo legalis apex, dulciſſimus ore,
Et Patriæ lux alma ſuæ, pietatis amator,
Juſtitiæque ſacræ clypeus, baculuſque cadentis,
Qui juvenis, multoque etiam venerabilis ævo,
Edocuit, ſuperavit eum nec pœna laboris
Scribendo & pariter juris nucleando tenebras,
De Saliceto requieſcit Bartholomæus.
Obiit MCDXII. Die XXVIII. Menſis Decembris.

Scripſit *Reſponſa* multa, quæ edita ſunt; *Commentaria in Codicem Juſtiniani* per annos octodecim ſummo labore perfecit ab anno MCCCLXXXII. ad an. MCD., ut ipſe (13) ſcribit, quo teſte 14), quæ impreſſa ſunt eo dictante, diſcipulus ejus Regienſis excepit. Ex his ejus celeberrimis lucubrationibus laudatur à Pancirolo (15) poſt Ficardum (16), & Mantuam (17), quorum judicio acutiſſimus Juriſconſultus fuit, qui ferè ſemper adverſùs

(1) lib. 2. c. 74. nu. 94. p. 173. (2) Conſil. 7. (3) de clar. Interp. lib. 2. c. 78. nu. 107. p. 177. (4) lib. 1. cap 65. (5) ibi. lib. 2. c. 76. n. 97. p. 174. 175. (6) Salic. in l. 13. q. 6. Cod. de non nu pecun. (7) Tom Gym. (8) Felin. in cap. Rodulphus num. 4. de Reſcript. Barbat. in c. Raynaldus. col. 4. de teſtam. (9) Gym. lib. 1. (10) Jacob. Philippus Bergom. in chron. apud Ficardum in Saliceto. (11) Pancir. de Clar. Interp. lib. 2. c. 78. n. 102. p. 176. (12) not. 30. in Matric. (13) in Princ. Cod. & in l. ult. Cod. de Jur. deliber. (14) in l. 34. in fin Cod. de donat (15) ibid. p. 177. (16) loc. cit. (17) n. 49.

ſùs omnium ſententiam opinatus eſt, & quidquid contra muſſitet Auguſtinus (1) Ariminenſis, Monarcha juris appellatur à Cumano (2).

XXV. FRANCISCUS Card. ZABARELLA gente Patriciâ, de qua, & ejus otigine 1417
Pancirolus (3), Patavii natus, ſummum decus & gloria Gymnaſii noſtri fuit deſinente ſæculo XIV. De eo varii varia, quæ ſi conferas in unum, in eas difficultates incides, quas non expediet, ut maximè laboret, hiſtoria, niſi certiſſimis ſacræ vetuſtatis inſiſtat. Hoc nos conabimur ex inſtituto noſtri operis breviter, & dilucidè ſecuti ſcriptum Vergerii, quo geſta tanti & magiſtri, & amici, & patroni ſui ad quandam chronologiam revocat. Ejus nobis olim à Salomonio conceſſi quandam analyſim dedimus in Miſcellaneis noſtris, undè hæc certa proponimus. Prodiit Franciſcus (4) in lucem Patavii, Ubertino Carrarienſi Regnante an. MCCCXL. A pueritia bonis artibus innutritus, Philoſophiam, & humaniorem literaturam coluit, quam elegantius latinè, & italicè ſcribere, loqui etiam ac diſſerere docuit, uſus inſtitutione Franciſci Petrarchę, ad quem ob idipſum itaſſe dicitur Arquadam ſæpiſſimè, à viro tanto libentiſſimè exceptus hoſpitio, ac dilectus mirificè. Rudimenta Juriſprudentiæ in patria didicit, plenam eruditionem Bononię præceptoribus Laurentio à Pinu, & Joanne Lignano (5) quos alicubi Doctores ſuos fuiſſe profitetur. Regreſſus in patriam annorum underviginta juvenis an. MCCCLXVIII. ibi lauream accepit, ſtatimque cœpit Decreta Pontificum interpretari. Decennio hìc docuit, atque inter diſcipulos habuit Nicolaum Abbatem Panormitanum, & alios, quos Vergerius (6) nominat, nec ad nos pertinent. Invitatus deinde Florentiam ad ejuſdem Canonici juris interpretationem, eò venit an. MCCCLXXIX. Triennio ibi profeſſus claruit adeo, tantique fuit apud Rempublicam Florentinam, ut mortuo ejus Antiſtite hunc illi ſucceſſorem elegerit, peregrinum licet, atque adhuc juvenem; nondum enim quadrageſimum ætatis annum exceſſerat. Nec tamen illi hæc dignitas niſi titulo tenus profuit, quippe temporibus ob teterrimum ſchiſma turbatis, alius ad eandem dignitatem, atque alius à jurgantibus inter ſe Pontificibus dictus eſt. Rediit ergo Patavium unà cum Petro Paulo Vergerio, quem Florentiæ diſcipulum præ reliquis dilexit, ac deinceps ad obitum uſque comitem familiatiſſimum habuit. Hoc teſte (7) titulo Epiſcopi Florentini retento, Archipresbyteri dignitate in patria contentus fuit: docuitque deinceps in Gymnaſio noſtro princeps inter Canonici juris Interpretes, manè ac veſperi, & in Patavino Juriſconſultorum Collegio venerabilis omnibus. Hinc intelliges, quid ferant, quæ ſæpe in Actis publicis, tum Lycæi Patavini, tum Epiſcopalis curiæ Patavinæ, rariſſimo exemplo, leguntur, ac modo Florentinum Epiſcopum Zabarellam Jura Canonica è ſublimiore loco in Gymnaſio explanantem proponunt, nunc Brabeutam in conferendis inſignibus (Promotorem dicimus) laureas conferentem oſtentant. Scilicet electus Epiſcopus Florentinus, tedux in patriam hæc agebat, eoque auſpice ipſe Vergerius præmia doctrinæ conſecutum ſe dicit (8) eo ipſo anno MCCCXCVII., quo facundiſſimâ oratione IV. Nonas Quintiles nuptias Ziliolæ Franciſci junioris filiæ cum Nicolao Atheſtino Ferratienſium Principe laudavit. Aliam quoque habuit Patavini Collegii nomine gratulatoriam ad Belflorem Carrarienſis ejuſdem nurum Patavium redeuntem. Notat Vergerius Franciſcum in illa Oratione palam vaticinatum Carrarienſium calamitates, earum cauſis expoſitis, cùm brevi paræneſi docuit, ſtare imperia Principum erga pares modeſtiâ, fide cum ſociis, obſequio potentiorum, ac reverentiâ. Nam biennio poſt, horum omnium contemptu, potentiſſimam illam familiam periiſſe funditus, ac Patavium in poteſtatem Venetorum veniſſe. In illa celebri tantæ urbis deditione, quæ plebiſcito ſancita, præeunte in populi verba Henrico de Alano, Franciſci collega, ac tunc Dictatore ad hoc ipſum creato, cùm de creandis Oratoribus ſexdecim, qui Venetias profecti ritu ſolemni Patavium dederent, ageretur, primus omnium Franciſcus Zabarella legationis illius dux, & choragus dictus eſt, iſque cum ſociis advectus Venetias, coram Senatu in foro ſedente pro tribunali Steno Veneto Duci partiæ Vexillum tradidit, fidemque publicam civium ſuorum Reipublicæ Venetæ ſplendidâ Oratione oppignoravit. Eam præ manibus habemus, dum hæc ſcribimus, datam à V.C. Jo. Dominico Comite Sanctino advocato fiſcali Patavii, qui hanc autographam putat. Redux in Patriam, re benè & utiliter geſta, cùm ex fuga & exilio Stephani Carrarienſis ſedes Patavina vacaret, ad hanc pleniſſimâ cleri ſuffragatione lectus eſt, quam tamen ille, Venetis morem gerens, modeſtiſſimè recuſavit, eâque animi conſtantia his adeo placuit, ut illi opulentum Prataleæ Sacerdotium, tunc, ut vulgò dicimus *commendatum*, conferendum curaverint. Hoc ille poſtea (9) dimiſit, ac Monachis, à quibus

(1) in addit. ad. Aug. Aret. de malef. Ver. ejus bona ſub n. 3. (2) Conſ. 138. (3) de Clar. Interp. lib. 3. c. 28. n. 38. p. 349 (4) Verg. Ep. de Vit. & mort. card. Zabarel. (5) Card. in Præf. Clement. (6) loc. cit. (7) d. epiſt. (8) loc. cit. (9) Tomaſ. Elog. L. 1. p. 4.

fuerat avulſum, reſtituit. Ipſe Romam à Bonifacio IX. accitus, ibi aliquandiu vixit, mox reverſus Patavium, & publicis prçlectionibus, quarum neque jus, neque dignitatem, aut titulum unquam dimiſit, & privato ſe otio mancipavit, quæque multa ſcripſit, & recenſuit, & edidit, vir animi recti, ſuaviſſimæ conſuetudinis, & vitæ caſtiſſimæ, domi parcus, foris largus in pauperes, familiaribus æquè ac diſcipulis ad virtutem exemplar, ac ſtimulus, ut ſcribit Vergerius (1). Hoc auctore, anno MCCCCX. à Balthaſſare Coſſa, qui ab obitu Alexandri V. ſe Joannem XXIII. Romanum Pontificem dixerat, evocatus Bononiam, antequam Patavio diſcederet, in actis publicis cavit, ſalva ſibi fore jura omnia, quibus ut Profeſſor Patavini Gymnaſii fruebatur, iiſque ſe, licet abſentem, uſurum per ſubſtitutos. Quò ſpectant, quæ diligentia docti & eruditi Adami Pivati curioſius obſervavit in adverſariis ſacræ Curiæ Patavinæ, in quibus nomine Franciſci Zabarellæ, & Epiſcopi Florentini, & Cardinalis abſentis inſignia Doctoratûs candidatis ſubſtitutus tradit vicariâ poteſtate, ſeu delegata. Tanta tunc apud noſtrates viri maximi auctoritas fuit, nec minor in aula curiaque Pontificis; cum Joannes ad Inſularum, quarum ad eam diem nudum titulum geſſerat, poſſeſſionem miſit, reque ipsâ Florentinum Epiſcopum creavit; retinuit autem apud ſe conſiliorum ſuorum, ac negotiorum omnium participem, quem Anno ſequenti MCDXI. in Senatum Purpuratorum patrum cooptavit, ac legatum à latere miſit ad Sigiſmundum Cçſarem, ut locus futuræ Synodo ad ſchiſma tollendum ex voto tanti Principis ſanciretur. Ad hanc legationem Franciſcus Florentiâ proficiſcens, adſeſſorem ſibi pro cauſis Eccleſiaſticis dirimendis Paulum Caſtrenſem conſtituit, ut ipſe Paulus (2) teſtatur: inde rebus omnibus ex utilitate univerſalis Eccleſiæ apud Imperatorem compoſitis, ad Synodum OEcumenicam Conſtantienſem venit, in qua ita ſupra omnes, virtute, doctrinâ, rerum agendarum prudentiâ & dexteritate palam enituit, ut, poſtquam Gregorius XII. ſponte abdicavit ſe, damnatuſque eſt Pſeudo pontifex Benedictus, Joanne XXIII. exauthorato propter ea ſcelera, quæ plena probatio promulgavit, ad ſedem ſacris Chriſtianis præfectam univerſæ Synodi votis deſtinaretur. Interceſſit mors importuna, ac triduo ante deſignatam eligendo Pontifici diem Franciſcum numero vivorum exemit Conſtantiæ Nonis Novembris anno MCDXVII., quem alii octogeſimum illi ætatis fuiſſe dicunt, Vergerius octavum & ſeptuageſimum aſſerit. Parentatum illi eſt ritu ſolemni, celeberrima pompa, quam auxit Sigiſmundi Cçſaris, & Synodi totius præſentia, immortalem fecit Oratio funebris Poggii Florentini, ut ea tulere tempora Oratoris eloquentiſſimi. Cadaver viri tanti in patriam Vergerius retulit, quod conditum eſt in templo urbis majore cum prolixa ſatis epigraphe, quam leges apud Pancirolum (3), Tomaſinum (4), & Salomonium (5). Franciſci Cardinalis Zabarellæ ſcripta hçc extant.

Commentariorum in Decretales & Clementinas Tomi VI.
Commentaria in Vetus & Novum Teſtamentum.
Conſiliorum Tomus I.
De Horis Canonicis liber.
De Schiſmate ſui temporis.
De Felicitate libri III.
Comment. in Decretum.
Repetitiones legum Variarum.
Opuſcula de Artibus liberalibus.
De natura rerum diverſarum.
Acta in Conciliis Piſano, & Conſtantienſi.
Volumen Orationum, & Epiſtolarum.

Orationes Italicas multas ab eo, & ſcriptas, & dictas refert Vergerius, totuſque in earum laudibus eſt. Ex his quinque vidimus. I. in funere Franciſci Senioris Carrarienſis. II. in funere Arcuani Buzzachareni Equitis. III. in Nuptiis Ziliolæ. IV. nomine Collegii Patavini ad Belflorem Junioris Franciſci nurum, cùm ad nuptias venit Patavium. V. ad Michaelem Stenum Ducem Venetiarum. In omnibus Archaiſmum notavimus, & Canoniſticam, ſi quidem ita fari licet, ſimplicitatem, ejus perpetuò ſatagentem, ut omnia locis paginarum Sacrarum opportunè importunè conſpergat per ſummam elocutionis, & artis incuriam.

CAPUT VI.

Ludovicus Cortuſius. Baldus Bonifacius Plumbinus. Raphael Fulgoſius. Raphael Cumanus. Albericus Advocatus. Leo de Lazara.

1418 XXVI. LUDOVICUM CORTUSIUM, Patritium Patavinum, & in vita doctrina, & in morte teſtamentum, ut fertur, ſatis ridiculè conditum celebrem faciunt. Natus nobiliſſimâ gente ad juris Civilis interpretationem acceſſit Profeſſor publicus

Patrii

(1) loc. cit. (2) in Auth. ad hæc Cod. de Judic. (3) ibid. p. 351. (4) Elog. lib. 1. p. 6. 7.
(5) Inſcript. Pat. p. 11. nu. 53. 54.

Patrii Gymnaſii circa an. MCCCLXXX. (1). Docuit per annos fermè XXXVIII. deceſſitque XIV. Kal. Auguſti an. MCDXVIII. Extremis tabulis hæc ab eo imperata traduntur (2): ut emortuali die ſuo in purpura, cultuque nitidiſſimo uxor vidua eſſet; ut præcedentibus quinquaginta Muſicis, Tibicinibus, ac Citharoedis quindecim, quibus aurei nummi dimidium ſingulis legavit, funus lætum, atque hilare duceretur à Cœnobitis omnibus, in quorum numero eſſe vetuit Eremitanos, ne horum pulla veſtis lætitiam funeris contriſtaret: feretrum ſubirent duodecim Virgines, veſtibus ornatæ verſicoloribus, quæ ſuavi voce cantus, & carmina pangerent, hiſque dotis præmium conſtituit: juſſit quoque eodem die parari convivium dapſile, in quo Agnati, Cognatique, & amici albati omnes accumberent. Si hæres contra feciſſet, eum bonis multavit, & exhæredem dixit. Hæc voluntas Cortuſii in dubium revocata fuiſſe dicitur (3), & pro variis Doctorum opinionibus damnata, receprave, ut leges apud Jaſonem (4), Romanum (5), Alexandrum (6), & Tiraquellum (7); facto tamen impleta comprobataque eſt. Er fortè non omnia hæc, quæ paſſim à ſynchronis traduntur Scriptoribus, complexa ſit. Nam Pancirolus (8) teſtis eſt, lecto à ſe teſtamento, nihil in eo præſcribi, niſi ut Muſici centum funus præcederent, quòd nobis in Cœlum euntibus lætandum ſit; utque in veſtibus nigris atrati famuli ſequerentur: cætera, quæ vulgò narrantur, aſſerit voluntate Cortuſii minimè juberi: Collegium ibidem, in quo legum ſtudioſi octo degerent, & alerentur, inſtitui, quod facto infectum fuit. Ita Pancirolus, ex quo novimus, Cortuſium centum funalibus accenſis, & aliis viginti Clero Patavino donatis, præeuntibus omnium Ordinum Cœnobitis, præter Eremitanos, quos ob cauſam occultam vetuit funeri ſuo intereſſe, ad ædem S. Sophiæ fuiſſe delatum, ibidemque fuiſſe ſepultum ſub hoc octaſtico non integro (9), & mendoſo.

Aſtra Ludovicus ſcandens hoc marmore clauſum
Me liquit buſtum, carcer & hujus eram.
Cognòmen Patavi conceſſit Cortuſiorum
Stirps, legum & Canonum dilucidavit Opus
Amborum miranda jura volumine parvo
Stant alphabetico nomine nota ſuo.
Ergo Galaſiæ radiat in Zona Mariæ
Funde preces piè. Obiit MCDXVIII. XVI. Kal. Aug.

Scripſiſſe dicitur luculenta *Commentaria in Matutinas legis Civilis prælectiones. Repetitiones doctas in l. Imperium, l. more. ff. de Juriſd. om. judic. in l. edita. Cod. de Edend. in l. precibus, Cod. de Ineff. donat.* Indicem quoque legum, quem *Repertorium* vocant. Legit hoc Pancirolus (10), eoque teſte novimus, fuiſſe inſtar Dictionarii ab Alberico de Roſate editi; nec tamen ita locuples: quare copioſioribus poſtea editis, frequentari deſiiſſe, Pancirolus idem exiſtimat, apud quem de ejus libris, & uxore Antonia Zacca plura leges ad rem noſtram non pertinentia, itidemque apud Scardeonium (11).

XXVII. BALDUS BONIFACIUS, Plumbinus dictus, non quòd Plumbino, quod 1420
oppidum diximus in Hetruria, eſſet oriundus, nam Patavinus & origine, & patria fuit, ſed quod Benedicti Plumbinatis, de quo actum ſuperiùs, nepos fuerit ex ſorore; Vir clariſſimus fuit, adulto jam ſæculo XV. profeſſuſque jura Civilia in hoc noſtro Gymnaſio, acutiſſimus eorumdem interpres habitus eſt an. MCCCLXXX. nec impar collegis celeberrimis Angelo Ubaldo, Arſendino de Arſendis, Ottonello Diſcalcio Seniori, Benedicto Petrucio, & Ludovico Lambertacio. Franciſco Carrarienſi juniori cariſſimus fuit, à quo legatus ad Galeatium Vicecomitem Inſubriæ Principem miſſus Franciſci ſenioris in cuſtodiá defuncti corpus dari filio ad ſepeliendum facundis precibus impetravit, quemadmodum loquitur Scardeonius (12). Ditiſſimum fuiſſe & notavimus obiter alibi, & hic opportunè notamus ex Porcellino (13), Petro Soncino (14), & Pignorio (15), quorum teſtimonio hæc opum illi copia obvenerit, cum ex hæreditate præpingui Benedicti avunculi, tum ex gratiá Principis, apud quem diu admodum potuit, tum verò ex aſſiduis patrociniis in foro: quippe patronus cauſarum fuiſſe aſſeritur facundiſſimus, ſed & juſtitiæ (16) in cauſis

S 3 acti-

(1) Tom. Gym. lib. 2. c. 1. p. 134. (2) Scard. lib. 2. claſ. 8. p. 172. (3) P. Caſtr. l. pen. ff. de condit. Juſt. l. 5. Cod. de his quib. ut indig. Jaſon in l. 9. n. 4. Cod. qui teſtam. fac. poſ. (4) in l. apud Julianum § ult. n. 6. ff. de leg. 1. (5) in l. 1. col. 6. ff. de VO. (6) l. 22. §. 7. ad. Fin. ff. ſolut. matrim. (7) de Nobilit. c. 31. n. 505. (8) de Clar. Interp. lib. 2. c. 79. nn. 108. 98. (9) Vid. Salom. Inſcript. Pat. p. 275. nu. 23. (10) loc. cit. (11) lib. 2. Claſſ. 8. p. 171. 172. (12) lib. 2. Claſſ. 8. (13) ad Matric. not. 16. (14) ad Rub. lib. I. Cod. (15) Ep. ad Domin. Molin. de ſua Biblioth. (16) Pignor. ibid. Salomon. Inſcript. Gymn.

actitandis, & largitatis erga pauperes, ac pia loca tantæ, ut & Fiſci iniqua petentis, quamvis juſſus à Principe patrocinium ſuſcipere detrectaverit, & opulentum patrimonium liberaliſſimè piis ædificiis impenderit. Nam ut habet marmor affixum parieti S. Mariæ à Charitate, hujus clariſſimi viri, & conjugis Sibyllæ à Cepto ſumptibus, non ſolùm noſocomium S. Franciſci erectum Patavii, dotatum, ornatumque eſt, verùm etiam templi fabrica cum ædibus & porticibus extructa; ſacellum quoque Charitatis cum annexis domibus pariter abſolutum, ac ſocietati illi donatum eſt; extantque hæc omnia etiamnum bono publico addicta, & egeſtati, tum civili, tum peregrinæ ſervientia. Floruit Baldus initio ſæculi XV. ſub poſtremo Carrarienſi maximè, eum tamen vixiſſe ad annum ſaltem MCDXX. deprehendimus ex inſcriptione ad ędes S. Mariæ à Charitate apud Salomonium (1), Scripſiſſe fertur *Conſiliorum Volum. III. Orationumque de rebus variis ad negotia publica pertinentibus*: harum ſexdecim habuiſſe ſe in ſuo Muſæo, *Reſponſorum* verò *Volumen alterum* ſcribit Pignorius (2).

1409. XXVIII. RAPHAEL FULGOSIUS, Placentinus, notiſſimus, ac celeberrimus ſæculo XV. Juriſconſultus, diſcipulus fuit, & auditor aſſiduus Nicolai Spinelli (3), ſoliti eum ob ſegnitiem reprehendere, ut alibi diximus, & Chriſtophori Caſtilionei, de quo vide quæ magnificè ſcribit poſt Ficardum (4), Mantuam (5), & Pancirolum (6), Ghilinus (7). Hunc audiviſſe videtur, tum in patriâ, tum Parmæ, atque in alterutrius urbis Gymnaſio laborum præmium laurum Juriſprudentiæ retuliſſe, Exinde docere cœpit primùm Ticini, accitus à Jo. Galeatio Mediolanenſi Duce. Eo munere cum laude per ſex annos defunctus, docuit aliquandiù in patriâ, undè grandi ſtipendio à Venetis evocatus Patavium eſt, ubi antagoniſtas habuit Petrum Alvarotum, & Jo. Franciſcum Capiliſtium, doctores ea tempeſtate clariſſimos. Extat (8) Senatuſconſultum datum an. MCDVII. XIII. Septembris, quo, cùm conducendi majore ſalario Doctores *famoſi* decernuntur, primus inter hos nominatur Fulgoſius, qui eo anno, certè non diù poſt annum illum, in hoc noſtro Gymnaſio profiteri cœperit, collega Raphaele Raymundo, de quo ſtatim, ad annum vigeſimum ejuſdem ſæculi, quo, creſcente in Italia peſte, docere cum ſocio Raphaële deſiit, ut Alexander Tartagnus annotat (9): vixerit attamen diutius, tandemque Patavii deceſſerit, quippe jacet nobili ſepulcro contectus in Antonianâ Baſilicâ, ſignaturque hoc epitaphio ſatis inepto (10),

Fulgoſius Raphael virtutum jaſpis, utroque
Jure ſtupor tantus & fama quantus & Orbis.
Scriptis morte vacat, tam parvo clauditur antro.

Melius hoc Epigrammate.

Emeritæ prædigna gerens cognomina laudis,
Fulgoſius Raphael clauditur hoc tumulo.
Conſuluit nemo meliùs, fulſitque docendo
Cæſareas leges, juraque Pontificum.
Claruit eloquio, quem blanda Placentia forma
Et genere inſignem, mente piumque tulit.
Corpus hic in pace quieſcit.

Quo anno mortalis eſſe deſierit, non conſtat; conſtat ex epigraphe ipſi ſuperſtitis uxoris ejus, quam leges (11) in templo S. Nicolai ſaro ſunctam an. MCDXXXIX. eum ante illum annum inter vivos non fuiſſe. Sed ex eadem epigraphe convincitur error eorum, qui tum in textum (12) Raphaelis, & ex eo in ſcripta Jaſonis (13) invexere, uxorem ejus primam Joannam è Beccariorum familiâ Ticinenſem fuiſſe, cujus obitu dotem lucratus ſit: patet enìm ex hoc lapide Joannam de Beccaria ipſi Fulgoſio fuiſſe ſuperſtitem. Id ipſum validiùs confirmatur ex autographis (14), quæ nobis nuper exhibuit vir doctus, & in Collegium Theologorum Gymnaſii noſtri olim adlectus

(1) Inſcript. Pat. (2) loc. cit. (3) Alciat. Orat. habita Avenione. (4) in Chriſtoph. Caſtilion. (5) n. 76. de Vir Illuſtr. (6) de Clar. Interp. lib. 2. c. 80. n. 109. p. 279. (7) Theatr. Vol. 1. p. 202. (8) apud Tomaſ. Gym. lib. 2. c. 5. p. 19. 20. (9) apud Hier. Pravidellum de peſte P. ult. c. 21. (10) V. Salom. Inſcript. Pat. p. 377. n. 102.
(11) Apud Salom. ibid. p. 126. n. 30. (12) in l. 1. Cod. de Sum. Trinit. & fid. Cath. (13) in d. l. 1. lectu. 2. n. 60. cod.
(14) ex libro 13. Tabul. Patav. p. 353. 356. lib. 24. p. 197. 198.

lectus felix Minatus S. Nicolai Rector. Sunt autem tabulæ ipſæ poſtremæ ipſius Fulgoſii an. 1427. hæredemque faciunt Joannam de Beccaria uxorem: quæ mox an. 1431. poſt obitum viri novâ ſtipulatione ratam habet ſocietatem à viro defuncto initam cum quodam Collectario. Undè colligimus, & Joannam viro fuiſſe ſuperſtitem, & Raphaelem intra annum 1431. inter mortales eſſe deſiiſſe. Porro Fulgoſius Juriſconſultorum ſui temporis fuit acutiſſimus, acrique judicio ingenioque præditus veterum opiniones impugnare ſolebat. Laudatur à Ficardo (1) & Mantua (2), & Pancirolo (3), ſed & reprehenditur vehementer, quod Caſtilionei præceptoris ſui ſcripta non edita cum condiſcipulo Raphaele Raymundo diviſerit; atque in ſocietate plagii inter ſe turpiter inita cùm Patavii unà profitebantur, parum grato erga Magiſtrum animo ea ſibi attribuerint imprudenter: recipit hoc utriuſque crimen Pancirolus (4) ex Jaſone (5), quod tamen mihi neque credibile eſt, ut ſit non tanti eſt in Jureconſuito, in quo crimen hujuſmodi,

Defendit numerus, junctaque umbone phalanges.

Præclara in jus Civile Commentaria reliquit, ac reſponſorum Volumen, ut annotat Pancirolus (6). Ea his titulis typis edita ſunt.

Opera Buleutica, ſive Controverſiarum & Quæſtionum Decades IV.

Conſilia poſthuma Criminalia, Feudalia, Teſtamentaria.

In Codicem Commentaria.

In I. & III. Volumen Pandectarum.

XXIX. RAHPAEL CUMANUS ita dictus, quod eſſet Novocomenſis ex Raymundorum familia nobiliſſima, peramicus & condiſcipulus fuit Raphaelis Fulgoſii. Ambo 1424
Ticini navarunt operam Juriſprudentiæ ſub eodem præceptore Chriſtophoro Caſtilionæo, cujus doctiſſima commentaria plagio diripuiſſe, atque inter ſe diviſiſſe paſſim accuſantur (7), imo & damnantur injurioſè. Fuiſſe hunc celeberrimum Juriſconſultum non minus acuti, quàm Fulgoſius ingenii tradunt Juriſconſultorum Biographi, conatumque (8) pari cum Fulgoſio auctoritate novas in legum explanationem ſententias invehere. Docuit diu Patavii, ac docere unà cum Fulgoſio deſiit creſcente (9) in Italia peſte an. MCDXX. Hunc tamen iterum quas intermiſerat prælectiones Patavinas fuiſſe profeſſum, conſtat ex ejus reſponſis, ex quibus colligit Pancirolus (10) eum inter mortales fuiſſe an. MCDXXIV. an diutius vixerit, nullo teſte legitimo conſtitui poteſt, quamvis eum Tomaſinus (11) ad an. MCDXLVII. protrahat ex arbitrio, ut ſolet, cum de Profeſſoribus priſcis perturbatiſſimè ſcribit. Obiit certè Patavii, atque adeo ad obitum uſque militavit Gymnaſio noſtro. Sepultus eſt in Baſilica D. Juſtinæ ad latus dexterum ſacelli D. Proſdocimi, ubi ejus epitaphium Pancirolus legit, quod mox cum Sepulcro tranſlatum ad ſacellum D. Danielis M. in eadem Baſilica ſic legitur apud Salomonium (12).

Raphael hic ſitus eſt antiqua ab origine patrum,
Qui quondam gemini glo ia juris erat.
Hunc Raymunda domus, hunc Comum patria luget,
Hunc ſibi præreptum flet ſtudioſa Cohors.
Flet ſemper, quoniam talem vix priſca tulerunt
Sæcula, nec ſimilem fortè futura dabunt.

Filium ſuperſtitem reliquit moriens Benedictum Raymundum clarum Juriſconſultum eodem ſæculo. Is annos XXX. docendo impendit, paucos quidem Bononiæ, Patavii verò reliquos ab an. MCD·XLVII. An Filius aliquid ediderit, ſcripſeritve, neſcimus; quæ Raphael Pater edidit hæc ſunt Juriſperitis notiſſima.

Commenta in Pandectas & Codicem.

Volumen Reſponſorum, ex quo ad auctoritatem ſępe producitur.

XXX. ALBERICUM ADVOCATUM, vulgò *Avogadrum*, Bergomatem, publicum 1424
Profeſſorem legum in Patavino Gymnaſio Calvus in Scena (13) literaria jactat: cui ſomniare ſolito, tacentibus, quæ videre licuit, monumentis Gymnaſticis, nefas eſſet fidem præſtare, ni idipſum ex vetuſtiſſimis Profeſſorum Catalogis, ac Lignaminei ſcriptis ad Cęnobium S. Auguſtini pertinentibus obiter annotaſſet improbus labor Jacobi Salomonii (14), ex quo hæc damus. Albericus Avogadrus nobilis Bergomas, Alberici Roxia-

(1) in Fulgoſio. (2) n. 213. (3) ibid. lib. 2. c. 83. n. 129. p. 181. 182. [4] loc. cit. & c. 81. n. 116. p. 180. [5] in l. 1. ff. de pactis. [6] ibid. [7] Jaſon. in l. 1. ff. de Pact. Pancir. ibid. lib. 2. c. 82. n. 116. p. 80. [8] Pancir. ibid. p. 181. Ficard. in Raphaele utroq. [9] Prævidell. de peſte P. ult. c. 28. [10] d. p. 181. [11] Gym. lib. 1. c. 2. p. 237. [12] Inſer. Pat. p. 433. n. 31. [13] Par. I. p. 190. [14] Inſcript. Gymn.

Roxiatæ nepos, parem ſe avo celeberrimo inter ſui temporis I. C. oſtendit in legibus è ſede Gymnaſtica pertractandis. Has decennio Patavii docuit ab an. MCCCLXXXVI. ad Annum MCCCXCVI. ducta bis uxore Patavii Alba Chechilea, & Alba Trapolina. Cœpit deinde, hac quoque fatis ereptâ, ingenti animi ægritudine premi, quòd ſenſim apud diſcipulos malè audiret, ac palam derideretur, ob uxoris ſecundæ, quæ dudum obierat, non integram famam. Eá mǫſtitia ita refert affectum fuiſſe, ut diu decubuerit, nec ante ſanitatem recuperaverit, quàm voto nuncupato, quo ſe Religioni cuipiam ex approbatis obligatum dixit. Addit, repentè recepiſſe ſe in cœnobium D. Auguſtini, undè Venetias miſſus inter fraterculos laicos Dominicanæ familiæ ad DD. Joannis & Pauli fuerit receptus, quippe ſacris ordinibus minimè idoneus ex vitio Bigamiæ. Hactenus Salomonius, qui diſſimulat cætera iis contentus, quæ ex Gymnaſii priſcis inſcriptionibus, Albericum virum fuiſſe doctiſſimum, pientiſſimum, & non minorem Juriſconſulto Theologum, & Concionatorem, probant. At Calvus his ipſis, vel ex parte neglectis, vel propoſitis aliter, proſequitur acta hominis reliqua, & Monachus, inquit, factus, Jacobum ſe nominavit ex Alberico; nec diu inter Dominicanos fuit. Nam exoſus mores ſociorum, quos fruſtra niſus eſt emendare, impetratâ veniâ, ad Regularium Canonicorum Lateranenſium ordinem ſarcinas tranſtulit, & in Cœnobio Frigionariæ agri Lucenſis arctiorem D. Auguſtini regulam profeſſus eſt. Vitio quoque Bigamiæ ſolutus, Gregorio XII. annuente, initia ordinum accepit an. MCDVI. quo itidem iniit munus ſacri Præconis, ac potens opere, & ſermone totam propè pervagatus Italiam annos integros quindecim ſanandis animorum morbis, revocandiſque ad pietatem, ac ſtudium æternæ ſalutis Chriſtianis impendit. Mortalitatem expleviſſe creditur an. MCDXVIII., ut annotat Calvus, ſed certum eſt eum ad an. MCDXXIV. pertigiſſe, cùm in ſcriptis meminerit ſuis Baſileenſis Concilii, quod non ante illum annum coactum eſt. Scripſit

Comment. de legibus Cæſareæ Majeſtatis, juxta earum vim ubique ſervandam.

Tractat. rerum Theologicarum, complectentem omnia, quæ dicta ſunt à DD. pro uſu Theolog. in praxi.

Librum I. piorum Hymnorum de D. Auguſtino.

1424 XXXI. LEO DE LAZARA, Patriciâ, & ab ultima ſtirpe nobiliſſimâ gente Patavii natus, equeſtribus ornamentis inſtructus ad publicas venit patrii Gymnaſii ſedes Profeſſor juris Civilis circa an. MCDXXIV. ut ex apoſtilla ad Scardeonium (1) licet conjicere. Idipſum habet Tomaſinus (2), ex quo Leo Canonicus Patavinus fuerit, ac jus Civile docuerit, inſignia verò equeſtris Ordinis receperit (3) à Friderico III. Patavii cum aliis Patavinę nobilitatis proceribus. Hinc erraverit Riccobonus (4) & ex eo Portinarius, qui Leonem de Lazara ad an. MDXL. referunt, & collegam dicunt Arcuani Buzzachareni, quem conſtat è vivis ereptum anno proximè ſignato, ita teſtante ipſo Portinario (5). Et alioqui clarum eſt ex Angelo (6) Caſtrenſi intra ſæculum XV. non ſine laude Leonem appellante, eum ad ſæculum XVI. minimè pertinere. Scripſiſſe dicitur multa, quæ poſterorum incuria perierint. Pignorius (7) fragmentum habebat Commentarii ab eo editi *ad Rubricam de Legibus Pandectarum, & ad Rubricam Codicis de Epiſcopali Audientia*. Mantua (8) eundem producit ad teſtimonium ex Commentario in primam Digeſti partem, & patrum ſuorum tempore Doctorem maximum vocat, atque Equitem Illuſtriſſimum.

CAPUT VII.

Joannes Imolenſis, Paulus Caſtrenſis, Laurus Palatiolus, Iulianus Card. Cæſarinus.

1435 XXXII. JOANNES AB IMOLA, ex Portinario (9) inter claros Gymnaſii noſtri Profeſſores referendus eſt. Idem aſſerit Pancirolus (10), ex quo idipſum confirmat Tomaſinus (11), & alii. Plerique eum Imolę (quę olim forum Cornelii, undè hoc nomine appelletur, diſces ex Blondo (12)) natum dicunt humillimo genere, cui agnomen defuerit, atque adeo agnominis loco ceſſerit patria; alii natum quidem Bononiæ putant

(1) ad p. 175. (2) Gym. lib. 2. c. 2. p. 235. (3) idem in addit. in librum 9. p. 496. (4) lib. 1. Gym. c. 14. p. 20.
(5) Portin. lib. 7. c. 5. p. 237. (6) conſ. 50. (7) Ep. ad Molin. de ſua Biblioth (8) Obſervat. lib. 3.
(9) lib. 7. c. 4. p. 224. (10) de Clar. Interp. lib. 2. c. 88. n. 131. 0. 185. (11) Gym. lib. 2. c. 2. p. 235.
(12) lib. 8. Decad. 1.

putant, oriundum attamen Imolâ originis nomen retinuiſſe, quò non honeſta natalia contegeret. Primùm Peruſiæ (1) Angeli Ubaldi diſcipulus fuit, deinde Bononiæ Franciſcum Ramponum (2), & Antonium (3) de Butrio audivit, denique Patavii Cæſarei juris interprete Benedicto (4) Plumbinate, Canonum verò Doctore Petro (5) Ancharano uſus eſt, ſub quibus ſtudiorum tyrocinium depoſuit, ſtatimque ab acceptis doctrinæ inſulis profiteri Patavii cœpit, jam tum tanti nominis Juriſconſultus, ut omnes ſui temporis legum Profeſſores ſuperaſſe videretur. Hinc à Nicolao Areſtino Ferrariam accitus Gymnaſium illud mirum quantum auxit. Si credimus Porcellini (6) notis, & Prolegomenis (7) Sanſoni, trecenti illum abeuntem Patavio Ferrariam diſcipuli comitati ſunt, ſexcenti ad eum Ferrariam advenerunt Bononiâ, cujus Gymnaſium tunc cœpit manifeſtiùs deſtitui, dilapſis aliò diſcentibus ob legem latam, ne quis non Civis Bononienſis profiteretur Bononiæ. Ergo poſt annos aliquot iniqua, & imprudens illa ſanctio reſciſſa, primuſque, poſtquam illa abolita eſt, magno ſtipendio ad legum interpretationem invitatus Joannes venit, ac Gymnaſium reſtituit. Fertur autem unâ alteràve prælectione habita, eaque damnoſo illo decreto revocato, deceſſiſſe Bononiæ. Sed hoc jure multis refellit Pancirolus (8), ac ex eo præſertim, quod conſtat, ejus diſcipulos fuiſſe Bononiæ Ludovicum Romanum, Alexandrum Tartagnum, Marianum Socinum, & Angelum Aretinum, quibus Mantua (9) Barbatiam addit. Quamobrem verius eſt, eum ibi diu docuiſſe, ibi ædibus ejus incenſis, eoque incendio ſcriptis ſuis omnibus abſumptis, illa eadem ſcripta magna ex parte laborioſiſſimè reparaſſe (10). Dicitur enim laboris, ſtudiique pertinaciſſimi amantiſſimus fuiſſe, faſſus etiam idipſum aliquando. Nam interrogatus à Franciſco Murcia (11): *An multum in diſcendo elaboraret*, reſpondit: *ſe nocturnis vigiliis, matutiniſque ſtudiis non contentum, etiam ſtatim poſt ſumptum cibum, ac plerumque in ipſo prandio, poſthabitâ ſalutis curâ, Jurium lectioni vacaſſe.* Addunt Romanus (12), & Jaſon (13), quamvis memoraret ſe, ne tempus tereret, ex libro menſam feciſſe ſæpiſſimè, non tamen ob id Imolenſem evitare potuiſſe; quin de Jure aliquandoque interrogatus, obmuteſceret. Id enim illi accidiſſe non ſemel, ajunt, nullo gloriæ diſpendio: quippe & vivens, & poſt obitum inter Principes Juriſconſultorum numeratur. Matthæus Garibaldus (14) Mopha Cherienſis Juriſconſultus, & ex eo Quænſtedius (15) tertium Joanni à Bartholo locum aſſignant, aſſeruntque, quod verum eſt, utrumque Jus ſuis divinis Commentariis ſic illuſtraſſe, ut quidquid boni Alexander, Jaſon, cæterique recentiores congeſſiſſe inveniuntur, id, ut plurimum, Joanni ab Imola communi præceptori acceptum ferre teneantur; quippe qui, & in conciliandis legibus ingenioſiſſimus, & in rationibus perveſtigandis omnium ſit diligentiſſimus. Vivere deſiit Bononiæ Eugenio IV. Pontifice, Sigiſmundo Imperatore, XII. Kal. Martii anni MCDXXXV. ut habet Ficardus (16), melius an. MCDXXXVI., ut alii cum Pancirolo (17), & Boiſſardo (18), ex quo ſi placebit, refelles & Pancirolum & Ficardum, ſcribentes ad D. Dominici ſepultas Joannis exuvias: Jacent enim, inquit, in Periſtylio templi S. Benedicti, unà cum cineribus Martini Syllimani ſub epigraphe planè ethnica, quam mendoſiſſimè per Freherum (19) propoſitam, ut vix poſſit intelligi, ſic emendatè, ut à Pancirolo ſignatur, proponimus.

D. M. S.
Joannis de Imola Pontificii Cæſareique Juris conſulti
Oſſa in ſuppoſito Gariſendorum ſepulcro quieſcunt.
Mimus Gariſendus Legum & ipſe Interpres
Æmiliæ ſuæ Conjugi fecit.

Edidit. *Super tribus libris Decretalium libri III.*
Super Sexto Decretalium ſeorſim liber I.
Super Clementinis liber I.
Super Digeſtum Infortiatum libr. XIV.

XXXIII. PAULUS CASTRENSIS, ſeu DE CASTRO, neque Hiſpanus fuit, neque 1438
ex illuſtri Caſtriorum in Hiſpania gente oriundus, ut Salomonius (20) exiſtimavit, ſed Caſtri, quod oppidum eſt Faliſcorum, natus infimâ ſtirpe pari cum coævo Imolenſi natalium humilitate, nec agnomen quidem habuit, ſed hoc ex una patria mutuatus eſt, vir

(1) Imol. in l. 1. § 2. ff. de VO. (2) Imol. in l. 33. in fin. princ. ff. de Donat. Jaſ. in l. 40. ff. de pact. in fine. (3) Imol. in l. pen. §. 1. ff. de publ. Judic. (4) Imol. in l. 1. in princ. ff. de VO. (5) Idem. in l. 2. in princ. ff. de VO. (6) ad Matric. Profeſſor. [7] ad Diarium. [8] d. p. 185. [9] num. 142. de Vir. Illuſtr. [10] Imol. in l. ult. ante n. 10. ff. de hered. inſtit. [11] Pancir. loc. cit. & p. 186. [12] Sing. 261. [13 in l. 2. n. 6. Cod. de eden. [14] in Method. Studior. lib 1. c. 13. [15] Dialog. de patriis Vir. Doctor. [16] in Jo. Imolenſi. [17] d. p. 186. [18] Vit. 50. Vir. Doctor. [19] Tom. 2. p. 792. 2. [20] Inſcript. Gym. ex Lignamineo.

vir planè Hetruſcus. Egeſtate coactus apud Baldum ſcribæ, aut amanuenſis officio functus eſt, & quæ ſubtiliora notabat, ſibi ſepoſuit: hoc ex paupertate conſecurus, quòd cum librorum ſibi copiam comparare minimè poſſet, legibus ipſis inhærens candidiſſimam ſibi, & enucleatam, eòque doctam magis, quò magis ſimplicem, & ingenuam Juriſprudentiam ex ipſis fontibus conciliarit. Avenione Doctoris inſignia recepit, atque ibi per annos (1) octo moratus, Reſponſa fermè centum, & triginta ſeptem edidit (2). Mox Franciſci Zabarellæ Florentinorum Antiſtitis, ac deinde Cardinalis Adſeſſor, & ut loquimur, Auditor (3) fuit, ſeu Delegatus, ut ipſe ſcribit. Docuit deinde Senis, Bononiæ, Florentiæ, ubique Juriſconſultus ævi ſui primarius, habituſque inter Juriſconſultos maximus, præſertimque apud Florentinos, apud quos tantæ fuit auctoritatis, ut eorum (4) Jus municipale penè non legiſlator inſtauraverit. Ibidem decreto Romani Pontificis vicaria in rebus ſacris poteſtate functus eſt, quamvis uxorem duxiſſet nomine Petram, & ex ea filios haberet. Accitus Patavium, hic profeſſus eſt ab an. MCDXXXI. collega primum Angeli Perilii Peruſini, deinde Joannis (5) Franciſci Capiliſtii, ut refert Riccobonus (6), & ante hunc Pancirolus (7). Obiiſſe eum tradit Ghilinus (8) an. MCDXXXV. id mutuatus à Ficardo (9): Mantua floruiſſe eum dicit biennio poſt, eodem cum Imolenſi tempore. Sed verius eſt ſaltem triennnio ſuperſtitem fuiſſe Imolenſi, adeoque non ante an. MCDXXXVIII. deceſſiſſe planè decrepitum, ut Corvinus (10) notat, adſtipulaturque Pancirolus (11). Sepultus eſt Patavii in templo Servorum, ubi Nicolaus ejus nepos ex Angelo filio Comes, & Canonicus Patavinus, atque Apoſtolicus Cubicularius, magnificum ipſi, & patri monumentum erexit cum elogio, quod prolixius, quàm ferat inſtitutum noſtrum, leges apud Salomonium (12), quemadmodum, & quæ de ejus icone Arimini refert, ac reprobat Pancirolus (13). Opera Pauli Caſtrenſis notiſſima ſunt.

Comment. in I. & II. Partem Infortiati.
In Codicis Partem II.
In Digeſti Novi, & Veteris I. & II. Partem.
In Pandectarum & Codicis Titulos.
In Inſtitutiones.
Avenionicæ Prælectiones in Titulos quàmplures.
Conſiliorum Volumina III.
Opus Conſiliorum in duo Volum. diviſum.
Singularia.

XXXIV. LAURUS PALAZZIOLUS, Patavinus, Juriſconſultus clariſſimus, nondum
1438 declinante ſæculo XV. nobili genere natus, ætatem omnem interpretationi publicæ legum impendit. Floruit (14) eodem tempore, quo Caſtrenſis docebat Patavii. Scardeonius (15) eum biennio protrahit; meminere Riccobonus (16), & Tomaſinus (17), & alii. Edidit cultiſſimam Repetitionem in *l. Pacta conventa ff. de Contrahen. Empt. Annotationes Feudales. Repetitionem legis in quorum ff. de Pignor. & in §. caterum. Inſtit. de ſucceſſio. Agnat. Tractatum celeberrimum in Statutum, ut exiſtentibus maſculis fœmina non ſuccedant*, quem unum ex hujus Operibus celebrat Pancirolus (18). Alia quoque ſcripſiſſe dicitur, quæ fortè perierint, cum à nemine nominentur. Quo anno vivere deſierit, nuſquam deprehendimus. Ad epocham noſtram ſupererit, quod ſignavimus, eo tempore floruiſſe, quo Paulum Caſtrenſem obiiſſe proximè diximus.

XXXV. JULIANUS CÆSARINUS (19), S.R.E. Cardinalis, vir familiæ ſplendore,
1444 doctrinâ, rerum experientiâ, atque ardore orthodoxæ religionis XV. ſæculo celeberrimus, omnium ſcriptorum, qui de ejus geſtis egere, teſtimonio Juriſprudentiam in Patavino Gymnaſio publicè docuit; ejuſque auditor fuit, qui mox Collega, Dominicus Capranica Cardinalis tunc admodum juvenis, at miro accenſus ardore diſcendi. Julianus ex Protonotario Apoſtolico, & Referendario Rotæ Romanæ Auditor à Martino V. Diaconus Card. S. Angeli in foro Piſcium renunciatus eſt an. MCDXXX. Ab eodem provectus ad Titulum S. Sabinæ legationem obiit infeliciter in Bohemia, non ſanè ſuâ culpâ, ſed ſiniſteritate fortunæ, atque improviſis rerum eventibus, ut late probat Joannes (20) Cochlæus. Legatus a Martino Baſileam miſſus, ibi Synodum indixit, cui etiam præfuit translatus ad Tuſculanum Epiſcopatum ſub Eugenio IV., à quo cùm comperiſſet Synodum illam palam deſciſcere, atque etiam de eo agere, ut Eugenio Pontificatum abrogaret, Romam redut. Eum gratus Pontifex auxit Groſſetanæ reditibus Eccleſiæ, cumulatumque pluribus opulentis ſacerdotiis Legatum à Latere in Græciam miſit ad Palæologum, apud quem tantum gratiâ, & auctoritate valuit, ut illum cum Patriarcha, & Græcis Patribus ad Synodum Ferrarienſem attraxerit: in qua, & Florentinâ quanto ſapientiæ, ac virtutis

(1) Paul. Caſtr. in l. 1. Cod. de Juriſd. omn. Judic. (2) Idem ant. Conſ. 335. Vol. 1. (3) Idem in Auth. ad hæc ant. n. 3. Cod. de Judic. (4) Idem in l. 1. ſub num. 4. Cod. de inoffic. dotib. (5) Fortun. in l. 29. §. 10. ff. de liber. & Poſthum. init. (6) Gym. lib. 1. c. 12. (7) de Clar. Interpr. lib. 2. c. 89. p. 187. (8) Theatr. Vol. 2. p. 208. (9) in Paulo Caſtr.
(10) Conſ. 304. o. 19. lib. 3. (11) loc. cit. (12) Inſcript. Pat. p. 469. n. 20. (13) ibid. p. 189. (14) Pancir. ibid. p. 189. (15) lib. 2. Claſ. 8. p. 176. (16) lib. Gymn. c. 12. p. 17. (17) Gym. lib. 2. c. 2. p. 237. (18) d. p. 189.
(19) V. Oldoin. ad Ciacc. Tom. 2. p. 861. 863. (20) hiſtor. Uſſitar.

tutis robore cum Photianis depugnaverit, lectis Concilii Florentini Actis, agnoſces; nec dubitabis, quin eum inter Italos Doctores doctiſſimum fateare; id quod prædicat Cardinalis Beſſario (1). Poſt eam Synodum peractam ab eodem Eugenio Legationem ad Ladislaum Poloniæ & Pannoniæ Regem obeundam ſuſcepit, eumque ad bellum adversùs Amurathem Turcarum Imperatorem impulit. Interſuit prælio Varnenſi, in eoque, deletis Chriſtianorum copiis, cæſoque ipſo Rege Ladislao, ipſe quoque interemptus occubuit an. MCDXLIV. IV. Idus Novembris Ætatis XLVI. Tribus ſagittis confoſſum inter fugiendum refert Æneas (2) Sylvius. At Cochlæus (3) eum fugâ evaſiſſe ſcribit, ſed in fugâ, dum in lacu aquæ potu equum recreabat, agnitum à Chriſtianis latrunculis, ratis ingenti inſtructum pecuniâ fuiſſe mactatum. Fertur fuiſſe honeſtâ facie, ſtaturâ procerâ, ingenio excelſo, & planè Romano, eloquentiâ ſingulari, moribus nitidiſſimis, verſatuſque accuratè in Gymnaſiis, planèque Civilis divinique juris ſcientiſſimus. De virtutibus ejus, ac pietate chriſtianâ plura dabunt Veſpaſianus Florentinus in ejus vita apud Ughellum (4), Victorellus (5), S. Antoninus (6), Paulus Corteſius (7), quorum dicta congerit Oldoinus (8). Scripſit de *Poteſtate Concilii Baſileenſis. Orationem adverſùs Bohemos; Apologias pro Sede Apoſtolica. Epiſtolas multas. Syntagma de Proceſſione Spiritus S. contra Græcos; Diſceptationes habitas in Concilio Florentino.*

CAPUT VIII.

Petrus Maurocenus: Bartholomæus Zabarella. Proſdocimus Comes. Paulus Dottus. Alvaroti.

XXXVI. PETRUS MAUROCENUS Cardinalis, Patriciâ gente Venetiis natus, clariſſimus Juriſconſultus, Canonumque interpres ſæculo XV. celeberrimus, 1444
ad hunc annum à nobis conſultò refertur, ne videamur à communi Scriptorum noſtrorum ſententia deſciſcere. Hi ſanè, nemine excepto, tradunt, Petrum Cardinalem Maurocenum anno MCDXXIV. in Gymnaſio noſtro floruiſſe, fuiſſe collegam Proſdocimi de Comitibus, qui certè docebat apud nos æqualis Saliceto & Caſtrenſi, atque adeo & ante, & poſt annum MCDXXVIII.: quo recepto, Maurocenum numero vivorum eximere non licet ante ann. MCDXLIV., quippe qui Cardinalis ſaltem per annos duodecim fuerit. Sed hæc omnia ut ſequantur ex iis, quæ leges in propoſitis per Caccialupum (9), Mantuam (10), Pancirolum (11), quibus adſtipulantur Riccobonus (12), & Tomaſinus (13), mihi certiſſimum eſt annum ipſum, quo ab his Maurocenus imponitur exedris Patavinis, illi emortualem fuiſſe, eoque non in exedras, ſed in ſepulchrum ſubiiſſe. Certiſſimum eſt, eum ad ſacram Purpuram evectum fuiſſe, renunciatumque Diaconum Card. S. Mariæ in Coſmedin, in ſecunda, quam habuit, creatione Cardinalium, à Gregorio XII., atque adeo ipſo an. MCDVIII.: quo jam fuerat in curia Romana Protonotarius Apoſtolicus, ut probat Oldoinus (14) invictis penitus argumentis. Qui ergo, qui ante annum illum erat apud Romanum Pontificem, qui purpuram gerebat anno MCDVIII., profeſſus fuiſſe Patavii an. MCDXXIV. dici poteſt? Ergo jus Canonicum Patavii docuit vel ante, vel circa an. MCD., ac ſub initium ſæculi evocatus in aulam, quæ tunc agebat in Tuſciâ, Protonotariis ab Innocentio VII. annumeratus eſt. Eum Gregorius XII. Cardinalem dixit, cùm nondum à Synodo Piſana fuerat exauctoratus, atque adeo anno, quem ſignavimus, MCDVIII. ſecutus deinde ſit partes Gregorii adverſus Alexandrum V., & Joannem XXIII., quocum ad Synodum Conſtantienſem venit, ab illa inter legitimos Cardinales receptus. In ea ſuffragium tulit pro Martino V., à quo deinde legatus miſſus, in Regno Neapolitano, partes Pontificias fortiter, gnaviterque tutatus eſt uſque ad an. MCDXXIV., quo Romam revocatus à Martino, & ex itinere morbo correptus, in oppido agri Præneſtini Gallicano deceſſit III. Idus Auguſti. Tempus depoſitæ ab eo mortalitatis, quod hìc ſignavimus, prædicat ſepulcralis lapis in templo Romano S. Mariæ novæ, ubi jacent ejus exuviæ Romam delatæ. Scripſiſſe eum doctiſſima in VI. Decretalium Commentaria, teſtatur Mantua, queriturque, quòd, magnâ literatorum hominum, & maximè juris Pontificii jacturâ, ea numquam fuerint impreſſa.

XXXVII.

[1] Ep. ad Alex. Laſcar. ſecunda. (2) in Hiſt. Bohem. (3) loc. cit. (4) T. 3. Ital. Sacr. (5) in Addition. ad Ciaccon. (6) 3. P. hiſt. tit. 22. c. 11. §. 13. (7) in Comment. [8] loc. cit. [9] Hiſt. Interp. & Gloſſator. (10) de Vir. Illuſtr. nu. 204. [11] de Clar. Interp. lib. 3. c. 29. nu. 40. p. 353. [12] Gymn. lib. 1. c. 12. p. 14. terg. (13) Gym. lib. 2. c. 2. p. 235. (14) ad Ciaccon. T. 2. p. 771. [15] d. nu. 204.

1445 XXXVII. BARTHOLOMÆUS ZABARELLA, Franciſci Cardinalis ex Andrea fratre nepos jus Pontificium Patavii magna cum laude publicè docuit ſub annum MCDXXXI. floruitque deinceps ſummâ (1) juriſprudentiæ, ſacræ præſertim, famâ, quam augebat eloquentia citra diſpendium comitatis efficax, & robuſta. Ex his notus & carus Eugenio IV. Apoſtolicus Referendarius dein accitus Romam Eccleſiæ Spalatenſi apud Dalmatas Archiepiſcopus præfectus eſt; nec diu poſt Epiſcopus Florentinus, legatus ad Regem Galliarum & Hiſpaniarum miſſus, rebus utrobique benè geſtis, deſignatus Cardinalis, atque è legatione rediens deceſſit Sutrii an. MCDXLV. ætatis XLVI., ut notat Freherus (2), conſtatque ex ejus epitaphio in Templo principe Patavino. De eo vide Pancirolum (3) multa de aliis clariſſimis viris Zabarellæ familiæ, quam olim Sabadinam, oriundam eſſe Bononiâ, tradit, eruditè congerentem, quæ rei noſtræ non planè ex inſtituto conſentanea, hiſtoriæ Patavinæ relinquimus. Scripſit Bartholomæus *diſſertationes de jure* multas, *Tractatum de Jurepatronatus*, *Orationes* aliquot, cum latinas tum Italicas, quas elegantiſſimas fuiſſe refert Salomonius (4) ex Porcellino: apud quos fides eſto hujus judicii.

1448 XXXVIII. PROSDOCIMUS COMES, vel potius de *Comitibus* Patavinis, de cujus familia nobiliſſima, quæ noſtrâ ętate patricio Venetorum ordini adſcripta eſt, ſi vacabit videndus eſt Salix (5), ex quo ſua Salomonius (6) habet; à prima ætate ſeveriores diſciplinas amavit, atque in his præcipuè Juriſprudentiam. Hujus vix inſulas conſecutus, anno ætatis trigeſimo, docere cœpit; juſque Pontificium profitebatur in patrio lycæo circa annum MCDXXIV., quo, ut ſuperiùs evicimus, falſò ab omnibus dicitur fuiſſe collega Petri Mauroceni. Illud non dubium, eum hoc munere diu functum, ac certè ad annum uſque MCDXLVII., ut colligo ex munumentis Gymnaſticis: neque hoc mirum; nam non ſemper hic docuit, ſed Senas evocatus, ibi per annos aliquot jus Pontificium interpretatus eſt, quemadmodum ex Reſponſo, inter Conſilia Socini, Pancirolus (7) probat. Inde redux eodem tempore iterum in patria Canones explanabat, quo jura Civilia Raphael uterque, atque etiam Caſtrenſis profitebantur, quorum reſponſis ſubſcripſiſſe Proſdocimum, noſces ex Mantua (8). Quamobrem non ante ſignatum annum deſierit eſſe Mortalis: nec tamen ſupervixerit admodum, cùm in Matriculis ejus ponatur ſucceſſor exeunte anno MCDXLVIII. Fantinus Dandalus, ſeu Dandulus Patricius Venetus vir doctiſſimus, & à Porcellino (9) Canonici juris Monarcha ſimpliciter appellatus. Ejus cum nihil extet, ad propoſitum operis noſtri nomen non pertinet. Claruiſſe non ſolum per totam Italiam Proſdocimum Comitem, verùm etiam tota prorſus Europâ, Scardeonius (10) aſſerit: multa ab eo ſcripta Mantua (11) tradit: ab Angelo Ubaldo Doctor famoſiſſimus dicitur, à Corſeto (12) doctor ſolemnis. Ejus opuſcula, ſeu Tractatus in tres partes diviſus *de differentiis juris Civilis, & canonici* editus eſt, unâque liber doctiſſimus de *Conſanguinitate*, *& Affinitate*. Edita quoque dicuntur commentaria in VI. Decretalium, quæ nos non vidimus. Conditus eſt in Antoniana baſilica intra ſacellum B. Lucæ & SS. Philippi & Jacobi, quod ad jus pertinet familię Comitorum Patavinorum.

XXXIX. PAULUS DOCTUS, natus Patavii nobiliſſima & vetuſtiſſima gente, quę
1450 ſuam ad Daulum Antenoris comitem refert originem, indeque Docta de Daulis appellatur, jus Pontificium profeſſus (13) eſt in patrio Gymnaſio per annos fermè ſex, & viginti. Vivebat an. MCDL. nec diu admodum vitam produxerit ſynchronus Raphaelis utriuſque, quorum Reſponſa ſubſcriptione firmavit. Ampla dedit Commentaria in partem Decretalium ſecundam, ut notant Scardeonius & Pancirolus, & ex his Portinarius. (14).

1453 XL. JACOBUS ALVAROTUS ex ea Patavii Familia ortus eſt, quę Juriſconſultiſſimos, & magni nominis viros Gymnaſio noſtro progenuit. Hos ſuis temporibus conſignare ſigillatim, operę noſtrę pretium non eſt viſum, quippe qui tametſi inſulis Juriſprudentię, & publicâ gloriâ docendi ſcribendique poſteritati commendentur, nihil tamen reliquere, quod extet. Supererit eos nominare, & qualem qualem eorum notitiam hìc obiter facere. Primus eſt Aicardus, vel Aicardinus. Is intra ſeculum XIV. floruit ex Scardeonio (15), Tomaſino (16), Portinario (17), quibus adſtipulatur Pancirolus (18). Docuit in patria profeſſor publicus legum ad annum MCCCLXXXII. quo deceſſit ex Tomaſino (19). Hoc teſte, magno in honore fuit cum Zilio Caſali apud Franciſcum Car-

(1) Scardeo lib. 2. Claſſ. 8. p. 170. Riccob. lib. 1. c. 12. p. 16. terg. Tomaſ. lib. 2. c. 2. p. 236. (2) T. 1. ſect. 2. p. 19. (3) lib. 3. c. 28. nu. 39. à p. 51. (4) Inſcript. Gymn. (5) p. 23. 25. (6) Inſcript. Pat. p. 164. Marg. (7) lib. 3. c. 29. nu. 40. p. 353. (8) de vir. Illuſtr. n. 203. (9) not. in Matric. Profeſſ. (10) lib. 2. Claſſ. 8. p. 173. 174 (11) loc. cit. (12) apud Scardeon. d. p. 174. (13) Scardeon. d. Claſſ. 8. p. 176. Pancir. lib. 3. c. 29. n. 49. p. 353. & reliqui. (14) lib. 7. c. 5. p. 247. (15) d. Claſſ. à p. 163. (16) Gymn. lib. 2. cap. 1. p. 234. (17) lib. 7. c. 5. p. 236. (18) lib. 2. c. 104. p. 203. (19) in Chronol. Gym. p. 375.

Carrarienſem Seniorem edidit Conſilia multa, quæ laudantur à Grammaticâ Neapolitano apud Scardeonium (1), nec tamen ad nos pervenere. Eodem tempore floruit, docuitque Patavii, Alvarotus de Alvarotis Aicardi frater, profeſſor & hic Canonici juris in lycæo Patavino, deſiitque mortalis eſſe ann. MCCCLXXXVIII., ſepultus cum fratre in baſilicâ Antoniana cum epigraphe legenda in editis per Salomonium (2). Succeſſere his Petrus & Jacobus fratres, Alvaroti filii, Aicardi Nepotes: & Petrus quidem ſenior clariſſimus Juriſconſultus, cùm Bononiæ, tum Patavii juribus interpretandis operam celeberrimam dedit, habuitque utrobique Raphaelem Fulgoſium antagoniſtam. Edidit diſputationem ſolemnem, ut eam Juriſconſulti vocamus, quæ incipit: *Exorto incendio Padua*, Commentarium eruditiſſimum *in l. reſcriptum* §. *ſi pacto ff. de pactis*; ex quibus & aliis ſummopere commendatur, & Doctor excellentiſſimus appellatur à Cœpolla (3), & aliis paſſim Juriſconſultis. Cum annos XXX., & amplius docuiſſe dicatur à Scardeonio, & ejus initia in monumentis noſtri Gymnaſii ponantur poſt annum MCCCXCIX. vixerit ad annum circiter MCDXXXVI. quo videtur reſpicere Portinarius (4), cum ſcribit, floruiſſe maximè an. MCDXVIII. De eo etiam Pancirolus (5) & Mantua (6). At Jacobus Petri frater, cujus occaſione Alvaratorum hìc merita erga Gymnaſium noſtrum breviter delibamus, longè omnium in hac gente clariſſimus fuit. Doctor in patria creatus, Florentiæ ac Senis in quæſtionibus habendis judicis officio functus eſt, ut ipſe ſcribit (7), undè ad patrium Gymnaſium evocatus Galliani Ancharani Vicentini antagoniſtes Jus feudorum enucleavit Profeſſor publicus per annos XIV. poſt quos luculentiſſimum Commentarium *de Uſibus feudorum* edidit, in cujus proœmio (8) gloriatur, ſe Franciſci Zabarellæ & diſcipulum fuiſſe, &, ut dicimus, compatrem. Sunt (9), qui ab eo celeberrimum hoc ejus opuſculum ſcriptum dicant, antequàm Jura Patavii profiteretur, quos videtur clam palam arguere Pancirolus (10): ſed utrunque facilè receperit interpretatio benignior, ut verum putet, hunc librum à Jacobo ſcriptum nondum publicè profitente; mox diu verſatum ex munere publico in materiâ Feudorum librum, quem ſcripſerat, expoliſſe, recenſuiſſe, ac in lucem publicam emiſiſſe. Edidit & Repertorium ſeu indicem axiomatum Feudalium, cujus meminit elogium marmori exuvias ejus cuſtodienti inſculptum. Diu illum docuiſſe Patavii etiam poſtquam, quæ notavimus, edidit, conſtat. Obiit ann. MCDLIII. ætatis LXVIII. ſepultus eſt in ſacello S. Jo. Baptiſtæ ſub hoc epitaphio.

Amice, qui iſthac tranſis, & ſi properas lapis hic te rogat,
ut pauliſper inhæreas, & hæc ſcripta legas. Hac in
Baſilica S. Io. Baptiſtæ ſunt Jacobi Alvaroti ſita oſſa,
qui dum vixit ſuo ſtudio, & doctrina, poſt ſuſceptas
Doctorales Inſulas, Commentarios utiles cum Repertorio
in Ius Feudale formavit, eoſque Venerandæ Univerſitati
Juriſtarum donavit. Volui, ut iſta non ignores, & pro anima
ipſius ores. Obiit autem die lunæ XVII. Iunii MCDLIII.

Sepulcrum cum epitaphio translatum deinde eſt in ædes D. Antonii, additaque brevior epigraphe, quam ſubjicimus.

Jacobus Alvarotus Alvaroti Filius Civi. Pontif Q. Iuris
conſultus privatim & publicè clarus, in traditionibus
Feudorum eminentiſſimus, in hoc delubro quieſcit.
Deceſſit anno à Chriſti natali MCDLIII. XIV. Kal. Julii.

Poſt Jacobum Alvarotum floruit Gymnaſio noſtro ex hac familia Franciſcus, qui Canonicus Patavinus, unà Jus canonicum profeſſus eſt. Is ab exedra & patriis laribus prolixâ pollicitatione accerſitus à Ludovico Mediarota Scarampo Cardinali, in ampliſſima diœceſi Aquilejenſi vicariam exercuit Juriſdictionem: inde redux Patavium poſt multa doctè conſcripta, quæ periere, vivere deſiit anno MCDLX. conditus in templo majore cum tetraſticho ſepulcrali, quod Salomonius (11) dabit. Hujus porro nepotes Alvarotus & Jacobus juniores, germani fratres, poſt Patruum claruere; Utrunque Canonum ſacrorum interpretem audivit Lycæum noſtrum. Sed Alvarotus exinde Canonicus Patavinus, mox Canonicus itidem Vaticanæ Baſilicæ Romæ, ibi inter

T illos

(1) loc. cit. (2) Inſcrip. Pat. p. 376. nu. 98. (3) apud Scardeon. ibid. (4) loc. cit. (5) ibid. p. 204. nu. 164. (6) de Vir. illuſtr. nu. 208. (7) in c. 1. in princ. de benef. ſine culpa amitt. & in §. qui verò de pact. jur. firman. (8) colon. 2. (9) Scardeon. loc. cit. & alii (10) d. p. 204. (11) Inſcr. Pat. p. 7. n. 30.

illos, qui dictandis Apoſtolicis libellis præfecti, *Breviatores Majoris Præſidentiæ* appellantur, ætatem abſolvit, agens quadrageſimum ſeptimum vitæ annum, qui XVIII. fuit ſæculi XVI. Sepultus eſt ad S. Salvatoris in Lauro. Jacobus vero docendi munere perfunctus in patria circa annum MCDXCVIII., iiſdem, quas frater geſſit, ornatus dignitatibus Romæ, non diu fratri ſuperſtes fuit: tanti factus à Mantua (1), ut non dubitet affirmare, eum, niſi juvenis admodum deceſſiſſet, in curia Romaná breviſſimo tempore maximum fuiſſe futurum. Hæc, quod attinet ad rem noſtram, eximias inter Patavinos familiæ decora ad faſtigium gloriæ tranſvexit Speronus Speronius de Alvarotis, de quo ſuo loco. Eadem noſtro tempore uno, alterove ante hunc anno, extincta eſt in duobus lectiſſimis fratribus, Alfonſo, & Joanne Comitibus Alvarotis, quorum alter ſtudioſiſſimus juvenis, & optimarum literarum amantiſſimus, in ipſo ætatis flore phtiſi conſumptus periit, alter perſimili morbo confectus familiæ poſtremus ante hunc, quo ſcribimus, annum occubuit.

CAPUT IX.

Angelus Perillius. Joannes Garzo. Franciſcus Porcellinus. Jacobus Zocchus. Marianus Socinus Senior. Michael Miliaria.

1453 XLI. ANGELUS PERILLIUS, Peruſinus, collega Joannis à Monte Sperello juriſconſulti nobiliſſimi, de quo conſule Pancirolum (2), in patrio Gymnaſio aliquandiu docuit, relatus deinde in album Advocatorum, quos Conſiſtoriales vocant, ſuæ virtutis, & ſapientiæ famá Romanam aulam implevit; quamobrem (3) amplo ſtipendio à Venetis conductus, Patavii jus Civile explanavit, antagoniſtes Pauli Caſtrenſis. Ferunt hoc ſubtiliùs neminem docuiſſe, neminem acriùs diſputaſſe. Rediit poſt annos multos in patriam, atque ibi Profeſſor publicus in ultima ætate, capularis omnino ſenex, & planè decrepitus mortalitatem explevit an. MCDLIII. ita enim in pluribus M.SS. Panciroli legimus, cenſemuſque ſphalmati typographico tribuendum eſſe, quòd ſignetur in editis annus MCDXLVI. nam in Reſponſis quoque Perillii notatum vidimus adventum Friderici III. Romam, qui non ante an. MCDLII. contigit, ex his, quæ congerit continuator (4) Baronii. Sepultus eſt in templo S. Mariæ. Scripſit, cùm Patavii docebat, ediditque libellum *de Suitate*, & Opuſculum *de Societate*; ex quibus maximè claret, Reſponſa quoque multa, ac nonulla in jus Civile Commentaria.

XLII. JOANNES GARZO, in Porcellino (5), & monumentis Gymnaſticis *Garzonus* eſt, Patricius Venetus ex ſenatoria familia, quam nunc mirum quantum illuſtrat, & auget Petri Senatoris ampliſſimi pietas, eloquentia, gravitas, auctoritas, & ex hiſtoricis de re Veneta lucubrationibus gloria. Hunc, ut notat Salomonius (6) inter poſtremos doctrinæ patriciæ Profeſſores viderit Gymnaſium noſtrum; certè poſtremus eorum eſt, qui ad hanc operis noſtri partem, quá recenſet præclariſſimos *juris* Interpretes, pertinent. Docuit Patavii magná nominis celebritate ſucceſſor Fantini Danduli patricii Veneti, & publici Profeſſoris, & ab an. MCDXXXVIII. jus Pontificium interpretatus eſt. Edidit locupletiſſimum Commentarium *in tit. de Reſcriptis in VI. & in titulum extra de Simonia*. Scripſerit etiam doctiſſimè de ſchiſmate, nam eum ex tractatu de Schiſmate cum laude memorat, & adhuc viventem ad auctoritatem produxit Cæſarinus (7) Card. à quo Reverendiſſimus appellatur, ut facilè credi poſſit, eum fuiſſe presbyterum. Quo anno deceſſerit ignoramus; cùm utrumque conſtet, Garzonum, & ad obitum Patavii docuiſſe, & illi ſuffectum Joannem Vercelleſium ann. MCDLIV. eo vel antecedente inter mortales eſſe deſierit.

1453 XLIII. FRANCISCUS PORCELLINUS, Patavii natus, Doctor eximius, Miles, & Comes, quibus eum titulis cumulat Scardeonius (8), docuit in patria jus utrumque, Canonicum & Civile, deinde Ferrariæ, mox iterum in patria, impenditque legibus profanis & ſacris explanandis annos XXXVIII., collega primum Pauli Caſtrenſis, deinde Bartholomæi Cæpollæ, quibuſcum ſæpè conſuluit, à ſecundo perhonorificè memoratur. Auditorem habuit magni nominis Baptiſtam Samblaſium: iſque eum Præceptorem fuiſſe ſuum gloriatur (9), nec aliter Condulmerius Cardinalis apud Ant. Porcel-

(1) de Vir. Illuſtr. nu. 41. (2) de Clar. Interp. lib. 2. c. 95. p. 191. (3) Panc. d. lib. 2. c. 92. p. 190.
(4) ad An. 1452. (5) not. in Matric. (6) Inſcript. Gymn. (7) lib de poteſt. Concil. Baſileen.
(8) lib. I. Claſſ. 8. p. 177. (9) in Tract. de Privileg. Dotal.

Porcellinum (1), ex quo ſuaviſſimè ſomniat Salomonius (2) noſter, Franciſcum
Porcellinum tradens magiſtrum fuiſſe Pontificis Eugenii IV. cum certum ſit Pontificem
illum, qui prope ſeptuagenarius obiit anno MCDXLVII. diſcipulum Porcellini eſſe
minimè potuiſſe, quando is circa illum annum non planè ſenex docebat Patavii. Et
alioqui Porcellinus à Salomonio laudatus eo anno obiiſſe avum ſuum Franciſcum ſcri-
bit, quo Cardinalis Condulmerius ejus auditor deceſſit. At obiit Franciſcus Porcelli-
nus an. MCDLIII., quo non Eugenius, ſed ejus nepos Franciſcus Cardinalis mortalita-
tem explevit, ut alibi referemus. Hic ergo diſcipulus fuerit Porcellini, qui ab anno
MCDXLII. florebat ex Portinario (3). Scripſit in omnes Rubricas juris Canonici,
quæ veſperi explicantur. Commentariorum libros duos *in Rubr. ff. Soluto matrimonio, &
de Verb. obligat.* Extat volumen ab eo editum, in quo Repetitiones aliquot, Reſponſa
verò plurima proponuntur. Tractatus quoque *de duobus fratribus, & Ratio conficiendi In-
ventarii* publici juris ſunt in Tractatibus (4). Franciſci Porcellini meminere cum laude
Mantua (5), & Pancirolus (6).

XLIV. JACOBUS ZOCCHUS Ferrarienſis, poſtquam per annos aliquot in patria 1451
docuit, magnâ conductus mercede ad jus Canonicum explanandum (7) Patavium acci-
tus eſt circa an. MCDXL. Is in vetuſto S. Juſtinæ templo ſubſellia Monachorum pſal-
lentium in abſide facienda curavit (8). Annis viginti apud nos Profeſſor publicus fu-
it, atque hìc deceſſit circa an. MCDLXI. Jacet autem in eodem templo S. Juſtinæ ad ſacel-
lum, quod extruxerat, ſuppoſitus lapidi marmoream effigiem præſeferenti cum hac epigraphe.

Jacobus de Zocchis excellentiſſimus Legum Doctor.

Hinc jure colligimus, vel falſum (9) Curtium Seniorem tradentem, Jacobum Zocchum
Juris interpretem Mediolani Præpoſitum D. Ambroſii fuiſſe, deinde Alexandrinum
Epiſcopum; vel Zocchum, quo de loquitur, alium à noſtro fuiſſe. Collegas habuit
Dominicum de Ponte patricium Venetum, Thaddæum Vicomercatum Mediolanenſem,
Ludovicum de Malitia Patavinum, ſucceſſorem autem Auguſtinum Michaelium patri-
cium Venetum Archipresbyterum Patavinum, qui ultimus è gente patricia in hoc no-
ſtro Gymnaſio jura profeſſus eſt, quos omnes nominaſſe ſat eſt, cùm nihil ſcripſerint,
ex quo ad rem noſtram pertineant. Ipſe Zocchus Commentarium edidit *de Jejunio*, &
alia quædam, quæ Pancirolus periiſſe ſcribit. Extat attamen liber *de Jejunio* teſte
Tomaſino (10) & Mantua (11). *Comment. in IV. Decretal. & ad Titulos qui filii ſint Le-
gat. c. per venerabilem, & c. omnis de Pœnitentiis, & remiſſio.* teſte Riccobono (12).

XLV. MARIANUM SOCINUM, ſeniorem, Senis Margarita Malavolta, & ipſa no- 1462
bilis, genuit (13) an MCDI. Græcis Latiniſque literis à pueritia vacavit, eo ſtudiorum
profectu, ut de illo magna jam tum apud cives expectatio fuerit; cui deinde pleniſſi-
mè ſatisfecit. Nam & in patria, & Patavii bonis artibus, ac præſertim Juriſprudentiæ
diligentem adeo, juvenis ad ſcientias factus operam dedit, docteque adeo diſſeruit,
ut mox Senas reverſus, & Abbate Panormitano præceptore uſus, poſt habitam feliciſ-
ſimè publicam diſceptationem, eodem anno lauream emeritis diſcipulis debitam glo-
rioſè retulerit. A receptis inſignibus Inſtitutiones in patria publicè profeſſus eſt, mox
accitus Patavium jus Pontificium docuit per annos non paucos, illudque tandem Senas
revocatus, ibi quoque explanavit, & in eo explanando conſenuit; atque interim cum
publicum docendi munus, tum forenſe patrocinium profeſſus, cauſas egit; con-
ſulendoque, & ſcribendo divitias ſibi, atque gloriam ſingularem apud cives compara-
vit. Vir fuit ſtaturâ brevis: quamobrem jocandi præbuit occaſionem conjunctiſſimo ſi-
bi Æneæ Sylvio, dicere ſolito, cognomen ſuum, hoc eſt Piccolominei, Mariano
magis, quam Socinorum congruere: cæterùm vultu gravi, & hilari urbanum ſe, & mo-
rigerum domeſticis præbuit ſemper; atque admirantibus amicis, quod tot occupatio-
nibus diſtentus, domi tam incurioſè quieſceret, reſpondit ſe, cùm ad ſuos reverteba-
tur, quibus cum breviſſimè converſari poterat, ad imas ſcalas, curas omnes relin-
quere. Ducta uxore Nicola (14), Petri Aldobrandini filia, ſenſim ſe à docendi la-
bore ſubduxit; interrogantibusque, cur à publico munere vacaret, repoſuit: uxo-
rem ſe duxiſſe; cùmque ſubderetur: Socratem ob uxorem nunquam Philoſophiæ valedixiſſe,
ſubjecit: illum moleſtam, fortè etiam turpem Xanthippen, ſe pulcram & obſequentem

(1) in Matric. not. 69. [2] Inſcript. Gymn. (3) lib. 7. c. 5. p. 239. (4) Tom. 6. P. 1. p. 173. Tom. 3. P. 2. p. 156. [5] num. 94. (6) lib. 2. c. 89. p. 189. (7) Mantua nu. 130. (8) Pancir. lib. 3. c. 44. p. 357. (9) Conſil. 73. nu. 6. (10) in chronotaxis Præfat. (11) d. nu. 130. [12] Gymn. lib. 1. c. 12. p. 15. (13) Pancir. de clar. Interp. lib. 3. c. 35. à p. 358. (14) Æneas Sylvius. de dictis & factis Alfonſi Regis lib. 3. c. 27. Tiraquel. in 2. l. connubial. gloſ. 1. P. 2. nu. 25.

habere. Familiariſſimus fuit præcipuorum inter viros doctos ſui temporis, maximè autem Angeli Politiani (1), quem Senis gloriantem, quaſi jamdudum Accurſium ipſum ſuperaſſet ex legum, ac Latini juris notitia, modeſtiùs de ſe ſentire docuit, interpoſita interrogatione, quâ petiit, ut ederet, quid Suitas in Jure ſignificet? eâ interrogatione alazon ille ob imperitiam obmutuit, ac præſenti pudore ſuffuſus pœnas dedit importunæ temeritatis. Fertur (2) Marianus præter literas humaniores, & juris utriuſque ſcientiam, peritiſſimus fuiſſe Coſmographiæ, Geometricæ, Arithmeticæ, Poeſi denique Itala clarus. Deceſſit in patria annos natus LXII. atque adeo Chriſti ann. MCDLXII. vel ſequenti, laudatus in funere ab Auguſtino Dato, Oratore eo ſæculo celebri. Civium ſtudio vexilla ex publico ſupra tumulum ejus pependere. Statua ænea, ejus os referens, apponenda ſepulcro in poſterorum ædibus erat ætate Panciroli (3), ex quo hæc dedimus, & apud quem plura leges ex Ænea Sylvio collecta, quo ſcriptore Mariani amiciſſimo extat elogium. Scripta ejus hæc edita manibus omnium teruntur.

Opuſculum de Oblationibus

Commentar. in Decretales ad Vicum Arbiæ Suburbanum Senis lucubrata tempore peſtis

Reſponſorum Volumen egregium.

XLVI. MICHAELEM MILIARIA claris Juriſconſultis Patavinis annumerat Scardeonius (4). Vir clariſſimus, & eruditiſſimus, quo amico & quidem vetuſtiſſimo, &
1462 benigniſſimo gloriamur, Pilumnus Pilumnus Canonicus Bellunenſis Eccleſiæ, Belluni natum exiſtimat: incertæ vero patriç Pancirolus (5). Nobili gente natus eſt in Carnia, vel certè ex nobiliſſima inter Carnos familia oriundus, ſive Patavii, ſive apud Bellunum, quod veroſimilius eſt. Floruit inter Juriſconſultiſſimos viros medio ſæculo XV. Et primò quidem an. MCDXLVI. Judex quæſtionum, & ex his Adſeſſor Magdaleno Contareno Prætori Patavino additus, eoque magiſtratu ſumma cum integritate ac doctrina functus, provehi ad juris Civilis publicam interpretationem in Gymnaſio meruit. Eam provinciam diu doctiſſimè ac eruditiſſimè adminiſtravit, & ex Porcellino (6), tum in Pandectas, & Codicem commentarios edidit, tum Epitomen in ſententias Bartholi potiores confecit. Scripta quoque Reſponſa multa reliquit: quorum operum ejus pleraque ad manus Marci Mantuç perveniſſe & Scardeonius (7) tradit, & nobis nunciavit, ut exiſtimamus, ex Scardeonio idem Clar. Pilumnus, qui tamen in eo fallitur, quòd Michaelem Miliaria retrahit ad ann. MCCCLXX.: quippe certum utrunque eſt, & Miliariam adſediſſe, uti diximus, Prætori Patavino Magdaleno Contareno, & Magdalenum Præturam Patavinam geſſiſſe anno (8) MCDXLVI. & ſequenti. Obiit Michael Patavii, jacetque in templo S. Franciſci ad ejuſdem Divi ſacellum cum epigraphe, quç pedum attritu conſumpta legi non poteſt. Ex hoc porro Juriconſulto nobilis & patricia Comitum Miliariorum familia Patavii eſt. Ea pace ac bello claruit, ac Cæſare concedente, Milio gentilitio Aquilam addidit. Ex eadem non unum publicum Profeſſorem habuit Gymnaſium noſtrum, atque ex his memorabiles in Albis Doctorum noſtrorum ſunt Albertinus in prima ſede matutina Canonum Sacrorum interpres, ab anno MDCXXV., ad annum MDCXXXI. quo peſte afflatus occubuit, & Bartholomæus ingenioſiſſimus Logicorum Ariſtotelis explanator, qui præmaturo fato ſublatus ſpem, quam ex ejus eruditione Gymnaſium conceperat, eluſit an. MDLXXXVII. Obitum Michaelis ex conjectura ſignamus an. MCDLXII. Quippe in præfatione Epitomes editæ ann. MCDLVII., ſe valde ſenem appellat.

CAPUT X.

Capiliſtii. Antonius Roycellus. Antonius à Prato Veteri. Franciſcus Bradiolus. Franciſcus Accolti.

XLVII. CAPILISTII JO. FRANCISCUS, GABRIEL junior, FRANCISCUS, JO. FEDERICUS, BARTHOLOMÆUS, & alii ex hac illuſtri apud Patavi-
1463 nos familia, quam bello de patria optimè meritam inſignes viri fecere, hi verò pace præcipuè Gymnaſio noſtro memorandam, ad epocham hanc referuntur à nobis, quod cùm non planè certus ſit annus emortualis, quo vivere deſiere, ſæculum XV., quo maximè flo-

(1) Corraſ. lib. 3. Miſcell. c. 16. (2) Ænc. Sylvi. Epiſtol. lib. 1. Epiſt. 112. 113. (3) loc. cit. p. 359. 361. (4) lib. 2. Claſſ. 8. p. 177. (5) lib. 2. c. 110. p. 207. (6) Not. 65. in Matr. (7) lib. 2. d. p. 177. (8) Vide Catalog. Præt. ſupra.

floruere, certum eſt. Ergo Jo. Franciſcus (1) antagoniſtes fuit Jacobi Saliceti, Raphaelis Fulgoſii, & Pauli Caſtrenſis, atque in patrio Gymnaſio jura Civilia diu eſt interpretatus ad annum MCDXXXI. quo Legatus Reipublicæ Venetæ venit ad Synodum Baſileenſem, undè Romam regreſſus, eòque iterum delegatus ab (2) Eugenio IV. P. M. Synodum illam detrectante, gratiam ſibi, & amorem Sigiſmundi Cæſaris conciliavit; atque Eques creatus plura, & perampla privilegia in poſteris perennatura, auctūraque ſtirpem egregiam obtinuit. Scripſiſſe dicitur (3) in libros primos Codicis, Conſultationes aliquot, quæ inſertæ ſunt aliorum reſponſis, & ſcholia uberrima in Inſtitutiones, de quibus uti notiſſimis Porcellinus (4). Orator miſſus à Venetis ad Ludovicum Inſubriæ Ducem, cùm fines inter hunc, & Venetam ditionem poſuiſſet, pacemque pro voto partis utriuſque firmaſſet, ad munus docendi apud nos rediit: quo tamen diu functus non eſt: nam in ipſa exedra, dum eam Codicis legem (5) explicat, quæ tradit memoriam ægrotorum mortis cogitatione turbari, repentino apoplexis ictu correptus, animam exhalavit anno, ſcribit (6) Pancirolus, MCDLIX. ſed ſeriùs omnino virum hunc obiiſſe certum eſt, cùm ipſe Pancirolus affirmet, legatum eum Venetorum fuiſſe ad Ludovicum, qui longè ſeriùs pro Jo. Galeario nepote pupillo cœpit rempublicam gerere. Reliquit filios opum, honorum, & virtutum ſuarum hæredes, quos hìc annotavimus, præeuntibus Scardeonio, & Pancirolo, Gabrielem, & Franciſcum, quorum alter, ſcilicet Gabriel Eques & Doctor fuiſſe dicitur, mox Præturam magnificentiſſimè geſſit Bononiæ, ac virorum illuſtrium in ea urbe Monumenta ſcripto libello recenſuit; alter, Franciſcus laude Poetices clarus, clariſſimus Juriſconſultus fuit, docuitque Patavii jus utrunque per annos fermè quadraginta præceptor Bartachini (7) & Sambliaſii. Edidit Commentarios in Codicem, & Volumina IV. Prælectionum, ut refert ex Porcellino (8) Scardeonius (9), ex utroque Portinarius (10). Ex horum poſteris floruit, decimante ſæculo, Jo. Federicus Doctor, & Comes, magnuſque juris interpres, & ut Doctor vetuſtatis ſummopere laudatus à Cæpolla (11) & Bartachino, quem etiam ipſe auditorem habuit. His addere licet etiam ex eâdem familiâ Bartholomæum, qui per annos tres & viginti jura profeſſus in Gymnaſio noſtro an. MDV. deceſſiſſe traditur (12) planè decrepitus. Sepulti omnes hi ſunt in ſepulcro Majorum ad D. Antonii.

XLVIII. ANTONIUS ROYCELLUS (13), ſeu *Roſellus*, Roycelli primi nepos, 1466
Roycelli ſecundi filius, natus eſt Aretii in Hetruria familiâ nobili, cujus Genealogicum ſtemma exhibet Pancirolus. Ab adoleſcentia ſtudia juris amavit, atque in illis ita verſatus eſt, ut vel in illâ ætatula libris editis Monarcha legum appellari meruerit. Gemino matrimonio nondum planè vir obſtrictus, cùm primâ, & ſecundâ uxore defunctâ cælibem vitam agere inſtituiſſet, Romam evocatus à Martino V., ibi patrocinium Sigiſmundi Cæſaris adverſùs Ladiſlaum Regem ſuſcepit, peregitque feliciter: eâdem felicitate tutatus eſt Regem Apuliæ apud Romanum Pontificem litigantem. Hinc in aula clarior, & pauperum patronum ſe præſtitit, & Collegio Cardinalium advocatum. Ab Eugenio IV. Pontifice delegatus ad Cæſarem Sigiſmundum, hujus animum Pontifici ſubitarum ſedavit; declaratuſque Comes, additis pluribus aliis privilegiis, iterum miſſus ad Sigiſmundum ob graviſſima, quæ Chriſtianam Rempublicam diſtrahebant, vexabantque, negotia, ea plane compoſuit, tertiamque legationem obivit ad Cæſarem Albertum fortunatiſſimè. Regreſſum Romam Eugenius, ſpe injectâ galeri purpurei, ire juſſit legatum in Gallias, multa ex Baſileenſi Concilio adverſùs Pontificiam poteſtatem molientes. Ibi Eques à Carolo VII. creatus, à Renato Lotharingiæ Duce gladium, & calcaria recepit. At reduci mox in Italiam, & promiſſam purpuram repetenti Bigamiam Eugenius oppoſuit; atque illo contendente, poſſe à Romano Pontifice legibus quemlibet ſolvi; id aſſerentibus communi ſententiâ Canonici (14) Juris conſultis, prælata eſt Speculatoris (15) opinio, poteſtatem illam in Romano Pontifice inficiati, cum agitur de Bigamia: ſcilicet nihil eſt, quod probare, aut rejicere non poſſis ex Doctorum noſtrorum ſuffragio. Ergo his deluſus Antonius cùm multa adverſùs Romanos Pontifices conſcripſiſſet, ex quibus tutò Romæ vivere minimè poſſet, fugâ ſibi conſuluit, ac Patavii nactus aſylum, hìc à Venetis conſtitutâ mercede Aureorum quingentorum in annos

 ſin-

(1) Pancir. de Clar. Interp. lib. 2. c. 81. p. 183. Mant. num. 95. (2) Platina in Eugenio IV. (3) Scard. lib. 2. Claſſ. 8. p. 124. (4) not. 75. in Matric. (5) l. 8. verſ. ac cum human. fragilitas. Cod. qui teſtam. fac. poſſ (6) loo. cit. (7) Bartachin. de Gabellis (8) d. not. 75. (9) d. p. 174. (10) lib. 7. c. 5. p. 239. (11) Conſil. 53. (12) Scard. & Pancir. ibid. (13) Panc. lib. 3. c. 36. p. 361. (14) in c. lector. 18. diſt. in c. ſi quis viduam 850. diſt. c. nuper extra de Bigam. (15) tit. de. Bigamia.

ſingulos, docere cœpit, docuitque per annos fermè octo, & viginti ſummâ nominis cele-
britate, Collegis Franciſco Barocio Pauli II. ex ſorore nepote, & Jacobo Zocho Ferra-
rienſi. Claruit ex diſcipulo Bartachino, quo authore (1) traduntur hæc ipſa, quæ dedi-
mus. Idem ſcribit, Antonium Orthodoxa minus dogmata probaſſe; additque Nevizza-
nus (2) ex ea illum cauſa à Legato Summi Pontificis, & Quæſitore ſacro fuiſſe damna-
tum. Celebratur tamen à Pancirolo (3), ut vir probitatis magnæ, qui non niſi juſtiſſi-
mas cauſas tractandas ſuſciperet, facetus alioqui, & ſalſus, qui jocis delectaretur. Obiit
Patavii an. MCDLXVI. jacet in baſilica Antoniana, ibi celeberrimâ pompâ tumulatus.
(4) Breviſſima ſepulcri ſic habet epigraphe

Monarcha Sapientiæ Antonius de Roycellis
MCDLXVI. Die XVI. Decembris.

Edita ab eo multa ſunt: Hæc nobis nota.

Liber de Legitimatione, quem adoleſcens ſcripſit.
Monarchia Summi Pontificis adverſus Curiam Romanam, liber Friderico Cæſari dicatus.
Liber de Conciliis.
Liber de Indulgentiis.
Tractatus de Uſuris, & de Succeſſionibus ab Inteſtato.
Commentaria in Jus Pontificium.

XLIX. ANTONIUS A' PRATO, veteri Hetruſcę regionis oppido nobili, Flo-
1468 riano à Sancto Petro præceptore inſtitutus, jus Civile, quod ab ipſo didicerat, an.
MCDXLII. Senis cum Ludovico Romano profitebatur, ut ipſe notat (5). Acci-
tus Bononiam ibi diu docuit, pluribuſque propterea Bononienſis viſus, & creditus, ut
refert Jaſon (6). Inter hos unum accuſamus Marcum Mantuam (7), cui jure Panci-
rolus (8) refragatur, atque agnomen ipſum, ex quo conſtat eum Pratenſem fuiſſe.
Clarus ex Juriſprudentia Comes Palatinus à Cæſare dictus eſt, hiſque titulis in albo
Profeſſorum Patavinorum ſignatus legitur, ex quibus certiſſimum eſt, hic eum do-
cuiſſe, ut Mantua dubiè, certò aſſerit Pancirolus (9), quo teſte, antagoniſten ha-
buit Paulum Caſtrenſem, eoque tempore profitebatur, quo Paulus Aretinus idem jus
in Gymnaſio noſtro matutinis prælectionibus explanabat. Annus ejus emortualis, &
ſepulcri locus ignoratur; nec tamen an. MCDLXVIII. exceſſiſſe videtur. Edidit lo-
cupletiſſimum Indicem in Bartholum, & Baldum. Librum Feudorum in compendium
redegit, & in partes VII., ac Titulos XXVII. digeſſit, dicavit autem Friderico Cæſa-
ri, qui eam Epitomen in publicis explanari Gymnaſiis, diplomate edito ſanxit. Ean-
dem Epitomen breviùs expoſitam Baraterius Philippo Mediolanenſium Principi nuncu-
pavit, Pancirolo (10) teſte, à quo monemur, Antonium hunc ab alio ejuſdem no-
minis, & cognominis diſcernere, qui Gallus Franciſco I. Galliarum Regi à Conſi-
liis fuit.

1469 L. Teſtibus Scardeonio (11), Pancirolo (12), Riccobono (13), ex quibus Portinatius (14),
FRANCISCUS BRADIOLUS, juris Canonici Profeſſor edidit Commentaria in *VI.*
Decretalium. Ea fuiſſe doctiſſima, & magni habita ſæculo XV. aſſerit Porcellinus (15),
quamvis, quod noverim, à nemine laudentur. Nobiliſſima gente Patavii natus, jus
Pontificium diu ab exedra frequentiſſimis auditoribus explanavit, in eoque explanando
conſenuit. Obiit circa an. MCDLXIX. Filiam Aldam hæredem dixit, quæ Modeſto Po-
lentano nupſit, de quo inferiùs.

1472 LI. FRANCISCUS ACCOLTI, ARETINUS per antonomaſiam à patria dictus,
clariſſimus Juriſconſultus Antonium à Prato Senis docentem audivit, ut ipſe ſcribit (16),
atque unà peringenuè illi, ut præceptori totum, quod habebat, acceptum refert.
Habebat autem admodum; quippe magnum nomen adeptus in florentiſſimis Academiis
Bononienſi, & Patavina, ut affirmate conſtituit Guilielmus Rovillius (17), quem ad
id profert Freherus (18). Idem colliges ex monumentis Gymnaſii noſtri, quæ mirum
eſt, non fuiſſe ſecutos Mantuam, & Pancirolum Profeſſores noſtros in hoc ipſo ar-
gumento, cui inſudamus, laborantes, cùm cæteroqui toti ſint in laudibus hujus
Juriſconſultiſſimi viri: nam apud Mantuam (19, Jaſon (20) Accoltum ſubtilitatum
Prin-

(1) lib. 2. de Epiſcop. q. 25. (2) Sylva Nuptial. lib. 1. n. 152. (3) ibid p. 363. (4) Salom. Inſc. Pat. p. 382. n. 123.
(5) Conſ. 49. n. 6. & 15. inter Conſ. Alex. Volum. 4. (6) in Proœm. Feud. (7) n. 21. (8) lib. 2. c. 108. p. 199.
(9) ibid. (10) loc. cit. (11) lib. 2. Claſs. 8. p. 178. (12) lib. 2. c. 3. à p. 207. (13) lib. 1. Gym. c. 24. (14) lib. 7. c. 5.
p. 240. (15) Not. 79. in Matr. (16) in l. qui teſtamento, ff. de teſtam. (17) in Promptuar. Iconum. (18) T. 2. P. 2.
Sect. 4. p. 796. (19) n. 39. (20) in l. 2. col. 3. ff. de juriſdict.

Principem appellat ſæpiſſimè, Pancirolus (1) verò multa ſatis de illo apud ipſum legenda, dum properamus. Ferunt eum enixè dilectum à ſuis diſcipulis, qui ſtudio ejus incenſi, quamvis mutantem Gymnaſia, ſemper, ut eo magiſtro proficerent, ſequebantur. Obiit circa annum MCDLXXII. & quidem Aretii, ubi Mantua refert, vidiſſe ſe in templo D. Auguſtini (2) ejus imaginem ad vivum expreſſam Lucæ (3) Signorelli pictoris egregii penicillo, ſecumque ectypon illius attuliſſe. Scripſit *Comment. ſuper Digeſtum, Codicem, & Decretales; Conſilia multa; Tractatum de differentia inter ſententiam interlocutoriam, & definitivam*. Ex quibus penè dixerim Juriſconſultorum ſuâ ætate maximus habitus eſt, tantæque & eruditionis, & veritatis in reſpondendo, ut Pancirolo (4) teſte, Reſponſa ejus tanquam Evangelia à pluribus cenſerentur, percrebueritque quaſi proverbium in foro eum cauſâ caſurum, contra quem Aretinus reſpondiſſet. Atque opinioni huic ipſe anſam ſedulò dabat, cùm quæ ſcripſerat pro ipſis, conſulentibus reddens: *vinces cauſam*, ajebat, *vinces*. Reipſâ, lectis ejus Reſponſis, ac legalibus lucubrationibus, acumen in illis ſummum, ac ſummam induſtriam, & robur deprehendes; nitorem quoque, ac vim, non ex auctoritate majorum, & importunam traditionum congerie, ſed ex ipſis deductam legibus, atque inſitâ juribus ratione: ut non immeritò Bartholomæus (5) Socinus ejus diſcipulus ſcripſerit, Aretinum nunquam, aut rarò falli, eumque doctrinę ſubtilitate, & conſcientiâ cæteros antecellere; id quod & alii ſcripſere (6), apud quos mitis extollitur laudibus. Vixit ex hac apud omnes exiſtimatione, atque etiam ex cęlibatu, quem Comes & Eques coluit ſanctiſſimè, omnibus venerabilis, ſed ex parcitate, ac modeſtiâ vitę ditiſſimus. Fertur enim opes immenſas cumulaſſe, quibus fretus, Ferrariâ ubi poſtremò docuit ſeptingentis aureis conductus, Romam venit, ſedente Sixto IV. ratuſque ſapientiam pecuniâ ſubnixam poſſe omnia, ſperavit Romanam Purpuram. Verùm cùm, quod de nobis quoque jactavit, qui nobis conferre beneficium noluit, cùm debebat, dictum à Sixto audiſſet, piaculum fore, ſi tanto viro ſtudiis erepto magnam Orbi afferret injuriam, ſpe fruſtratus Ferrariam rediit, quo in loco, cum aliquando, dilapſis ad ſpectaculum diſcipulis, quadraginta dumtaxat conveniſſe ad audiendum vidiſſet, indignatus, codice, ex quo prælecturus erat, in medium projecto, clamavit: Aretinum paucis auditoribus nunquam jura interpretaturum, atque unà exceſſit bile tumens è Schola, nec deinceps docere voluit, ſed redux in patriam, ut diximus, ibi conſenuit. Edidit

Super Pandectas & Codicem, & Decretales Comment.

Conſilia multa.

Tractatum de differentia inter Sententiam interlocutoriam & definitivam.

Gaſpar (7) Conradus ei Diſtichon frigidum ſatis appoſuit.

CAPUT XI.

Joannes Pratus. Verzellesii. Joannes à Prato Veteri. Jacobus Leoniſſa. Bartholomæus Capolla. Alexander Tartagnus.

LII. JOANNES PRATUS, Patavinus, Gymnaſii patrii alumnus & Doctor jus Civile profitebatur circa an. MCDLIX. ac deinceps Collega plurium Patavinorum ex eadem ſcientia, & muneris dignitate clariſſimorum, quos Tomaſinus (8) enumerat. 1472 Fuit autem acutiſſimus Jureconſultus, ut annotat (9) Scardeonius, à quo jus etiam Canonicum profeſſus aſſeritur, & quidem non ſine laude, & per annos multos: quamobrem ad annum ſaltem MCDLXXII. vivendo pervenerit. Scripſit Reſponſa multa, quorum volumina quædam extabant apud Mantuam (10): maximi tamen habitus eſt ex Commentario in partem II. Pandectarum, quâ vetus Digeſtum dicitur, eam ſæpè ad auctoritatem produci noſces, perlectis Adverſariis Joannis (11) Ricciulli.

LIII. Verzelleſia nobilis Patavii familia duos claros Gymnaſio patrio Juriſconſultos 1472
proge-

(1) lib. 2. c. 103. à p. 208. (2) S. Franciſci ponit Pancir. loc. cit. (3) Georg. Vaſarius Vit. Pictor. P. 2.
(4) ibid. p. 201. (5) conſ. 3. ad fin. lib. 2. (6) Apud Pancirol. loc. cit. (7) Proſopographia Melica Millenar. 2. (8) lib. 2. Gym. c. 2. p. 237. (9) lib. 2. Claſ. 8. p. 179. (10) in Collect. 16.
(11) lib. 2. tit. 10.

progenuit. Horum alter FRANCISCUS fuit juris Pontificii Profeſſor, egregii nominis ex Scardeonio (1), Riccobono (2), & Portinario (3), ex quibus floruerit circa annum MCDXXIV. & deinceps: ſcripſit autem in ſextum & Clementinas. Hujus filius JOANNES patre major Cæpollæ ſynchronus clarebat circa an. MCDLXX., obieritque biennio vel triennio poſt. Scripſiſſe dicitur multa (4), quæ bello Cameracenſi periere: aliqua extabant ætate Mantuæ (5) ac Tomaſini (6), & in his Tractatus celebris de Matrimonio bifariam ſectus, ut in altera parte de Matrimonii conſtitutione, ac deſtitutione ageret, in altera de ejuſdem impedimentis ampliſſimè.

1472 LIV. JOANNES A' PRATO VETERI Florentinæ ditionis, incertum an agnatus an nepos Antonii, de quo diximus, jus Civile mane & veſperi docuit Patavii æmulus Cæpollæ. Ædes habuit ad D. Matthiæ, ut Pancirolus (7) annotat. Eas ille emit ab hæredibus Antonii Bertoldi, cujus extat monumentum in Templo S. Sophiæ (8) Patavii: habebatque Salomonius (9) ſyngrapham emptionis, vi cujus in pretium computantur libræ ſeptingentæ, quas ipſe Joannes à Prato Veteri Profeſſor publicus mutuò dederat Antonio Bertoldo ante triennium, anno ſcilicet æræ communis MCDLXVI., nam ſyngrapha ſignatur an. MCDLIX. quamobrem vixerit ſaltem ad an. MCDLXXII., profeſſuſque ſit apud nos diu. Extant ejus *Reſponſa multa* in aliorum voluminibus. *Tractatus* etiam *de Jure, ac Privilegiis Dotium*, ex quo citatur à Ricciullo (10) & Monaldo (11), aliiſque. Filium habuit Marcum, & ex eo nepotes, quos laudat Pancirolus (12).

LV. JACOBUS, vel JO. JACOBUS LEONISSA, patricius Patavinus, diu jus Pon-
1474 tificium in Gymnaſio noſtro eximiâ cum laude interpretatus eſt, Scardeonio (13) teſte, quem ſequitur Pancirolus (14), & Riccobonus (15), ex quibus ſua habet Portinarius (16). Factus deinde Patavinæ Eccleſiæ Canonicus, tantę in curia Romanâ exiſtimationis fuit, inquit Mantua (17), ut Martinus Pontifex eum an. MCDLX. Legatum à latere in tota Flaminia conſtituerit; mox anno MCDLXVI. ad Romanum Imperatorem deſtinaverit, denique Quæſtorem, & ut vulgò dicimus, Capellanum perpetuum, hoc eſt Romanæ Judicem Rotæ. Eadem narrat Pancirolus (18). At Martinus has illi dignitates conferre minimè potuit; quippe ne dum ipſe, ne ſucceſſor quidem ejus Eugenius IV. inter vivos erant his, qui ſignantur annis. Ergo quod ſcribit Scardeonius (19), dexteritate, ac prudentiâ Leoniſſę uſus fuerit Pius II. in gubernanda Flaminia, idemque illum ad Cæſarem delegaverit, ſiquidem ad Cæſarem profectus eſt an. MCDLXV. quo Pius obiit. Si anno ſequenti eam legationem obivit, illam juſſu Pauli II. objerit; nec ab obitu Martini redierit Patavium, ſed Paulo eodem Pontifice, vel ab obitu Pauli circa an. MCDLXX. An iterum in Patria ad mortem uſque profeſſus ſit, ignoramus; nam id nobis dubio vertunt Alba Gymnaſtica, in quibus collega dicitur Jacobi à Canibus Patavini, Dominici Canis Veneti, Baptiſtæ à Lege, ac Georgii Prioli Venetorum explanantium Decretum, quorum nomina tametſi ad inſtitutum noſtrum minimè pertineant, attamen partim ad annos decurrentes poſt ſeptuageſimum ſæculi XV. ſpectant, ad ſexageſimum retrahenda ſunt, cùm certum ſit Patricios Venetos ab an. MCDLXXVII. Senatuſconſulto ab Exedris publicis abactos fuiſſe: hoc certum, Leoniſſam reducem, Patavii in rebus ſacris obeundis verſatum, Eccleſiaſticis officiis, quod ad ultimum ſenium vitæ ſuperfuit, impendiſſe, pacatoque fato mortalem eſſe deſiiſſe an. MCDLXXIV., ſepultumque in templo majore, uno hoc verbulo, *Sacrum*, ſignante cinerum tanti viri cuſtodiam. Scripſit in libros Decretalium doctiſſimè, extabantque apud ejus poſteros Reſponſa ejus non pauca, cum de eo Scardeonius ſcribebat, & Mantua, eaque nobis videnda olim exhibuit vir nobilis, & auditor noſter aſſiduus Jacobus Leoniſſa decus familiæ poſtremum.

LVI. BARTHOLOMÆUS CÆPOLLA, Veronæ natus, bonis artibus operam de-
1477 dit Patavii; Juriſprudentiam didicit ſub Angelo Aretino (20) Bononiæ, eidemque laborioſiùs perdiſcendæ inſtitit, regreſſus Patavium, ut Paulum Caſtrenſem audiret. Peracto ſtudiorum curriculo Doctor an. MCDXLVI., mercede privatâ (21) Petri Donati Antiſtitis Patavini munificè altus, in Gymnaſio noſtro publicè Ædilitium Edictum luculentiſſimè frequentiſſimis Auditoribus interpretatus eſt; clariorque inde factus Palatinas ſibi, atque Equeſtres dignitates, ac titulos comparavit, meruitque, ut Antagoniſtes (22) Alexandro

Tarta

(1) lib. 2. Claſ. 8. p. 176. (2) lib. 1. Gym. c. 12. p. 17. (3) lib. 7. c. 5. p. 239. (4) Scard. & Port. ibid.
(5) in Collect. 19. (6) in Chronotax. Gym. (7) de Clar. Interp. l. 2. c. 114. p. 212. (8) Sal. Inſcrip. Pat. p. 275. n. 27. (9) in Miſcell. ad Inſcrip. (10) lib. 1. de Matr. 19. (11) Tract. de Stupr. § 0. (12) loc. cit. (13) lib. 2. Claſſ. 6. p. 142. (14) lib. 3. c. 38. p. 366. (15) Gym lib. 2. c. 15. (16) lib. 7. c. 5. p. 241. (17) de Vir. Illuſtr. n. 128. (18) d. p. 366. (19) loc. cit. (20) Cæpolla in Auth. ſed novo jure n. 17. Cod. de ſer. fugit. (21) Pancir. lib. 2. c. 176. p. 211. (22) Alex. Conſ. 3. & 5. vol. 1.

Tartagno Profeſſor inter anteſignanos ordinarius Senatuſconſulto daretur an. MCDLVIII. Ex hac dignitate tumidus cum Alexandro ambitioſas exercere ſimultates ac jurgia cœpit, nullâ habitâ ratione cum ætatis in Alexandro provectioris, tum ſtipendii, quod auctius, ampliuſque Tartagno erat: quippe ſe comitem, & equitem contendebat præcedere debere, ſive ſedendum eſſet, ſive ambulandum. Joanni quoque à Prato (1) injurioſus jus prælegendi, cùm ipſe docebat, eripuit, juſſitque ſecutum omen agnominis ſui ad Pratum vallis ſecedere, atque ibi ſpatiari, Cæpollâ lectam juventutem inſtituente; cui ille: *ibo*, inquit, *atque ibi cæpe defodiam, ne reſtibus natrvis appenſa fructicent importunè*. Florebat maximè an. MCDLXVI. quo evocatus Romam inter Advocatos Conſiſtorii Sacri claruit: inde reverſus Patavium, & uxorem Martham, & Bartholomæum filium fato ſublatos amiſit, quibus tumulum extruxit ad D. Franciſci (2); & alteram duxit Urſulinam Caleiam Ludovici Juriſconſulti filiam, quæ illi ſuperſtes fuit è vivis erepto an. MCDLXXVII. Conditus eſt eodem ſepulcro, quod primæ uxori, ac filio paraverat, vir, ſi unam demas arrogantiam, & ex nimia ſui exiſtimatione proclive ad rixas ingenium, nomine ſuo ac famâ dignus. Scripſit, & edidit:

Cautelas Cauſarum Civilium in jure. Ex hoc opere vituperatur quod captioſas legum ludificationes excogitaverit: claret attamen ex hoc apud poſteros.
De Ædilitio Edicto.
De Simulatis Contractibus,
De re militari,
De Furtis.
De Prædiis Urbanis, & Ruſticis.
De Servitutibus Urbanorum, & Ruſticorum Prædiorum, quod opus ex inordinata ſcribendi ratione non omnino laudatur à Juriſconſultis doctiſſimis.
De Contractibus.
De Imperatore Militum.
Conſilia Criminalia, & Civilia.
Reſponſorum libros III.

His addit Mantua (3), quæ non nominantur ab aliis, *Tractat. de Verborum ſignificat*. *De Uſucapionib. Pro emptore*, & alia innumera.

LVII. ALEXANDER TARTAGNUS, patrio nomine notior Imolenſis, vix legitimæ ætatis Juriſprudentiæ ſe addixit Bononiæ, auditor primùm Joannis Imolenſis, mox 1477
Ludovici Romani, Joannis ab Anania, & Gaſparis Arengherii, quos ipſe præceptores ſuos nominat (4): ſub his depoſito tyrocinio in eodem Gymnaſio, Doctoris infulas conſecutus, anno ætatis vigeſimo primo, legum ſacrarum, profanarumque, ſcientiſſimus, aliquandiu judicem quæſtionum egit, deinde ad jus explicandum appulit animum. Tradit Ficardus (5), primùm Patavii, deinde Ferrariæ illum jura fuiſſe profeſſum. At Mantua (6) ſcribit, initium profitendi ab eo Ticini poſitum, indeque veniſſe Patavium. Veriùs eſt, quod annotat Pancirolus (7): non eſſe certum, an Ticini docuerit, certum eſſe, clariora docendi initia ab eo facta Ferrariæ, undè ad exedras Patavinas aſcenderit. Collegam atque æmulum hic habuit Bartholomæum Cæpollam, quocum acres & publicas contentiones exercuit de loco, progreſſuque, & anteceſſione; nec vana ſuſpicio Sanſoni eſt (8), rati ex hac rixa factum, ut Tartagnus Patavio diſcederet poſt decennium habitarum ſummo cum plauſu Gymnaſii prælectionum. Nam hoc ipſum palam Porcellinus confirmat (9). Rediit Bononiam, ibique docens reliquam ætatem tranſegit, ac Bononienſe Lycæum ita celebritate ſui nominis illuſtravit, ut quidquid uſpiam ſtudioſorum juris tunc erat, illuc confluxerit. Fertur abſolutiſſimâ doctrinâ, & ſummâ in docendo gratiâ fuiſſe præditus, minor ſanè acumine (10) Franciſco Aretino, ſed laborioſior, & in congerendis antiquorum ſententiis accuratus magis, ac ſedulus. Graviſſimi vir judicii, & veritatis pater appellatur à Curtio (11) & Cagnolo (12), quòd hanc ſequatur, cavillationeſque rejiciat: ſummæ auctoritatis Juriſconſultum, à cujus non liceat ſententia recedere, quique aureus Doctor, & immortalis cenſendus ſit, eum prædicat Tiraquellus (13), poſt Decium (14), & Jaſonem (14). Et tamen non omnibus placuit, placetve: nam ſunt, qui eum falli affectant (16) ſæpe, & à veritate nequiter aberrare: ſophiſtam dicant inter conſulentes peſſimum, qui ſuperſtitioſiùs omnium ſatagat, leges pretio figat, atque refigat, quò cariùs, quæ reſponſa dabat, licitaretur: ipſo enim (17) teſte pro his uſque ad duodetriginta aureos ſolebat exigere. Verùm hæc neque vera ſunt, nec Tartagno, quin inter quatuor Juriſconſultorum Principes referretur (18), obſuere:

unum

[1] Porcell. not. 64. in Matr. [2] Salom. Inſcr. Patav. p. 338. n. 38. [3] de Vir. Illuſtr. n. 64.
[4] Alex. Conſ. 67. n. 3. Conſ. 51. n. 4. Vol. 4. (5) in Alexandro. (6) n. 13. (7) lib. 2. c. 112. p. 298. (8) in Diario Præf. (9) not. 64. in Matric. (10) Vid. Pancir. ibid. p. 209. & ſeq. (11) Conſ. 139. n. 10. (12) in l. 5. n. 49. Cod. ad Senatuſconſult. Orfitian. (13) in l. 8. n. 72. Cod. de revoc. donat. (14) Conſ. 62. n. 2. (15) Conſ. 131. (16) Apoſt. ad Conſ. Alex. 36. & 139. (17) Conſ. 55. n. 22. lib. 4. Zaſi. lib. 1. ſingul. reſp. c. 7. (18) Galler. de exercit. Juriſprud. lib. 1. n. 21.

unum illud ex merito illi objici poteſt, ex quo peccant & alii, nimirum, quod dum curioſiùs auctoritates & textus aggerat, cumulatque, ordinis vitio laborat, & ſubobſcurus plerunque eſt. Deceſſit Bononiæ anno ætatis LIII., Chriſti MCDLXXVII. Ejus exuvias habet magnificentiſſimum ad D. Dominici monumentum, hac verè lapidariâ inſcriptione conſpicuum.

Alexandro Tartagno
Imolenſi legum veriſſimo ac fidiſſimo
Interpreti
Q. V. Ann. LIII. Filii Pientiſſ.
P. Opt. B. M. Pos.
Obiit Anno. MCCCCLXXVII.

De ſcriptis ejus hæc narrat Ghilinus (1): ea malis annotationibus à Carolo Molinæo fuiſſe corrupta, ac propterea Eccleſiæ decreto vetita, ſed Pii V. juſſu deinde recenſita, correcta, recuſa, ac publicæ utilitati fuiſſe conceſſa: plura de his Forſterus (2), quædam etiam Quenſtedius (3). Tituli ſcriptorum Alexandri Tartagni hi ſunt.

Comment. In Jus Civile.
In Sextum Decretalium.
In Clementinas.
Comment. In Codicem.
Super Digeſtum Vetus, & Novum.
Super Infortiatum.

CAPUT XII.

Petrus Barbobus Soncinus. Petrus Bagarotus. Jacobus à Puteo Alexander Nævus. Io. Franciſcus Pavinus. Lanfrancus De Oriano. Modeſtus Polentonus. Jo. Iacobus Canis.

1479 LVIII. PETRUS BARBOBUS, cognomento Soncinus, cujus etiamnum familia nobilis claret Patavii, hic natus in patrio Gymnaſio poſt Paulum Caſtrenſem jus civile (4) profeſſus eſt ab an. MCDLII. docuitque veſperi per annos circiter XXVIII. ut annotat Pancirolus. Vir doctiſſimus luculenta *in Pandectas Veteres*, & VI. *Codicis librum* edidit *Commentaria*. Eum honorificè producit Cæpolla in Reſponſis. Obiit an. MCDLXXIX., ut annotat Porcellinus (5) ejus ex ſorore nepos.

1482 LIX. PETRUS BAGAROTUS, vir inſignis & Juriſconſultus clariſſimus appellatur à Scardeonio (6); primaſque in Gymnaſio noſtro tuliſſe dicitur, ſcripſiſſeque multa, quę poſteris ſuis imitanda reliquerit. Floruit maximè circa an. MCDLXXV. quo evocatus à Senatu Venetias, ibi maximâ tunc peſtilentiâ graſſante, illâ correptus, interiit an. MCDLXXXII. Fratres ſibi ſuperſtites (7) reliquit tres, Antonium, Bertuccium, & Marcum. Et Antonius quidem adoleſcens admodum Patavii jus civile docuit ſumma cum laude, undè abſtractus bello Cameracenſi, ſecutuſque Maximiliani Cęſaris partes patriâ excedit, ac dignitate, fuitque deinceps comes Caroli V. in Germania, Pannonia, & Africa, ad cujus obſequium conſilio, & auctoritate Fontem Rabi civitatem, quæ ad Gallos defecerat, revocavit, mox in aula Alfonſi de Avalo Inſubriæ præfecti, deinde apud Octavium Farneſium Parmæ Principem, penè non omnia potuit, planèque Principatum citra titulum geſſit, obiitque prope octogenarius an. MDLV. At Bertuccius longè utroque fratre clarior diu docuit jus Pontificium in patria, habituſque eſt inter principes Collegii Patavini ex doctrina, & eloquentia: in actis Collegii Patavini, & in ejuſdem iconibus, quas explicat Salomonius (8), brabeutis, quos Promotores dicimus, D. Cajetani Thienæi annumeratur, ac teſte Scardeonio, ſcripſit multa, quæ cum ipſo perierint urbe captâ & direpta ſub Maximiliano. Marcus fratrum poſtremus vivebat, cùm hæc ipſa, quæ damus, ſcribebat Scardeonius, & illuſtrem familiam augebat conſilio, & labore. Ea noſtrâ ętate in ſtipite ſuo extincta eſt, vivit in traduce.

1486 LX. JACOBUM A' PUTEO Alexandrinum, debet Gymnaſium noſtrum Ghilino (9), qui unus, quod ſciam, hunc publicè jura profeſſum, cum in aliis, tum in Lycæo Patavino, conſtanter aſſerit. Adſtipulantur & indices aliquot Profeſſorum noſtrorum ex Lignamineo apud Salomonium (10), in quibus tamen Veronenſis dicitur,

(1) in Theatr. Vol. 2. p. 11. (2) Hiſt. Jur. Civil. lib. 3. c. 35. (3) Dial. de Patria Vir. Doctor.
(4) Mant. de Vir Illuſtr. n. 200. Pancir. lib. 2. c. 89. p. 189. Scard. lib. 2. claſſ. 8. p. 176. (5) not. in Matric. 49.
(6) d. Claſſ. 8. p. 187. (7) Scardeon. ibid. p. 188. (8) Inſcr. Pat. p. 521. n. 17.
(9) Theatr. Vol. I. p. 74. (10) Inſcript. Gymn.

dicitur, qui certiſſimè Patriciâ gente Alexandriæ ad Aquas Statiellas natus eſt. Docuiſſe fertur ab an. MCDLXVIII. poſt Alexandrum Imolenſem, & Cæpollam: docuerat ante Bononiæ, docuit deinde Ferrariæ, Taurini, ac Ticini ſummâ auditorum frequentia, maximique habitus à Franciſco I. Sfortia Mediolanenſium Duce, qui eum in Senatum adſcivit, reipublicæ gerendæ admovit, prædiis, cenſibuſque peramplis auxit, ac Retorti Regulum dixit, additis privilegiis, & immunitatibus, quæ in ejus poſteris perennant. Obiit Senator Mediolani decrepitus ante an. MCDLXXXVI. Nam ejus meminit, ut jam fato functi Jaſon (1) Maynus, appellatque gratæ memoriæ præceptorem ſuum. Scripſit multa, quæ poſterorum incuriâ perierint. Hæc ejus opera typorum beneficio ab interitu vindicantur.

Interpretationes in II. Partem Infortiati.
in I. Partem Digeſti Novi.
Fragmenta quadam in Jure Civili.
Diſputationes de Monetis.
Allegatio pro Communitate Terræ Valentiæ contra Communitatem S. Salvatoris in Materia Confinium.

LXI. ALEXANDER NÆVUS, ſeu DE NÆVO, Vicentinus (2), Baptiſtæ Phyſici filius, ut ipſe ſcribit, tum in patria, tum Tarviſii inter Flamines, ſeu Canonicos privatis auſpiciis Jus Pontificium docuit, quod ab an. MCDLVIII. profiteri publicè cœpit Patavii, ac per annos fermè ſex, & viginti profeſſus eſt mirâ, & auditorum frequentiâ, & Gymnaſii totius commendatione. Redux in patriam, quod infirma valetudine vexaretur, ibi contabuit an. MCDLXXXVI. ætatis LVII. Edidit 1486

Commentaria luculentiſſima in libros Decretalium.
Librum de Geſtis Romanorum.
Contra Judæos Fœneratores librum, & Reſponſa multa.
Tractatus duos adversùs Uſurarios, quos Mantua nunquam interituros exiſtimat.

De Nævo Pancirolus (3), & alii (4). Ex fratre Dominico nobilis ejus Familia Vicentiæ floret.

LXII. JO. FRANCISCUS PAVINUS, nobili Patavii gente progenitus, vir doctiſſimus (5) non in jure dumtaxat, verùm etiam in re Theologica, cujus laurum æquè ac Juriſprudentiæ retulerat, Canonicatum in templo principe nactus docuit per annos aliquot juris utriuſque Profeſſor in patrio Gymnaſio, inde à Paulo II. Romam accitus judex cauſarum, quem Auditorem appellant, renunciatus eſt, ut referunt Antonius (6) à Prato, & Jaſon (7): in eo munere conſenuit, deceſſitque Romæ ſexagenarius an. MCDLXXXVI. Sepultus ad Aram Cœli ſub marmorea tabula cum epigraphe. 1486

Jo. Franciſcus Pavinus Canonicus Paduanus
S. Theologiæ Profeſſor, & I. V. Doctor.

Celebratur præcipuè ex Reſponſis de Apotheoſi S. Bonaventuræ, & in Cauſa B. Simeonis Tridentini. Videndique Scardeonius (8), & Portinarius (9) poſt Pancirolum (10). Præter hæc opuſcula, hæc ejus nomine inſcripta ſunt.

Gloſſæ in Extravagantes Joannis XXII.
De officio & poteſtate Capituli Sede Vacante.
Tractatus de Decimis, & Oblationibus.
De Charitativo Subſidio.
De Viſitatione Epiſcopi.
In Novellas Juſtiniani.
Quodlibeta in Utroque Jure.
Liber inſcriptus Baculus Paſtoralis.

LXIII. LANFRANCUS de ORIANO, quem Orianum Seniorem appellat Mantua (11), Brixienſis, eodem Mantua teſte, docuit Patavii tunc, cùm ibidem Jaſon docebat, & ſi credimus Porcellino (12), hujus famam ad doctrinam æquabat ſummus ſua ætate Juriſconſultus. Floruiſſe eum inter Canonici juris interpretes tradit Pancirolus (13), quo tempore Joannes ab Anania deceſſit, hoc eſt circa an. MCDLVIII., ſed ſeriùs multo ad Patavinas exedras venit, nec ſcimus undè huc fuerit accitus. Ferunt (14) non ampliùs quadriennio militaſſe Gymnaſio, indeque reducem in patriam an. MCDLXXXIV. intra quadriennium obiiſſe, anno ſcilicet MCDLXXXVIII. nonagenarium. Sepultus eſt ſumptuosè (15) in templo Brixiæ majori cum epigraphe Græca, quam Italicis verſibus reddidit Octavius Rubeus antequàm, veteri templo dejecto, periret: nonnulla in jure Pontificio ad praxim utilia ab eo ſcripta notat Pancirolus (16), & quædam in Jus Civile, librum quoque de interpretatione ſtatutorum: at Mantua (17) illi alia, & quidem plura munificè tribuit, quæ certè Pauli ſunt ejus filii, de quo inferiùs. 1488

LXIV. MODESTUS POLENTONUS, Patavinus, Xicconis, vel Sicconis Poetæ & Ora- 1490

(1) in l. 1. col. pen. ff. de nov. oper. nunciat. (2) ipſe Nævus Conſ. 71. & 95. (3) lib. 3. c. 39. p. 366. & ſeq. (4) Mant. de Vir. Illuſt. n. 94. (5) Scard. lib. 2. Claſ. 8. p. 180. & ſeq. (6) in Clemen. Paſtoral. c. 6. n. 55. (7) in l. 15. n. 29. ff. de acquir. hæredit. (8) ibid. (9) lib. 7. c. 4. p. 242. (10) lib. 3. c. 40. p. 371. (11) ibid. n. 198. (12) not. 69. in Matric. (13) lib. 3. c. 34. p. 358. (14) Porcell. ibid. (15) Octav. Rub. Elog. p. 201. (16) ibid. (17) d. n. 198.

Oratoris eximii filius, veſtigia patris ſecutus humanioribus diſciplinis, ut Scardeonius (1) ſcribit, & ex eo Portinarius (2), impenſiùs operam dedit, mox ad jura convertit animum, quorum inſulas vivente patre conſecutus eſt, an. MCDXXXV. Legationes aliquot egregiè obiit, ſibique inde publicæ cenſum exiſtimationis, & Equeſtria ornamenta comparavit. Jus porro Civile in Gymnaſio profeſſus eſt ingenti cum laude, edidítque *in jure reſponſa*, quæ ſæpe, cum à Cepolla, tum ab aliis Juriſconſultis ad autoritatem producuntur. Scripſit etiam eleganter librum eruditiſſimum, ex quo maximè claruit, *de Sepulchris virorum Illuſtrium, qui Patavii tumulantur*: hunc librum habebat Scardeonius, recenſueratque, ac mendis, quæ irrepſerant librariorum inſcitia, expurgaverat, nec dubium quin pleraque, quibus appendix Scardeonii conſtat, inde fuerint accepta. Uxorem (3) habuit Aldam Franciſci Bradioli filiam, quæ illi fatis erepto in ultima ſenectute monumentum nobile erexit ad D. Joannis in Viridario cum hoc elogio.

Alda Matrona pudiciſſima Franciſci Bradioli
Juriſconſulti Clariſſimi Filia
Modeſto Polentono Marito ſuo defuncto Equiti
Inſigni & Juriſconſulto Excellentiſſimo
Xicconis Polentoni Eximii Oratoris Filio
Monumentum hoc
Faciendum curavit vivens & ſibi tantùm
Cum communi Ara ad divinum Cultum
MCDXC. Die XIII. Septemb.

1490 LXV. JOANNES JACOBUS CANIS, ſive A' CANIBUS, ut nominatur à Paneirolo (4), Patavii natus pari gloriâ eloquentiam, Poeſim, ac Juriſprudentiam tractavit. Claruit enim extremo ſæculo XV. Poeta, & Orator inſignis, excellentiſſimus verò Juriſconſultus. Interpretarum eum jus Pontificium, quandoque etiam Civile per an. XLVI. idem Paneirolus tradit, utique ex Scardeonio (5), cujus in hac parte mendum, ut credimus graphicum, non caſtigat: nam cùm Canis non amplius quàm XL. vixiſſe dicatur, qui potuit per annos XLVI. publicè profiteri? Emendamus nos ex Porcellino (6), qui annos publicæ profeſſionis per Alba, ſeu Matriculas ſignare ſolitus, huic Matriculas XV. tribuit, ſimul notat, hunc ob doctrinæ ſingularis famam Comitis, & Equitis inſignibus à Cæſare decoratum: Deceſſit in Patria quadragenarius anno MCDXC. Filium habuit ſuperſtitem Petrum è vivis ereptum an. MDV. Interpretem legum, non aliunde notum Gymnaſio noſtro, niſi ex eo, quod Scardeonium (7) auditorem habuerit. Joannis Jacobi edita hæc opera ſunt.

Comment. De executoribus ultimarum Voluntatum.
De Repraſaliis.
Comment. De Tabellionibus.
De Injuriis & damno dato.
De modo ſtudendi.
Repetitiones, ac Reſponſa.
Carmen Heroicum de Ludis Equeſtribus, quod grandiloquum, & majeſtate refertum celebrat Scardeonius (8).
Orationem de laudibus Petri Barocii Antiſtitis Patavini.

CAPUT XIII.

Jo. Baptiſta Samblaſius. Angelus Caſtrenſis. M. Antonius Baverius. Franciſcus Facius. Antonius Turchettus. Bartholomæus Socinus.

1492 LXVI. JO. BAPTISTA SAMBLASIUS, ſive à S. BLASIO, inter doctiſſimos viros ſeculi XV. numeratur à Ghilino (9), recenſeturque inter Profeſſores Gymnaſii noſtri, & quidem ut in legibus publicè interpretandis valdè laudatus, & plurimorum Operum ſcriptor egregius à Scardeonio (10), Paneirolo (11), Riccobono (12), Portinario (13), Tomaſino (14). Is Patavii Patriciâ familiâ ortus humaniores literas in patrio Gymna-

(1) lib. 2. Claſ. 8. p. 282. (2) lib. 7. c. 5. p. 240. (3) V. Pancir. lib. 2. c. 110. p. 207. (4) lib. 3. c. 38. p. 366. (5) d. Claſs. 8. p. 284. (6) not. 70. in Matric. (7) d. Claſs. 8. p. 284. (8) ibid. (9) Theatr. Vol. 2. p. 142. (10) lib. 2. Claſ. 8. p. 180. (11) lib. 2. c. 118. p. 215. (12) lib. 1. Gym. c. 12. p. 17. (13) lib. 7. c. 5. p. 241. (14) lib. 2. Gym. c. 1. p. 237.

Gymnaſio didicit, iiſque penitus imbutus ad legum ſtudia ſe contulit ſub Paulo Caſtrenſi, profecitque brevi præclarè adeo, ut adſeſſor Prætoriorum Magiſtratuum ab omnibus expetitus, diu ſe à munere, uon ſine labore miris artibus excuſaverit. Profeſſus deinde jura Civilia in Lycæo noſtro per annos quadraginta, tandem inde vel invitus avulſus eſt, ut Adſeſſor eſſet apud Dominicum Triviſanum Equitem, Brixiæ Prætorem, M. Antonii Venetiarum Principis patrem. Ea in urbe, dum ex incorrupta fide munere fungitur, ictus apoplexi ſubita, cum loqui non poſſet, manu tamen propria coram teſtibus teſtamentum ſcripſit, quo, quia carebat filiis, res ſuas uxori, eâque demortua, cognatis Paulo, & fratri ejus de Sarris è vico Peraghæ reliquit, ac ſtatim occubuit III. Idus Februarii an. MCDXCII. Conditus eſt nobili ſepulcro Brixiæ in æde S. Agathæ cum epitaphio.

Baptiſtæ Blaſio Patavino
Pontificii Cæſareique Juris conſultiſſimo
Prætorio Aſſeſſori Æquiſſimo
MCDXCII.

Adoleſcens, atque adhuc tyro anno ætatis XXI. edidit *Commentarium de Actionibus*. Jam Doctor, ac Profeſſor hæc:

Catalogum Interpretum Juris, ex quo pleraque habet Scardeonius, Ficardus, & Mantua, nos quoque aliqua inde collegimus.
De Studio legali.
De Actione & ejus natura.
De Correlativis.
De Differentiis inter Arbitrum, & Arbitratorem.
De Privilegiis Dotalibus.
Brocardica, ſeu Contradictiones juris Civilis, & Canonici.
Arborem ſuper libros Inſtitutionum.
Indicem, ſeu Repertorium ad Reſponſa Angeli Ubaldi.
In Titulos diverſos I. & II. Digeſti Veteris.
In I. & II. Codicis.
Super Decreto, & Rubr. Decretalium.

LXVII. ANGELUS CASTRENSIS (1), Pauli filius, Patavii natus non alibi, quàm in patrio Gymnaſio jura didicit, quæ deinde ibidem dumtaxat docuit per annos fermè 1492
quadraginta, ut Pancirolus refert, & conſtat ex monumentis Gymnaſticis. Er primò quidem jus Pontificium profeſſus eſt diu, & ex eo clarus Romam venit, claruitque ibi per annos aliquot glorioſiùs Eques, Comes, & Advocatus Sacri Conſiſtorii, undè reverſus Patavium ad juris Civilis exedram matutinam evectus mirâ doctrinæ famâ, & auditorum frequentiâ docuit ad annum uſque MCDXCII. quo videtur ad plures abiiſſe: quippe eo anno filius ejus Nicolaus Canonicus Patavinus juris Profeſſor Pontificii Ticini, Bononiæ, ac Patavii avo Paulo, & Angelo patri monumentum æneis ornatum ſimulacris erexit in templo Servorum, ubi jacent cum elogio, quod quia prolixius eſt, quàm brevitas operis noſtri patiatur, leges apud Scardeonium (2), & Salomonium (3). Scripſit *Reſponſa* copioſiſſima, quorum Volumina duo lucem publicam aſpexere, cætera, ut videtur, perierint. Ex his magnificè laudatur à Scardeonio, cujus ætate, hæc Angeli Conſilia omnium terebantur manibus, verſabanturque in ore omnium cauſidicorum, quaſi præcipua Civilis ſapientiæ rudimenta.

LXVIII. M. ANTONIUS BAVERIUS, vel BAVERIA, ut illum nominat Mantua (4), Bononienſis, primùm docuit in patria, deinde Piſis, denique Patavii veſperti- 1505
nas in jure Civili prælectiones habuit à ſecunda ſede. Cùm porro (5) primam exedram affectaret; peteretque ſaltem æquari Jaſoni, quo collega primas obtinente profitebatur: nec æquis, quæ offerebantur conditionibus acquieſceret, exautoratus Senatuſconſulto Patavio diſceſſit circa an. MCDXCVI. An alibi poſtea docuerit, ignoramus, certè ultra an. MD. vixit (6), ediditque præclara *in Inſtitutiones Commentaria*, & libros *de Virtute Juramenti*, & *de Morâ*, quos probat, & laudat Mantua (7), quo teſte obiit, ac ſepultus eſt Bononiæ ad D. Dominici in monumento paterno.

LXIX. FRANCISCUS FACIUS, Patavinus, miris laudibus commendatur à Scardeonio (8) ejus diſcipulo, cui adſtipulantur alii (9), jejunè tamen, dùm breviùs quæ Scardeonius tradit excipiunt. Adoleſcens jus Pontificium profiteri publicè cœpit eo cum plauſu, ac frequentiâ diſcentium, cui parem pauci, quâ majorem nemo in ſubſelliis Gymnaſticis vidit. Erat illi peracutum, ac peramœnum ingenium, memoria multa, tanta verò & mira adeo, tùm facilitas, tùm gratia, & lepor docendi, ut omnes accurrerent, aut

(1) Scard. lib. 2. Claſ. 8. p. 195. (2) In Append. p. 291. (3) Inſcript. Pat. p. 469. n. 10. (4) de Vir. Illuſtr. n. 18. (5) Pancir. lib. 2. c. 130. p. 262. (6) ex Edit. Oper. an. 1501. (7) d. n. 187. (8) lib. 2. Claſ. 8. p. 186. (9) Pancir. lib. 3. c. 45. p. 372. Mant. n. 99.

abſtruſiſſimos quoſque juris locos inter diſſerendum rimantem audituri, aut calamo celeri, quæ graviter, ſuaviterque, nitore ſummo, & acumine, quaſi dictans pronunciabat, excepturi, quò faciliùs impliciros legum nexus diſſolverent. Hæc in juvene eò magis mira erant, quò tantæ virturis animus, & tantæ pulcritudinis mens, atque ingenium deteriùs habitabant. Nam illiberali ore, deformi corpore fuiſſe dicitur, quod gravi gibba enormiter premebatur. Sacerdotium Salmatiæ à Marco Cornelio Cardinali, cujus fuerat præceptor, nactus, ne à ſtudiis abeſſet, fratri reſignavit: ipſe præter oneroſum docendi negotium, ad edenda, quæ ſcripſerat, totus incubuit, fecitque publici juris luculentiſſimum Commentarium, *de modo argumentandi in utroque Jure*. Cœperat & communes legum Regulas cum exceptionibus, & alia multa prælo parare, atque interim ſi quid ſupererat otii, picturâ, & muſicâ liberalium artium ſectaror aſſiduus à ſegnitie vindicabat; nam & muſica tractabat inſtrumenta molliter, & antiquorum characterum formas ità facilè, ac ſpecioſè ducebat, ut nihil ea manu, aut venuſtiùs, aut pulcriùs optari, aut fingi poſſet, quemadmodum aſſerit Scardeonius (1). Diſcuſſit hæc omnia mors præmatura, quæ ad verticem gloriæ aſſurgentem anno ætatis trigeſimo, ſalutis Chriſtianæ MDV. terris abſtulit. Conditus eſt ad D. Franciſci ſepulcro majorum ſuorum, nec diu poſt eodem recepit hoſpitio Auguſtinum fratrem I.V.D. & publicum I.V. Profeſſorem in patrio Gymnaſio; atque etiam Pompejum nepotem intra an. MDLIX., de quibus videndus eſt Scardeonius. Ipſe Franciſcus oratione Hermici Luſitani elegantiſſimâ laudatus in funere eſt, atque etiam octaſtico.

Hic ego relligio canos religata capillos
Mœſta fleo, noſtra hìc contegit oſſa lapis:
Illicet ut charum rapuit mors triſtis alumnum,
Iniecitque avidas in mea Sacra manus:
Juſtitia interiit, latuerunt Jura, nec uſquam
Victima Sacra Deo ſanguine tinxit humum.
Franciſcum Facium luget Pietaſque, Fideſque:
Lætantur quamvis Sidera, terra dolet.

1505 LXX. ANTONIUM TURCHETTUM, ſeu DE TURCHETTIS, graphico, ut putamus ſphalmate Angelum Tomaſinus (2) appellat. Profeſſor Gymnaſii noſtri doctiſſimus, & Orator eloquentiſſimus dicitur à Scardeonio (3), qui multa ſcripſerit, ac diſſeruerit, quæ perierint, quòd è familia poſtremus fuerit. Extant attamen Reſponſa ejus aliquot, quorum duo vidimus, alterum eſt pro Annibale Capiliſtio Com. & Equite Seniore, qui clarus eſt (4) ex haſtilibus ludis maximâ pompâ, & ingenti ſumptu celebratis Patavii an. MCDLXVI. inducto in ſpectaculum Equo Trojano inſtar montis, qui adhuc extat, & præcipuam familiæ Capiliſtiæ gentem deſignat. Alterum pro teſtamento Bernardi Boroni V. Clariſſimi, de quo multa Scardeonius (5). Edita eſt ejuſdem Turchetti facundiſſima Oratio, quam, miſſus à Patria legatus gratulatum Nicolao Throno principatum, *habuit* coram Senatu Veneto. Eam laudant Scardeonius (6), & Mantua. Obiit Patavii perſenex XVIII. Kal. Octob. an. MDV. jacet in ſepulcro majorum ad Antonianam Baſilicam. Fertur extremis tabulis hæredem ex dodrante feciſſe familiam pauperum in Noſocomio S. Franciſci, idque teſtatur (7) inſcriptio decreto Collegii Juriſconſultorum infixa parieti ædium ipſius reſtauratarum an. MDXLI. Priore Bernardino Sperono.

1507 LXXI. BARTHOLOMÆUS SOCINUS (8), Mariani Senioris filius, patre major, Juriſprudentium cæterorum nemini ſecundus ex acumine ingenii, legumque notitia, ac Reſponſorum celebritate, natus eſt VIII. Kal. Aprilis an. MCDXXXVI. Bonis artibus Græcis atque Latinis imbutus, ad ſtudia legum ſe contulit, ac primùm patris, ac Thomæ Doctii Senenſis auditor in patria, Bononiæ deinde, ac Patavii præceptoribus uſus eſt Alexandro Tartagno, & Andrea Barbatia, poſtremò Piſis Franciſcum Aretinum audivit, claruitque adhuc diſcipulus ob eas, quas publicè crebras habebat, diſputationes acer, & æmulis infeſtus uſque adeo, ut eos, etiam patre ſuppetias ipſis ferente, vehementiùs urgeret, ſalvâ reverentiâ parenti debitâ, qui filii doctrinam ſæpe miratus prædixiſſe fertur, ejus nomen aliquando fore clariſſimum. Patavii quoque nondum Doctor diſſeruit publicè, atque hinc jam proximus lauro revocatus Senas, ibi legum tyrocinium depoſuit; ſtatim-

(1) ibid. (2) Gym. lib. 1. c. 2. p. 237. (3) d. Claſs. 8. p. 197. (4) V. Scard. lib. 3. Claſs. 13. p. 296. in Hannibale Capiliſtio. (5) d. Claſs. 13. p. 336. (6) loc. cit. (7) Salom. Inſcript. Pat. à p. 530. num. 3.
(8) Panciroi. lib. 2. c. 126. à p. 242.

ſtatimque Inſtitutionum extra ordinem Profeſſor, deinde matutinas ordinarias prælectiones habuit. Clarior ex his factus ſtipendium Piſis meruit ab an. MCDLXXIV. Piſano Gymnaſio Piſtorium translato, ibi aliquandiu docuit, mox eodem reſtituto Piſas, iterum eò rediit, ac veſpertinam juris Civilis explanationem profeſſus, Philippum Decium, affectantem prælectiones eaſdem, compulit ad jus Canonicum explicandum. Jam omnium ſui temporis Juriſconſultorum præſtantiſſimus à (1) Borſo accitus Ferrariam, in Ferrarienſi Gymnaſio jura itidem Civilia quadriennio docuit familiariſſimus Felino; poſtea Bononiæ eodem munere functus, inde à Laurentio Mediceo illectus magnitudine ſtipendii, regreſſus eſt Piſas ad interpretationem Matutinam: ibi cum Jaſonem pari ſtipendio conductum accepiſſet, ut ipſi eſſet antagoniſtes, cum ſibi parem factum ferre non potuit; ac ſæpè cum eo certare cœpit, plerumque victor, nunquam ſine jurgio, & rixâ non admodum liberali. Licebit parcere brevitati, quam profitemur, & apud Pancirolum (2) otioſiùs lectitare narrationem certaminis inter hos Juriſconſultorum Principes coram Laurentio Medice initi, ac dirempti auctoritate, ac dexteritate Laurentii ejuſdem. Jaſone Ticinum evocato, Socinus ad oblatam ſibi à Venetis exedram Patavinam, intra Florentinæ conductionis tempus, clam proficiſci cogitavit; verùm in ipſa fuga deprehenſus, atque cuſtodiæ mancipatus, Florentiæ Stellionatûs factus eſt reus; cùmque de pœna crimini decernendâ diſceptaretur, non defuit, qui reum læſæ Majeſtatis aſſereret, & capite plectendum eſſe ſanciret. Laurentius Medices illum periculo exemit, damnatuſque eſt ad certum tempus in vinculis, mox paulatim data venia eâ conditione, ut ſe chirographo profeſſurum Piſis promitteret certo & ſtipendio & tempore. Honorarium illi conſtitutum in annos ſingulos aureorum mille per triennium. Eo tranſacto, migravit Bononiam, undè an. MCDXCVIII. Patavium venit (3), primaſque inter Juriſconſultos Gymnaſii noſtri obtinuit. Poſt annos aliquot circa an. MDII. rediit Bononiam, ubi profeſſus eſt, donec obſeſſis faucibus gravi catarrho vocem amiſit; atque in patriam reductus, in ejus ſuburbio deceſſit anno MDVII., quòdque decoxiſſet, opibus ganeâ, aleâque conſumptis, ære publico civium ſepultus eſt in monumento Majorum. Vir fuit acris ingenii, & certi judicii, qui acutiſſimè (4) difficultates extricaret, ac ſolveret, ſolitus propterea ſæpe à Majorum ſententiis diſcedere, unde à Decio (5) quandoque accuſatur. Sed enim deturpavit, corrupitque has doctrinæ laudes morum licentiâ. Nam aleæ deditus, eam luſiſſe dicitur pernox, neglecto ſæpe diurno docendi munere, inſumptiſque pecuniis ineptè, quas cum ex patrimonio ſatis amplè receperat, tum per ſe in immenſum collegerat. Quamobrem, uti diximus, ad extremam redactus inopiam, vix quod funeri apparando ſufficeret, reliquit. Reprehenditurque hinc à (6) Decio ſubobſcurè. Cæterùm dum vixit, ſplendidè ſemper, ac magnificè vixit, lautâ & argenteâ ſuppellectile uſus: undè illi altera inopiæ cauſa ex luxu. Scripſit multa, quæ paſſim ejus nomine inſcripta leguntur. Sed librum Regularum, ſe vivo editum ſuum eſſe jurejurando interpoſito inficiatus eſt (7), actionemque injuriarum intentaturum ſe dixit adversùs typographum. Volumina quoque duo Reſponſorum, eo vivo, & inſcio lucem publicam aſpexere (8): reliqua clarent ab ejus obitu, ex quibus tantus eſt Mantuæ, ut ſæcula futura deſperent, quempiam illi ſimilem ullo unquam tempore ad leges pertractandas utiliùs, uberiùs proditurum.

CAPUT XIV.

Franciſcus Malchioſtrus. Antonius Urſatus. Antonius Borromæus. Jo. Baptiſta Roſellus. Jo. Georgius Branditius. Petrus Franciſcus Ravennas.

LXXII. FRANCISCUS MALCHIOSTRUS Parmenſis, jus Civile docuit Patavii (9) 1507
Jaſone collega, mox etiam Bartholomæo Socino. Scripſit *Conſilia*, ſeu *Reſponſa* multa, in quibus miram legum ſcientiam, & vim ſingularis memoriæ laudat Porcellinus, qui eo magiſtro, mox etiam antagoniſta gloriatur. Edidit eodem teſte *Commentarios egregios in Authentica Juſtiniani*, parabatque in ejuſdem Novellas, quæ ſunt extra corpus juris gloſſas eruditiſſimas, ſed Sicarii manu, dum domum noctu regreditur, occiſus interiit. Extat ejus ſepulcrum in Baſilica Eremitana (10), non autem Antoniana, ut habet Pancirolus (11) cum hac Epigraphe.

(1) Socin. conſ.46. n. 2. lib. 3. (2) ibid.p.222. (3) ſocin. conſ.62.in prin.lib.3.& l.22.ff.de reb.cred.ſi cert.pet. (4) V. Ang.Polit.lib.5.Epiſt.ult.in fin. (5) Conſ 171.n.3. (6) in l.8.n.4.Cod.de impub. & aliis ſubſtit. (7) Sylva Nup. lib. 4. n. 10. (8) Boer.dec.7.col.3. (9) Porcell.not.69.in Matric. (10) Salom.Inſcr.Pat.p.225.n.69. (11) de Clar.Interp.lib.2.c.128.p.2, 1.

Franciſco Malchioſtro Juriſconſulto Parmenſi Clariſſimo
in Patavino Gymnaſio publicè profitenti,
Sicarii manu crudeliter extincto
Brocardus Malchioſtrus Frater mœſtiſſ. P.
MDVII. Die Octo. VII.

1508 LXXIII. ANTONIUS URSATUS, nobiliſſimâ gente Patavii natus, pet annos circirer quatuot ac triginta jus Civile in Gymnaſio, publicè ſed & doctiſſimè profeſſus eſt. Floruit autem ante ſæculum XVI. ut colligo ex Scardeonio (1), qui ſcriptor ejus ſæculi hunc præſtantiſſimum virum floruiſſe dicit *ſuperiori ætate*, conſentiuntque fragmenta Marricularum, quæ Porcellinus (2) notulis illuſtrat ſuis; nam ibi ad annum MCDLXXIV. ejus ponuntur initia, mors aurem ejus obitet ſignatur anno MDVIII. Hinc corrige ſodes Pancirolum (3), qui Antonium longè ſerius Juriſconſultis noſtris accenſet. Scripſit egregium *Reſponſorum* volumen, habuitque ut refert Scardeonius (4) quamplurimas elegantes *Orationes gratulatorias* ad Venetorum Duces, & ad novos, ac recèns inſtituros Epiſcopos, & præſertim ad Petrum Barocium. Editæ eæ omnes dicuntur, an Reſponſorum volumen editum ſit, ignoramus. Plures quoque leges in Codice Statutorum Collegii Patavinæ jutiſprudentiæ inſcriptæ ſunt ejus nomine, reipſâ perutiles, & quæ etiamnum obtinent. Fratrem habuit Gaſparem virum doctiſſimum, & clarum Profeſſorem Gymnaſii noſtri pet annos circiter quaruot & viginri. Præſtitit is etiam eloquentiâ, habiruſque eſt Oratot magnus, ac plura ſcripſit, quę bello Cameracenſi direpto Patavio perierint, obiitque in bona ſenectute relicto filio Marco, cujus ad gloriam patris, ac patrui adoleſcenris prænaturam mortem defler Scardeonius (5). Jacent hi tres in eodem ſepulcro extra portam Aquilonarem Baſilicæ Antonianæ, ſignato ſolo nomine Antonii.

1509 LXXIV. ANTONIUS BORROMÆUS, patricius Paravinus, ut neque à Scardeonio (6) neque à reliquis rerum Gymnaſticarum ſcriproribus inter Profeſſores publicos numeretur; attamen tum ex Adverſariis curiæ ſacræ, tum ex Albis, ſeu Matriculis Profeſſorum, in Fragmentis à Porcellino (7) collectis anno MCDXC. Jus Pontificium profirebarur in ſede tertia matutina, in ſede autem ſecunda pomeridiana anno MCDXCIV., ur non immeritò claris Profeſſoribus juris accenſendus ſit. Ex his quæ congerit Salomonius (8), profeſſus ſibi tradita per virum nobiliſſimum & doctiſſimum Com. Alexandrum Borromæum, noſtrâ ætate peritiſſimum Medicum, & Profeſſorem publicum Gymnaſio noſtro memorandum, Antonius diu jura profeſſus, flexit deinde animum ad Theoremata Theologica, quorum etiam inſignia ſibi comparavit, iis ſe objiciens experimentis jam vir adultus, quibus virtus juvenum probatur. Dilexit autem adeo Sacræ Scientiæ titulos, ut hos tumulo ſuo inſcribi juſſerit. Reſpondent his, quæ de illo narrat Scardeonius (9), faſſus dubitaſſe ſe, utrum vir eximius numerandus eſset inter Theologos, an inter Jureconſultos; æquè enim in uno homine & cognitionem artium liberalium, & ſcientiam Theologiæ, & juris doctrinam coruſcaſse. Scripſit mulra, quæ idem Scardeonius grandia quidem ſenſibus exiſtimat, ſed humili compoſitione verborum contexta, neque cultu latinæ linguæ, ac rhetorum exornatione polita. Eorum, quæ typis edita extant, hi tituli ſunt. *Opuſculum contra Judæos*, *Clypeum Virginis, ſeu de immaculata Deiparæ conceptione*. *Teſtamentum Chriſti*, quod, quà licuit obirèr delibare, tum Chriſtiana Dogmata, tum pręcepta Chriſti moralia fusè per quæſtiunculas explicat. Obiit nondum planè ſenex an. MDIX. ſepultus eſt ad D. Pauli apud aram cum hac epigraphe.

Antonio Borromæo (10) ill. Artium & Theologiæ
& I. V. D. Excellentiſſ. Equiti, & Comiti digniſſimo
Monum. hoc Lombarda de Comitibus uxor
Hæredeſque Poſuere, Anno à Natali
Domini MDIX. Quarto Kalendas
Ianuarii.

LXXV.

(1) lib. 2. Claſ. 8. p. 184. (2) not. 70. (3) lib. 2. c. 191. p. 307. (4) ibid. p. 184.
(5) ibid. p. 183. (6) d. p. 183. (7) not. 71. (8) Inſcrip. Gym. (9) ibid.
(10) Scard. ibid. Salom. Inſcript. Pat. p. 199. n. 14.

LXXV. JO. BAPTISTA ROYCELLUS, ſeu *Roſellus*, Antonii patruelis ex fratre Baptiſta inter Patavinos clari nominis Juriſconſultos proponitur à Scardeonio (1), quod natus Patavii ſit, licet Aretio, undè Majores ejus prodiere, oriundus fuerit. Docere cœpit Patavii adhuc adoleſcens ab ann. MCDL. eodemque munere interpretandi extra ordinem Gloſſas, Bartholum & Paulum maximâ diſcipulorum frequentia plauſuque functus eſt per annos (2) fermè LII. Obiit anno MDVIII. vel potiùs anno ſequenti, ut annotat Cortellerius (3), quo teſte apud Salomonium (4), hæc & origine & patriâ nobiliſſima familia deſiit in Paulo Roſello hujus Jo. Baptiſtæ filio circa ann. MDX. quo, cùm omnia bello Cameracenſi Patavii ſuſdeque verterentur, pleraque hujus doctiſſimi Juriſconſulti ſcripta periere. Superſunt *Reſponſa* quędam ex plurimis, ac celeberrimum illud, quod edidit pro monte Pietatis erecto Patavii, hortatore D. Bernardino, ac reclamantibus Dominicanis. Sepultus eſt ad Antonianam baſilicam in ſepulchro patrui, & patris. 1509

LXXVI. Spem quoque maximorum ad gloriam Gymnaſii noſtri pertinere, nemo ibit infìcias. Hinc Juriſconſultis clariſſimis, qui legum documenta in eo profeſſi ſunt, annumerare licet JO. GEORGIUM BRANDITIUM Vicentinum, qui relatus in ordinem docentium, quamvis juvenis admodum ab anno MCDXCIV. mirâ frequentia confluentium auditorum undequaque, publicè jus civile eſt interpretatus, atque ad apicem perennaturæ deinceps ex juriſprudentia claritudinis evaſurus ſperabatur. Diſcuſſit vota diſcentium fœdus Cameracenſe, quo, cùm Patavinum Gymnaſium interquieviſſet, Branditius Vicentiam regreſſus, ibi contabuit circa ann. MDX. majora pollicitus, ſi vixiſſet. Edidit *Commentarios in Inſtitutiones* magnæ mentis nobile indicium, & ſpei de illo conceptæ teſtes locupletiſſimos, ut ex Mantua (5) colligimus, ex quo hæc habemus. 1510

LXXVII. PETRUS FRANCISCUS *Ravennas*, familiâ THOMASIUS, claruit maximè ex admirabili memoria, ex eaque naturæ miraculum habitus eſt, credituſque Carneadem, Simonidem, & Metrodorum Græcos, Cyrum Perſarum, Mithridaten Ponti Reges, Julium Cæſarem ipſum, quos μνήμονας ab excellentia, præſtantiaque memoriæ Græci dicimus, ſuperaſſe. Nam præter plurima, quæ memoriâ continebat, ac ſtans pede in uno ad verbum proferebat in medium, fertur univerſum juris corpus cum gloſſis ita tenaciter vaſto ſinu memorię complexus fuiſſe, ut ſingula quinque juris Civilis volumina, loca legum percunctantibus tanquam de ſcripto legens, recitaret. Inde illius encyclopediæ theſaurus, quo locuples ad omnes diſciplinas oſtentandas cum ſua, tum aliena, proſâ, & verſu compoſita miro ordine, ac fide in omnes effundebat. Primùm in hoc noſtro Gymnaſio magni celebritate, & ſtudioſorum frequentiâ jus Pontificium interpretatus eſt diu, deinde Bononiæ, Ferrariæ, Piſis, Piſtorii; ubi civitate donatus eſt, & immunitatibus, ampliſque honoribus auctus. Poſtremò accerſitus Witembergam, eò adcurrentem diſcipulorum inſtituit multitudinem; carus Friderico III. Cæſari equeſtri dignitate ornatus eſt, nec acceptus minus Maximiliano, majore apud eum gratia vixit. Familiaritatem quoque contraxiſſe dicitur cum Bonifacio Marchione Montisferrati, cum Eleonora Aragonia Herculis Aceſtini conjuge, & cum Ægidio Card. Viterbienſi. Hieronymum Butigellam, & Jo. Mariam Riminaldum Juriſconſultos clariſſimos in arte comparandæ memoriæ diſcipulos habuit, obiitque valde ſenex Witiburgi circa ann. MDXI. De eo pauca Mantua (6), hæc ipſa Pancirolus (7). Edidit 1511

Epitomen Iuris miro ordine, ingenio, & brevitate, quâ ſententias legum, Gloſſemata, quæſtiones, & quos vocant Apparatus complexus eſt.

Commentarium in Feuda.

Alphabetum Juris utiliſſimum.

Interpretationes peramplas in libros Decretalium.

Repetitionem celebrem, & prolixam in C. inter cætera de Immunit. Eccleſiar.

Librum inſcriptum Phœnix, ubi regulas ad comparandam tenacitatem memoriæ tradidit; multaque ab ſe recitata memoriter, & pro miraculis habita, ordine digeſſit.

(1) d. Claſſ. 8. p. 182. (2) Pancir. lib. 3. c. 36. p. 363. & ſeq. Mant. nu. 127. (3) de famil. Patav.
(4) Inſcr. Pat. p. 382. nu. 123. in marg. [5] de Vir. Illuſtr. nu. 164. (6) ibid. nu. 209. [7] lib. 2. c. 117. & 138. p. 215. 250. 251.

CAPUT XV.

Joannes Campegius. Chriſtophorus Albericus. Hieronymus Butigella. Paulus de Oriano.

1511 LXXVIII. JOANNES CAMPEGIUS, Bononienſis (1), Bartholomæo patre ſponte exule, quòd Canetulorum partes tueretut contra Bentivolos, & Paula matre ex Cavalcabovum Cremonenſium nobili familia, Mantuæ, quo ſe pater receperat, natus eſt an. MCDXLIX. Major annis quatuordecim humaniore literatura probè imbutus Bononiam venit, atque ibi Alexandri Tartagni auditor, deinde Piſis Franciſci Aretini jus Cæſareum, ac Pontificium perdidicit, tanti adhuc diſcipulus habitus, ut à Piſanis ac Ticinenſibus eodem tempore ad juris exedras poſtularetur. Depoſito tyrocinio Ticinum prætulit, ubi diu docuit collega Hieronymo Butigellæ; charus Inſubriæ Ducibus, horum legationes obivit multas, eorundemque juſſu Cremonenſi, & Aſtenſi Civitatibus præfuit. Accerſitus poſt hæc à Venetis longè majore ſtipendio, matutinas prælectiones Patavii profeſſus eſt. Refert Sabellicus (2) ei advenranti Patavium, ob inſignem nominis, ac doctrinæ famam, à Magiſtratibus, Gymnaſiarchis, & Profeſſoribus obviam itum, tantâ hominum occurſantium frequentiâ, ut Profeſſorum nullum honorificentiùs acceptum unquam Patavium viderit. Decennio in Gymnaſio noſtro docuit, ſummâ apud omnes opinione virtutis, eaque ſapientię celebritate, quâ majorum gentium Juriſconſultos Bartholomæum Socinum, & Jaſonem Maynum vel æquaret, vel ſuperaret. Subiratus deinde Venetis, quod æmulo Jaſoni ſtipendium auxiſſent, ipſe, qui ſe majorem ferre non poterat, Bononiam, civium ſuorum precibus evocatus conceſſit: eumque ſecuta eſt Patavinorum Auditorum pars maxima: undè querelæ Patavii, ac tumultus Studioſorum; pœnituitque Venetos non tanti feciſſe, quem maximi Gymnaſium faciebat. Ergo eodem, quo Jaſonem honoraverant, ſtipendio decreto, virum eximium revocarunt, quem huc reductum Rector Gymnaſii cum nobilioribus diſcipulis quinquaginta proceſſere Bononiam. Auctum deinde illi profuſiùs honorarium ad aureos millenos, quod iterum apud nos per decennium docendo meruit. Mox redit Bononiam, in qua omnibus honoribus optimè functus, pro patria ad Julium II. P.M. legatus fidejuſſor pro tumultuantibus Bentivolenſibus, civium ſuorum ſaluti, ac ſoſpitati conſuluit non ſine periculo, & damno. Nam cum Julius II., Bononiâ recuperatâ, pactis, pro quibus Campegius fidejuſſerat, minimè ſtetiſſet, pluresque Bentivolenſes exilio, vel extremo ſupplicio damnaſſet, à Bentivolis deinde in patriam reſtitutis, pecuniâ magnâ multatus eſt abſens, dum apud Mantuanos Principes arbiter electus diſſidia, & lites componebat. Inde mœrore laceſſitus, & ex eo ægritudine dyſenteriæ contracta, Mantuæ, ubi natalem, emortualem quoque diem ſortitus eſt ann. MDXI. ætatis LXIII. Scripta ejus, quæ multa, & doctiſſima fuiſſe dicuntur, triduo ante obitum, Bononiæ domo ejus direpta, periere; creduntúrque in aliorum ceſſiſſe manus, qui ſe tanti viri pennis contexerint. Extant nonnulla edita, & inſignis *Tractatus de Dote*, quem adhuc juvenis publicæ luci tradiderat. Vir fuit facundiſſimus, magnæque dum ab exedra diſceptabat majeſtatis ac dignitatis; undè ipſi Auditorum frequentia mira, & gratia ſingularis. Nitidiſſimo in prælectionibus dicendi genere uſus, quæ docebat, clariſſimè diſcipulis ingerebat, dicere ſolitus, docentis officium eſſe, ita in quotidianis difficultatibus verſari, ut eas intelligere, ac planè percipere etiam imperiti poſſint: obſcuritatem dicendi non ſanè mentis excelſæ indicium eſſe, ſed vitium: nihil excelſiùs in orbe ſtellis, has tamen facilè videri, ac perſpici ab omnibus, qui non planè cæcutiant. Auctoritatis apud Senatum Venetum fuiſſe maximæ traditur, ab eoque ſæpè Bononia, & Patavio accitus, ut ejus & doctrinâ impeditiſſimæ lites dirimerentur, & conſilio res graviſſimæ ſancirentur. ſummæ in reſponſis, & judiciis fidei nunquam adduci potuit, ut injuſtę cauſæ dicendo, vel conſulendo patrocinium impenderet; percrebueratque ejus effatum, quo ſtatuebat, ſi Judex tuliſſet ſententiam ex ejus reſponſo, excuſari poſſe; ſe qui conſilium dediſſet, reum fore injuſtitiæ à judice perpetratæ, Deoque rationem redditurum admiſſi criminis. Ex eo carpitur, quod ſplendidæ, & ſumptuoſæ veſtis cultuſque corporis nimis fuerit ſtudioſus; quamobrem Jaſon eum, in certaminibus æmulum, Joannam appellaſſe dicitur. Plures habuit filios, de quibus Pancirolus (3). Hotum unus Laurentius à nobis deſcribetur inferiùs.

LXXIX.

(1) Pancir. lib. 2. c. 133. p. 235. 238. (2) lib. 7. Exemp. c. 5. (3) ibid. p. 238.

LXXIX. CHRISTOPHORUS ALBERICUS, Ticinenſis, in monumentis Gymnaſticis 1512
ſummi vir ingenii, & copioſę in pręlegendo facundię, parque ſummatibus Jureconſultis aſſeritur. Ab eo editas Repetitiones plurimas, & quidem doctiſſimas tradit Porcellinus (1), annotatque Salomonius (2), inter Pignorii codices duos fuiſſe calligraphos hoc titulo, *Chriſtophori Alberici Doctoris cumulativi Relectiones ad Rubric. de Rebus creditis ſi certum petatur.* Ex harum aliquâ notus eſt Mantuæ, quo teſte (3), Doctor etiam declarativus apud nos audit. Docuit primùm in patria, deinde Patavii ab an. MCDXCIV., diciturque ſummo cum honore pręlegiſſe, quamvis ęmulus Joannis Campegii ſecundo loco matutinam jurium Civilium explanationem profiteretur, ut refert Pancirolus (4). Conſtat ex Albo Gymnaſtico, eum ad primam ſedem perveniſſe an. MDII. idque ſignat Tomaſinus (5). Poſt annos quatuor, quibus egit, ut elocaret filiam Curtio Juniori, quòd illi quantum ſtipendii à Senatu Veneto petierat, non fuiſſet decretum, ſumptâ, inquit Mantua, occaſione ab amico diſceſſit, & aliorſum vela tetendit. Quò abierit poſt an. MDVI. ignoramus. Veriſimillimum eſt reducem Ticinum ad obitum reſponſis ſcribendis mercenarium calamum addixiſſe, ex uno horum, quod legimus, ad annum MDXII. eum pertigiſſe, conjicimus.

LXXX. HIERONYMUS BUTIGELLA, natus Ticini nobiliſſimo, ac vetuſtiſſimo ge- 1515
nere, ut habet, & pluribus explicat Pancirolus (6), per annos aliquot jus Civile in patria docuit, ſummi nominis inter Juriſconſultos ſui temporis habitus ex præſtantia memoriæ, cujus colendę, retinendę, augendæque cùm artem à Petro Franciſco Thomaſio Ravennate didiciſſet, Juris interpretes omnes, dato tantæ facultatis experimento publico, ſuperavit. Fertur (7) enim ex duodecimo libro Pandectarum, ex aliquibus Codicis, ac libri VI. Decretalium, itidemque ex Inſtitutionibus, tum ex Eclogis, ac Georgicis, & ſexto Æneidos Virgilii, ex Ovidio, Valerio Maximo, & Plinio, & aliis quibuſdam, quęcunque ipſi objiciebantur ad verbum recitaſſe, additis præcedentibus, & ſubſequentibus, non ſine audientium admiratione, quâ factum, ut à celebrioribus Gymnaſiis doctor, ac præceptor optaretur. Eum ingenti ſtipendio ſibi addixere Veneti; datuſque eſt collega Patavii Joanni Campegio ad matutinam juris Civilis explanationem. Provectum etiam ad primam veſpertini juris exedram, conſtat ex Albis Gymnaſticis, quæ mirum quantum, ut ſæpè, hic apertè Tomaſinus (8) perturbat, cùm Butigellam in ſede ſecunda juris Civilis veſpertini ponit cum Joanne Campegio poſt an. MDXXI. quo uterque pridem ad plures abierat. Non videtur Patavii docuiſſe ultra annum MDVIII. quo per fœdus Cameracenſe turbato Gymnaſio, Ticinum redierit. Nam deinceps Ludovico XII. Gallorum Regi totus adhæſit, eumque comitatus in Galliam, ibi Senator Gratianopolitanus renunciatus eſt, & in ea urbe aliquandiù docuit. Indicendæ Pſeudoſynodi Piſanæ auctor cum Decio fuiſſe Ludovico creditus eſt, eumque propterea Julius II. cum Symmiſta Decio diris Eccleſiaſticis devovit. Leone X. tamen imperante reconciliatus Eccleſiæ Romam venit, & in Romana Academia jus eſt profeſſus, non diu tamen; etenim paulò poſt, anno ſcilicet MDXV. non ſine publico doctorum virorum luctu deſiit eſſe mortalis. Funus ejus ex publico curatum exemplo raro, decretumque ſepulcrum ad D. Mariæ ſupra Minervam, quo cadaver tanti viri Academia univerſa, & populus frequens celebri pompâ, & atratus deduxit. Tumulo inſculptum hoc epitaphium.

Hieronymo Butigellæ Papienſi Divini, humanique
Juris Interpreti, cujus Virtus poſt varios adverſæ
Fortunæ caſus à Leone X. ex Sacro patrum Sena-
tu recognita eſt, quemve meriti hominis necdum
Sede potitum, ut terris indignum, medio ætatis ſuæ, ac
Romanæ ſpei flore Cœlum rapuit, Romana Academia
Publico luctu, & fratres lapidem iſthunc benemeriti
Sacrum dicarunt - Anno Domini MDXV. Vixit annos XLV.
Hìc gemini Butigella jacet præſtantia juris,
Cui dedit Antiquum docta Papia genus.

De eo Rovilius (9), ſed pleniùs de Butigella Mantua (10) ejus diſcipulus his verbis: *Hieronymus Butigella Papienſis Juriſconſultus egregius, & ſingularis, ac omnium eloquentiſſimus: profundiſſimâ memoriâ fuit: quod ego locupleſiſſimum teſtimonium perhibere poſſum, quandoquidem illum*

(1) noc. 83. in Matric. (2) Inſcript. Gym. (3) de Vir. Illuſtr. n. 76. (4) lib. 2. c. 135. p. 246. (5) Gym. lib. 2. c. 9. p. 250. (6) lib. 2. c. 141. p. 258. (7) Pancir. ibid. (8) Gym. lib. 2. c. 13. p. 257. (9) Promptuar. Icon. inſign. P. 2. (10) n. 66.

illum quadriennio continuo audiverim; & ſi quid in me eſt, illi id totum acceptum refero. Multa ſcripſit, quæ edita in ordinarias partes Matutinas & veſpertinas teſtantur, qualis quantuſque vir fuerit ille divinus ingenio, memoria, eloquio: nempe Volumen de Repetitionibus. Lecturas aliquot in Digeſtum & Codicem.

1515 LXXXI. PAULUS DE ORIANO ex Albo Gymnaſtico, cui Tomaſinus (1) adſtipulatur, hic docuit, quamvis aliter inſinuare videatur perturbatiſſimè ſcribens Mantua (2); nam hoc ipſum aſſerit Pancirolus (3). Docuit autem poſt Jaſonem per annos circiter XXV. atque adeo ad annum uſque MDXII. Id, quod ita intellige, ut Profeſſoris Patavini titulos retinuerit ad eum annum, quo jam triennium à legendo vacabat ob intermiſſum ex bello Cameracenſi Gymnaſium; nec in hujus monumentis occurrit deinceps ejus mentio, quamvis evocati notentur ad officium omnes quotquot, ante Gymnaſii juſtitium, publicas exedras obtinebant, ut conjicere probabiliter liceat, eum ann. MDXV. inter mortuos fuiſſe. Nobili genere Brixiæ natus eſt, filius, vel nepos Lanfranchi, de quo dictum eſt, ſed Lanfrancho major virtute & ſapientiæ gloriâ; non enim ex una juriſprudentia claruit, ſed & ex humanioribus literis, atque etiam Philoſophia, cujus vim ad legum explicationem attulerat. Scripſit Repetitionem *ad Rubricam & l. 1. ff. de officio ejus*, quam Mantua (4) luculentiſſimam, & copioſiſſimam, & nunquam ſatis laudatam appellat. Ejus quoque ſunt opera, quæ Lanfrancho tribuuntur à Mantua, Tractatus nimirum *de Probationibus, De jurejurando. De Verborum ſignificatione. De vulgari, & Pupillari ſubſtitutione*: atque hæc opuſcula uno codice comprehenſa *OEconomiam Legalem* appellavit, cujus titulum leges apud Octavium (5) Rubeum. Hoc auctore, aliquando de Animarum immortalitate dubitaverit, eamque dubitationem illi abſtulerit ſpecies quædam ipſi objecta, die inferiis Mortuorum quotannis ab Eccleſia dicatâ. Nam refert, illi eo die animam Lanfranchi apparuiſſe, ablatâque leviter coma, ſeu capillamento decuſſo, quod, inſtar inſignium nobilitatis, gerebat, dixiſſe: *tantum nec amplius morte ab homine auferri*: quò intelligeret etiam poſt mortem hominem vivere. Viſum hoc Foppa pictor pennicillo deſcripſiſſe dicitur in templo S. Mariæ à Calcariis Brixiæ dicto, ſubdidiſſe autem picturæ, addita Epigraphe, rei geſtæ notitiam. Fides horum eſto apud Rubeum proximè laudatum. Quod certum eſt, ſcripſit, atque edidit Paulus librum doctiſſimum de *Immortalitate animarum*, quem inter codices locupletiſſimæ bibliothecæ ſuæ Vincentius Pinellus vir clar. & eruditiſſimus maximi faciebat.

CAPUT XVI.

Iaſon Maynus. Antonius Corſettus. Vincentius Salviolus. Antonius Burgos. Io. Franciſcus Burla.

LXXXII. JASON MAYNUS, ut ex multis, quæ narrantur à Biographis clarorum juris
1519 Interpretum pauca conferamus ad inſtitutum operis noſtri, celeberrimus fuit in hoc noſtro Gymnaſio legum Profeſſor. Patre Andreetto viro nobili Mediolanenſi, ſed exule Piſauri apud Galeatium Malateſtam, ex Annetta concubina natus non eodem cum honore (6), quo æquales & propinqui, ſed ſub eodem pædagogo ipſi tantùm immiti & aſpero educatus eſt: humanioribus litteris imbutus Ticinum ad jus Civile perdiſcendum miſſus, primo anno, quod illi ad alimenta præſtabatur, aleâ perdidit, atque ita planè decoxit, ut Codicem in membranis deſcriptum, quem magno pretio coemerat, fæneratori tradiderit, ut mutuum acciperet, quo vitam ſuſtentaret: ipſe in toga ſordida, capite detonſo, quod turpis porrigo deformabat, ridiculus. Maturè tamen, & acerbè caſtigatus reſipuit, ac bonæ frugis adoleſcens factus, tantâ contentione, ac ſtudio eruditum in habendis diſceptationibus laborem impendit, ut Doctores ipſi mirarentur, eum celeriter adeo profeciſſe. Præceptore uſus eſt Catone Sacco Papienſi, ſi Ficardo (7) credendum ſit, ſi Mantuæ (8), imò ſi ipſi Jaſoni (9), Hieronymo Torto. De hoc tamen videndus eſt Pancirolus (10). Alterutrius, vel etiam utriuſque & aliorum auditor, ita brevi per omnes, quà latè patent, Juriſprudentiæ campos excurrit, ut à lauro recepta dignus ſit viſus, qui è ſuggeſtu Inſtitutiones publicitus enarraret; Eam provinciam tanta cùm laude procuravit, ut illum primò quidem Florentini Piſas acciverint, deinde Reſpublica Veneta, propoſito mille numiſmatum Ducatorum

(1) Gym. lib. 2. c. 2. p. 238. (2) nu. 198. (3) lib. 2. c. 127. p. 230. (4) loc. cit. (5) Elog. p. 202. (6) Jovius Elog. p. 125. 126. (7) in Jaſone (8) nu. 265. (9) in l. pen. ff. de nov. op., nunc & Conſ. 1. lib. 1. (10) lib. 2. c. 127. p. 226.

torum præmio ad publicam legum Civilium explanationem in Gymnaſio Patavino habendam evocaverit. Docuit hic triennio integro ab ann. MCDLXXXVI. ad MCDLXXXIX. quo non eſt Piſas profectus, ut refert Tomaſinus (1) poſt Pancirolum (2), ſed revocante Ludovico Sfortia, Ticinum reverſus eſt. Ibi non minore fama jus Civile profeſſus, majoribus fortunæ muneribus patuit. Sfortia Equitem illum creavit, ac Senatorem dixit; deinde legatum miſit, & ad Pontificem, & ad Cæſarem Maximilianum, à quo, re benè geſta, Cæſareis ornatum donis ipſe ſplendidioribus cumulavit, quibus in dies clarius Jaſonis nomen totam Italiam pervagatum eſt; ſtetitque etiam Sfortia patrono jam profligato. Ferunt famâ tanti Juriſconſulti motum Gallorum Regem Ludovicum XII. tunc, cùm potitus Mediolanenſi ditione, mox Januâ ſubactâ, de Liguribus triumphavit, profectum Ticinum, eum audire voluiſſe ab Exedra diſſerentem: condictâ die ad ſcholam veniſſe; Cardinalibus quinque, proceribus centum ſubſellia implentibus: toga aurea ornatum Jaſonem in ſuggeſtum aſcendiſſe; atque facundiſſimâ Oratione ita fuiſſe de Jure locutum, ut Regis laudibus & victoriis prælectionem pertexeret; Quem propterea Rex deſcendentem ab exedra ſua manu equeſtris dignitatis inſignibus exornavit. Tradit Jovius (3), ex quo pleraque accepimus, ſe audiente, interrogatum à Rege, cur nunquam duxiſſet uxorem? Illumque reſpondiſſe: *ut te, Rex, commendante, Julius Pontifex ad purpureum galerum eſſe me ſciat idoneum*. Vir fuit, ut vides, vividi, nec hęſitantis ingenii, qui ſciret prænſare fortunam, quam ſuæ virtutis comitem Gentilitiis inſignibus ſuis præſcripſerat (4). Nam fortunæ ſuę virtutem opponebat labore partam: inculcabatque auditoribus ſuis, ac repetebat ſubinde: calamum eſſe, qui faciat Juriſconſultum; teſtatus multoties ſe, quamvis octogenarium, poſt annos quadraginta, quibus publicè diſſeruerat, ne unum quidem diem prætetire paſſum, quin aliquid ſuis locis adſcriberet. Placuit illi præter morem Juriſconſultorum ſui temporis, eloquentiæ nitor, quem tamen ad legum interpretationem non admittebat, dicere ſolitus, litare ſe Suadæ & Muſis cùm à Themidis vacabat ſacris: quamobrem & oravit ſæpè, & carmina ſcripſit aliquando. Plura de eo peculiariùs Pancirolus (5), quæ per otium leges, quod nobis propetantibus nullum eſt. Reprehenditur interim ex multis, & obtuſi in explanandis juribus, & ancipitis plerunque ingenii cenſetur; accuſatur quoque ut plagiarius, qui (6) Titulum de Actionibus ab Alexandro Imolenſi conſcriptum fur ſibi maniſeſtarius adſcripſerit, & inſcriptum ediderit ſuo nomine; qui Hieronymi Torti Ticinenſis, cujus diſcipulus fuiſſe dicitur, ſcriptis ſua locupletarit, quique dictata per Socinum & Ruinum ſummiſſis auditoribus, qui ea exciperent, & ad ſe referrent, ſuum in cenſum converterit. Ex eo quoque arguitur, quod reſponſa ſua ad pondus auri venderet, augeretque ſcelus viro docto indignum glorioſæ fiduciæ tumore, cùm unà promitteret, ſe aurum acceptum conſulentibus redditurum, ſi cauſâ cecidiſſent. Perſenem dicunt deliraſſe, & propterea ſæpè à Comite Hippolito nepote ex fratre, pugnis, imò & verberibus cæſum. Deceſſit Ticini ann. MDXIX. ætat. LXXXIV. ſepultus eſt in templo ſuburbano, ut ſcribit Ficardus, D. Pauli, ut habet Mantua, & Pancirolus, Divi Jacobi. Edita ſunt ejus Opera.

Apophtegmata ſeu Singularia Juris.
Epiſtola diverſæ & Orationes.
Super Tit. de Pactis & in Inſtitutiones.
Super Codicem
Super totum Jus Civile.
Epithalamium in nuptiis Maximiliani Cæſaris & Mariæ Blanchæ.

Addit Riccobonus (7) Orationem Romæ habitam ad Alexandrum III. P. M. quod γνήσιον vel μιμητικὸν ἀμάρτημα dices, legendumque pro Alexandro III Alexandrum VI. cum Jaſon XVI. Sæculi Scriptor ad ſæculum XIII., quo Alex. III. præſuit Eccleſię, pertinere non poſſit. Epigraphe ſepulcri ejus hæc eſt.

Hic Requieſcit Jaſon. IC. Eq. & Com. quiſquis fuit.

Extat apud Ficardum & alios Dialogus carmine concinnatus de tanti viri laudibus elegans, & argutus.

LXXXIII. ANTONIUS CORSETTUS, Siculus, Neptinus à Pancirolo (8) dictus,
vir fuit clariſſimus & nobilis Juriſconſultus ſæculo XV. & XVI. Diu docuit Patavii 1520
jus Pontificium, ab anno ſcilicet MCDLXXXIX., ut notat Mantua (9), ad ann. MDIX.,
quo Gymnaſium interceptum eſt bello Cameracenſi. Superſtitem fuiſſe aliquot annis eidem
Gymnaſio reſtituto, colligo ex monumentis Gymnaſticis, in quibus Balthaſari Carducio collega
pro-

(1) lib. 2. Gym. c. 2. p. 236. (2) ibid. (3) ibid. (4) Nivizan. Sylva Nupt. lib. 4. nu. 168. (5) ibid. p. 225. 230. (6) Apoſtil. ad Conſ. 62. & 167. Decii (7) Gym. lib. 1. c. 12. p. 16. (8) lib. 3. c. 52. p. 375. (9) nu. 46.

proponitur. Credirur deceſſiſſe an. MDXIX., vel potiùs ſequenti, arque hic obiiſſe. Doctor acutiſſimus appellarur à Manrua. Reliquir ab obiru edita & poſteris crebrò laudata *Commentaria in Trebellianicam*, *de Privilegiis pacis*, inſigne verò, quod inſcripſit, *Fallentia in Regulam, quòd Spoliatus ante omnia debet reſtitui*. *Singularia* quoque Manruæ ejuſdem ſenrenria pulcra adeo, & utilia, ur nihil pulcrius, utilius nihil poſſir à ſtudioſis deſiderari. Edidir etiam *Conſilia*, ſeu *Reſponſa* non uno libro conrenta, quorum quæ præcipuè magno fuerunt in pretio, tria ſunr pro Monre Pieratis à Dominicanis acriter impugnato conſcripta.

1524 LXXXIV. VINCENTIUS SALUIOLUS ab Ocha Bononienſis florebat in parria ſub initium ſæculi XVI. floruit deinde Patavii poſt reſtirutum Gymnaſium an. MDXV. quo anno, qui jampridem clarus erar in patria, reſte Mantua (1), clareſcere cepit etiam Paravii maximè an. MDXVIII. Collega fuit Petri Pauli Pariſii hìc docentis an. MDXXI. ex monumentis Gymnaſticis, quibus Tomaſinus (2) innititur. Vir fuit non minoris modeſtiæ, ac humanitaris, quàm ſapienriæ, multaque ſcripſit & *Commentaria* & *Reſponſa*, ſed judicio Mantuæ egregius Juriſconſultus fuiſſe putandus eſt ex copioſa, & ſubrili, quam edidit, Repetitione ad Rubricam *Soluto Matrimonio quemadmodum dos petatur*. Obiiſſe creditur hìc circa annum MDXXIV.

1525 LXXXV. ANTONIUS BURGOS, nobili genere Salmanticæ in Hiſpania natus, ſi ſtes iis, quæ de illo in Bibliorheca Hiſpana tradir Nicolaus (3) Antonius, non niſi Bononiæ jus Canonicum fuerit profeſſus. At Mantua (4) reſte, Salerni quoque idipſum interpretatus eſt, & Patavii, quod poſtremum confirmat Pancirolus (5), aſſeritque, eum Decio revocato Ticinum fuiſſe ſuffectum, recipiunt monumenta Gymnaſtica, ipſe Decius (6) affirmat. Patavio accitus Bononiam jus itidem Canonicum docuir ſumma nominis celebritate, quâ provocatus Leo X. virum inſignem Romam accerſitum apud ſe habuir, & in rebus maximis, ut ſcribit Jo. Geneſius (7) Sepulveda ejus doctrina & judicio uſus eſt. Docuiſſe Antonium etiam Romæ tradir Mantua; certè ibi Referendarius utriuſque Signaturæ fuir, quo munere functus eſt, non ſub Leone tantùm, verùm etiam ſub Adriano V. & Clemente VII. Obiit non Bononiæ, ut refert Pancirolus (8), ſed Romæ ſeptuagenarius IV. Idus Decembris an. MDXXV. Sepultus eſt ex teſtamento ad D. Jacobi Incurabilium cum elogio (9) cineribus ejus impoſito per Jo. Matthæum Gibertum notum Veronenſem Epiſcopum. Scripſit Commentarios & Repetitiones præclariſſimas

In Titulum de Conſtitutionibus, & ſex ejus Capita,

In Titulum de Reſcriptis, & quatuor ejus Capita,

In Titulum de Judiciis, & ſex ejus Capita.

In Titulum de Emptione & Venditione & ſeptem ejus Capita, ex quo poſtremo Commentario immortalis eſt.

1527 LXXXVI. JO. FRANCISCUS BURLA Placentinus, Juriſconſultus eloquentiſſimus, qui barbariem Juriſprudentiæ ſui temporis deteſtatus, elegantiſſimis, nitidiſſimiſque prælectionibus auditorum auribus, ab exedra, ut mos etiamnum multorum eſt, illudebat (10); familiariſſimus enim Cælii Rhodigini ita ſibi perſuaſerat, Juriſconſultum eſſe optimum minimè poſſe, qui à ratione dicendi, quâ priſci Legulei, quorum in Pandectis habemus Reſponſa, utebantur, diſcederet. Docuit primum Ticini, mox Patavii collega Achillis Senenſis, quem ferunt, ut erat facetus, & dicax, ſolitum dicere, collegam ſuum in Juriſperitorum republica Helenam eſſe, ſed apud Paridem corruptam, & adulteram, quæ filios pulcros edere poſſet, ſed ſpurios. Multa edidit ſanè *Reſponſa*, & in *Pandectas Commentaria*: horum aliqua vidimus, nec planè latina cùm tamen latinitatem affectent, nec admodum docta, quippe non rationibus ex legum interpretatione deductis, ſed auctoritatibus ad propoſitum contendentia. Romam accitus à Clemente VII. Nuncius ad Carolum V. Cæſarem miſſus eſt, apud quem cùm triſtem exitum res Clementis habuiſſent, inde revocatus, ex mœrore ob munus non benè geſtum concepto in patria ex itinere præmaturo fato deceſſit an. MDXXVII.

CAPUT

(1) n. 328. (2) Gym. lib. 2. c. 12. p. 257. (3) Tom. I. p. 88. §. 2. (4) de Vir. Illuſtr. n. 10.
(5) lib. 2. de Clar. Interp. c. 135. p. 246. (6) in l. 2. n. 10. in ult. lectura de reb. credit. (7) apud eund. Antonium loc. cit.
(8) lib. 3. c. 54. p. 378. (9) extat apud eund. Ant. loc. cit. (10) Tomaſ. lib. 2. Gym. c. 32. p. 355. & V. Pancirol.

CAPUT XVII.

Bartholomæus Urbinus. Antonius Franciſcus Doctorius. Antonius Porcellinus. Carolus Ruinus.

LXXXVII. BARTHOLOMÆUM URBINUM Patavinum, ſingulari commendatione tranſmittit ad poſteros Scardeonius (1), ex quo illum Scriptores Patavini reliqui memorant. Is rempublicam nullatenus attigit ſcholis contentus, & foro par utrique illuſtrando, nam & patrocinium reis impendit utiliter, & in cauſis civilibus verſatus eſt eloquenter. Juriſconſultus autem eximius diu leges Pontificias facundè, & doctè, ſi quis alius, interpretatus eſt in Gymnaſio; hoc eſt per annos circiter triginta. *Reſponſa* multa conſcripſit, & edidit, eaque præclara. Vivere deſiit capularis annorum, ut ferunt, octoginta anno MDXXVIII. VII. Idus Auguſti. Sepultus eſt ad D. Franciſci ab Antonia filia, in qua nobilis hæc familia deſiit. Ibi ex lapide (2) exuviis ejus impoſito, quod ex Scardeonio diximus de ætate ejus, reprehenditur, aſſeriturque vixiſſe annos LXV. Menſ. IV. Dies XIX. 1528

LXXXVIII. ANTONIUS FRANCISCUS DOCTORIUS, ſeu de Doctoribus, nobiliſſimâ natus Patavii familiâ, quam oriundam Cypro tradit Calza (3), claruit in utroque jure explanando è ſuggeſtu Gymnaſtico, miriſque laudibus exornatur à Scardeonio (4) ejus diſcipulo. Summæ vir conſtantiæ paſſus multas anguſtias ſæpe ac ærumnas invictâ pectoris innoxii fortitudine major omnibus fuit. Docuit primùm Ferrariæ magnâ cum laude, eaque ex penitiore Juriſprudentia nominis gloria, ut illâ provocatus Senatus Venetus eum honorificentiſſimo decreto ad Gymnaſium Patavinum acciverit. Is cum celeberrimis collegis, antagoniſtis, & æmulis pluries decertavit: hos inter numerant Decium, traduntque eum in arena Gymnaſtica cum tanto viro pugnantem non ſuccubuiſſe, ſtetiſſe interritum, diſceſſiſſe victorem aliquando, nunquam victum; factoque ipſo probaſſe, nihil non ſperandum Patavinis ingeniis, ſi ſe poſteros laborioſi Antenoris eſſe meminerint. Reipſa Scardeonius (5) in Doctorio ſuo indefeſſum, nec uſquam fatigabile ſtudium, ac ſolertiam exquiſitam ſingulariter laudat, eique quidquid gloriæ ſibi, ac patriæ quæſivit, acceptum ferre debere pronunciat: addit ab eo ſcripta ingentia *Prælectionum* volumina, quæ interjectæ calamitates ex bello Cameracenſi edi vetuerint. Nam rebus Venetorum compoſitis Doctorius apud Patres delatus, & perduellionis accuſatus, & detruſus in carcerem pro ſummo beneficio habuit, poſt multa diſpendia, moleſtias, ac manifeſta vitę diſcrimina, hanc ipſam impetrare probatâ innocentiâ ſuâ. Hinc domum reverſus iterum jus utcunque publicè profeſſus eſt, eaque opera vulgavit, ex quibus claret. Fertur docuiſſe integros annos LIII. ab an. MCDLXV. ad MDXVIII. quo ſenex, veniâ reſpirandi impetratâ, in villam, quam egregiam habebat Pernumiæ, ſeceſſit, ibique fato ſuccubuit an. MDXXVIII. V. Kal. Auguſti ſenio confectus annorum ſcilicet LXXXVI. Editæ ſunt, ejus nomine inſcriptæ, *Additiones ad Panormitanum, ad Alexandrum Imolenſem, & Joannem ab Imola*, aliosque. Plurima etiam ejus *Reſponſa* ætate Scardeonii extabant, eum immortalitati commendantia. Ejus cadaver Pernumiâ delatum Patavium in æde Bethleemitica ad Pratum Vallis humatum eſt ſine titulo; nam nullum ibi apud Salomonium invenio. 1528

LXXXIX. ANTONIO PORCELLINO nobili Patavino, plurimum debet hoc noſtrum opus. Vir doctiſſimus, & ſæculo XVI. Juriſconſultus clariſſimus equeſtribus ornamentis conſpicuus, non erudivit dumtaxat Gymnaſium noſtrum egregiis è ſuperiore loco juris Civilis diſſertationibus, quibus nondum plenâ adoleſcentiâ cępit inſudare, atque ad obitum uſque ſanctiſſimè militavit; verùm etiam vetuſtatem Gymnaſticam utiliſſimis laboribus illuſtravit. Nam præterquam quod notus, ac celeberrimus inter Patavinos Orator, pluries miſſus Venetias Legatus Andreæ Gritto Duci novam dignitatem ac Principatum, mox Veneto Senatui, poſt bellum Cameracenſe, reſtitutum Continentis imperium facundiſſimè gratulatus eſt, Scholiis etiam, ſeu notis ad Matriculas, tum Juriſconſultorum Patavini collegii, tum Profeſſorum Gymnaſii noſtri poſteritati conſuluit, cavitque, ne decorum ſuorum oblivиſceretur. Opuſculum hoc anecdotum eſt, illudque nobis olim Salomonius legendum, annotandumque tandiu conceſſit, donec ſeligeremus, quæ ad noſtrum laborem conferrent: legimus, annotavimus, 1529

quæ ad

(1) lib. 2. Claſ. 8. p. 189. (2) Salom. Inſcrip. Pat. p. 333. n. 48. (3) de Famil. Pad.
(4) lib. 2. Claſ. 8. p. 188. (5) ibid.

quæ ad uſum faciebant, excerpſimus; fatemurque futurum fuiſſe, ut cæcutiremus in pluṛimis, ni nobis hæc fax præfulſiſſet. Conſtat brevibus notulis ad annum quemque ab an. MCCCXIV. ad annum MDXXVI. Stylus barbarus eſt, ſed accuratus: plerunque nititur publicis documentis, & ut aliquando erret, raró fallitur. Meminit hujus libelli Scardeonius (1), & Scholia hæc notabilia dicit, & memoria digniſſima. Præter Orationes relatas alias etiam edidit, atque inter has dictam ad Cardinalem Franciſcum Piſanum, quæ ſanè nitidiſſima eſt, ingenioſa, & docta, & quæ neſcio quid ſpiret majus, quàm leonina tulere tempora, quibus conſcripta eſt. Fertur etiam ſcripſiſſe Volumen ingens Reſponſorum (2), cujus ipſe meminit (3) non uno in loco. Deceſſit in patria an. MDXXIX. ætatis XL. conditus eſt in templo S. Georgii. De eo præter Scardeonium, Riccobonus (4), Portinarius (5), & Mantua, cujus, Porcellinum referentis ad annum MDXXXII., erratum ex noſtris corrige.

1539 XC. Invidet Gymnaſio noſtro Carolum Ruinum Ghilinus (6), eumque fuiſſe Patavii profeſſum, quod Panciroſus (7) affirmat, ſignatque Mantua (8) ejus diſcipulus, obliviſcitur. Aſſerimus hoc noſtris exedris decus, tantumque virum his teſtibus, quos confirmant Quæſtoria penes nos tabularia, claris Gymnaſii noſtri Doctoribus annumeramus. Regii Lepidi natus eſt, erratque ex Lignamineo Salomonius (9), qui eum Bononienſem exiſtimat. Honeſtâ familia progenitus, at paupere, quòd pater ejus Corradinus bona omnia alea conſumpſiſſet, laboribus matris, quæ nendo victum ſibi, ac filio parabat, educatus, politioribus literis operam dedit in patria, unde in familiaritatem, atque convictum Zobelorum nobilium, (qui Bononiam proficiſcebantur cauſa ſtudiorum) receptus, horum ſumptibus juriſprudentiam didicit, jamque depoſito tyrocinio, ut ſumptibus in recipiendis Doctorum inſulis faciendis par eſſet, qui reliquus erat ex patrimonio, agrum vendidit. Cœpit deinde vivere honeſtiùs ex patrui ſucceſſione, ac ſenſim inclareſcere inter Cæſarei juris interpretes; & primùm hoc Ferrariæ profeſſus eſt, habuitque antagoniſten Corteſium quemdam Mutinenſem, quem in ſcholaſticis certaminibus, more vulgarium Juriſconſultorum leges ambitioſiùs congerentem deridebat: eum dicebat verba quidem legum probè tenere, ſententias non intelligere. Docuit deinde aliquandiu Ticini, undè Patavium accitus eſt an. MDII. Falliturque Tomaſinus (10), qui eum retrahit ad an. MD. Et primò quidem anno extra ordinem profeſſus eſt, ſimul ad pompam doctrinæ Theſes ex jure univerſo propugnandas edidit publicè, propugnavitque acriter, quamvis Jaſone vehementiùs impugnante: quem fertur (11) tam doctè, ſubtiliter, & expeditè Ruinus confutaſſe, ut in fine certaminis, plaudente Gymnaſio univerſo, ab omnibus diſcipulis, quibus Gymnaſiarches cum clava præibat, ad cœnobium D. Juſtinæ, cujus tunc hoſpitio utebatur, fuerit deductus. Ergo ad ſedem ordinariam veſpertinam evectus eſt in fine anni ejuſdem, habebatque collegas Joannem Campegium, Chriſtophorum Albericum, Hieronymum Butigellam, æmulum autem in eadem jurium tractatione Franciſcum Parmam, quem doctorem parum cultum, ſed acumine ingenii cultiſſimum, ſubtilem, & acrem, deriſoremque concertantium fuiſſe, Mantua (12) ſcribit. Hoc in certaminibus literariis, ut ſolebat, leviter arridente, in eam iracundiam agebatur præceps Ruinus, ut penè non inſaniret; quamobrem Decius, qui tunc erat Patavii, de eo dicere conſueverat, hominem ex igne minimo ad incendium exardeſcere. Porro videtur Ruinus non ſolùm ante bellum Cameracenſe, verùm etiam jam reſtituto Gymnaſio an. MDXV. hic docuiſſe mille aureorum ſtipendio. Nam non ante an. MDXXI. ſucceſſor illi datur in Quæſtoriis monumentis Petrus Paulus Pariſius. Eo igitur anno majore ſtipendio conductus (13), Bononiæ pari cum laude juris ejuſdem Cæſarei interpretationem profeſſus eſt jam locuples ex uxore defuncta Patavii, cujus nomine in patrimonium dives Pincarorum Ferrarienſium ſucceſſerat. Bononiæ porrò claruit non ſine multorum invidia, quibus agentibus Joannes Crotus ligur ex Monteferrato accitus eſt, ut Ruini famam opprimeret, quippe Juriſconſultus clariſſimus ex Repetitionibus (14) editis, ſummoque omnium ſtudio commendatis. Sed cùm is quoque virtuti Ruini ſuccubuiſſet, compulſuſque clam Bononia diſcedere, ac Piſas proficiſci, vel ibi deceſſiſſet (15), vel in ipſo Piſas itinere fuiſset occiſus, Ruinus Profeſſorum Bononienſium maximus, quoad vita ſuperfuit, mille ac ducentorum aureorum ſtipendium meruit, inter primos quatuor Scriptores Reſponſorum habitus, & quamvis moribus aſper, ac triſti ruſticitate moroſus, dilectus attaman juventuti ſcholaſticæ ex acumine ingenii, grata pro-

(1) lib. 1. Claſ. 8. p. 177. (2) Salom. Inſcr. Gymn. (3) in Matr. Prof. Præf. & not. 84. (4) Gym. lib. 1. c. 14. p. 20.
(5) Port. lib. 7. c. 5. p. 237. (6) Theatr. Vol. 2. p. 57. (7) lib. 2. de clar. Interpr. c. 143. p. 255. (8) de Vir. Illuſtr. n. 70.
(9) Inſcript. Gym. (10) Gym. lib. 2. c. 21. p. 255. (11) Pancir. loc. cit. (12) n. 100. (13) Tomaſ. Gym. lib. 2. cap. 12. p. 255. (14) Mant. n. 159. (15) V. Pancir. lib. 2. c. 144. p. 257. 258.

pronunciatione, oriſque venuſtate ad quidlibet ſuadendum aptiſſimâ. Locupletiſſimam octoginta millium aureorum hæreditatem reliquit moriens, ejuſque familia per nepotem Carolum, qui ſcripſit Italicè Anatomen Equi, Senatoria Bononiæ fuit, deſiitque in affinibus, in quos translatum eſt jus magnificarum ædium, quas extruxit in patria. Ipſe Carolus celeberrimus Juriſconſultus deceſſit an. MDXXX. conditus in templo S. Joannis in Monte cum breviſſima epigraphe. Vivens unum ipſe edidit Commentarium *ad librum I. de Legatis*: cætera excepta ab Auditoribus ordinatè, ab ejus obitu lucem publicam aſpexere; nimirum.

Conſiliorum Volumina quinque à Julio Scarlatino edita.
Comment. In I. & II. Partem Infortiati.
In I. & II. Partem Digeſti Novi.
In reliquas Pandectas.

Plura de Ruino, ejuſque illuſtri familia Scriptores Bononienſes. Hæc ſuperſunt, ut qualem qualem notitiam ejus Gymnaſio noſtro faciant.

CAPUT XVIII.

Franciſcus Curtius Junior. Philippus Decius, ſeu de Dexio;

XCI. FRANCISCUS CURTIUS, junior, Ticinenſis ex ſorore ſenioris nepos, & ob 1533
paupertatem ab avunculo in familiam (1) cum fratre Matthæo receptus, poſtquam in patria juriſprudentiæ inſignia retulit, feuda interpretatus in ea eſt: deinde judex appellationum fuit Mantuæ, rurſuſque profeſſus Ticini ad mille, & centum aureorum ſtipendium meruiſſe ſe ſcribit (2), ipſique datum ob nominis, ac doctrinæ probatiſſimam laudem, ut ſine antagoniſta, ſolus jura Civilia doceret: lectus eſt etiam inter Conſiliarios præcipuos Gallorum Regis tunc obtinentis Inſubriam. Verùm Gallis inde depulſis, ac direpto per Cæſarianos Ticino captus, omnibus rebus amiſſis, quòd ſolvere lytrum non poſſet in captivitate fuit, donec, agente Matthæo fratre, tunc Patavii docente, vocatus à Venetis ad mille aureorum honorarium, promiſſa militibus ex ſtipendio pecuniá, datiſque fidejuſſoribus, vindicias ſibi dixit ad libertatem. Docuit deinde Patavii ad obitum uſque, æmulo Marco Mantua: id quod conſtat ex monumentis tabularii Quæſtorii, ex Tomaſino (3), Riccobono (4), & Pancirolo (5): ut mirum ſit ab aliquibus (6) id negari, ac pro Curtio juniore ſeniorem ad exedras Patavinas extolli. Certè ipſe Mantua (7) hoc aſſerit palam, atque hæc ipſa, quæ de illo tradidimus, præcipuus eorum auctor poſteritati commendat, additque, ſe illi antagoniſten datum, cum eo quaſi filium cum patre congredi ſolitum peramanter, atque benevolè. Eodem Mantua teſte filiam Chriſtophori Alberici ſibi elocavit uxorem; id, quod ex Mantua nos quoque ſupra notavimus, quodque ita velim intelligas, ut Curtius cum filia Chriſtophori ſponſalia quidem contraxerit, eam tamen, orto diſſidio, minimè duxerit: nam hoc & Pancirolus notat (8), & Mantua (9) ipſe confirmat, reſponſo dato pro ſponſalium hujuſmodi ſolutione legitima. Profeſſor ſenex, quippe qui annos quadraginta è ſuperiore loco fuerat interpretatus, ictus apoplexi vehementi vivere Patavii deſiit V. Kal. Quintiles anni MDXXXIII. Rolando, Franciſco, & Hieronymo filiis relictis, quorum poſtremi duo inter Juriſconſultos claruere. Sepultus eſt ad D. Franciſci ſine titulo. Scripta ejus multa, & notiſſima, & publici juris facta non recenſet Mantua, ac ne nominat quidem Pancirolus. Quæ nos vidimus, duo ſunt *Volumina Reſponſorum*, maximi, ut reor, pretii, & luculentiſſima *Commentaria in Codicem*, ex quibus maximè claret; ſuſpicamur autem non pauca ab hoc doctè conſcripta ſeniori Curtio tribui.

XCII. De PHILIPPO DECIO, ſive de DEXIO Juriſconſultorum XVI. ſæculi facilè 1533
principe, multa Recentiores ex Ficardo (10), & Mantua (11), ſed accuratiùs Panciro- vel
lus (12), cujus prolixam, & minutiora quæque, non ſanè ſatis dilucidè, complexam
hiſtoriam, cùm brevitatis, quàm profitemur, causâ, ſequi minimè liceat, ſumma quæ- 1535
dam capita dabimus, quæ juſtam viri celeberrimi notitiam Gymnaſio noſtro proponant. Præſtitit hoc olim Jovius (13), qui tamen Gymnaſia recenſens, in quibus publicè docuit, hoc unum noſtrum negligentiſſimè præterit, cùm certum ſit, in hoc præcipuè, quamvis

X non

(1) Vid. Boer. in Addit. ad Præfat. Dini de reg. Jur. in 6. n. 42. Guido Pap. deciſ. 218. Natt. Conſ. 509. in fin. Ipſum Curt. Conſ. 76. & 557. n. 7. Socin. Conſ. 74. inter Conſil. Curt. Jun. (2) in Præfat. ad Cod. (3) Gymn. lib. 2. cap. 9. p. 210. (4) Gym. lib. 1. c. 14. p. 18. terg. (5) lib. 2. c. 114. p. 164. (6) Lignamineus, & ex eo Salom. de Inſcr. Gym. (7) de Vir. Illuſtr. n. 77. (8) d. p. 164. (9) conſ. 34. (10) in Decio. (11) n. 84. (12) lib. 2. c. 135. p. 240. 248. (13) Elog. p. 164. 165.

Digitized by Google

non diù, eum claruiſſe adeo, ut hinc ad Ticinenſem Academiam, expetitus ab omnibus lyceis Italicis, violentis, & importunis, ut mos habet, precibus Ludovici XII. fuerit accerſitus, ut narrant relati proximè Scriptores, quibus adde Riccobonum (1), Tomaſinum (2), Portinarium (3). Si hi taceant, dicet epitaphium ejus ex Ficardo (4), Boiſſardo (5), & Frehero (6). Natus eſt Mediolani ad Ticinenſem portam an. MCDLIV. Triſtano patre viro nobili, cui dedit agnomen Decium agri Mediolanenſis vicus, undè majores ejus prodierant. Fratrem legitimum habuit Lancellotum Juriſconſultum clariſſimum, de quo, ejuſque ſcriptis videndus eſt Mantua (7). Hoc natu minor Philippus, indeque dictus junior Decius, minor quoque ex matre fuit, quippe ortus ex meretrice, vel concubina ſpurius fuit (8). Primùm Ticini ſub Jaſone Legum inſtitutionibus operam dedit, mox reliquas partes juris audiit, doctore Jacobo Puteo, atque ita juriſprudentiâ graviter animum imbuit, ut jam tum & fratrem Lancellotum, & præceptores ſuos propoſitis difficultatibus, & moleſtis interrogationibus fatigaret; quin &, his inconſultis, theſes in jure publicè defendendas propriis dumtaxat auſpiciis propoſuit, & egregiè tutatus eſt. Secutus poſt hæc fratrem conductum Piſas, ibi quoque alia diſputanda in Gymnaſio publicis conventibus objecit, ac pleroſque profitentes, paſſim interjectis ex jure nodis, ad ſolutionem provocabat. Ergo dignus habitus eſt, qui nondum exacto ſtudiorum curriculo tyro eſſe deſineret, accepitque Doctoris inſignia Piſis auſpicio Baldi Novelli, Bartolini, Bartholomæi Socini, Hieronymi Zanettini, & Puccii, qui poſtea ad Romanam purpuram pervenit: ſtatim autem ad Inſtitutiones explicandas provectus, crebriùs diſceptationes publicas inſtituere, antagoniſtas urgere, ſibi auditorium amplius induſtriâ, factionibus, ac invidioſis plerunque artibus parare, jam tum aliorum contemptor, dicax, & urbanis quandoque ſalibus procax prætertim in æmulos, quorum præcipuè læſiſſe ſæpè fertur Franciſcum Soderinum, qui deinde Volaterranus Epiſcopus, tandemque Cardinalis fuit. Hinc in Decium plurimorum odia, quibus effectum, ut quamvis præſtaret omnibus, minimo tamen ſtipendio aleretur, ac tandem etiam dimitteretur. Recepit ſe Senas, ibique publicè docuit, nec deinceps, quamvis honeſtioribus conditionibus invitatus, Piſas redire voluit, donec retento reſiduo ſalarii, quod ipſi debebatur, obſignatiſque codicibus, quos Piſis habebat, redire coactus eſt, ac ſe aucto ſtipendio ad biennium obligare. Eo biennio, vel unum, qui ſupererat, ipſi inter inimicos benevolum Felinum læſit non ſemel, quamobrem odii publici conſcius, tranſacto publicæ obligationis tempore, Senas remeavit, ibique iterum docuit, nec diu poſt ab amicis Romam evocatus, eòque profectus, ac ſacris initiatus, Romanæ curiæ Judex, ſive Auditor ab Innocentio VIII. deſignatus eſt. Quem honorem tamen aſſequi minimè potuit, quippe ſpurius ad illum aſpirare minimè poterat. Ergo hanc ipſam ob cauſam, & à patre Triſtano, & à Lancelloto fratre reprehenſus, quodque tædium recitandarum canonicarum horarum ferre non poterat, Roma ſe ſubduxit, ac Senas regreſſus, non diu ibi moratus eſt, nam Republicâ mutatâ, cum novi Magiſtratus amplum illi ſtipendium, quo Senenſi Gymnaſio militabat, denegarent, Piſas iterum venit, ubi, quamvis collegis omnibus illum, ut ſeditioſum atque maledicum deteſtantibus, & jus Canonicum explicavit, & matutinas juris Civilis prælectiones habuit magnâ Auditorum frequentiâ, inter quos fuere Joannes Medices tunc impubes Cardinalis, poſtea Leo X., Joannes Remolinus, non diu poſt Cardinalis Rubeus, & Cæſar Borgia, ſcelus notum hiſtoriæ. Quid quod, diſcedente Socino, ipſe in Piſano Gymnaſio princeps Juriſconſultorum fuit, ac docuit mercede florenorum ſeptingentorum, qua nullâ ad eum diem in Thuſcia majore nemo docuerat. Sed eo munere, ac dignitate ibi non diu functus eſt. Nam propter peſtem Gymnaſio tranſlato Florentiam, cùm ſtipendia minimè ſolverentur; aureorum ſexcentorum ſalario conſtituto ad primam ſedem juris Civilis Patavinam accitus venit. Atque hìc etiam quinquennio profeſſus, antagoniſtas ſuos terruit, Profeſſorum proceres Campegium, Albericum, Ruinum vexavit, atque hunc inſolentiùs. Poſt quinquennium, Decium, ut ſubjectum, revocabat Ludovicus XII. Ticinum, retinebant Veneti, eumque dimittere detrectabant; eam ob cauſam Regius Orator fertur in Senatu maximam contentionem exercuiſſe, quam præſens Joannes Oricellarius, Florentinorum Legatus apud Venetos, admiratus, ſcriptutum ſe dixit civibus ſuis, ob unum hominem inter Principes ſummos jurgium exortum: obtinuit tamen Rex quod petebat precibus interpoſitis, tandemque Decius dimiſſus Ticinum profectus eſt, ubi non minores in rixas erupit adversùs Curtium ſeniorem, & Jaſonem; atque

intra

(1) lib. 1. Gym. c. 14. p. 18. (2) lib. 2. c. 3. p. 239. (3) lib. 7. c. 4. p. 230. (4) in Philippo Decio. (5) Vit. Vir. Illuſtr. Doctor. (6) T. 2. P. 2. Sect. 4. p. 815. (7) n. 89. (8) Gomez. in Reg. de Trien. poſſ. q. 2.

intra ſeptennium docere meruit ſtipendio argenteorum bisſmille. Verùm res proſperas ſapientiâ procaci partas exiguo fine res adverſæ ſequuntur. Acerrimus Julii II. Pontificis hoſtis Ludovicus Gallorum Rex, in eum OEcumenicam Synodum cogere cupiebat. Cùmque adhibiti ad conſultationem Juriſconſulti clariſſimi, Jaſon, Curtius, Picus, ac Decius reſpondiſſent cauſam Synodi cogendæ ſubeſſe, auctorem qui eam cogeret non adeſſe, Decius, edito Reſponſo, quod diu poſt Clemens VIII. damnatum operibus ejus expungi, ac deleri juſſit, probavit id per paucos Cardinales fieri poſſe. Quamobrem ex ejus unâ auctoritate Concilium Piſis indictum eſt, cujus exitum novit hiſtoria. Decius diris devotus non diu ſe Gallorum patrocinio tutum expertus eſt: nam his in Inſubria victis, & Italiâ depulſis, cùm Venetorum, & Helvetorum armis Ticinum ſuccubuit, Cardinalis Sedunenſis juſſu domus Decii ab Altoſaſſo Helveto direpta eſt, bibliotheca peſſundata, Commentariis quadringentis abreptis, codicibus reliquis exuſtis. Quin & res ejus omnes fiſco addictæ veniere. Filia ejus unica, quæ decennis educabatur in Parthenone, vix precibus virginum, & lacrymis à militum manibus erepta eſt, lytro aureorum ducentorum interpoſito, ſed penè nuda omnibus, quæ habebat ad cultum, veſtitumque, uſque ad interulam, ablatis. Ipſe vix fugâ ſibi conſuluit, mutatiſque ſæpè ex itinere ſedibus, tandem in Galliam evaſit, ubi exoſus proceribus, nec ſatis regiâ liberalitate munitus eas ærumnas & calamitates paſſus eſt, de quibus ipſe (1) latè conqueritur, ſcribens ad Archiepiſcopum Narbonenſem, quaſque non aliter excuſſit, quàm docens in diverſis Galliarum Gymnaſiis. Erepto è vivis Julio, eum Leo X., ejus olim diſcipulus, expiatum diris Ecclesiaſticis evocavit Romam, oblato quingentorum aureorum ſtipendio, quod ille recuſavit, indignationem veritus Ludovici, quo mortuo, ne annuos quidem aureos octingentos, quos Piſæ obtulerunt, illi conſequi licuit; nam jubente Franciſco I., Ticinum rediit ad jus Pontificium docendum, ſed cùm neque promiſſum ſtipendium ſolveretur, & Inſubriam latè vaſtaret exercitus Maximiliani, fugâ ſe Regium Lepidi recepit, inde Piſas, quò eum octingentorum honorarium vocabat, contendit: ibi docens conſenuit aucto ad MD. aureos ſtipendio, vir in tanta fortunæ varietate conſtantiſſimæ ſuperbiæ, maligni livoris, miræque, quod attinet ad honeſtatem domeſticam, incuriæ. Nam & filiam habuit impudicam, quæ palam pecuniis labore paterno partis ad ſtuprum diſcipulos provocaret, docta pſallere, choreas ducere, tractare citharam, & ipſe adeo de hæredibus ſuis vivens diffidit, ut ne ſperaverit quidem, eos ipſi paraturos, quod juſſiſſet, ſepulchrum, quod proinde ipſe ſibi extruxit Piſis magnificum in cæmeterio, hoc ipſum, quod diximus, poſteris teſtaturum epigraphe, quam leges apud Ficardum (2). Deceſſit Senis III. Idus Octobris anno MDXXXV. vel MDXXXIII., ut ex ejus Conſiliis comprobant alii (3). Cadaver Piſas relatum conditum eſt in eo, quem diximus, Tumulo. Opera ejus edita notiſſima ſunt.

Comment. in Decretales. *In Regulas Juris.*
In Pandectas & Codicem. *Reſponſorum Volumina IV.*

CAPUT XIX.

Joannes Mericus Chartularius. Bartholomæus Rorarius. Achilles Senenſis. Laurentius Campegius Card. Hieronymus Tergulinus. Ludovicus Gomeſius.

XCIII. JOANNES MERICUS CHARTULARIUS Patavinus patrem habuit Antonium, de quo, ubi de Alumnis Artium, dicendum erit. Juvenis admodum explanationem Inſtitutionum in Patrio Gymnaſio profeſſus eſt, in quas edidit Commentarium. Ex Albo Juriſconſultorum noſtrorum conſtat, eum deinde ad exedras juris Civilis matutinas fuiſſe provectum. Scripſit ætate jam maturâ Tractatum ſatis eruditum in *l. diem defuncto ff. de Offic. Aſſeſſor.* Conſarcinavit utilem Indicem ſeu Repertorium in omnes Textus juris Cæſarei, conſcripſitque duo Reſponſorum volumina. Recenſet hæc Scardeonius (4), quo auctore Chartularius ad viros nobiles de Peraga originem referebat, vir bonus, & innocens, paterque Melchioris adoleſcentis expectationis eximiæ, in quo nondum adulto familia deſiit. Deceſſit Joannes Mericus anno Ætatis LXVIII. ætæ 1533

X 2 com-

(1) Epiſt. præfixa Conſiliis ejus (2) ibid. (3) Maſtorius de Gymn. Italiæ in Piſano.
(4) lib. 2. Claſſ. 8. p. 191. ex quo Portin. lib. 7. c. 5. p. 240.

communis MDXXXIII., ſepultus in monumento majorum ad atrium Eremitanorum.

1534 XCIIII. BARTHOLOMÆUS RORARIUS Patavinus, Chartulario ſynchronus fuit, ut ex Reſponſis Julii Bonocii ſeu Tolentini, quæ Manuſcripta vidimus, colligere licuit: ibi enim poſt Chartularium, vix uno, aut altero anno elapſo, deceſſiſſe capularis dicitur ſenex, diuque agreſti ſolitudini deditus. Fuit is Orator Patavii celebris, muſarum Italicarum amicus, Juriſconſultus verò clariſſimus. Primò forenſem procuratorem egit, deinde cauſidicum, ex quo munere ad exedram publicam Tabellionatûs evectus, Arti Notariæ inſtituendæ plurimùm inſudavit. Laudatur ex his laboribus, & utilibus & glorioſis à Scardeonio (1). Multa etiam ſcripſit ad forenſes procuratores, & ſcribas publicos pertinentia, eodem teſte. Edidit Tractatum Joannis Craſſi de Judiciis, eumque notis ubertimis locupletavit, idemque officium præſtitit iis, quæ Hermannus & Odofredus *de Formandis libellis, de Actionibus, & Interdictis ſummatim* collegerant: Jaſonis Mayni Juriſconſulti notas interpretationes annotationibus auxit, eiſque Indicem ſeu Repertorium admodum commodum adjecit. Leges demum Municipales Patavii Scholiis prolixis illuſtravit. Jam ſenex orbatus unico filio, quem unicè diligebat, quaſi hominum ſocietatem exoſus, & quod Græci dicimus ἄμας ἀπάνθρωπος, rus rerum omnium curâ depoſitâ ſeceſſit, barbam capillumque demiſit, parvoque contentus vitam quaſi Eremiticam duxit in mœſtiſſima ſolitudine, in eaque mortuus circa ann. MDXXXIV., delatuſque in urbem dilecti filii cineribus appoſitus eſt in monumento Majorum.

1534 XCV. ACHILLES è COMITIBUS ILCII Senenſis à prima ętate juriſprudentiæ ſtudiis excultus in patria, & hîc, ad annum uſque MDXX. jus Civile Ticini profeſſus eſt, inde accitus Patavium, in altera ſede juris ejuſdem matutini collega fuit primùm Chriſtophori Alberici, deinde Conradi Momlii de Buſto. Tranſlatus ad ſecundam Canonum Interpretationem matutinam, habuit collegam in prima ſede Bernardinum Claricinum, cognomento Gambarum Bononienſem, quo extincto ann. MDXXVIII., cùm vacuæ ſedis honorem petiiſſet, diuque ad annum ſcilicet MDXXXIII. deluſus, in eam vidiſſet ſubvectum Baptiſtam Ferrettum Vicentinum, pollicitationes Ferdinandi S. Severini Salerni Principis excepit, ſeque munere Patavino abdicavit: verùm dum Salernum proficiſcitur ad ingens, ut Mantua ſcribit, ſtipendium, in itinere periit circa ann. MDXXXIV. Vir fuit acutus & doctus, ſummęque & modeſtiæ, & venuſtatis, quæ morum & ingenii decora ex illuſtriſſima apud Hetruſcos familia, & generoſiſſima patria deduxit, ut annotat Salomonius (2), quo teſte, auctor fuit Reſponſorum plurium, quæ unà cum inſigni tractatione de Protimeſi edita ſunt.

1539 XCVI. LAURENTIUS CAMPEGIUS, Joannis Juriſconſulti celeberrimi, de quo diximus, filius, cùm pater Bononiâ Patavium, undè diſceſſerat, ſummo cum honore revocatus eſt, patrem ſecutus hîc in minoribus exedris (3) docuit jus Pontificium profeſſus per annos circiter decem. Patavio reducem Bononiam patrem iterum ſecutus, ibi etiam decennio jus idem expoſuit, uxoremque duxit, ex eaque tres filios habuit Jo. Baptiſtam Majoricenſem Epiſcopum, Oratorem, ac Theologum, Græcis, latiniſque literis ornatum, Rodulphum militaribus addictum ſtudiis, & immaturâ morte præreptum, Alexandrum, qui diu verſatus in aula Romana, eique ex linguarum notitia, acumine ingenii, & morum ſuavitate commendatus, primùm ærarii Apoſtolici Clericus & Bononienſis Epiſcopus deſignatus, ubi ſedem illam inivit, Pro-Legatus Avenionenſis multa pro fide orthodoxa adversùs hæreticos aggreſſus conſtanter prudenterque perfecit: mox Bononiam redux eò translatæ Synodo Tridentinæ ſub Julio III. interfuit; pluribuſque beneficiis patriam cumulavit, quorum præcipuum eſt, quod in illam Societatem Jeſu deductam exceperit, ac foverit: à Julio III. Cardinalis Presbyter S. Luciæ in Silice renunciatus anno MDLI., vix triennio ſuperfuit, deceſſitque ann. MDLIV. ætat. XLVIII. ſepultus Romæ ad D. Mariæ Trans Tyberim. Hæc dicta ſunt, quò progenies Laurentii ad nos pertinentis, atque poſteritas aliunde clariſſima, his quoque noſtris laboribus innoteſcat: regredimur ad Laurentium. Is poſt decennium noſtris exedris impenſum in adoleſcentia, in juventute cùm annos totidem conceſſiſſet jam clarus, uxore mortua, Romam venit ſub Leone X, quo provehente, ex Epiſcopo Feltrenſi & Rotæ Judice ſeu Auditore, dum apud Maximilianum Cæſarem Nuncii munere fungitur, abſens ſacro Senatui adſcriptus eſt Presbyter Cardinalis S. Thomæ in Parione. Eo deinde titulo rejecto, plures alios percurrit S. Anaſtaſiæ, S. Mariæ trans Tyberim; præfuitque inter Epiſcopos Eccleſiis Albanæ, Prænestinæ, Sabinæ; commendatas quoque non paucas habuit, Cretenſem, Parentinam, Oſcenſem, atque Satisberienſem, quam retulit primâ Legatione perfunctus in Anglia ad Henricum VIII, ut eum adverſus Turcas armaret. Inde regre-

(1) Ibid. d. p. 191. (2) Inſcript. Gymn. (3) Mant. nu. 170. Pancir. lib. 2. c. 133. p. 238.

regreſſus Bononienſi Eccleſiæ præfectus eſt à Clemente VII., miſſuſque legatus à latere in Germaniam ad Conventus Nurembergenſem, & Ratisbonenſem. Quid in illis egerit, tentaveritque, latè proponitur in Hiſtoria Concilii Tridentini, eſtque extra aleam propoſiti noſtri. Redux Romam comes ſuit obſeſſi in arce Adriani à Cæſariano exercitu Romam depopulato Clementis VII., à quo iterum Legatus in Angliam ad controverſiam conjugii Henricum inter, & Margaritam Auſtriacam, rem perdifficilem ac periculoſam tractavit ea dexteritate, quam variè probant, reprobantve ſummates hiſtorici Guicciardinus, Paulus Sciarpius, Sfortia Cardinalis Pallavicinus. Ab illa Legatione aliam aggreſſus anno MDXXX. juſſu Clementis ejuſdem Carolum V, recepto Bononię diademate, in Germaniam redeuntem ſecutus eſt ad res Germanicas componendas. Ex ea reverſus interfuit Pauli III. comitiis, à quo Legatus ad Concilium OEcumenicum incohandum Vicentiæ dictus, antequam Roma diſcederet, ibi mortalitatem explevit Menſe Julio anno MDXXXIX. Ejus cum filii Cardinalis oſſibus exuviæ conditæ ſunt ad S. Mariæ Tranſtyberim, quæ deinde translatæ feruntur Bononiam. Scripſit Laurentius *Commentarium adverſùs Hæreticos*, *Reformationem Cleri Germanici*, quæ Tomo V. Conciliorum inſerta eſt, *plures Epiſtolas*, quarum XX. publicam lucem aſpexere, ut annotat Oldoinus (1), ex quo hæc ipſa deſumpſimus.

XCVII. HIERONYMUS TERGULINUS inter juris Interpretes Patavinos meritò πολυγραφώτατος 1542
dici poteſt, quippe ſcripſit plurima, & quidem probatiſſima. Diu, dum per ætatem licuit, juris utriuſque interpretationem apud nos eleganter, ac doctè profeſſus eſt; floruit autem intra ſæculum XVI. ac deſiit eſſe mortalis repentina morte ſublatus, dum bacchanalibus diebus domeſticis choreis intereſt relaxandi animi cauſa, ſella ſubnixus: ſepultus eſt in templo Magdalenarum IX. Kal. Martii anno MDXLII. ibi brevi (2) titulo deſignatus. Multa ejus opera Scardeonius (3) recenſet, undè illa Lignamineus habuit, atque prolixis elegis poſteritati conſecravit. Meminit eorundem Riccobonus (4), & Portinarius (5), ex quorum apographis, qui pauca dumtaxat ex his vidimus, hìc ea damus.

Volumen Reſponſorum ingens.
Volumina IV. in Partes IV. Legum, quæ Veſpert diſſertationibus publicis illuſtrantur.
Tractat. de Privilegiis Doctorum.
Liber de Hoſpitalitate ex Legibus.
De Ornatu Mulierum ex Legibus.
Sylloge notabilium in Legibus.
Prognoſticon futurorum ex Legibus.
Additiones ad Comment. Jo. Andreæ de Sponſalibus & matrim.
Comment. in Paulinam Extravagantem de reb. Eccl. non alien.
Liber de flagellis Dei.
De Voluminibus Canonum & Legum.
De approbatione, & reprobatione in auctorandis Doctoribus.
Orationes aliquot de Euchariſtia.
Diſceptatio an fœtum in utero matris, dum timetur abortus, liceat luſtralibus undis expiari ad animæ ſalutem.

De hoc ipſo diſceptavit nuperrimè vir doctiſſimus Gabriel Gualdus Cler. Reg. Theatinus libro edito ſub amici nomine, mox altero uberiore ſuo nomine anno MDCCX. Patavii.

XCVIII. LUDOVICUS GOMESIUS, vulgò *Gomez*, Valentinus gente, pa- 1543
tria Oriolenſis Juriſconſulti ſubtilis cognomen habet apud Nicolaum Antonium (6) ob ſummum, & valde ſagax ingenium: vir doctiſſimus, & magnus in curia Practicus appellatur à Calda Pereira (7); laudatur à Mantua (8), deſcribitur à Pancirolo (9), à quo tamen haud pauca ex aliorum ſcriptis ſuffuratus fuiſſe aſſeritur. Patavii, peracto ſtudiorum curriculo, tyrocinium juriſprudentię depoſuit, ut conſtat ex Albis Gymnaſticis, mox in ordinem Profeſſorum juris relatus, publicè Cæſareas inſtitutiones explicavit, exorſus anno MDXXII. collega Franciſci Bebii Regienſis. Jus deinde Canonicum interpretatus eſt, collega datus Marco Mantuæ Benavidio. Claruit autem in utroque munere, jam tum editis opuſculis aliquot, adeo ut ex his notus Clementi VII. cùm Romam veniſſet, jam icto inter Pontificem, & Carolum Cæſarem fœdere, inter judices curiæ, quam Rotam vocant, fuerit cooptatus; inde poſt annum VI. anno ſcilicet MDXXXIV. ad Sarnenſes inſulas provectus eſt, quas videtur abſens adminiſtraſſe, notat enim relatus Antonius, Gomeſio ſucceſſorem datum Antonium Auguſtinum circa an. MDXLIII, quo ſcilicet Gomeſius ad adminiſtrandam Eccleſiam ſuam pręſens acceſſerit, in eaque anno eodem deceſſerit, ut certùm eſt ex Ughello. (10)

(1) ad Ciacconium Tom. 3. p. 384. 386. (2) Salom. Inſcript. Pat. p. 291. nu. 19.
(3) lib. 2. Claſſ. 8. p. 192. (4) Gym. lib. 1. c. 14. p. 20. (5) lib. 7. c. 5. p. 242.
(6) Bibl. Hiſpan. T. 2. p. 28. (7) Conſ. 8. nu. 4. (8) de Vir. Illuſt. nu. 176.
(9) lib 3. c. 54. p. 378. (10) Italiæ Sacræ.

Scripſit multa, quæ edita ſunt, habenturque maximi ab jis, qui praxim in jure Canonico profitentur. Titulos dabimus, nam operum editiones, earumque tempus, & locum latè, ac laborioſè, ut ſolet, proſequitur Antonius (1) proximè laudatus.

Commentarius in Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ, non ſanè omnes, ſed ſolum in XIII., ut notat Quintilianus Mandoſius (2), qui hunc Commentarium laudat ex optimo ordine, & ubertate ſtyli.

Deciſionum Rotæ libri duo adjectis deciſionibus Jo. Baptiſtæ Coccini.

Tractatus de Poteſtate, & Stylo Officii ſacræ Pœnitentiariæ, & de Officialibus curiæ, quorum ipſe meminit (3).

Tractatus an Papa poſſit incurrere labem Simoniæ?

Tractatus de Nobilitate.

Elenchus omnium Authorum, ſeu Scriptorum in Jure.

Commentarii de prodigioſis Tyberis inundationibus ab Orbe condito ad An. MDXXI.

Compendium utriuſque Signaturæ.

De literis Gratiæ.

Tractatus Brevium, & Expectativarum.

Tractatus Mandatorum de Providendo.

In Jus Canonicum Commentaria ad Tit. libri IV. Decretalium de Conſtitution. In Rubricam de Reſcriptis. In C. in multa. C. diſpendia. C. Statutum de Reſcriptis in Rubricam, & c. ſi pater, de Teſtam. in c. 1. & Rubr. extra de Accuſationibus.

Gloſſa in Clementinas.

In Jus Civile Comment. in Rubricam, ff. ſi certum petatur, ad Tit. Inſtitutionum de Actionibus, ſive Actionum Civilium, & Criminalium.

CAPUT XX.

Jo. Antonius Rubeus. Carolus Guarnacia. Petrus Paulus Pariſius Card. M. Antonius Blancus. Anſuinus Medices. Franciſcus Sfondratus Card.

XCIX. JO. ANTONIUS RUBEUS, celebre in Gymnaſio noſtro nomen, ac
1544 memoratum Pancirolo (4), Riccobono (5), Tomaſino (6), & Portinario (7), Ligur Alexandriæ Statiellorum natus, principem inter Juriſconſultos ſui temporis locum tenuiſſe fertur ex jis, quæ tradit Ghilinus (8): claruit uſque adeo etiam ante, quàm jura profiteretur, ut illum Senatus Mediolanenſis ingenti ſtipendio Ticinum acciverit. Docuit ibi magnâ cum auditorum frequentia, donec belli tumultibus, queis tunc vexabatur Inſubria territus, recepit ſe trans Alpes Valentiam in Delfinatu, ubi aliquandiu (9) docuit eâ ſanè doctrinæ famâ, quâ factum eſt, ut excitus Allobrogum Dux eum prælectionibus publicis habendis in Academia Taurinenſi profeſſorem primarium dixerit, mox in ſupremo Sabaudiæ Senatu Senatorem creaverit, quem paulò poſt Carolus V. Cæſar Equitum, & Comitum titulis exornavit. Offendiſſe deinde quadantenus Taurinenſem curiam videtur, vir cæteroqui procax, & ſententiæ tenax: quamobrem avidè ſtipendii florenorum mille conditiones à Venetis oblatas accepit; venitque Patavium, atque hìc Franciſci Curtii junioris ſucceſſor, profiteri cœpit in primâ juris Cæſarei ſede matutina an. MDXXXII. Crevit illi deinde honorarium ad aureos (10) mille an. MDXLI. Triennio autem poſt vivere deſiit XVI. Kal. Aprilis, ac ſplendido funere illatus eſt tumulo ad Sanctum Joannem in Viridario cum effigie marmorea (11), & elogio, quod poſitum ab uxore, & filiis octo, quorum unus Franciſcus ad ſedem, quæ Univerſitatis appellabatur, evectus eſt anno MDLIII., hæc ipſa, quæ de illo narravimus, explicat. Scripſiſſe eum, aut edidiſſe quidquam, neque Pancirolus, neque ex jis, qui de Profeſſoribus Gymnaſii noſtri ſcripſere, alius autumat quiſpiam, quamvis Mantua (12), ejus Antagoniſtes, multa ab eo Commentaria ſcripta dicat, atque Conſilia, quæ haberentur præ manibus; re ipſa enim hæc ab eo edita proſtant.

Reſpon-

(1) ibid. & p. 29. (2) init. Comment. ad Reg. Cancell. (3) Proœm. ad Reg. q. 1. in fin. (4) de Clar. Interpr. lib. 2. cap. 166. p. 275. (5) lib. 1. Gymn. cap. 14. p. 19. (6) lib. 2. Gymn. cap. 9. p. 250. (7) lib. 7. c. 4. p. 230. (8) Theatr. Vol. 1. p. 94. (9) Pancir. ibid. (10) Pancir. ibid. (11) V. Salom. Inſcript. Patav. (12) loc. cit.

Reſponſorum Volumina II.

Tractat. de Querela inoffícioſi Teſtam. & de his, qui ad partem non admittuntur, & quando partem faciant in computatione legitimæ.

De Poteſtate Procuratoris.

In Partem I. Infortiati & in II. ejuſdem ad Rubric. de leg. 2.

In II. Partem Digeſti Veteris ad l. ſi quis cautio. de inoffic. Teſtam. & ad l. vinum ff. ſi certum petatur.

Apparet in his ingenium hominis acre, in citandis textibus & auctoribus uberi memoria copioſum, perplexum tamen, anceps & in edenda opinione minus perſpicuum, arrogans quoque, & injurioſum contraria ſentientibus, quale illud ex merito Pancirolus (1) deſcribit, notans, Rubeum cum collegis intemperantiùs agere ſolitum, Marcum Mantuam Antagoniſten vexaſſe, cum Mariano Socino juniore, veſperi docente, de loco ferociùs contendiſſe, nec reveritum, relictâ in prælectionibus re, quam tractabat, ex abrupto in horum ſententias inſurgere. Laboravit graviſſimè podagrâ, quamobrem per intervalla ſuo munere fungebatur, tandenque longo morbo conſumptus interiit non planè ſenex, anno nimirum ætatis LVI. non integro.

C. CAROLUS GUARNACIA Patavinus floruit maximè poſt bellum Cameracenſe 1545
cùm Gymnaſio reſtituto, ad interpretationem publicam legum acceſſit, ac paulatim à minoribus exedris ad ordinariam veſpertinam juris civilis evectus eſt, in qua conſenuiſſe eum colligere licet ex Scardeonio (2), & Riccobono (3), quos Portinarius (4) ſecutus, emortualem ejus annum ſignat MDXLV. poteratque etiam diem Iduum Auguſti ſignare, & ſepulcri locum templum S. Georgii, in quo jacet repentina morte ſublatus, cùm manus lotus ad prandium, menſæ nondum accubuiſſet. Juvenis edidit: *Commentarium de Legatis*, & *Quæſtiones* utiliſſimas de *Verborum Obligationibus*, ex quibus claret apud poſteros, clarebitque.

CI. PETRUS PAULUS Cardinalis PARISIUS Coſentinus, Brutius, Calaber, Romæ primùm docuit (5): inde accitus Patavium ſtipendio flor. octingentorum anno 1545
MDXXI. è ſede primâ veſpertina jus Civile interpretatus eſt poſt Ruinum, antagoniſta datus Franciſco Sfondrato deinde Cardinali. Auctum illi ſtipendium eſt anno MDXXVII. ad mille Ducatos nummos. Triennio poſt majori mercede à Bononienſibus illectus, eò profectus eſt, Gymnaſio noſtro relicto, ſucceſſitque itidem Ruino Bononiæ fatis erepto: nec tamen ibi diu publicum profeſſus eſt munus, ſed ingenti coacti pecuniâ, vir quidem inſigni eruditione, ſed ut Pancirolus (6) tradit, ſordidior habitus, qui conſulentibus ſingulas Reſponſorum paginas aureo vendere conſueverat, peſſimo exemplo ſanè, ſed jam pridem ex parſimonia conſulentium, ac reſpondentium modeſtia ætati noſtræ prorſus ignoto. Dives ergo Pariſius docendi muneri valedixit, Romamque ſe contulit, atque emptâ magnò Præfecturâ quæſtoria, Cameræ Apoſtolicæ, ut ajunt, Auditor, Purpuræ Romanæ ſe fecit idoneum, quam brevi conſecutus eſt, ad eam provectus à Paulo III. anno MDXXXIX. (7) Presbyter Cardinalis dictus S. Balbinæ, inde Nuſcanus Epiſcopus, & Anglonenſis in Regno Neapolitano. His titulis, hac dignitate conſpicuus, cum Cardinali Cervino, poſtea Marcello II. Legationem obiit ad Cæſarem Genuæ commorantem. Mox Legatus à latere præſedit Synodo Tridentinæ cum Reginaldo Cardinali Polo, undè Romam redux ſignandis Gratiæ libellis præpoſitus, deceſſit V. Idus Maii anno MDXLV. ætatis LXXII. Sepultus eſt ad S. Mariæ Angelorum, jacuitque ſine titulo, donec anno MDCIV. prolixa inſcriptio ſignavit ejus tumulum ex teſtamento Flaminii Pariſii Epiſcopi Bituntini. Scripſit & edidit: *Reſponſorum Volumina IV.* ex quibus largas ſibi divitias comparaverat.

Lecturas in II. Decretalium.

Commentaria in quatuor Juris Civilis pomeridianas prælectiones.

CII. MARCUS ſeu M. ANTONIUS BLANCUS Patavinus, quem Blancam Toma- 1548
ſinus (8) appellat, juriſprudentiæ operam dedit in patrio Gymnaſio, auditor Marci Mantuæ Benavidii, à quo (9) eruditiſſimus Juriſconſultus aſſeritur. Cauſidicus primùm in foro Patavino omnium præſtantiſſimus, & in eo munere princeps eodem Mantua teſte; cui Scardeonius (10) præit; poſito deinde tyrocinio docendi in tertia ſede juris Cæſarei veſpertini poſt Mantuam ab an. MDXXVI, jamque ſede Criminalium inſtituta an. MDXL., ſucceſſor Petri Philippi de Mat-

(1) loc. cit. (2) lib. 2. Claſ. 8. p. 192. & ſeq.
(3) Gym. lib. 1. cap. 24. p. 20. (4) lib. 7. cap. 5. p. 238.
(5) Panc. lib. 2. cap. 158. p. 267. (6) ibid. (7) Vide Oldoin. in Pariſio & Ughell. T. 7. p. 539. C. D.
(8) Gym. lib. 2. c. 15. p. 260. (9) n. 182. (10) lib. 1. Claſſ. 8. p. 193.

de Matthiolis Peruſini ex hac docere cœpit circa an. MDXLIV., nec videtur diu ſuperfuiſſe, ut inepte Tomaſinus (1) ſignificat: nam conſtat ex Scardeonio, eum brevi numero vivorum exemptum fuiſſe ann. MDXLVIII. VIII. Idus Octobris, ætatis L. Deplorat ejus obitum idem Scardeonius, eumque non in Gymnaſio ſolùm Patavino, ſed in univerſa Italia, ac tota pene Europa doctrinæ famâ, & ſcriptorum laude, & viventem, & ab obitu celebratum deploratumque teſtatur. Opera ejus Mantua ſummis laudibus effert, preſertim hæc edita ſeorſim, quæ laudat etiam (2) Ghilinus

Praxim Criminalem cum cautelis, & defenſione Reorum.

De Compromiſſis inter Conjunctos.

De indiciis Homicidii ex propoſito commiſſi.

Recenſet eadem Portinarius (3), additque publici juris facta in DD. Tractatibus; nempe:

Tractat. de Exceptionibus, & impedientibus ingreſſum litis.

De indiciis & Conjecturis cujuslibet cædis, & Furti.

1548 CIII. ANSUINUS MEDICES, nobiliſſimâ gente & traduce cùm regnatrice conjunctâ natus Florentiç eſt: vir magni nominis, ut à Tomaſino (4) ſignatur, elegantiſſimus Juriſconſultus, literiſque cum Græcis, tum Latinis excultiſſimus ex Mantua (5). Biturigibus primùm docuit in Galliâ, deinde Bononiæ, unde huc ad primam ſedem juris Cæſarei veſpertinam magno ſtipendio accitus profiteri cœpit poſt Marianum Socinum juniorem circa annum MDXLII. Docuit apud nos per annos circiter ſex, ut ex Monumentis Quæſtoriis conſtat, fallıturque Tomaſinus, qui eam ſedem vacaſſe ſcribit ab ann. MDXLIV. ad annum MDXLIX. nam anno MDXLVII. notatur in actis publicis erogatum Anſuino ſtipendium. Poſt annum illum vocatus à Coſimo Mediceo Piſas, eò profectus, cùm prælectiones aliquot habuiſſet, difficili morbo calculi tentatus Florentiam ſe deferri curavit, eodemque anno ibi mortalitatem explevit nondum quinquagenarius. Multa ejus Opuſcula citantur à Petro (6) Velaſco, & Petro (7) Valentia Hiſpanis Doctoribus, nonnulla quoque à Marco (8) Mantua, quorum hi tituli ſunt. *Antiquorum Juriſprudentum Rixæ in concordiam revocatæ. Scholia in Titulum de in Jus Vocando, & in l. Gallus; Character Triboniani, & aliorum Juriſconſultorum ſequioris Sæculi. Liber ſingularis de collectionibus legum, earundem Varietatibus & auctoritate. De difficultate inveniendæ Veritatis à Judice pro Tribunali ſedente.*

1550 CIV. FRANCISCUS SFONDRATUS Cremonenſis, vir nobiliſſimus, quippe Joannis (9) Baptiſtæ Senatoris, & à Conſiliis Ludovici Sfortiæ, Margaritæ verò Homodeæ Trivultiæ filius, auditor Bononiæ Jaſonis & Ruini, poſt lauream ſtudiorum præmium, Piſis primùm docuit, unde conductus honeſto ſtipendio Patavium, in altera ſede juris Cæſarei veſpertini profeſſus eſt, collega Petri Pauli Pariſii, par tamen & honore, & loco, ut jam tum in magiſterio æquaret, quem deinde æqualem habuit in Purpura. Poſtquam per annos aliquot apud nos fuit, (tempus enim integrum non apparet in monumentis gymnaſticis) ad Allobrogas commeavit. An ibi jura profeſſus ſit, ignoramus; quod certum eſt, fuit ibi magno apud Allobrogum Ducem in prætio, apud quem à Conſiliis, littoris & Lari Comes dictus eſt, mox Senator, & inarduis negotiis doctus & aſſiduus adminiſter. Ex his maximè inclaruit in Italiâ: quamobrem accerſitus à Franciſco II. Inſubriæ Duce, in ordinem Senatorum Mediolanenſium cooptatus eſt; obiitque plures legationes pro Principe ſuo feliciter; atque uxore ductâ Anna Vicecomite, filios aliquot ſuſcepit, inter quos eſt Nicolaus, poſtea & alumnus Gymnaſii noſtri, & Gregorius XIV. P. M. Celeberrima ejus legatio fuit in Cimbricam Cherſoneſum, quâ obtinuit, ut Chriſtierni Regis Cimbrorum filia, Caroli V. ex ſorore neptis, ipſi Franciſco Mediolanenſium Duci nuberet. Ex hac Carolo V. notum, cùm is Principatum Inſubriæ adeptus eſt, maximis beneficiis Sfondratum cumulavit, Senatoriam illi dignitatem novo decreto ſanxit, eumque auctum titulis & ditionibus Senenſi Reipublicæ tumultuanti præfecit, quam ille ſedatis civium diſcordiis, ita ex omnium voto compoſuit, ut Senenſis civitatis pater dictus ſit, & in civitatem ejus Reipublicæ decreto perhonorificè ac peramanter adſcitus. Uxore mortua vocatus (10) à Paulo III. Romam, ac Legatus in Germaniam, indeque redux Referendarius Apoſtolicus renunciatus eſt, ac brevi ad Sarnenſem Eccleſiam evectus, mox etiam ad gubernacula Archiepiſcopatús Amalphitani pervenit; inde Nuncius ad Conventum Spirenſem, ſtatimque ad Carolum V., eo munere dum defungitur, abſens Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Achillei titulo Faſciolæ creatur; ac donatus ditiſſimis Sacerdotiis in ſa-

(1) d. p. 260. (2) in Theatr. Vol. 2. p. 190. (3) lib. 7. cap. 5. (4) Gymn. lib. 2. cap. 12. p. 255. (5) nu. 43. (6) de rixis Caii & Proculi (7) de judicio erg. Verum. (8) in Collect. Collect. 16. (9) Pancir. lib. 2. cap. 158. à p. 267. (10) Oldoin. ad Ciaccon. T. 3. à p. 701.

in ſacris Legationibus obeundis admodum laboravit, præſertim in Germania, dum religionis induciis, quas celebri vocabulo *interim* dixere, intercedere nititur, & in Lutheranæ patronos hæreſis non infelici conatu depugnat. A reditu Romam Legatus Peruſiæ, & in tota Cremonenſis, cui præerat, Eccleſiæ diæceſi, mortuo Paulo III., penè non ad ſupremum ſacrorum imperium evectus eſt in Pontificiis comitiis, quo cùm excidiſſet, ſeceſſit Cremonam, ibique deſiit eſſe mortalis an. MDL. ætatis LVII., ſepultus in templo principe cum prolixo ſatis elogio, quod leges apud Oldoinum (1).

CAPUT XXI.

Hieronymus Cagnolus. Balthaſſar Carduccius. Naſcimbenius Pectenellus. Hieronymus Campoſamperius. Marianus Socinus Junior.

CV. HIERONYMUS CAGNOLUS patricio genere Vercellis in Liguria natus an. MCDXCII., Taurini in Subalpinis ea felicitate bonas artes, ac juriſprudentiam præſertim didicit, ut nondum plena juventute, hanc Taurini docuerit ſumma cum laude, atque auditorum frequentia. Arcanis aulę admotus, Eques, & Comes, ac Secretorum particeps fuit apud Duces Sabaudiæ, à quibus in Senatum lectus, eorum imperium, ac juriſdictionem conſilio, ſcriptiſque defendit, ac pro virili gnaviter propagavit; interim liberalibus diſciplinis addictus, & immenſâ eruditione inſtructus nihil omiſit, quin altiùs legum veterum monumenta rimatus earum dicta, ac ſententias quà voce, quà calamo doctiùs illuſtraret. Hinc viſus eſt dignus, quem Senatus Venetus ad majores exedras juris Cæſarei, ſucceſſorem Jo. Antonii Rubei, majore, quàm quiſquam alius mercede honorificentiſſimo decreto uſus, accerſeret. Claruit in hoc Gymnaſio ab an. MDXLVI., ut Mantua (2) ſcribit, qui ejus antagoniſtes, cum eo ſe congreſſum uſque ad tempora Deciani, gloriatur. Quare quinquennio tantùm Patavii docuerit, primò quidem ob minus expeditam, ac ſemigallicam pronunciationem infrequens auditorium paſſus, mox agnitâ hominis inſigni doctrinâ pleniſſimo coronatus, quod cum anno extremo, inſtantibus Bacchanalibus ſtreperet, &, ut mos habuit, habebatque noſtro etiam tempore, dicentem interpellaret, admonuit quaſi præſagiens, ut audiret, neque enim ſe, niſi modico adhuc tempore, benevolos auditores allocuturum. Reipſa intra paucos dies febri correptus decubuit, ac ſtranguriâ laborans aliquandiu Kal. Februarii an. MDLI. LIX. ætatis occubuit, ſepultus ad S. Franciſci cum effigie marmorea, & monumento, cujus epigraphen Salomonius (3) dabit. De eo Riccobonus (4), Tomaſinus (5), & ante hos Pancirolus (6), quo judice dicitur, vir fuiſſe multæ lectionis, laborioſus potiùs quam ſubtilis, qui tamen à ſolida, veraque doctrina nunquam diſceſſerit. Opera ejus edita ſunt. 1551

De recta Principis inſtitutione.
De Origine Juris.
De Regulis Juris.
In Pandectas, & Codicem.
Enarrationem legalium libri III.

CVI. BALTHASSAR CARDUCCIUS Florentinus priſcâ, ſed populari familia natus, non ſatis ditem domum, jura tractando ſuſtentavit in patria, indeque inter Juriſconſultos clareſcere cœpit. Mediceis, quos oderat cane pejus, & angue, rerum potitis, exulare coactus eſt, vixitque aliquandiu Venetiis, undè ſtipendio conductus Patavium venit, datus antagoniſtes Jo. Franciſco Doctorio Pontificii juris interpreti. Docuiſſe Carduccium jura Canonica ad an. MDXXIII. certum eſt ex eo, quod primę ſedis canonicæ doctor collegam habuit Mantuam (7), qui in altera ſede docere eo anno cępit. Docuerit jus quoque Civile Patavii, quod notatum ab aliis, ac præſertim à Pancirolo (8), pręterit negligentia Tomaſini: quodque ut clariùs ex monumentis quęſtoriis conſtet, ita erit intelligendum, ut Carduccius primò quidem biennio in altera ſede Pontificii juris veſpertina poſt reſtitutum Gymnaſium à bello Cameracenſi profeſſus ſit, mox ad alteram ſedem matutinam juris Civilis translatus non diu docuerit, eumque Senatus provexerit ad primam matutinam juris Canonici anno MDXIX. poſt obitum Ludovicæ uxoris, quàm immoderatiùs luxit in templo Servorum ſepultam cum titulo, cui diſtichon addidit hoc: 1552

Extremo

(1) ibid. (2) de Vir. Illuſtr. n. 78. (3) Inſcr. Pat. p. 338. n. 78.
(4) Gym. lib. 1. c. 14. p. 19. (5) Gym. lib. 2. c. 9. p. 250. & in Elog.
(6) lib. 2. c. 170. p. 282. (7) Mant. ibid. n. 55. (8) ibid. lib. 3. c. 53. p. 377.

Extremo heu tumulata ſolo Cariſſima Coniux,
Hæc, ſi fata volent, urna duobus erit.

Eidem titulum alium edidit ſine diſticho in templo D. Auguſtini, utrunque autem exhibet Salomonius (1). Non diu tamen profeſſus iterum ſit jus Pontificium poſt obitum uxoris, nec ultra an. MDXXIII., cum Venetias regreſſus in luctu, & męrore vixit aliquandiu, in Mediceos declamans furiosè, ac patriæ ſervitutem perpetuis lacrymis deplorans. His Florentia depulſis, revocatus à civibus principem ſe præbuit popularibus ſuis adverſùs Clementem VII. paſſim per vicos & compita, cætuſque Florentinorum dictitans, nunquam ſtaturam Rempublicam, ni multo Mediceorum, eorumque, qui Mediceis favebant, cruore manus, ac pedes imbuiſſet. His dictis, ſibi acinacis, *Scimitarram* Itali vocant, nomen adſcivit; ſtipatuſque turba plebis, reluctante Nicolao Caponio Vexillifero, præfectum armis, & cuſtodiæ civium Magiſtratum invaſit. Sed cùm eo impetu Jacobum Alemannum, præcipitis, & expectoratæ indolis juvenem, qui in ipſo coacti Senatûs limine in Leonardum Ginorium gladium ſtrinxerat, ex legum præſcripto tueri minimè potuiſſet, quin capitis damnaretur, paulatim ejus auctoritas apud plebem emarcuit. Quamobrem, tumultu ſedato, Legatus in Galliam miſſus, ibi fuit donec Coſmi Magni virtus, atque felicitas turbulentam illam Rempublicam, & jugibus ſeditionibus peſſundaram compoſuit. Ab hoc reſtitutus, in patria conſenuit, ubi decrepitus, & capularis planè deceſſit circa an MDLII. Scripſit *Reſponſa* multa, quorum Volumen unum, & *Commentarios in Pandectas*, & *Titulos Decretalium de Conſtitut. atque Judiciis*, itidemque *ad Rubricam ff. de legibus* vidiſſe ſe apud Bonifacium Rhodiginum, Tomaſinus (2) ſcribit.

1554 CVII. NASCIMBENIUS PECTENELLUS Patavinus claruit in Gymnaſio noſtro medio ſæculo XVI. eumque familiæ ſuæ parare ſapientiâ ſplendorem cępit, quem illi, jampridem nobilibus Patavinis annumeratæ, auget vitæ probitas, morum integritas, pietatis ſtudium, & illuſtris affinitas Julii, quo nunc perennat ad poſteros. Naſcimbenius à prima (3) ætate bonis artibus innutritus, ac juriſprudentiæ campos emenſus, curriculo in illis peracto legitimè, cum ad lauream perveniſſet, honeſtiſſimo tabellionum ſe muneri addixit, ac perſpicaciſſimi juvenis ingenii ita utiliſſimi fines officii percurrit, ut quid eſſet in eo difficultatis, laboris, ac fidei, quantâque & curâ, & diligentiâ, legumque notitia eos uti oporteat, qui publicis ſyngraphis edendis calamum obligant, altè rimatus, non ſciverit duntaxat, verùm etiam editis libris docuerit. Hinc abdicante ſe munere Bartholomæo, quem Tomaſinus (4) ab Oratio vocat, nos Horatium ex Scardeonio (5) ſynchrono ſuperiùs appellavimus, ad ſedem Tabellionatûs primam publico decreto, ſine antagoniſta docturus adſumptus eſt au. MDXLVII. Summâ cum laude, ac diſcipulorum frequentia docuit ferè ſexennio, ſperabaturque fore, ut omnia conſequeretur in hoc noſtro Gymnaſio, cujus expectationem juvenis, & omnium Profeſſorum poſtremus, impleverat adeo, ut ad eum audiendum vel ipſi Profeſſorum proceres libenter accederent. Sed ſpes tantas fatum præcox abrupit, & expectationem futuræ in viro gloriæ diſcuſſit. Nam febre malignâ correptus in ipſo ætatis flore, nondum exacto vitæ anno trigeſimo tertio, æræ communis MDLIV. ad plures abiit, ingentes lacrymas, inquit Scardeonius (6), & męrorem maximum parentibus, amicis magnam moleſtiam, cunctis verò magnum ſui deſiderium derelinquens. Multa ſcripſiſſe dicitur in re notaria doctiſſimè lucubrata, quæ fato præreptus publico uſui exhibere minimè potuit. Unum hoc pręlo ſubjectum, atque editum glorioſum ipſi, & quod illi poſt obitum immortalitatem nominis pariat, extat, *Index* nimirum, aut *Repertorium* ampliſſimum *in omnia Opera Matthæi de Afflictis*, quę primus recenſuit, ſupplevit, ac recudenda curavit, prefixâ pręfatione eruditiſſimâ, ex qua ſuo loco probabimus, clariſſimum illum Juriſconſultum XV. ſęculi alumnum noſtri Gymnaſii fuiſſe.

1556 CVIII. HIERONYMUS CAMPOSAMPERIUS, ſive *à Campo S. Petri* Patriciâ gente Patavii natus, ab ipſa juventute primâ, vix dum poſito tyrocinio juriſprudentię, par omnibus (7) viſus eſt, qui de gloria cum maximis Profeſſoribus patrii Gymnaſii poſſet contendere, ſive eùm publicè docuit, ſive eùm ſcripſit privatim. Orator quoque ſua ætate clariſſimus, & eloquentiſſimus plures pro patria legationes obiit apud Venetos Magiſtratus, atque illam inter multas præcipuam, eùm ad Principem Venetum Franciſcum Venerium luculentiſſimè peroravit, eique novum Principatum nomine

Patavinæ

(1) Inſcr. Pat. p. 50. n. 45. p. 472. n. 41. (2) in Characteriſmo Præfat. (3) Scardeon. lib. 2. Claſ. 8. p. 194.
(4) Gymn. lib. 2. c. 24. p. 272. (5) ibid p. 191. (6) ibid. d. p. 194.
(7) Scard. ibid. p. 195.

Patavinæ Reipublicæ de more gratulatus eſt. Deceſſit non planè ſenex eo ipſo anno MDLVI., quo legationem hanc habuit, interfectus accepto lethali vulnere à neſcio quo, quicum altercabatur. Deflevit eum univerſa civitas, deflevit Gymnaſium, quod ab anno MDXLV. (1) Cæſareas Inſtitutiones è prima ſede docuerat, & ab anno MDL. ad rerum Criminalium notitiam inſtituerat. Sepultus eſt ad D. Antonii in priſco majorum ſepulcro. Publici juris fecit ex pluribus, quæ conſcripſit, primò pulcherrimam, ut habet Scardeonius, *Repetitionem in Titulum de Teſtamentis ordinandis*, alteram quoque ſexennio antequàm necaretur in *Titulum de Verborum Obligationibus*.

CIX. MARIANUS SOCINUS junior Senenſis, Mariani Socini ſenioris ex 1556
Alexandro filio nepos, à prima ætate tum humanioribus literis, tum nomicis diſciplinis imbutus, ſummum inter Juriſconſultos nomen, ſingularemque gloriam, nec aut avo Mariano, aut Bartholomæo patruo minorem conſecutus eſt. Studuit Bononiæ Bartholomæi patrui diſcipulus, quo Senas reducto, ibi tyrocinium depoſuit, nomine patrui, qui vocem amiſerat, provectus ad lauream ab Antonio Bonafro, qui erat à Conſiliis Pandulphi tunc Senis imperantis, ibidemque jus publicè profitebatur. Docuit Senis primùm, deinde Piſis, atque etiam in patria, à qua miſſus, pluribus legationibus functus eſt, celebrique illa ad Leonem X., cui nomine Senenſium doctè, & eloquenter gratias egit pro purpura Joanni Piccolomineo, & Raphaeli Petruccio Senenſibus data. A' reditu in patriam evocatus Patavium, datuſque antagoniſtes Petro Paulo Pariſio, & Franciſco Sfondrato, cœpit clarere profuſiùs; atque his è Gymnaſio abeuntibus, primas apud nos tenuit, ad annum uſque MDXL. quo à XLViris Bononienſibus invitatus mille ac ducentorum aureorum decreto ſtipendio, flexit animum, ut Patavio diſcederet Venetis iratus. Nam cùm de primo inter Juriſconſultos loco contenderet cum Joanne Antonio Rubeo, nec ille, quòd par haberet aureorum mille ſtipendium, cederet tantundem habenti, Marianus à Venetis poſtulavit, ut, appoſito millenis decem aureorum auctario, ipſum Rubeo præferrent: his aſſerentibus, ſibi homines non deeſſe, qui minore mercede docerent, clam Bononienſibus fidem obſtrinxit ſuam pro ſtipendio mille ac ducentorum aureorum; & ſyngrapham contractus initi habens in ſinu, iterum augeri ſibi honorarium petiit: cùm hi ſolita reſpondiſſent, productâ contractûs Charta: *ego*, inquit, *ex meo ſinu aureos mille ac ducentos extraho; expectabo, quos ex veſtro Profeſſores extracturi ſitis*. Sic Bononiam profectus eſt; nec eum Veneti, polliciti majorem mercedem, retinere potuerunt. Vir fidei tenax, quod promiſerat, præſtitit, quamvis ei Coſmus Medices aureos MD. obtulerit, Epidaurienſes biſmille, Luſitaniæ Rex tria millia docturo Conimbricæ. Conſenuit ergo Bononiæ, ubi uxorem Camillam Saluettam amiſit, ac deinceps non admodum continenter vixiſſe dicitur. Quamobrem ſæpe contracto morbo, cum ægrotaret, atque remediis empiricis ad valetudinem uteretur, vi horum oppreſſus occubuit XII. Kal. Septembris anno MDLVI. ætatis LXXV. incepto. De eo Riccobonus (2) Gullielmus (3) Rovillius, Tomaſinus (4) & ante hos Pancirolus (5), ex quo hæc ipſa narravimus, & apud quem plura noſces de filiis ejus, ac præſertim de Alexandro, qui Patavii, atque alibi profeſſus, quod nihil laudandum ediderit, à nobis omittitur. Socini Junioris edita ſunt

In multas Pandectarum partes Commentaria.

In III. Materias Explicationi juris veſpertini propoſitas.

Reſponſorum tria magna volumina, ex quibus notiſſimus eſt.

(1) Tomaſ. Gym. lib. 2. c. 28. p. 265. et 25. p. 60.
(2) lib. 1. Gymn. c. 24. p. 19. (3) Promptuar. Iconum P. 2.
(4) lib. 2. Gymn. c. 12. p. 255. (5) lib. 2. de Clar. Interp. c. 162. p. 272. 273.

CAPUT XXII.

Fabius Accorambonus. Matthæus Gribaldus. Hieronymus Torniellus. Donatus Fina. Viglius Zuichemus.

1559 CX. FABIUS ACCORAMBONUS claris, & Doctoribus, & alumnis Gymnaſii noſtri annumerandus eſt, quippe qui hìc & ſtuduit, & ſtudiorum tyrocinium poſuit, & publico docendi munere functus eſt, ut conſtat ex albo Gymnaſtico, actis Collegii apud Sanſonum, & ex traditis à Riccobono (1), & Tomaſino (2), quibus præit Pancirolus (3). Natus eſt Eugubii in Umbria nobili genere, patre Hieronymo celeberrimo medico, de quo dicemus: verſatus in meditatione jurium, patre hìc medicinam profitente, inter doctores relatus adeo ſtatim claruit, ut Senatuſconſulto ad exedram tertiam juris Cæſarei matutini, addito centum, & quadraginta florenorum ſtipendio, provectus fuerit extra ordinem adoleſcens nondum ætate major, annum agens vigeſimum primum. Signat hoc ipſum Tomaſinus (4) cùm tamen illud omittat, quod ex tabulario Quæſtorio certum eſt, Fabium poſt annum ad primam Inſtitutionum exedram evaſiſſe, eamque impleſſe virtutis, ac ſapientiæ ſuæ gloria: ſed cùm ædes ejus, quas Romæ habebat, conflagraſſent, eò ire poſt biennium coactus eſt, ubi triennio jus Pontificium profeſſus, iterum rediit Patavium, fuitque docendi æmulus Curtio, Mantuæ, Rubeo, & Socino juniori, quibus par magnificè veſpertinarum prælectionum onus in jure Civili, & glorioſè ſuſtinuit. Poſt hæc à Paulo III. Romam accitus Conſiſtorii ſacri primùm Advocatus in aula claruit, mox nondum exacto biennio Rotæ XIIVir. Paulus IV. eum utriuſque Signaturæ Referendariis collegam addidit, & in eo procerum curiæ Romanæ numero habuit, quibus moroſus, & ex nimia religione ſuſpicax Pontifex, in ordinanda emendandaque curia integerrimis conſiliariis utebatur. Ab eo ad purpureum galerum deſtinatus, & in breviculo provehendorum deſcriptus, quòd eum amicum Cæſaris Caroli V. ſubodoraſſet, expunctus eſt. Duodeviginti annis Collegii Auditorum ſocius, & in eo cæteris ſenior, & ut ajunt, Decanus obiit Romæ an. MDLIX. ætat. LVIII. ſepultuſque eſt ad D. Auguſtini. Extant ejus multæ *Deciſiones in Collectaneis*, harum titulos præſeferentium, *Syllogorum*, & luculentiſſimus *Tractatus de Compenſationibus*.

1570 CXI. MATTHÆUS GRIBALDUS, quem de Furges Tomaſinus (5) appellat, Cherienſis ex oppido Galliæ Subalpinæ in Italia noto dicitur explicatiùs à Riccobono (6). Nobilis XVI. ſeculo Juriſconſultus legum interpretationem profeſſus eſt, cum apud ſuos, tum Piſis, Peruſiæ quoque, ac Ticini undè ſtipendio florenorum octingentorum accitus ad hoc noſtrum Gymnaſium, collega Tornielli, docebat hìc magna cum laude ab exedra ſecunda veſpertina juris Cæſarei an. MDXLVIII. Ei auctum honorarium ad nongentos biennio poſt, iterumque ad mille & centum an. MDLIII. Abiiſſe Patavio videtur intra an. MDLVI., quo ex eadem ſede Guido Pancirolus Gribaldo ſuffectus docere cœpit. Ferunt autem illum ſuſpectum de hæreſi, ac reum factum à Quæſitoribus Sacris, ne cuſtodiæ, ac vinculis traderetur, fuga ſibi conſuluiſſe: id quod Riccobonus ſignificat (7). Addit Salomonius (8) ex monumentis Cœnobii S. Auguſtini, eum aliquandiu Genevæ moratum, mox abiiſſe Lugdunum; atque ibi ejurata hæreſi, pia morte, & orthodoxa fuiſſe defunctum, ſcripta ſatis docta epiſtola ad Quæſitores hæreticæ pravitatis Patavinos, data an. MDLXX. Scripſit & edidit doctum, & elegans *Commentarium in Pandectas*, *& libros III. de Methodo*, *& ratione ſtudendi in jure Civili*.

1575 CXII. HIERONYMUS TORNIELLUS, vir eminentis ſtaturæ, facie liberali, & preclaris, candidiſſimiſque moribus præditus fuiſſe dicitur à Pancirolo (9) ſynchrono. Novariæ in urbe Inſubriæ nobiliſſimis parentibus genitus, Ticini ſtudiorum curriculum iniit & abſolvit, ibidemque Inſtitutiones Cæſareas profeſſus eſt ad annum uſque MDXXVI. ætatis quartum, & vigeſimum. Inde bellorum tumultibus abire coactus Auguſtam Taurinorum venit, ac publicè jura, Theologiam, ac Philoſophiam propoſitis theſibus egregiè tutatus, juris Civilis exedram obtinuit antagoniſtes datus Hieronymo Cagnolo tunc ibi profitenti. Pace in Inſubria conſtituta an. MDXXXI., cum à Franciſco Maria Sfortia Ticinenſis Academia fuiſſet reſtituta, honorificis conditionibus accerſitus Franciſci Vegii Collega docuit jus Civile. Verùm Caroli Allobrogum Ducis precibus à Sfortia conceſſus iterum ad ſedem Taurinenſem rediit, ſucceſſor Jo. Antonii Rubei, donec recrudeſcente bello, Carolum extorrem ſecutus Vercellas, & Senator creatus, ibi biennio jus

(1) Gymn. lib. 1. c. 14. p. 19. terg. (2) Gymn. lib. 2. c. 11. 13. p. 254. 257. (3) lib. 2. c. 178. p. 293. (4) d. p. 254
(5) ibid. c. 13. p. 257. (6) lib. 1. c. 14. p. 19. terg. (7) ibid. Ver. an. 1542. (8) Inſcript. Gym. (9) lib. 2. c. 176. p. 289.

jus dixit. Demum Patavium magnâ mercede aureorum mille conductus, in veſpertinis
prælectionibus æmulos habuit duos Matthæum Gribaldum, & Guidum Pancirolum. Poſt
annos viginti doctrinæ Gymnaſio noſtro impenſæ, eodem ſtipendio Ticinum revoca-
tus, ibi ſæculo ſuo æqualis interiit an. MDLXXV. Cælebs ætatem oppignoravit la-
boriosiſſimè Reſponſis edendis, quorum extare Volumina quinque feruntur. Horum pau-
ca vidimus edita, in quibus neque acutus admodum, nec robuſtus nobis viſus eſt ſa-
tis, peritus potius in legibus textibuſque citandis: nec rationibus nititur, ſed uberri-
mè Bartholi, Baldi, Caſtrenſis, atque Socini junioris auctoritate, quæ paſſim conſti-
tuit, tuetur. At ſolidior, & robuſtior, & doctior eſt in editis, quæ ſunt.

Comment. In l. Gallus, ff. de liber. & poſth.	*Comment. Ad l. Falcidiam, & Senatuſconſ. Trebellian.*
Ad Rubricam de Legat. I.	*Ad Rubr. de Verb. Obligat.*
Ad Titul. de Conditio., & Demonſtratio.	*Liber de utilitate, & poteſtate Actionum.*

CXIII. DONATUS FINA (1) Sagrenſis, natus in Caſtro Sagro, vel Saro apud 1577
Samnites Citeriores, juris utriuſque diſciplinas Neapoli ſtudioſè perdidicit, retulitque
Doctoris lauream, poſtquam legum theſes per dies quindecim publicè propoſitas magno
cum plauſu defendit. Præfuit Cæſenæ Prætor à Romano Pontifice conſtitutus, carus
adeo civitati, ut omnium civium ſuffragiis in ejus jura receptus ſit. Inde Hieronymi
Zanii, & Sfortiæ Pallavicini, qui armis Venetis præerant, & claſſibus, nomine jus di-
xit, & cauſas audiit, functuſque eo munere prudentiſſimè, amorem utriuſque, & exi-
ſtimationem emeruit, habuitque à Senatu Veneto ſuæ virtutis, ac fidei ampliſſima teſti-
monia. Poſt hæc ſeceſſit Patavium, ubi privatim jus Civile annis quindecim docuit,
tanta cum utilitate ſtudioſæ juventutis, ut quaſi eidem erudiendę perneceſſarius ad pu-
blicas pręlectiones provectus fuerit. Criminalium quęſtionum anfractus explicavit; in
eaque gymnaſticæ adminiſtrationis parte ſenex occubuit anno MDLXXVII. Edidit
Enchiridion utriuſque juris, librum omnium judicio probatum, multiſque in locis prælo
recuſum.

CXIV. VIGLIUS ZUICHEMUS, dictus à Zuichemo pago avito agri Leovar- 1577
dienſis in Belgio, familiâ natus eſt Aytanorum, vel ab Ayta prænobili. Cura patrui
pupillum educavit Leovardiæ, undè ad meliorem in literis inſtitutionem Daventriam
miſſus poſtquam tyrocinium utcunque ſtudiorum poſuit, cum Hagę Comitum, tum
Lugduni Batavorum, Lovanii denique ſeverioribus diſciplinis, ac pręſertim juriſpru-
dentię nomen dedit, jam tum clarus inter ſodales, ac ſocios ex literaria familiarita-
te, quam per patruum contraxerat cum Eraſmo Roterodamo. Doctor peregrinatio-
nes avidiſſimè ſuſcepit, ut pręſens celeberrimorum ea ętate Juriſconſultorum pręlectio-
nibus intereſſet, & viros doctiſſimos de facie cognoſceret. Dolam ergo in Burgun-
diam profectus, poſtquam triennium inſumpſit audiendis clariſſimis Profeſſoribus; in-
de Avenionem profectus audivit Andream Alciatum, & Franciſcum à Ripa doctores
notiſſimos, primumque ſecutus Biturigas, ei inde in Italiam evocato ſucceſſor datus
publicè docuit, & privatim: eodemque tempore, Lutetiam, & Aurelias inviſit, ſi-
bique doctiſſimorum virorum, ac pręſertim Gullielmi Budęi amicitiam conciliavit. De
peregrinatione deinde Italica cum ſociis cogitavit, ac ſalutatis ex itinere clarę ſapien-
tię doctoribus, & erectis dudum per Germaniam gymnaſiis, per Helvetiam, & Si-
leſiam proficiſcens, venit Venetias, indeque Patavium ſeceſſit, ubi per integrum annum
pręlectionibus publicis auditor interfuit, fretus (2) commendationibus Eraſmi ad Egna-
tium, & Bembum, nondum Cardinalem, datis. Claruit autem Patavii, planèque ad
gloriam innotuit publicis diſputationibus, quarum famâ exciti diſcipuli, eum penè
non invitum, ac reluctantem ad exedram Inſtitutionum evexere, annitentibus Chri-
ſtophoro Madruccio, & Othone Truxeſio, poſtea Cardinalibus, quorum uterque
ejus Auditor fuit. Id contigit ex Riccobono (3), & Tomaſino (4) anno
MDXXXIII., perrexitque Viglius docens ſumma cum laude ter in die, & Regulas
Inſtitutionum enucleans: ſemel publicè cum apparatu, ac diligenti materiarum expla-
natione; deinde percurrens gloſſas, & textum, atque hæc inter ſe conferens: po-
ſtremò peculiari ſtudio tyronibus elementa juris exponens. Fuit illi perpetuum
certamen cum Gaſpare Malmignato, qui eidem ſuffectus eſt poſt triennium, cùm
ſe munere abdicavit, rediitque in Germaniam, quamvis illi Reſpublica Veneta

Y pri-

(1) Riccob. Gymn. lib. 3. cap. 16. p. 64. (2) Pancir. lib. 2. cap. 174. p. 287.
(3) ibid. lib. 1. cap. 14. p. 19. terg. (4) ibid. lib. 2. cap. 18. p. 264.

primas obtuliſſet, ſi profiteri prolixiùs libuiſſet, ſi prælegendi labore ab exedra deterreretur, vices ſuas judiciarias in inſula Cypro decreviſſet. Redux (1) in Germaniam ſubſtitit Baſileæ, ibique ea, quæ in jure conſcripſerat, edenda curavit. Varia deinde illi oblata ſunt honorificentiſſima dignitatum officia; ea latè Melchior Adamus recenſet, atque inter hæc illud, quo à Carolo V. Cæſare ad inſtitutionem Philippi filii deſtinabatur. Excuſavit ſe vir modeſtiſſimus, & privatæ libertatis, quâ aluntur ſtudia, cupidiſſimus. Tandem juſſu Cæſaris Ferdinandi in adſeſſorem curiæ Burgundicæ lectus eſt, paruitque donec Willelmi Bavariæ Ducis precibus datum, ut curiâ relictâ ad juris interpretationem rediret, quamobrem magna mercede Ingolſtadii publicè docuit per annos quatuor, mirâ auditorum, undique confluentium, frequentiâ. Mox recuſatis oblationibus variis ſummorum Principum, uni Mariæ Pannonum Reginæ, & Belgarum tunc Præſidi efflagitanti, ut in Belgium rediret, acquievit. Ibi cooptatus inter Melchinienſes Conſiliarios, perfunctuſque Cæſareis legationibus optimè, & ex his Cæſari carus, Præſes Friſii Senatûs dictus eſt: qua in dignitate iterum ad graviſſimas legationes Orator Cæſaris miſſus, præfecturam regii Theſauri recepit in Belgio, & Abbas S. Bavonis creatus ſacerdotium dives obtinuit. Particeps quoque arcanorum Principis, & Cancellarius Belgii ſupremus fuit, atque tot honoribus latè conſpicuus, & in ſenio felix, ingenti patrimonio majori ex parte ad pias cauſas legato, cùm ex reſiduo ſatis amplo agnatos hæredes inſtituiſſet, ſeptuagenarius Bruxellis vivere deſiit an. MDLXXVII. Sepultus eſt Gandavi ad S. Bavonem in mauſoleo, quod ſibi vivens erexerat cum hoc epigrammate.

Qui curas Regum, & Regnorum pondera obivit
Pervigil, hoc dormit Viglius in Tumulo.
Parce pios, lector, manes turbare, quietem
Hæc poſt tot vigiles vindicat urna dies.
A vigilis Vigli exemplo vigil eſſe memento.
Nil etenim Vita eſt, ſit niſi vita vigil.

Edidit *Commentaria in X. Titulos libri II. Inſtitutionum;* hiſque doctiſſimè jura Teſtamentorum explicavit.

Theophili Anteceſſoris Inſtitutiones Juris Civilis Græcè ſcriptas eruit, reſtituit, & in gratiam legalis Scientiæ ſtudioſorum publicas fecit, cum doctiſſima Præfatione ad Carolum V. Cæſarem.

CAPUT XXIII.

Joannes Cephalus. Joannes Ficardus. Ottonellus Paſinus. Tiberius Decianus.

1580 CXV. JOANNES CEPHALUS Ferrarienſis, à prima ætate bonis artibus innutritus, emenſuſque brevi curriculo juriſprudentiæ campos, adhuc adoleſcentulus in patria juris laurum emeruit. Docuit deinde Ferrariæ collega Roncagallo Juriſconſulto celebri, undè ad Gymnaſium Ticinenſe accerſitus, in publica legum interpretatione collegas habuit Franciſcum Alciatum, Andreæ nepotem, & hæredem, poſtea S. R. E. Cardinalem. Anno MDLXV., ut ſcribit Riccobonus (2), accitus Patavium aureorum mille ſtipendio, vel potius, quod veriùs Tomaſinus (3) comprobat, an. MDLXIV. XVIII. Kal. Septembris, ſucceſſor Julii Salerni dictus eſt Profeſſor juris Civilis pomeridiani primarius. Collegas habuit multos, clariſſimos duos, Guidonem Pancirolum, & Franciſcum Manticam, qui deinde XIIVir Rotæ Romanæ ſacram Purpuram meruit. Auctum poſtmodum illi honorarium bis, ad mille quingentos & octoginta pervenit; recuſavitque deinceps quamvis oblatum auctarium: quippe ominis inſtar illi fuit, quod quidam ipſi ariolus dixerat fore, ut non ultra mille quingentos & octoginta diteſceret. Sed vaticinium annos obſcurè ſignabat, non nummos. Ergo reliquum vitæ Pa-

(1) Melchior Adamus in Vit. Juriſconſultorum German.
(2) Gym. lib. 2. c. 10. p. 38. terg.
(3) lib. 2. c. 12. p. 256.

vitæ Patavii feliciter adeo, ſuâque ſorte contentus exegit, ut quamvis à multis gymnaſiis expetitus, à Bononienſi præſertim & Piſano, undè ejus moderator Tonſus Patavium venit, quò præſens efficaciùs propoſito ingenti ſtipendio illum alliceret, non tamen adduci potuerit, ut urbis Euganeæ majeſtatem, ac gymnaſii noſtri gloriam ejuraret. Contemptor æquè privatæ utilitatis, atque honoris publici, quem cooptandus in Senatum Mediolanenſem, procurante Gabriele Cueva Inſubriæ Præfecto, qui ex ejus Reſponſo in cauſa quadam victor fuerat, conſequi potuiſſet, ſi abdicare ſe publico docendi munere voluiſſet. Hìc, non autem Ferrariæ, nec anno MDLXVI. ut habet Freherus (1), ſed anno MDLXXX. V. Idus Novembris, quem ſignat chronologia Tomaſini (2) vivere deſiit; laudatus funebri oratione à Riccobono, ex qua hæc pauca decerpſimus. Vixit annos LXIX., quorum ſex & quadraginta publicis Interpretationibus impendit. Sepultus (3) eſt ad D. Petri, Extant hujus celeberrimi Juriſconſulti *Reſponſorum Volumina V.* ex quibus maximi ſemper habitus eſt, habeturque.

CXVI. JOANNES FICARDUS natus eſt Francoſurti ad Mœnum honeſtis parentibus anno MDXI. Poſt humaniores diſciplinas Juriſprudentiam ſibi paravit miſſus ad Gymnaſium Francoſurtenſe Briſgoviæ. Ibi Ulricum Zaſium audivit, de quo ipſe amantiſſimè (4) ſcribit, & meritò; pari enim amore Zaſius Ficardum diſcipulum proſecutus eſt, quem etiam lauro poſt curriculum ſtudiorum redimivit. Inſulis juriſprudentiæ receptis, patronum egit in ſupremo Imperii Dicaſterio per annos aliquot Spiræ Nemetum. Demum & Patavii, & Bononiæ jus Cęſareum profeſſus eſt teſtibus Thuano in (5) Elogiis, & Melchiore Adamo (6), quibus adſtipulatur Sanſonus (7), apud quem bis inter illos numeratur, qui Germanos provehebant ad lauream: quò magis mirum eſt ejus oblitos fuiſſe penitus, & Riccoborum, & Tomaſinum, quibus oblivionis cauſam præbuerit Pancirolus (8), qui Ficardum diſcipulum quidem Rubei, & Mantuæ dicit, Doctorem Patavii fuiſſe prorſus diſſimulat. Ex Italia reducem habuit patria Syndicum glorioſiſſimum per annos quatuor & quadraginta: in ea ingens ornamentum ipſius ac Germaniæ totius habitus obiit ſeptuagenarius anno MDLXXXI. Latina fecit ex Græco hæc Opera Galeni. *De libris propriis. De ordine librorum ſuorum. De præſagiis ex inſomniis. Quomodo morbum ſimulantes deprehendi poſſint. De exercitatione Pila. Conſilium in morbo Comitiali.* 1581

Ipſe Ficardus hæc ſua edidit.

Onomaſticum Philoſopho-Medicum Synonymum.

Alterum pro vocabulis Paracelſi.

Exegeſin ſummariam omnium Titulorum Inſtitutionum.

Indices duos omnium Scriptorum in Jure, tam Pontificio, quàm Civili à Veteribus, & Recentioribus editorum.

Tract. Cautelarum omnium Juriſconſultorum, qui hactenus Cautelarum materiam ex profeſſo tractarunt: cum præfatione de recto uſu Cautelarum.

Vitas recentiorum Juriſconſultorum ab Irnerio ad Zaſium, quas Bernardus Rutilius Vicentinus fato præreptus conſumare non potuit.

CXVII. OTTONELLUS PASINUS Patavinus vivebat, florebatque jam ſenex tunc, 1581
cùm Scardeonius de claris Juriſconſultis Patavinis an. MDLX. ſcribebat (9). Nobili genere ortus, & doctiſſimis Juriſconſultis majoribus à depoſito Juriſprudentiæ tyrocinio ad juris Canonici adſumptus eſt interpretationem in patrio Gymnaſio, docuitque in prima ſede, quæ pertinent ad explanationem Decreti; mox invitatus ab Orlando Carretto Avenionenſi Archiepiſcopo, cauſarum judex apud eum fuit, donec Romam evocatus ab Adriano P. M. miſſus eſt in Flaminiam ad componendas rixas, & jurgia, quæ plurima tunc illam Provinciam divexabant; re ſtrenuè procuratâ, Præfectus generalis Flaminiæ & Exarchatûs Ravennatis dictus eſt, ac peculiariter præpoſitus Cæſenatibus; quo munere dum fungitur Verruculum Oppidum, quod ab Eccleſia Romana deſciverat, ad priſtinam fidem revocavit, ſimul Arbiter electus in maximis controverſiis, tum inter Apoſtolicum Fiſcum, & Pandulſum Malateſtam, tum inter Franciſcum Mariam Urbini Ducem, ac Cęſenates contendentes de finibus Feltrii, ſapienter omnia conſtituit, & ex voto partium diſſidia ſedavit, liteſque compoſuit. Hinc acciri Romam acta Pontifex idem omnia probavit, & ad ſpem honorum in aula maximorum tam prudentis, ac docti miniſtri dexteritatem, ac ſapientiam erexit. Ea præpropero Pontificis fato diſcuſſa

(1) T. 2. P. 4. p. 871. (2) lib. 4. Gymn. p. 425. (3) V. Salom. Inſcr. Pat. p. 115. 116. n. 1. 8.
(4) Vit. Recent. Juriſconſult. in Zaſio. (5) apud Teiſſer. in Ficardo. (6) Vit. Juriſconſult. Germ.
(7) in Diar. an. 1540. (8) lib. 2. c. 184. p. 299. (9) lib. 2. Claſ. 8. p. 196.

eſt, ac veritus Ottonellus inſidias aulicorum, rediit Patavium anno MDXXV. quo electus eſt Orator à Patavinis ad XXViralem Venetiis Magiſtratum pro cenſu, & agrorum immunitatibus, de quibus per eos dies non ſine diſcrimine publici juris agebatur. Ea legatione feliciter defuncto non diu licuit patrii laris quiete optatiſſima frui, nam indulgendum fuit humaniſſimis precibus laudati Franciſci Mariæ Urbini Ducis, à quo ſuæ aulę judex ſummus, & conſiliorum ſuorum particeps dictus, varias ejus nomine legationes obivit, atque illam in primis, quâ poſt obitum Clementis VII., Guidobaldi Feltrii Urbinatium Principis, & Juliæ Camerini Ducis filiæ, atque hæredis matrimonium obtinuit, quo celebrato, Camerini Præfectus creatus eſt. Sed cum Paulus III. urbem illam obſidione cinxiſſet, Orator Ducum Neapolim miſſus, rebus optimè conſtitutis, morbo veſicæ laborare cœpit, coactuſque eſt ſuæ valetudinis rationem habere, ac remigravit Venetias. Ibi aliquandiu principem locum tenuiſſe dicitur in dandis reſponſis ad jus utrunque, & in cauſis agendis, donec ſenio confectus ad penates ſuos vir optimus, & noſtri gymnaſii decus opportunè ſeceſſit, atque hic in patria mortalitatem explevit circa an. MDLXXXI. nam ex decreto (1) Gymnaſtico edito Idibus Januarii anni ſequentis in locum Ottonelli Paſini advocati Academiæ, alius eligitur, Philippus nimirum Octavianus extincti Paſini ſucceſſor. Hinc non dubitamus (2) titulum à filiis Ottonello, & uxori poſitum in templo Servorum an. MDCXXVII. vel alterius Ottonelli eſſe, vel certè poſt annos ſex & quadraginta parentibus erectum à filiis, quando qui jam ab an. MDXXII. florebat judex Avenionenſis Eccleſiæ ad XXVII. ſæculi XVII. annum pertinere minimè poteſt. Celebrantur Ottonelli Paſini *Additiones ad Novellas Juſtiniani*: & aliæ luculentiſſimæ, & copioſiſſimæ ad ea, quæ ſcripſit Franciſcus Pavinus proavunculus ejus. Opus hæ poſthumum ſunt, ſed immortalitate dignum, ob inſignem in jure Civili, tum priſco, tum recentiore ſub Græcis Imperatoribus eruditionem.

1581 CXVIII. TIBERIUS DECIANUS patriciâ gente Utini natus in Carnia, Comes & Eques, egregiè geſtis in patria Magiſtratibus, perfunctuſque pro patria legatione ad Venetum Senatum, Venetiis patronum egit cauſarum: mox Adſeſſor Vicentiæ datus Laurentio Venerio, Patavii Bernardo Naugerio, poſtea Cardinali, Veronæ verò Franciſco Venerio, qui Dux Venetorum fuit, integerrimum ſe judicem præſtitit: anno MDXLIX. ſuffectus eſt Marco Blanco, publico Criminalium interpreti, claruitque in ea ſede tantâ doctrinæ famâ, ut extincto Hieronymo Cagnolo, poſt biennium, anno ſcilicet MDLI. ad jûris Civilis matutinam Exedram primam evectus ſucceſſerit, collegis magni nominis ſi minus major, par certè, Marco Mantuæ, ac Jacobo Menochio. Scribit de eo Tomaſinus (3) poſt Pancirolum (4). Vixit ad an. MDLXXXI., quo VII. Idus Februarii, annis tribus major ſeptuagenario deceſſit Patavii, laudatus in funere à Riccobono; jacet in templo Carmelitarum, ſignaturque monumento, & effigie, atque prolixa inſcriptione (5), quæ hæc ipſa commemorat. Supponit diſtichon emphaticum hoc

Hic cineres Magni Deciani. Sufficit illud.
Diſces audito nomine quantus erat.

Latinum Diſtichon excipit Græcum, turgidum ęquè ac glorioſum, ſed & mendoſum ſatis. Edita ſunt hæc ejus Opera.

Volumina quinque Conſultationum.
Volumina tria Reſponſorum ſeorſim.
Tractatuum Criminalium Volumina duo, ex quibus maximè celebratur. Opus Poſthumum.
Apologia pro Reſponſis Juriſconſultorum adverſùs Andream Alciatum.

CAPUT XXIV.

Marcus Mantua. Paulus Leonius Epiſcopus Ferrarienſis: Terentius Terentianus. Bonifacius Rugerius.

1582 CXIX. DE MARCO MANTUA BENAVIDIO celeberrimo Gymnaſii noſtri Profeſſore pauca dicimus, cùm plurima eſſent dicenda, quæ facilè quis in unum congeſſerit, ſi conſulat Pancirolum (6), Tomaſinum (7), Ghilinum (8). Natus eſt Patavii an.

(1) apud Salom. Inſcript. Gymn. (2) Idem Inſcr. Pat. p. 471. n. 38.
(3) Elog. lib. 1. p. 74. 77. (4) lib. 2. c. 170. p. 283. (5) Salom. Inſcr. Pat. p. 159. n. 18.
(6) lib. 2. c. 168. à p. 278. (7) Elog. lib. 1. p. 119. 125. (8) Theatr. Vol. 2. p. 165.

Digitized by Google

an. MCDLXXXIX. Jo. Petro Medico patre, nobili familiâ Benavidia, oriunda ex Hiſpania, & Mantuam translata, ibidemque patricia, unde illi agnomen Mantuæ, ſub quo adſcripta Patavinæ nobilitati, & claruit olim, & claret, ut comprobat Urſatus (1). A pueritia optimis artibus imbutus adoleſcentiam ſedulò addixit juriſprudentiæ, ac juvenis ſtatura quidem brevis, magnus ingenii maturitate, cùm prætoriis officiis nomen dediſſet, in foro quoque cauſas egit, tum civiles, tum criminales pro tutela pupillorum & pauperum mira pietate, & eloquentiâ. Ex ea jam tum notus celebratuſque, mandante patria, Principatûs initia non uni Venetorum Principi gratulatus eſt. Militare Gymnaſio noſtro cœpit non ſanè, ut malè annotat Tomaſinus (2), exorſus à ſede Sexti Decretalium an. MDXXI. quo annum agebat ætatis XXXII., ſed nondum planè major ætate an. MDXV. cum à bello Cameracenſi reſtituto Gymnaſio, eum Bartholomæus Livianus Archiſtrategus Venetorum in Continente ad ſedem Inſtitutionum primam evexit magnificè laudatum, conſtitutoque aureorum quinquaginta ſtipendio, ut vel ipſe Tomaſinus (3) recipit, dictorum, vel dicendorum oblitus. Quod Livianus decreverat, ſanxit Senatus biennio poſt aucto ſtipendio. Inde Mantua gyganteis, ut ajunt, paſſibus, majores reliquas in utroque jure ſedes gradatim percurrit, par ubique collegis maximis, ni major, Ludovico Gomeſio, Hieronymo Caguolo, Tiberio Deciano, aliiſque, quorum in utroque jure clariſſimum nomen eſt. Acceſſitus à Bononienſibus, oblato ingenti ſtipendio, evocatuſque à Paulo III. ad Rotæ Romanæ ſubſellia, neque ſpe lucri, neque dignitatis illicio adduci potuit, ut patriam, patriumque Gymnaſium desereret, aut fidem abdicaret, quam obſequio Venetæ Reipublicæ gratus Profeſſor, civis optimus obligaverat. Hinc & Reſpublica Veneta illi, in locum Jacobi Menochii traducto, ſupremum in Gymnaſio noſtro ſupraordinarii titulum ſanxit, conceſſâ facultate docendi, quando, & quoties libuiſſet, raro ſanè exemplo, at & in iis dumtaxat edendo, qui cùm vacant, minimè vacant; cùmque prælectionibus publicis aliquando parcunt, id agunt, non ut in tabernis, & officinis, & nebulonum hemicyclis otientur, aùt ſe melioribus obtrectent; ſed ut calamum impendant æternitati, quò magnificentius lucubrationibus in ævum victuris doctrina Palladis Patavinæ perennet. Tantum virum pari cum auguſta Republica noſtra ſtudio ſummi Principes certatim honorarunt. Nam ter Comes, ter Eques creatus dicitur, anno MDXLV. à Carolo V. Cæſare, à Caroli ſucceſſore Ferdinando an. MDLXI. ann. MDLXIV. à Pio IV. P. M. Vixit in patria ſplendidè, Muſarum patronus, Gymnaſii decus, ornamentum grande familiæ, cui ædes ad cœnobium Eremitarum amplas, ſumptuoſas, illuſtres, ac principe dignas extruxit, in quarum ſinu mortalitatem depoſuit anno MDLXXXII. ætatis XCIII. Nonis Aprilis. Docuit annos LX. Proximè verò à Senatu ſupraordinarii munere donatus octo intermiſit: ut in Mauſoleo cum epigraphe, quod ſibi vivens paraverat in templo Eremitanorum, addendum curarunt heredes. Ejus Opera ſunt hæc.

Conſiliorum Tomi II.
Apophtegmata legalia DCC.
Collectanea ſuper Jus Cæſareum.
Problemata Legalia lib. IV.
Centuria Praxis Judicialis.
Prælectiones juris Civilis, & Canonici.
Tractatus de legitima Filiorum.
De Pupillorum favoribus.
Suaſoria legis Appiæ ad compeſcendum mulierum cultum.
Obſervationum legalium libri X.
De liberationis, & libertatis favoribus.
Polymathia libri XII.

Æquilibrium, præſtantiſſimum Opus pro jure Candidandis.

Locorum Communium libri III.
Iſagoge diſputandi de Jure.
Iſagogicus modus ſolvendi quoſcumque argumentorum nodos.
De Privilegiis Militaribus.
Enchiridium rerum ſingularium.
Dialogus de variis ſenſibus Divinarum humanarumque literarum.
Encomium Sacerdotii.
Scholia ad l. precibus Cod. de Impuber.
Dialogus de Concilio.
Lecturæ in Jus Canonicum.
Lectura in IV. Partes Juris Civilis Matutini.
Epitome Virorum Illuſtrium, quæ olim edita cum Ficardo, nuper cum eodem & Pancirolo & aliis recuſa eſt Lipſiæ an. MDCCXXI.
Italica ſunt. *Baſſanellum.*
Areopagita.
Groſaria.
De Duello: quibus Tomaſinus addit, ac laudat *Annotationes in Rhythmos Petrarchæ*, editas ſine nomine an. MDLXVI. Patavii.

(1) Monum. Pat. p. 157. (2) Gym. lib. 2. c. 27. p. 274. (3) ib. c. 18. p. 264. & lib. 4. p. 402. (4) Salom. Inſcr. Pat. p. 229. & ſeq. n. 90.

1590 CXX. Florebat inter celeberrimos Juriſconſultos an. MDLX., quo Scardeonius ſcribebat (1), PAULUS LEONIUS, patriciâ gente Patavii natus, natuque tunc grandis. Is depoſito juriſprudentiæ tyrocinio in Patria, receptuſque inter collegas Juriſconſultorum, docere itidem cœpit in Gymnaſio noſtro, ex ea, quâ plerunque laborat negligentia omiſſus à Tomaſino, quemadmodum incurioſè negligit ex eadem gente Leonia Antonium Juriſconſultum egregium, qui diù jus Civile in patria profeſſus eſt, ut accuratè Scardeonius notat (2). Nam Paulus Leonius (3), quem Tomaſinus ad an. MDCXXI. refert, vel hic eſt, per mirum anachroniſmum ab obitu an. XXXI. vitæ reſtitutus, vel alius eſt nobis ignotus: Canonicus enim Patavinus dicitur, quam dignitatem Paulus noſter, ad majora natus, non habuit, & inter tertianas juris Civilis veſpertini docuiſſe aſſeritur, cùm Paulus, quo de agimus, à tertianis ad ordinarias aſcenderit, tum Civilis, tum Canonici juris interpretationes, ex albis Quæſtoriis intra an. MDXLV. Poſt illum annum Patavio diſceſſerit Salernum accitus. Ibi annos aliquot jura docuit magna cum nominis celebritate, & ſpe fortunæ melioris: hac ex rerum repentina mutatione dilapſâ, flexit animum, ut honorificentiſſimos audiret Herculis Ferrarienſium Principis invitatús, quibus ad juriſdictionem ejus urbis evocabatur. Diu ſupremi judicis in ea curia munere functus eſt tantâ juris utriuſque prudentiâ, atque æquitate judiciorum, ut eodem Principe poſtulante à Romano Pontifice Gregorio XIII. Ferrarienſis Antiſtes Eccleſiæ fuerit conſtitutus. Sedit uſque ad annum MDXC. quo (4) obiit in Eccleſia ſua. De eo Alexander Sardus (5) ſumma cum laude. Scripſit & edidit Ferrariȩ *Interpretationem* elegantem, & doctam, quam *Solemnem lecturam appellat ad l. 1. ff. de Verborum obligationibus*.

1590 CXXI. TERENTIUS TERENTIANUS, ſeu DE TERENTIIS ortus gente Patricia Patavii, & Alexandri ſenioris Canonici Patavini frater, à primis annis ſcientiam juris deperiiſſe dicitur. Idcirco adhuc adoleſcens ita inter diſcipulos claruit, ut ei Sexti Decretalium libri demandata provincia, nondum Doctori, fuerit, quâ ſtrenuè procuratâ poſt depoſitum tyrocinium ad Interpretationem Gloſſematum textûs, & Bartholi provectus an. MDLXX., Septennio poſt plaudente Gymnaſio traductus eſt ad ſedem veſpertinam juris Canonici. In ea ſummâ auditorum frequentiâ, & utilitate docuit ad annum uſque MDXC., quo moriens magnum ſcholaſticæ juventuti ſui deſiderium reliquit, ut aſſerit teſtis oculatus Riccobonus (6).

Scripſit *Comment. In Inſtitutiones Imperiales Juſtiniani.*
In omnes partes Juris Civilis, quæ publicè explicantur.
In Partes Juris Canonici eadem methodo.
Conſilia multa.

Conditus creditur in templo S. Franciſci, ubi ipſe (7) anno MDLXXIV. Blancam de Malefactis uxorem ante condiderat.

1590 CXXII. FRIDERICUS RUGERIUS (8), vel *Rogerius Reginus* clariſſimus Juriſconſultus fuit in hoc noſtro Gymnaſio, & de re literaria optimè meritus, à Carolo V. equeſtri dignitate donatus, & primùm collega Petri Pauli Pariſii, mox primus auſpex ſedis recens inſtitutæ ad Gloſſam, Textum, & Bartholum. Sedes, ac domum Patavii fixit, & receptus in civitatem, poſteritati aliunde nobiliſſimæ Patavina jura conciliavit. Hoc patre natus eſt Bonifacius Rogerius Patavinus, quem Riccobonus meritò, & in hiſtoria Gymnaſii (9), & in ea, quam in ejus funere habuit, Oratione miris laudibus poſterorum memoriæ commendat. Nam & ipſe peregregius Legum Interpres, Miles, & Eques, & ſacri Cæſarei Conſiſtorii Comes à Maximiliano II. & Rodulfo II. renunciatus, ſplendorem, quem dederant Patavini proſapiæ, in eorum utilitatem refudit, ſępè urbis Decurio ad utilia, ſæpe Orator miſſus Venetias ad expedienda negotia, ad privilegiorum, & legum Municipalium tutelam; univerſim ad ea impetranda, quæ non niſi ſumptu, & induſtriâ in curiis maximis impetrantur. Jus Civile publicè profeſſus eſt in Gymnaſio diu horis veſpertinis in altera ſede, ſucceſſor Mantuæ, antagoniſtes Cephali ab an. MDLXX. mox Panciroli collega, denique Matthæacii, quocum, quòd par dignitate honorario titulo fuiſſet declaratus, diuturnas, & acerrimas contentiones, ac rixas habuit de jure præcedendi uſque ad an. MDXC., quo vivere deſiit, ac teſtamento legavit ſumptum, ac mercedem, quibus inſtituta eſt Grammaticæ, & Aritmeticæ ſchola, quæ perennat etiamnum magno Patavinorum puerorum commodo. Plura de eo Riccobonus, tum in Gymnaſio, tum latiùs in Oratione, quâ funus ejus eloquenter pro-

(1) lib. 2. Claſs. 8. p. 182. 183. (2) ibid. p. 182. (3) Gym. lib. 2. c. 8. p. 249. (4) Ughell. Ital. ſacra T. 2. col. 558 n. 64. (5) apud Scard. ibid. (6) Gym. lib. 3. c. 18. p. 64. terg. (7) Salom. Inſcr. Patav. p. 330. num. 25.
(8) Riccob. lib. 3. c. 14. p. 63. (9) ibid. & p. ead. terg.

proſecutus eſt. Ex ea novimus multa ab eo ſcripta, *Reſponſa* præſertim ultra numerum ſexcentorum, quæ à poſteris ad prælum recenſebantur. Reipſa duo magna volumina edita ſunt Venetiis an. MDXCV., atque adeo Riccobono ſuperſtite, qui horum primo funebrem ſuam Orationem præfixit.

CAPUT XXV.

Guarinus Piſo Soacia. Laurentius Caſtellanus. Guido Pancirolus, Angelus Matthæacius.

CXXIII. GUARINI PISONIS SOACIÆ familiam nobili loco apud Rhætos oriundam, indeque translatam Patavium luculenter probat publico Rhætorum 1591 teſtimonio propoſito Riccobonus (1). Natus Patavii, auditor Hieronymi Cagnoli, vix major ætate inter præſtantiſſimos noſtri Gymnaſii Juriſconſultos claruit declinante ſæculo XVI. Primùm (2) ad explicandas Inſtitutiones Cæſareas adhibitus, cùm docuiſſet per annos aliquot ingenti doctrinæ apparatu, munere ſe publico abdicavit, vexatus morbo difficili, quem tandem eluctatus advocatum egit Venetiis, & Patavii eximia cum laude, magnoque cum quæſtu. Revocatus ad Gymnaſticas exedras an. MDLXX. Textum, Gloſſamenta, & Bartholum explanavit tertio loco ex decreto Senatûs, & extra ordinem ſtipendio jus Civile matutinum interpretatus per annum, poſt quem ad ſecundum in ea claſſe locum provectus pari dignitate cum Jacobo Menochio fuit, ad an. MDLXXIX. Tunc enim invitatus eodem tempore à Gymnaſiis Ticinenſi, & Piſano, hoc maluit, illuſtravitque annis circiter tredecim, cum ægritudine corporis permoleſta monitus, ut aeris cœlique natalis commodum reſpiceret, Patavium remeavit, atque hic obiit pridiè nonas Auguſti an. MDXCI. Sepultus eſt in Eremitana baſilica ſine funeris pompa, quam vetuit. Septennio (3) poſt ipſi, cineribus, & oſſibus Piſonum familiare conditorium in eadem Baſilica extruendum ejus filii curavere an. MDIIC. Extant ejus Opera Juriſperitis utiliſſima, eruditiſſima.

De Romanorum, & Venetorum Magiſtratuum inter ſe comparatione.
In Feudorum Uſus Præludia methodicè propoſita.
Commentaria in l. 1. Pandectarum, de officio ejus &c.

CXXIV. LAURENTIUS CASTELLANUS, civis Patavinus, ornatus juriſprudentiæ 1594 lauro, in patrio foro verſatus eſt patronus civilium cauſarum, quarum negotiis cùm à ſtudiis ſe abſtrahi comperiſſet, tertium inter civiles Gymnaſii Profeſſores locum petiit, & obtinuit an. MDLXVI. quo munere diu functus aſſiduâ legum meditatione ad eam doctrinę famam evaſit, ut & diligentiſſimus contemplator juris habitus ſit, & ad juvenum ſtudia juvanda natus. Hinc an. MDLXXXIV. ad exedram ſecundam evectus, biennio poſt ad illam Juriſprudentię partem, quę crimina pertractat exponendam traductus eſt, in qua conſenuit circa finem ſęculi XVI. Nam ſucceſſor ejus Victor Saxonia notatur à Tomaſino (4) an. MDXCIV. in albo verò, quod habeo, anno ſequenti. Edita ſunt ejus Opera, ex quibus claris Juriſconſultis annumeratur à Portinario (5),

Clara & ſubtilis Interpretatio ad Rubricam Inſtitutionum de Teſtamentis Ordinandis.
Solemnis explicatio quæſtionum, quæ à Doctoribus in Gymnaſio diſputantur.

CXXV. GUIDONEM PANCIROLUM Juriſprudentiæ genuit Regium Lepidi fami- 1598 liâ nobili, & ab ultima ſtirpe præclarâ. Patrem habuit Albertum Juriſconſultum doctiſſimum, de quo latè filius (6): ipſe natus eſt an. MDXXIII. XXIV. Kal. Maii, ut ſynchronus auctor Riccobonus (7). Rhetoricæ, ac Dialecticæ operam dedit Patavii doctore Baſſiano Lando, atque hìc litteris Græcis, & Latinis excultus eſt, quod Tomaſinus diſſimulat (8): Ferrariam deinde profectus, atque inde poſt triennium Ticinum, Paſetti, Hyppolyti Riminaldi, & Andreæ Alciati auditor fuit, nec inauditum ſibi voluit Marianum Socinum Bononiæ, undè Patavium rediit, ut ibi tyrocinium legum deponeret, ubi optimarum initium diſciplinarum fuerat auſpicatus. Hìc ſedulus auditor Mantuæ, antequàm inter Doctores cooptaretur, tanti habitus eſt in Gymnaſio, ut ad explicandas Inſtitutiones Cæſareas publica ſuffragatione commendatus prodierit, quas è Gymnaſtica docuit exedra mirâ frequentiâ, & cum incredibili laude. Inde Doctor in Patavino Collegio renunciatus auſpice Mantua, Matthæo Gribaldo, qui tranſfugerat Patavio, ſucceſſor à Senatu Veneto datus, alteram ſedem veſpertinam juris Civi-

(1) lib. 3. cap. 7. p. 61. (2) Riccob. lib. 2. cap. 5. p. 36. (3) Salom. Inſcript. Pat. p. 215. num. 23.
(4) Gymn. lib. 2. cap. 15. p. 261. (5) lib. 5. cap. 5. p. 243. (6) de Clar. Interpr. lib. 2. c. 171. p. 283. 285.
(7) Gymn. lib. 3. cap. 12. p. 62. (8) in Elog. lib. 1. p. 187.

Civilis annorum ſexdecim ſpatio publicis prælectionibus illuſtravit. Vocatus poſt hæc an. MDLXXI. ab Allobrogum Duce Emmanuele Philiberto ad Taurinenſe lycæum, ſufſectuſque Simoni Cravettæ, jus itidem Cæſareum apud Subalpinos interpretatus eſt collega Bernardi Trotti, meruitque aureorum mille ſtipendium, quod Carolus Emmanuel Philiberti filius aureis centum auxit, auxiſſetque liberaliùs viro clariſſimo, & ſummo illa ætate Juriſconſulto, ni ex aeris intemperie oculis laborare cœpiſſet, quorum altero penè non deſtitutus, altero graviter ægrotabat. Quamobrem Patavium ſibi redeundum ratus bona cum venia Caroli, quò ſtipendio peramplo ab Senatu Veneto accerſebatur, ad veſpertinam exedram primam juris Civilis, remeavit Patavium an. MDLXXXII. Succeſſit deinde Joanni Cephalo, iterum iterumque aucto ſtipendio ad argenteos coronatos MLXXX. reliquum vitæ Patavii tranſegit ad annum, quo obiit MDXCVIII, ætatis LXXV. fortè etiam ad initium ſæculi XVII. pervenerit, ut ſuſpicari licet ex Opere de Claris legum interpretibus in Dominico (1) Pinello Card. Neque enim audiendus eſt Tomaſinus (2), qui mortem Panciroli ſignat an. MDXCI. nam cùm ejus teſtimonio annorum quinque, & ſeptuaginta ſenex obierit, conſtet autem ex Riccobono, colligaturque ex ipſo Pancirolo, eum an. MDXXIII. ex priore uxore Alberti patris quinquennio poſt è vivis erepta natum, ſequitur eundem non ante ſignatum à nobis annum vivere deſiiſſe. Reipſa Riccobonus in libris de Gymnaſio eo anno editis de illo, ut adhuc ſuperſtite ſcribit, imò eum Profeſſoribus an. MDXCVIII. palam annumerat. Ipſe Tomaſinus (3) Pancirolo non ante annum ſequentem, ſucceſſorem Sfortiam Oddum Peruſinum ſignat. Delatus celebri pompa, & obſequio utriuſque Univerſitatis ad baſilicam Antonianam, ibi à Franciſco Vidua Juriſconſulto funebri Oratione laudatus eſt: poſt funus Cadaver delatum ad S. Juſtinæ baſilicam conditum eſt ſepulcro Monachorum, ut ipſe vivens optaverat.

Editi ab eo libri ſunt.

Practica Civilis, & Criminalis.
De Juris Antiquitate.
Ordo Judiciarius, & Praxis Judiciorum Civilium.
Novæ legum Explicationes plurimæ.
Volumen Reſponſorum, & Allegationum in Jure.
De Origine, & auctoritate Juriſconſultorum, & Viris Illuſtribus maxime in jure.
De Origine, & auctoritate Equitum.
Comment. in Opera Tertulliani.
De XIV. Regionibus utriuſque, tam veteris, quàm novæ Urbis.
Theſaurus Variarum Lectionum in libros III. Digeſtus.
Rerum Memorabilium deperditarum, & noviter inventarum Partes II.
Comment. in notitiam utriuſque Imperii, Orientis, & Occidentis ultra Honorii, & Arcadii tempora.
De Magiſtratibus Municipalibus, & corporibus Artificum libellus.
De Claris legum Interpretibus libri IV. quos ex editione Lipſienſi an. 1721. ad teſtimonium producimus.
Stimuli Virtutum Adoleſcentiæ Chriſtianæ propoſiti Italicè.

1600 CXXVI. ANGELUS MATTHÆACIUS, Comes, & Eques Cæſareus notus eſt ex iis, quæ ſcribunt Riccobonus (4), & Tomaſinus (5), & Pancirolus (6); oriundus Maroſticâ, quæ oppidum eſt agri Vicentini, natus eſt Baſſiani. Educatus Venetiis, & Patavii, hìc bonis artibus imbutus, Philoſophiâ, Juriſprudentiâ, Matheſi, ibi, quas hìc didicerat, diſciplinas in bonum publicum contulit, cauſarum actor clariſſimus, nec ex eloquentia dumtaxat, verum etiam ex reliquis doctrinæ partibus, viris doctiſſimis annumerandus. Nam & ad publicas de Philoſophia diſceptationes vocabatur ſemper, & diſputabat ſępiſſimè de Philoſophicis controverſiis, tum apud Jo. Antonium Fachinettum Bononienſem, Apoſtolicum Nuncium Venetiis, tum in Academia Franciſci Venerii Patricii, & Philoſophi Veneti, tum maximè penes Ænonæ Antiſtitem Lauretanum, qui unaquaque hebdomade literatis viris convivium apparabat, & ad illud ſemper Matthęacium invitabat, pręſertim cùm erat affuturus Philoſophus aliquis magni nominis, quàles tunc habebantur Speronus, & Mercenarius. Cum his Matthęacius inter dapes, & pocula decertabat, plerunque victor, ſemper nulla vi argumentorum expugnabilis. His eloquentię, ac philoſophię laborioſis exercitationibus addebat juriſprudentię gloriam, quâ factum, ut per annos multos apud Carnos Adſeſſoris officio ſumma cum laude fungeretur, atque è ſubſelliis judicialibus ad exedras Patavinas aſcenderet. An. MDLXXVIII. cùm Pandectarum exedra Senatuſconſulto eruditioni legali fuiſſet inſtituta, ad hanc primus Matthæacius evectus eſt, cœpitque docere tanto diſcipulorum concurſu, ut eorum frequentiam ſchola non caperet. Quo tempore ità leges tractavit, ut ſe oratorem eſſe, ac Philoſophum meminiſſet; ita

(1) lib. 2. cap. 198. à p. 432. (2) loc. cit. (3) Gymn. lib. 2. cap. 12. p. 256. (4) lib. 3. cap. 1. p. 58.
(5) Elog. lib. 1. à p. 17. (6) lib. 2. cap. 196. p. 310.

ita quidquid ab exedra proferebat, harum ſcientiarum dabat ex regula formulaque. Quinetiam oblatâ occaſione defendendi Mainardum Bigolinum Patavinum civem, peculatûs reum, facundiâ ſuâ pro roſtris forenſibus hominem depeculatorem manifeſtarium ab extremo ſupplicio, præſentique pęna capitis liberavit, profeſſique ſunt Judices, eum vi eloquentiæ tanti Oratoris primùm à ſuſpendio ſervatum fuiſſe, deinde ab amputatione manûs, ut uno dumtaxat exilio plecteretur. Porro jam publicus legum Profeſſor eam Philoſophiæ partem coluiſſe maximè dicitur, quæ ad Matheſim ſpectat; feruntque ejus ædes plenas fuiſſe Opticorum, Catoptricorum, Aſtronomicorum, & aliorum hujuſmodi inſtrumentorum. Quid quod plurimum quoque dabat Aſtrologicis ſupputationibus, & inſpectionibus, ex quibus multa futura, exituque mirabili comprobata prædixit. In his ſingulare eſt, quod tradunt, eum de ſe ipſo fuiſſe vaticinatum. Nam adhuc Pandectarum Interpres aſſeruit, ſe ex obſervatione ſtellarum didiciſſe fore, ut poſt biennium primâ juris Civilis exedra potiretur: id, quod cùm Philippo Octaviano, & Melchiori Chartulario collegis aſſeveraſſet, deriſus eſt. Sed aſſertionem aſtrologi juriſperiti probavit fides eventûs; magnamque omnibus admirationem attulit, cùm anno MDLXXXIX. in locum Jacobi Menochii ad Matutinam juris Cęſarei principem Sedem evectus, par muneri, nec deceſſore minor apparuit. Quippe deinceps tantâ cum famâ docuit, ut eum non ſemel Sixtus V. P. M. ad conſultationes acciverit Romam, Rodulphus Cæſar titulis ornaverit eximiis, Dolanum Gymnaſium magno pręmio propoſito, majore Firmanum, ut habet Riccobonus, vocaverint. Recuſavit ille conditiones oblatas, atque in hoc noſtro lycæo conſenuit ad annum uſque MDC, quo vitâ exceſſit, in baſilicâ Antonianâ ſepultus poſt funebrem Orationem de ejus laudibus habitam à Franciſco Vidua Juriſconſulto. Tumulum filii hac epigraphe ſignarunt, quam damus, omiſſam à Salomonio.

MDC
Angelo Matthæacio
Aulæ Cæſareæ Equiti Comitique
Palatino
Patavii Primario Juris Civilis
Interpreti
Summo Theologo Philoſopho &
Aſtrologo
Mœſtiſſ.
Joſeph Matthæac. Pon. Cur. ac
Georgius Filius.

Edidit *Tractat. de via & ratione artificioſa totius Juris.*
De legatis & Fideicommiſſis.
De Partu Octimeſtri adversùs vulgarem Opinionem.
Apologiam adversùs Bonifacium Rogerium.
Apologiam primæ Sedis Juriſprudentiæ ad Sereniſſ. Principem Venetum, ejuſque ampliſſimum Collegium.

CAPUT XXVI.

Bartholomæus Silvaticus. Ottonellus Diſcalcius Junior. Jacobus Menochius. Sebaſtianus Monticulus.

CXXVII. BARTHOLOMÆUS SILVATICUS, noſtro Gymnaſio notiſſimus tum ex Pancirolo (1), tum ex Tomaſino (2), & ex elogio ſepulcrali (3) magnifico, quod marmor cineribus ejus impoſitum gerit in majore templo Patavii, natus patricia gente, atque ab ultima ſtirpe nobili, de qua Curtius (4) junior, lucem aſpexit ann. MDXXXIII. In ipſa adoleſcentia, nondum in collegium Juriſconſultorum adſcitus Inſtitutiones Cæſareas publicè docuit ab ann. MDLV. ad ann. MDLXIII, quo ad exedram Criminalium traductus, quæ profeſſor eximius in Gymnaſio docebat, ea facundus orator agebat in foro pro reis, & contra reos. Vocatus ad Interpretationem ju- 1603

(1) lib. 2. c. 197. p. 311. 312. (2) Elog. lib. 1. p. 210. (3) Salom. Inſcr. Pat. p. 16. n. 77. (4) Conſ. 92.

juris Canonici ann. MDLXXV, matutinam ſedem Juriſconſultorum anteſignanus implevit eâ exiſtimatione doctrinæ, quâ factum, ut penè non Gymnaſio abſtractus abreptuſque ſit. Nam plures legationes obivit pro Republica Veneta, ejuſque Jura calamo, voce, labore perpetuo, vigilantiſſimo ſtudio tutatus eſt. Quamobrem iis adſcriptus, qui à Sanctioribus conſiliis Reipublicæ ſunt, Eraſmi Gratiani collega fuit; juſſuſque Aloyſium Mocenicum cognomento Philoſophum, primique Senatorem ſubſelii, comitari, M. Antonii Peregrini collega, finium limites inter Venetos, & Alphonſum II. Ferrariæ Ducem ex juſtitia, ſed & ex utilitate conſtituit: Equeſtri exinde dignitate donatus Senatuſconſulto, quo illi additus etiam torques aureus dupondio gravis cum aureo numiſmate, quod, adjecta inſcriptione, ſignificaret, eſſe ſe Senatûs decreto fidei ac virtutis teſtimonium. Hac auctoritate, his muneribus ac donis, ſed & mirâ docendi præſtantiâ publicè commendatus, claruſque in tota prorſus Italia, quæ magna offerebantur ab exteris contempſit; & quem locum inter XIIViros Rotæ Romanæ illi curia ſacris præfecta pollicebatur, ultrò recuſavit: contentus intra fines Veneti imperii, famâ, fortunâ, & gloriâ ſua, quam ex numeroſa, & egregia ſobole felicitas augebat, perennatura in poſteris, & in familia clariſſima, quæ floret, florebitque diu non Patavii dumtaxat, ſed etiam alibi apud exteros, fortunâ, virtute, ſapientiâ, divitiis, tituliſque. Filios reliquit celeberrimæ indolis, ingens domûs nobiliſſimæ incrementum: Aloyſium Juriſconſultum, & Archidiaconum Patavinum, Petrum Militem arcium Præfectum, Jo. Baptiſtam comitem, & Equitem juris Civilis Interpretem memorabilem Gymnaſio noſtro, denique Benedictum ſummi nominis Medicum, de quo nos aliqua ſuo loco. Obiit Bartholomæus XII. Kal. Octobris ann. MDCIII. Scripſit

Conſilia, ſeu Reſponſa multa de rebus graviſſimis, præſertim in Cauſis civilibus ipſi commiſſis.

Comment. in eas Partes juris Pontificii, & Cæſarei quas explanabat.

Tractatum eruditiſſimum de juriſdictione Sæculari in Perſonas, & Res Eccleſiaſticas.

1607 CXXVIII. OTTONELLUS DISCALCIUS junior patricius Patavinus clariſſimus Juriſconſultus (1), vir inſignis moribus, & pietate, in agendis cauſis orator ex eloquentiâ celebris: in dicenda pro tribunali ſententia ex æquitate, & juſtitia judex venerabilis omnibus, in reſponſis edendis ob doctrinam, atque prudentiam in Antenoreo Juriſconſultorum collegio facilè princeps. Functus variis pro patria legationibus ad Rempublicam Venetorum ſereniſſimam, ab hac ad conſilia Venetæ majeſtatis adſcitus, ejus libertatem ac jura, publicamque auctoritatem acriter tutari conatus eſt; reportavitque digna laboribus, digna meritis præmia, Equeſtrem ordinem, dona magnifica, ampla ſtipendia, nec iis minora, queis ob data ſapienter, & opportunè conſilia à Principibus exteris decoratus eſt; præſertim à Rodulpho II. Cæſare, quo deferente titulos habuit Equitis Comitiſque. Gymnaſium in primis noſtrum ſuis virtutibus auxit jura in eo profeſſus egregiè per annos circiter duos & quadraginta, ſummâ ſtudioſè juventutis cum utilitate, ſummâ omnium cum laude. Docere cœpit vixdum receptis doctrinæ infulis, nondum ætate major ann. MDLXV, quo Inſtitutiones Cæſareas interpretatus eſt. Translatus deinde ad ſedem veſpertinam juris Canonici Nicolai Bottoni ſucceſſor, hoc explanavit acutiſſimè ab anno MDLXV. ad an. MDLXXXVI. cùm traductus ad ſecundam juris Civilis matutini, in ea uſque adeo claruit, ut par illi cum primo locus decretus fuerit Senatuſconſulto; quamobrem non immeritò primarius juris Civilis Interpres appellatur in cenotaphio, ipſi erecto (2) cum ſtatua in Antoniana baſilica à Natione Germanica. Obiit lenta febre confectus Patavii ann. MDCVII. ætatis LXVI. Elatum corpus ejus magnifico funere illatum eſt in ſepulcrum majorum ad Eremitanos. Uxor Eliſabeth Zabarella elogium tumulo (3) addidit, hæc ipſa, quæ ſignavimus explicans.

Innumera ejus *Reſponſa* extitiſſe, *lectionum Variarum Volumina*, & *legalia documenta* quamplurima, quæ diſcipulorum ejus manibus tererentur, teſtatur ſynchronus Tomaſinus.

1607 CXXIX. JACOBUS MENOCHIUS, Ticini ex humilibus ortus parentibus ann. MDXXXII. virtute ſua ſibi, & familiæ nobilitatem peperit. Clarus inter Juriſconſultos ſui temporis, ex Academia (4) patria ab Allobrogum Duce Emmanuele Philiberto ad montis Regalis Gymnaſium accitus, cùm ibi ſexennio integro docuiſſet, invitatus à Reipub. Veneta perhoneſtâ mercede ad interpretationem juris Canonici matutinam in prima ſede Patavium venit; atque munus id item ſexennio ab ann. MDLXVI. ad MDLXXII. glorioſiſſimè procuravit; deinde ſucceſſor Martii Rutilii Vicentini ad explicandum jus Civile horis matutinis acceſſit collega Tiberii Deciani, quo mortuo ann. MDLXXXII,

(1) Tomaſ. Elog. lib. 1. p. 216. & ſeq. (2) Tomaſ. ibid. p. 219. Salom. p. 230. & ſeq. n. 93.
(3) idem ibid. p. 230. nu. 93. (4) Riccob. lib. 2. cap. 2. p. 34.

MDLXXXII, ipſi ſuffectus ſedem primam ejuſdem Claſſis obtinuit. Scribit Riccobonus (1), cum nondum evectum ad juris Civilis principem exedram à Franciſco Mediceo magno Hetruriæ Duce, oblato aureorum octingentorum præmio, ad Gymnaſium Piſanum illectum recuſaſſe, teſtatumque deinde hoc ipſum in quadam proluſione, quam Ticini habuit, cauſam recuſationis ſuæ multiplicem addidiſſe, nimirum quod Piſani aeris intemperies ſuæ parum conduceret valetudini: quod tanta eſſet Patavini Lycæi celebritas, ut cum ea Piſanum comparari minimè poſſe videretur; quòdque Reſpub. Veneta eodem præmio dato uti ejus opera diutiùs voluiſſet. Subjicit idem Riccobonus, Senatum Bononienſem ſuis ad eum literis, & nuncio miſſo Equite Lucio Magio, promiſſoque mille aureorum ſtipendio ipſum ad ſuam Academiam conducere conatum fuiſſe anno MDLXXXII. ſed cùm ille itineri ſe accingeret, Senatûs Veneti ſtudio effectum fuiſſe, ut vinculum, quo ſe Bononienſibus obſtrinxerat, diſſolveretur. Itaque Menochium ſuum in hoc noſtro Gymnaſio docendi munus continuaſſe, adhibitumque fuiſſe ad gravia Venetorum cum Gregorio XIII. negotia conficienda. Victus tandem precibus patriæ, atque repetentibus Mediolanenſibus Ticinum rediit ann. MDLXXXVIII. ad juris ejuſdem interpretationem honorario aureorum mille. Nec tamen ibi diu docuit. Nam inter Senatores regios relatus, mox Præſes, ac demum regius Conſiliarius, Mediolani annos natus LXXV. vivere deſiit ann. MDCVII. Delatus Ticinum jacet in templo S. Mariæ Cleric. Regul. cum ſtatua marmorea, & hac epigraphe (2) turgida ſanè, ſed vera.

Jacobus Menochius
Magnum Juſtitiæ Oraculum,
In Pedemontana, Patavina,
Ticinenſi Cathedra,
Tum Mediolani, cum Senatorem,
Mox Præſidem, & regium ageret
Conſiliarium,
Denique in Orbe Univerſo auditum,
Hic tacet:
Conſulenti tamen adhuc
Reſponderet, ſi plura
Quàm ſcripſit dici poſſent.
Obiit Anno Chriſtiano M.DC.VII.
Die X. Auguſti
Natus Annos LXXV.

Opera ejus hæc nota ſunt

De Arbitrariis Judicum Quæſtionibus, & Cauſis Tract.

De adipiſcenda, & retinenda poſſeſſione Comment.

De recuperanda poſſeſſione Comment.

De Præſumptionibus, Conjecturis, ſignis, & Judiciis Tomi III.

In omnes præcipuas recuperandę poſſeſſionis Conſtitutiones Comment. cum Reſponſis cauſę Ferrarienſis datis à multis Juriſconſultorum collegiis.

Ad librum II. de Arbitrariis Judicum adjuncta Centuria quinta, complectente centum caſus, Judicibus arbitrariis communes. Opus ad quotidianum uſum in forenſibus negotiis perutile.

Conſiliorum Tomi XIII.

CXXX. SEBASTIANUM MONTICULUM, Vicentinum, ita Riccobonus (3) lau- 1608
dat, ut omnino inter clariſſimos Gymnaſii noſtri Profeſſores numerandus, celebranduſque ſit; id quod etiam ex Tomaſino (4), quæ ſcripſit Riccobonus exſcribente probatur. Vir fuit eximiæ perſpicacitatis in iis, quæ pertinent ad Juriſprudentiam, quam continenti labore in hoc noſtro Gymnaſio diu moratus perdidicit. Quamobrem adhuc adoleſcens, attamen ad quamlibet difficultatem juris enodandam, & ad quæſtiones impeditiſſimas decidendas idoneus, dignus viſus eſt, qui publicè Textum, Gloſſam, & Bartholum interpretaretur. Anno deinde MDLXII. ad explanandas Inſtitutiones provectus, triennio poſt, horis pomeridianis, jus Canonicum docuit ſucceſſor Ottonelli Diſcalcii. Denique ab altera ſede juris ejuſdem ad primam itidem veſpertinam translatus Gaſpari Fabiano ſuffectus eſt. Hunc locum tenuit magna cum laude, & opinione doctrinæ ad annum circiter MDCVIII, quo creditur in Patria deceſſiſſe.

Extant

(1) ibid. (2) Tomas. Elog. lib. 1. p. 145. (3) lib. 2. Gym. c. 20. p. 45. (4) Gym. lib. 2. p. 245.

Extant ejus hæc opera,
Comment. in Tit.al, Inſtitutionum de Rerum diviſione.
De Rebus corporalibus, & incorporalibus.
Tractat. De inventario heredis. cum Gloſſemate ad l. ult. Cod. de jure Deliberandi.
Ad Authent. de heredibus & Falcidia.
Antiphanntius, hoc eſt defenſio ſui adverſus Phanutium.

CAPUT XXVII.

Dominicus Cardinalis Pinellus. Franciſcus Card. Mantica. Thaddæus Piſo Soacia.

1611 CXXXI. DOMINICUS Cardinalis PINELLUS patre Paride Benedicta Spinula matre, utrinque nobiliſſimo genere natus eſt Genuæ ann. MDXLI. X. Kal. Novembris, ut ſcribit Pancirolus (1). Annum agens ætatis XVII. ſtudiorum cauſa Patavium venit, atque hic ſexennio lenioribus, & aſperioribus mentem diſciplinis excoluit. Depoſito tyrocinio juris utriuſque doctor ad publicam legum interpretationem vocatus aſcendit, docuitque in Gymnaſio per annum & ultra, ut habet idem Pancirolus, qui propterea Pinellum Cardinalibus claris interpretibus juris accenſet (2); noſque monet incuriæ, qua laborant Riccobonus & Tomaſinus in recenſendis Profeſſoribus noſtri Gymnaſii. Romam deinde profectus, honores virtuti debitos, quos plerumque ſterile docendi munus non exhibet, in aula quæſivit. Nec defuit doctiſſimo juveni auſpex: Nam Pontifex reipſa ſanctiſſimus Pius V. aulicis eum honoribus cumulavit, mox quamvis non planè volentem, ad Firmanas infulas, quibus Felix Montaltus Cardinalis, poſtea Sixtus V. ſe abdicaverat, ſuadente Ugone Card. Boncompagno, poſtea Gregorio XIII, provexit. Sedit in illa Eccleſia annos integros ſex, eamque adeo dilexit, ac modis omnibus augendam, ornandamque curavit, ut & præſens tunc mores illi ſanctiſſimos doctæque inſtitutionis initia, inducta Societate Jeſu, paraverit, & abſens deinde Sixto V., ultro id optanti, auctor potiſſimus fuerit ejuſdem in Metropolim erigendæ, reſtituendique in ea Gymnaſii, quod vel ibi nullum fuerat olim, vel jam pridem incuria civium obſoleverat. Poſt hæc, quamvis Firmanis reclamantibus, revocatus in aulam à Gregorio XIII., majoribus curiæ muneribus, ac negotiis, quæ latè Pancirolus (3) de vivente adhuc ſcribens, & peculiarius proſequitur, obeundis & expediendis adhibitus eſt; functuſque eſt omnibus ſapienter, & fortiter, donec ab eodem Gregorio Nuncius in Hiſpaniam miſſus, inde remeavit in Senatum Apoſtolicum cooptatus Presbyter Cardinalis S. Laurentii in Pane & Perna, atque iis purpuratis patribus annumeratus, quibus data cura conſarcinandi ſeptimum Decretalium librum. A Sixto V. miſſus in Flaminiam Legatus à latere, graſſatores itinerum, ſeditioſos, & ſicarios, quibus ea provincia miſerrimè funeſtabatur, intra duos menſes excidit penitus, ac delevit, charior hinc quoque atroci ſeveriſſimi Pontificis ingenio, cujus munere ad Purpuram venerat, cujuſque mandato ſolus juſſus eſt abſolvendo Decretalium operi præeſſe: mox datus Legatus eſt ab eodem Pontificiæ claſſi, atque Liberianæ Baſilicæ Archipresbyter dictus, quam Pinellus ingenti ſumptu elegantiſſimè reſtauravit, ornavitque, atque interim Peruſię in Umbria Legatus à Gregorio XIV. miſſus, difficillimis temporibus urbem illam, atque illi ſubjectas regiones, penuriâ oppreſſas, priſtinæ felicitati reſtituit. Romam reverſus pacatius vixit, tot rebus optimè geſtis clarus, & ex ea, quâ apud omnes cenſebatur, ſapientia, ac vitæ integritate venerabilis omnibus, ornare templum Virginis, cui præerat, perrexit; ibique ſibi ſepulctum extruxit cùm hac Epigraphe.

Dominicus Card. Pinellus Archipresbyter,
Vivens noviſſima cogitans,
Sibi fieri mandavit anno Iubilæi
MDC. Ætatis LX.

Ibi ſepultus eſt ſeptuagenario major ann. MDCXI. In his, quæ Andreas Eudæmonioannes adverſus hæreſim Calvinianam paraverat, legi libros tres Dominici Card. Pinelli nomine inſcriptos ad Cardinalem Robertum Bellarminum de Poteſtate Romani Pontificis adverſus Grȩcos. Rem conſtituit ex Decreto, & Decretalibus, iis nimirum armis, quę tracta-

(1) de Clar. Interpr. lib. 2. c. 198. à p. 312. (2) lib. 4. ibid. c. 8. p. 395. (3) ibid. p. 313.

tractate ſolebat ſacti juris Interpres, ſed ad propoſitum, quod ſuſceperat, quod attinet ad eos, quibuſcum pugnabat, inutiliter, quamobrem ab Eudæmonioanne opportunè notabatur in margine his græcis vocibus [illegible], ex doctrinâ quidem, non ex argumenti neceſſitate.

CXXXII. FRANCISCUM Cardinalem MANTICAM edidit Portus Naonis in Carniâ Andreæ filium, & Fontanæ Fontebonæ an. MDXXX.; parentibus orbatum intra ſeptennium educavit avunculus Joannes Fontebonius Juriſconſultus clariſſimus, aluitque humanioribus primùm, deinde Nomicis diſciplinis, mox indolis egregiæ adoleſcentem Patavium miſit, ubi legalibus ſtudiis pleniùs vacaret conſtans, ac ſedulus Gymnaſii noſtri diſcipulus; nec ſcio undè habeat Ghilinus (1), Manticam ſtuduiſſe Bononiæ, cùm non alios doctores habuerit preter Profeſſores publicos Patavinos Marcum Mantuam, Tiberium Decianum, & Socinum juniorem, quem, ſi Bononiæ fuit, eò ſecutus ſit, redieritque, ut Decianum audiret Patavii. Hic enim illo auſpice publicas theſes in jure propoſuit, eaſdemque tanto cum plauſu defendit, ut à ſtudioſa juventute juſſus ſit Textum, Gloſſas, & Bartholum publicis prælectionibus interpretari. Adhuc candidatus, quæ juſſus eſt, præſtitit eximiâ cum laude: quamobrem, ubi ad præmia doctorum evaſit an. MDLX. Senatûs Veneti decreto Inſtitutiones Juſtinianæas profeſſus eſt Nicolai Gratiani ſucceſſor. Poſt ſexennium permoleſto muneri impenſum ad juris Civilis exedras veſpertinas evectus, inde ad juris Canonici matutinam interpretationem venit, ut colliges ex Riccobono (2), & Tomaſino (3), quo teſte non ſolùm par dignitate primis Profeſſoribus fuit, verùm etiam in primam ſedem claſſis ejuſdem aſcendit. Poſt hæc ad Magiſtratus Romanos vocatus eſt. Nam cùm per ea tempora, jure, quo potiebantur olim Angli, unum ex Judicibus Apoſtolicis, quos Rotæ appellant Auditores habendi, ob hæreſim excidiſſent, jus idem translatum ad Venetos eſt Diplomate Sixti V., quo Pontifex profitetur, hoc à ſe privilegio Rempublicam cumulati, cum ob ejus erga orthodoxam Eccleſiam fidem, ac merita, tum præſertim, quòd præclariſſimum egregiâ liberalitate Gymnaſium aleret, ex quo, præſtantiſſimos Juriſconſultos, optandos, ac judiciis Apoſtolicæ curiæ præficiendos poſſet proponere. Igitur ſuffragatione auguſti Senatûs electi ſunt quatuor, & quidem ſubditi omnes, ne particii ad ſponſionem jurejurando firmatam, quâ ſe curiæ obligant exteræ ſolemni ritu ante, quàm munus ineant, hujuſmodi judices, obligarentur, obligarive cogerentur. Inter hos unus nominatus Mantica à Sixto V. qui non hominibus munera, ſed muneribus homines deſtinabat, præ reliquis deſignatis electus eſt; ſucceſſitque felici omine Hippolyto Aldobrandino ad Purpuram evocato, qui deinde Clemens VIII. Manticam ſucceſſorem ſuum in Sena tum Apoſtolicum datâ Purpura legit. Quos Magiſtratus, quę officia geſſerit, quibuſque geſtis in oſtro Romano claruerit, diſces ex Oldoino. Vixit ad annum uſque MDCXV. deceſſitque Romæ octogenarius. Ejus exuvias habet Deiparæ templum, quod Populi dicitur ad Portam Flaminiam cum hac epigraphe: 1614

D. O. M.
Franciſcus Mantica Utinenſis,
Qui ob ſummum utriuſque Doctrinæ juris Splendorem
Pari Prudentia, Vigilantia, Probitateque
conjunctum
A Clemente VIII. Pontif. Max.
Ex Sacri Palatii Cauſarum Auditore
Ad dignitatem amplitudinemque Majeſtati Pontificiæ
Proximam
Sacro plaudente Senatu,
Aula Romana lætante,
Veneta geſtiente Repub.
Evectus Orbi Terrarum illuxit,
Hic in ſui Eccleſia Tituli ſitus eſt.
Vixit ann. LXXX. Obiit MDCXIV.
Germanicus Mantica Epiſcopus Famauguſtanus,
Franciſcus & Andreas Mantica
Patruo B. M. Pos.

Z Edidit

(1) Theatr. Vol. 1. p. 90. (2) lib. 2. c. 1. & 11. p. 33. & 39. (3) lib. 1. c. 7. p. 147. (4) Tom. 4. p. 358. 369.

Edidit in Jure Opera notiſſima, utiliſſima, præclariſſima.

De Conjecturis Ultimarum Voluntatum libros XII.

Lucubrationes Vaticanas, ſeu de tacitis, & ambiguis conventionibus libros XXIII.

Ex primo opere laudatur à Riccobono (1). Secundum ipſe ante Manticam fato functus non viderat; ſed ex hoc etiam non ſecus atque ex primo ad Juriſprudentiæ, ac noſtri Gymnaſii gloriam perennat.

1614 CXXXIII. THADDÆUS PISO SOACIA Guarini filius Patavinus, in minore dignitate, doctrinâ, & gloriâ ex ſcriptorum præſtantia patrem vel æquavit, vel ſuperavit. Nam ex annotatis à Riccobono (2) jus Canonicum explanabat an. MDXCVIII. Pauli Brazoli ſucceſſor, teſte Tomaſino (3), qui eundem ex Albis Gymnaſticis ad ſedem, tum Codicis, tum etiam Pandectarum provehit (4) anno MDCII. & MDCVII. docueritque antea in exedra quoque Inſtitutionum Cæſarearum: etenim idipſum confirmant, quos habeo, catalogi, in quibus clariſſimus Inſtitutionum doctor ſignatur an. MDC. Non videtur ultra annum MDCXIV. vitam produxiſſe, cùm nec ultra Pandectarum tractationem aſcenderit, & in hac exedra ſucceſſor illi detur an. MDCXV. Franciſcus Pola: hinc Portinarius (5) intra quinquennium ſequens, claros Patavinos Juriſconſultos enumerans, de hoc ſcribit, ut de vivorum numero exempto. Conditus eſt in ſarcophago marmoreo, quod ſibi unà cum Fratribus paravit in Eremitana baſilica cum hac epigraphe (6).

Cineribus & Oſſibus Piſonum
Familiare hoc Conditorium
Petrus & Thaddæus legum DD. ac Antonius
Fr. Piſones Guerini I. C. Filii
Fatorum memores extruendum Cur. MDIIC.

Scripſit & edidit nobilem *Tract. de Sponſalibus*, & *notos Comment. in libros IV. Inſtitutionum, & quædam in Pandectas.*

CAPUT XXVIII.

M. Antonius Peregrinus. Alexander Galvanus. Franciſcus Pola. Aloyſius Corradinus. Jacobus Gallus.

1616 CXXXIV. SUpervacaneum ſit aliquid addere magno nomini M. ANTONII PEREGRINI. Hoc uno ſatis laudatur vir ſua ætate Juriſconſultorum ſine dubio princeps, & verè anteſignanus in hoc noſtro Gymnaſio. Conſule de eo, præter alios Ghilinum (7), & Tomaſinum, tum in Elogiis (8), tum peculiariùs in vita, qua geſta ejus ſigillatim proſecutus eſt. Hi ut deficiant, legiſſe ſuperit ſepulcralem epigraphen cineribus ejus impoſitam (9) in templo Patavii principe, quam ſi tempus edax obtriverit, induxeritve, Peregrinum ſcripta ejus notum omnibus facient; perennabitque tanti nominis gloria, ſi fora ſtabunt, ſi diſceptabunt cauſidici, ſi tribunalia ſententiam ferent. Natus eſt Vicentiæ Melchiore honeſto cive patre an. MDXXX. Laurum Juriſprudentiæ conſecutus Patavii Inſtitutiones publicè docuit in ſede matutina ſecunda ab an. MDLVII. inde actor cauſarum fiſci partes Patavii à Veneta Republica demandatas, ſummâ virtute, ac diligentiâ, defendit per annos ſex & quinquaginta. Ab eadem Republica an. MDXCVII. ad ſecreta conſilia extra ordinem adſumptus torquem aureum recepit in Equeſtrem ordinem lectus. Sexennio poſt Bartholomæo Silvatico extincto ſuffectus ad principem explanandi Pontificii juris exedram traductus eſt, an. MDCIII. In eo munere lenta febri conſumptus occubuit an. MDCXVI. ætat. LXXXVI. Sepultus in templo primario hanc habet epigraphen, quam ſibi ipſe conſcripſerat.

M. Antonius Peregrinus Origine Vicentinus
electione Patavinus I. C. Eques, & Senatus

Veneti

(1) lib. 2. Gym. c. 11. p. 38. terg. (2) ibid. lib. 6. c. 20. p. 146. terg. (3) Gym. lib. 2. c. 5. p. 244. (4) ibid. c. 16. & 17. p. 262. 263. (5) lib. 7. c. 5. p. 248. (6) Salom. Inſcrip. Pat. p. 215. n. 23. (7) Theatr. (8) lib. 1. à p. 277. (9) Salom. Inſcr. Pat. p. 57. n. 85.

Veneti Conſultor, à Secretis Sereniſſimæ Reipub.
Primarius Juris Pontificii Lector & ex decreto Sereniſſ.
Principis Anteſignanus Doctorum omnium Collegii
Patavini, quantus fuerit multiplicia ejus in Iure
Scripta ubique terrarum ſæpe viſa, ſemper probata
teſtantur.
Obiit Anno Chriſti MDCXVI. Die V. Decembris;
Vixit Annos LXXXVI. M. III. D. IV.

Scripta ejus hæc paſſim leguntur.

Deciſiones Patavinæ.
Additiones ad Bartholum.
Conſiliorum libri VI.
De Probatione, ſubſtitutionibus, Legitimationibus, & capacitate Monaſterii.
De Juribus, & Privilegiis Fiſci libri VII.
De Fideicommiſſis.
De Judiciaria Materia.
De Poſſeſſione & Proprietate.
De Ordinaria, & delegata Juriſdictione.
De Pactis & Conventionibus.
De fictis modis acquirendæ Poſſeſſionis.

Refert Tomaſinus ſcriptum ab eo librum Italicè, quem *Principem* inſcripſit, eo Peregrinum fuiſſe complexum graviores, & ſanctiores ſententias, atque axiomata Politica de Principum Juriſdictione. Addit librum hunc ab obitu Peregrini furto ſublatum, curâ Reipublicæ Venetæ repertum ex Senatuſconſulto in Marciana Bibliotheca ſervari.

CXXXV. ALEXANDER GALVANUS, Marci Aurelii pater, Ferrariæ honeſto genere natus circa an. MDLVI. ad gloriam, nomenque Juriſconſulti clariſſimi non inde duntaxat venit, undè reliqui ſua ætate venerant, ſed ex eo peculiariùs, quod legali doctrinæ ornamenta eruditionis adjunxerit, ac juriſprudentiam à rudi illa, quamvis docta, barbarie, quæ nimium placuit noſtris patribus, vindicaverit. Leges diu in patrio Gymnaſio interpretatus ad Patavinum illuſtrandum accitus acceſſit, atque hic vivere deſiit ſexagenarius, conditus in templo SS. Simonis, & Judæ PP. Theatinorum, cum hoc elogio, quod ejus exuviis M. Aurelius filius impoſuit (1). 1616

Alexandro Galvano Ferrarienſi I. C., qui cum
annos XL. in Ferrarienſi, & Patavina Academia
Jus Civile profeſſus eſſet, ac primus omnium
Eruditorem Tranſalpinorum juriſprudentiam
in Italiam intuliſſet, obiit Patavii IV. Idus Novembris anno Chriſti MDCXVI. ætatis LX.
M. Aurelius Galvanus I.C. Patri ac Præceptori B.M.

Scripſiſſe dicitur multa, dictaſſe plurima, ſed claret maximè ex libro doctiſſimo *ad l. Gallus ff. de liberis, & poſthumis.*

CXXXVI. FRANCISCUS POLA Veronenſis, an. MDLXVIII. natus, patriam egregiis literarum ornamentis condecoravit: illuſtres ejus viros, concives ſuos ab inerti, & 1617
invida magnis virtutibus oblivione vindicavit, elogiiſque poſteritati propoſitis penè non deperditam eorum memoriam immortalitati conſecravit; dignus propterea & ipſe elogio, quod apud Tomaſinum (2) habet luculentum, & hæc ipſa, quæ ſcribimus, complexum. Fuit noſtri Gymnaſii non alumnus dumtaxat, ſed etiam doctor, profeſſus publicè Pandectarum interpretationem biennio, ab Octobri nimirum an. MDCXV. ad Januarium MDCXVII., quo deceſſit Patavii annorum LVI. Præter *Elogia Veronenſium*, quæ nobis admodùm profuere, ſcripſit *Carmina Heroica*, & *Epigrammata*, candoris admodum, perparum acuminis, & ingenii præſeferentia.

CXXXVII. ALOYSIUM CORRADINUM Patavinum Patricium Juriſconſultum ſub initium ſæculi XVII. celeberrimum, de antiquitate, de foro, de Gymnaſio no- 1618
ſtro optimè meritum icon exhibet ab inſigni pictore, & Equite Alexandro Baſſano depicta, typiſque data ſtudio Tomaſini (3). Vir fuit eximiæ in agendis cauſis forenſibus eloquentiæ, ſummæ in reis defendendis efficacitatis, nec minoris integritatis, ac juſtitiæ in ferendis ſententiis, ad quas arbiter à partibus ultrò ac certatim eligebatur, & in quibus expediendis, probandiſque frequenter adhibebatur ab ampliſſimo Juriſconſultorum

(1) Salom. Inſcr. Pat. p. 265. n. 4. (2) Elog. lib. 8. p. 344. (3) Elog. lib. 1. p. 181. & ſeqq.

Patavino Collegio, quod tanti eum fecit, ut, cum aliquando Vincentius Mantuæ Dux ab eo Juriſconſultum primi ordinis, primæque virtutis efflagitaſſet ad rem graviſſimam decernendam, non alium plenâ ſuffragatione collegæ mittendum recenſuerint à Corradino: qui à Duce torque aureo donatus, re benè geſta Mantuâ regreſſus eſt. Inter Profeſſores publicos receptus ad explanationem Pandectarum, eo munere biennio functus eſt, à quo vivere deſiit an. MDCXVIII. ætat. LVI. Conſiliorum ingens Volumen ſcripſiſſe dicitur, & Commentarios in librum I. & II. Pandectarum eruditiſſimos. Antiquitatis eum fuiſſe ſtudioſiſſimum, Patavii notiſſimum eſt; nec bibliothecam ſolùm codicibus raris, ac pretioſis inſtruxiſſe, verùm etiam picturas, & ſtatuas antiquas, & numiſmata varia collegiſſe miro judicio, ac rei nummariæ ſcientia tam perſpicaci, ut ex longinquis regionibus multi Cæſarum effigies, ac typos tranſmitterent ejus accuratâ ſententiâ probandos, reprobandoſve. Edidit *ſeriem Cæſarum* ad ſua tempora cum numiſmatibus, tanti habitam à Jo. Rhodio, & Patino, ut ille quidem eam carmine celebraverit, hic, me præſente, pluries profeſſus ſit, ſe lucis admodum ex eo opere, atque utilitatis accepiſſe.

1618 CXXXVIII. JACOBUS GALLUS Juriſconſultus, & Eques nobili genere natus Neapoli, natalium ſplendorem auxit adjectâ luce facundiſſimæ Juriſprudentiæ, quam ad illuſtrandum Gymnaſium Meſſanenſe, quod recens Rex Hiſpaniarum condiderat, Profeſſor legum primarius juſſu Regis ſe contulit. Inde magnis precibus, ut ſcribere Tomaſino placuit (1), ac mille aureorum honorario propoſito à Senatu Veneto accitus Patavium an. MDCII. quinquagenarius clarere cœpit exaggeratiùs Profeſſor juris Civilis in prima ſede: quam oris majeſtate, facundiâ diſſertationum, facilitate ſcribendi, docendique mirâ, ac ſemper probatâ methodo immane quantum amplificavit. His laudibus totâ Europâ celebris, famâ ſapientiæ ſingularis ita bono publico ſuum nomen vulgaverat, ut multi ex ultimis Europæ receſſibus, eo permoti Patavium confluerent, ac lyceum noſtrum multò quàm antea ſtudioſiùs frequentarent. Hinc illi auctum ſtipendium ad mille quadringentos, quod licet feſſus laboribus, tamen conſtantiſſimè meruit; tantâ in ſenectute facundiâ, tam vivido impetu in afflicto corpore, ut auditorum frequentia fateretur, in eo invictæ doctrinæ copiâ defectum oculorum, ac virium compenſari. Obiit Patavii an. MDCXVIII. ætatis LXVI. funebri oratione laudatus luculentiſſimè à Sigiſmundo Boldonio in Antoniana baſilica, atque ibi conditus ſine titulo. Ex illa laudatione hæc pauca decerpſimus. Ejus Iconem exhibetTomaſinus. Filium habuit Alexandrum Gallum, qui ſedente Urbano VIII. Lubrenſis Epiſcopus an. MDCXLIV. dictus eſt. Edidit

Clariores Juris Cæſeari Apices.
Reſponſa in utroque Jure plurima.

Extant Prælectiones ejus, & legum interpretationes aliquot manu diſcipulorum exceptæ.

CAPUT XXIX.

Jacobus Marta. M. Antonius Othelius. Camillus Panzetta. Octavius Livellus. Julius Pacius.

1621 CXXXIX. JACOBUS MARTA Neapolitanus, vir Juriſconſultiſſimus, non receptis uſpiam Juriſprudentiæ inſignibus, pluribus in locis hanc publicè magnâ doctrinæ, & opinione, & laude docuit. Joannes Marius (2), libro de Ordine diſputandi in jure Civili, & Canonico, refert, cum Avenione, & in Academiis, tum Senenſi, tum Piſana, Parmenſi quoque, ac Ticinenſi profeſſum, at hominem trucem moribus, & inconſtantis ingenii, nuſquam diu morari voluiſſe; Veniſſe devexa jam ætate, & libris editis clarum Venetias, expertumque aleam cauſidici in foro ſacro; cùmque ea res neque proſperè, neque utiliter verteret, ad munus dandi reſponſa clientibus in utroque jure convertiſſe animum; ex eoque honeſtas ſibi opes comparaſſe, quæ illo itidem mortuo, ceſſerint fiſco, quòd hæredes nullos habuerit. Hæc ille, quæ ut vera ſint, in eo à plena Martæ notitia deficiunt, quod impenſam ab illo operam Gymnaſio noſtro prætereunt; ex hac porrò claruit certiùs. Conſtat enim, eum jus Canonicum in primà veſpertina ſede apud nos fuiſſe profeſſum ab an. MDCXI. ſucceſſorem Monticuli ad an. MDCXVII. Mox ad alteram juris Civilis exedram tranſiſſe anno MDCXVIII. ſucceſſorem Ale-

(1) Elog. lib. 1. p. 307. (2) C. 14.

Alexandri Galvani ad annum MDCXXIII., quo deceſſit Patavii, ſive Venetiis. Scripſit & edidit multa, quæ prolixè recenſentur à relato Mario. Celeberrimus ejus Tractatus eſt de Clauſulis, quem Scipioni Burgheſio Cardinali hac epiſtola dicat elegantiſſimè, ſi ſuperis placet. *Scipioni Burgheſio S. R. E. Cardinali ampliſſimo S. D. N. Pauli V. nepoti, Principi Magnificentiſſimo Feliciſſimo. Doctor Marta in memoriam ejus antiquæ ſervitutis Tractatum de Clauſulis, ad æternam ſuæ Celſitudinis gloriam dicat & conſecrat*. Vir fuit in praxi juris doctiſſimus, peritiſſimus forenſium judiciorum, & ſcriptor in jure eruditionis immenſæ, ſed & audax, & ſententiarum ſuarum uſque ad inſaniam tenax, lutulentæ locutionis, ac ſtyli planè ſubruſtici, atque mendoſi. Doctorem ſe ſemper eo fidentiùs inſcripſit, quod ſua ſe auctoritate ipſe Doctorem renunciaſſet, atque alios ad inſignia doctrinæ deduxerit, quibus ipſe carebat.

CXXXX. M. ANTONIUS OTHELIUS gente Carnus, domo Utinenſis, genere nobilis, tyrocinio ſtudiorum in patria poſito, ad graviores diſciplinas Patavium venit, emenſuſque Juriſprudentiæ curriculum à Deciano concive ſolemni ritu I. V. renunciatus eſt Doctor. Regreſſus Utinum publica mercede, Imperatorias Inſtitutiones explanavit ſumma cum laude, communique civium ſuorum præconio; quo Moderatores Gymnaſii noſtri excitati curavere, ut Senatuſconſulto nova explicandis Regulis juris exedra inſtitueretur, quam crediderunt Othelio. Ex ea docuit ad an. MDXC., quo, ſucceſſor datus Angelo Matthæacio, cœpit Pandectas interpretari. Eidem Matthæacio ſuffectus an. MDC. Matutinam juris Civilis primariam ſedem obtinuit, in qua militavit ſtipendio flor. mille & octingentorum ad an. MDCXXV. cum acceptâ rude miles emeritus, & ſenex octogenario major, poſt datam operam egregiè muneri publico per annos circiter quinquaginta, in ſtipendio flor. nongentorum vacaturus Venetias ſeceſſit; vixitque Venetiis apud nepotem medicum, quo immatura morte ſublato, defuncti fratrem Bartholucium Bartholucium nepotem acceſſivit, in cujus ſinu poſt annum à ſeceſſu quintum, vel tertium deceſſit Venetiis an. MDCXXVIII., vel XXX. ætatis octogeſimo quinto. Sepultus eſt ad S. Angeli, vir etiamnum venerabilis Gymnaſio noſtro ex facilitate docendi, candore morum, & inſigni erga diſcipulos charitate, quarum virtutum ſe, uti familiæ clariſſimæ, hæredes exhibuerunt ætate noſtra Aloyſius & Camillus Othelii Comites, pater & filius, de quibus alibi diximus. Scripſit M. Antonius 1628

Plura Reſponſorum Volumina.
Commentarios & Prælectiones in Jus Civile,
Notas, & Explanationes in Jus Canonicum.
Tractatus duos, alterum de Jure Dotium, alterum de Pactis.

CXLI. CAMILLUM PANZETTAM nobile in Diœceſi Cenetenſi Oppidum Serravallis claris parentibus edidit Franciſco Juriſconſulto & Æmiliâ Plazzoniâ. A prima ætate operam dedit bonis artibus Patavii, ac ſeverioribus diſciplinis Philoſophiæ, Theologiæ, & Juriſprudentiæ, quarum omnium laurum emeruit. Carmina muſarumque delicias ex ingenio deperiit, eaque varia tum Latina tum Etruſca conſcripſit, quæ & legit cum laude ejus ætas, & poſteritas negligenda, ſpernendaque cenſuit. Regreſſus in patriam Cenetenſis Canonicus fuit, inde Romam profectus à Paulo V. P. M. Sacerdotium in urbe Patavina Canonicum impetravit, ſimul ſedem in hoc noſtro Gymnaſio à Senatu Veneto conceſſam inſcendit, ac jus Canonicum horis matutinis amplo ſtipendio interpretatus eſt, idemque mox docuit in prima ſede veſpertina, ac eodem tempore Cardinalis Valerii vices egit in curia Patavina. Climactericus febri tentatus, cùm in aere nativo, peſtilentiam graſſantem Patavii fugiens, remedium ſibi deproperat, ibi vivere deſiit an. MDCXXXI. Edidit Poema Italicum, quod inſcripſit *Venetia liberata*, elegans quidem, & accuratum, ſed frigidum ac jejunum; placebitque magis emunctis naribus ex alio, quo potiones frigidas laudans non planè friget: ſcripſit & in Artem Raymundi Lulli mirabilem commentarios, quos anecdotos apud hæredes ſervari tradit Tomaſinus (2), apud quem leges prolixum elogium inſculptum tumulo ejus Serravalle in templo S. Andreæ. 1631

CXLII. OCTAVIUS LIVELLUS Patavinus, orator & Juriſconſultus diſertiſſimus, ad explicandas Inſtitutiones Cæſareas in patrio Gymnaſio ſummo cum plauſu, & auditorum frequentia atque utilitate acceſſit an. MDXCVI. Vivere deſiit an. MDCXXXI. Sepultus ad D. Nicolai in ſacello (3) familiæ ſuæ (4). Edidit *epitomen IV. librorum Inſtitutionum, & Tractatus VII. de Fideicommiſſis*. 1631

(1) Tomaſ. Elog. lib. 2. p. 326. (2) lib. 2. Elog. à p. 241. (3) Salom. Inſcrip. Pat. p. 125. n. 13.
(4) Portin. lib. 7. c. 5. p. 246.

1635 CXLIII, JULIUS PACIUS Vicentinus ſummus XVII, ſæculo Philoſophus, & Jureconſultus, atque etiam clariſſimus alumnus Gymnaſii Patavini. Vitam ipſe ſuam, antequam darent multi, & in his Æmilius Sibanius (1) (ex quo ſua habet Tomaſinus (2), quem non benè exſcribit Freherus (3)) hoc brevi carmine complexus eſt.

Urbs genuit Venetis condens, quam Gallus in oris,
Hoſtibus à victis nomen habere dedit.
Pacis ubi & Berigæ noſtræ Cognomina gentis
Clara per innumeros inveniuntur avos.
Cum Fratre à teneris, juſſu Patris, excolor annis,
Helladis & latii ſcripta diſerta legens.
Miſſus in illuſtrem poſt hæc Antenoris Urbem,
Et Sophiæ juſſis imbuor & Themidis.
Tum fatum injuſti fugientem tela furoris
Detulit ad fines, terra Lemanna, tuos.
Tu vitæ ſociam prima florente juventa
Junxiſti: decies me facit illa patrem.
Evocat hinc luſtris tradentem jura duobus
Pannonia, & retinet tempore penè pari.
Abſtrahor à caris, colui quos ſemper, amicis
Moribus averſis, livida turba, tuis.
Pace peto Moſam, mox linquo bella gerentem,
Antiquo Allobrogum reddor & hoſpitio.
Sed ſi hinc pertraxit Rectoris læta Nemauſus,
Imponens humeris munera cuncta meis,
Cur revocas? præſtare vetant, en Optime Princeps,
(Parce piæ menti) juſſa ſuperba fidem.
Non tamen invitus retinebor tempore longo;
Auro libertas gratior eſſe ſolet.
Excipit hinc igitur vicina Academia, tandem
Sede Placentini, Rege jubente, locans.
Hactenus adverſam expertus, ſortemque ſecundam,
Evaſi invictus. Scire futura nefas.

Hæc de ſe ipſo Julius (4), quę quia ſuboſcura ſunt, nec tanti viri juſtam notitiam faciunt, ſic intellige. Nobili genere, ſed paupere Vicentiæ natus an. MDL., à puero cum fratre natu majore Fabio, de quo dicemus ſuo loco, probè liberalibus diſciplinis imbutus in patria eſt. Anno ætatis XIII. libellum ſcripſit Arithmeticam explanantem. Patavium cum fratre miſſus, cùm ille ſe Medicæ arti addixiſſet, hic Philoſophiam primùm profeſſus, mox ad Juriſprudentiam addiſcendam auditorem ſe præſtitit Mantuæ, Deciani, Gribaldi, & Panciroli; quibus Doctoribus cùm debitam doctrinæ laurum retuliſſet, redit in patriam. Ibi, quod curioſiùs libros prophanos hęreticorum evolveret, indeque eſſe ſuſpectus cępiſſet, territus objurgationibus quorundam atrocioris ſupercilii, inops autem conſilii, amicis deſtitutus, atque etiam opibus, fato ſe commiſit, ac ſolus ſine viatico, per Alpes Rhœticas ad lacum Lemannum venit; utque ſibi alimenta pararet, ludum literarium aperuit, ac pueros iis artibus informavit, queis ad ſapientiam ætas invalida quaſi manu ducitur, donec editis lucubrationibus eruditiſſimis, par viſus eſt, qui viros doceret, ac publicè ſcientias profiteretur. Ergo ducta uxore Lucenſi virgine nobili, ex qua ſe decies factum patrem gloriatur, in Heildebergenſem Academiam evocatus, ſummo cum plauſu Organum Ariſtotelis interpretatus eſt; quippe Græcæ linguæ peritus, ex hac germanam Philoſophi ſententiam auditoribus ingerebat. Philoſophiam deinde apud Allobrogas docuit magno diſcipulorum concurſu, quo

per

(1) Vir. illuſtr. Philoſoph. (2) Elog. lib. 2. à p. 169. (3) T. 2. P. 1. ſect. 4. p. 1069, 1070.
(4) apud Tomaſ. ibid. p. 175.

per bella diſcuſſo, accitus in Pannoniam, ibi jus Civile, utpote regionibus illis pernecеſſarium, explanavit toto decennio: quo exacto Galliæ famâ invitatus in novam, quam Sedani Henricus Bullionius Dux Academiam inſtituerat, ſuâ ſpontè profectus, in ea Logicam iterum explanavit; nec diu moratus, cum tumultus bellici percrebeſcerent, poſtliminio ad Allobrogas rediit: inde Nemauſenſi Gymnaſio præfectus, regiam in celebri Montis Peſſulani lyceo ſedem obtinuit Juriſprudentiæ Profeſſor. Tandem Valentiam ſe contulit, & in Valentino Gymnaſio jurium Interpres eximius cognominem ſibi pacem, quam tot peregrinationibus fruſtra quæſierat, invenit, ornatus ſexcentorum coronatorum ſtipendio, jure civitatis donatus, Regiſque Conſiliariis adſcriptus in Gratianopolitano Senatu. Tunc ſe, ut habet in carmine, adverſæ, ſecundæque fortunæ victorem ſtetiſſe tandem, credidit futurorum neſcius, à quibus Gymnaſio noſtro deſtinabatur. Nam an. MDCXVI., Jacobo Gallo defuncto juris Civilis Profeſſore primario, à Senatu Veneto ſuffectus decreto mille, ac ducentorum coronatorum ſtipendio, quadringentorum verò viatico, teſtimonium obſequii ſui erga Rempublicam, præmiſit egregium magnique ſemper habendum Opuſculum de jure Adriatici Maris, quod à munificentiſſimis Patribus cum torque aureo equeſtrem ordinem meruit, filio autem Pacii, qui patrem ſequebatur, jus fecit exedræ publicę, undè leges doceret. Quantâ pompâ, quantâ gratulatione, atque expectatione omnium exceptus Patavii fuerit, quàm avidè auditus, probatus, laudatus publicè diſſeruerit, docueritque latè explicat Tomaſinus, qui multa de eo, deque ſua cum illo familiaritate narrat. Nobis hoc unum dicendum ſupereſt, cum exacto vix anno, cauſatum aeris, & victus mutationem, reipſa pertęſum laborioſiſſimi moris, quo utimur in prælectionibus noſtris, impetrato à Gymnaſii moderatoribus in Galliam reditu, Valentiam remeaſſe, ubi mille coronatorum mercede ad ſenectutem decrepitam jura profeſſus, piè, & orthodoxè diem clauſit extremum an. MDCXXXV. Claret his doctorum Operum titulis, quorum Philoſophica ſunt.

Inſtitutiones Logicæ in uſum Scholæ Sedanenſis.
Organum Ariſtotelis G-L. cum notis.
Idem cum notis, & Commentariis.
Rudimenta Logica.
Phyſices libri VIII. G-L. cum Commentariis.
Libri de Cælo G-L. commentariis illuſtrati.
Libri de Anima G-L. cum Commentariis.
Doctrinæ Peripateticæ Tomi III. Logicus, Philoſophicus, Politicus.
Logicæ Diſputationes.
Ariſtot. de Cælo cum notis perpetuis.
Notæ in eaſdem.

Opera Juridica.

De Contractibus, Tract. ſex.
Comment. Ad tit. Cod. de rebus creditis.
Ad Lib. 4. Cod. de obligat.
Centuria aliquot.
Iſagoge in Inſtitutionum Imper. lib. IV.
Epitome Juris ſecundùm Inſtitut. Imper. digeſta.
In Decretales lib. V.
De Juris Methodo lib. II.
Synopſis Juris Civilis &c.
Libellus de Jure Maris Adriatici.
De Arte Lulliana liber.
OEconomia Juris.
De Pactis, & Tranſactionibus Comment.
Analyſis Quintæ Partis Digeſti.
Pictura II de gradibus conſanguin. ſecundùm Jus Civile.
Tractatus de gradibus Affinitatis.
Editio univerſi Corporis Juris cum notis, & legum argumentis.

CAPUT XXX.

Alexander Syncliticus. Lælius Mancinus. M. Aurelius Galvanus. Joannes Galvanus. Antonius Aloyſius Aldreghettus. Jacobus Caimus.

CXLIV. ALEXANDER SYNCLITICUS Cyprius nobiliſſimâ gente Leucoſiæ, quam Nicoſiam vocant, natus eo ipſo anno, quo Selimus Turcarum 1646
Imperator bellum Cyprium auſpicatus eſt, cum parentibus infans primùm in Cretam inſulam venit, undè ſeptennis navigavit Venetias, ibique literas minores edoctus, atque in primis Græcas doctore Matthæo Scordyllio ſacerdote Græco Cydonio, jam pubes Patavium miſſus eſt, ubi ad annum uſque XXV. ætatis Philoſophiæ, ac Juriſprudentiæ operam dedit, emicuitque inter Juriſconſultos Patavinos acumine ingenii, facilitate docendi, magna in explicandis legum tricis, & eruditione, & memoria. Modeſtè hęc ipſa de ſe ipſe græcè ſcripſit, & annotavit in margine Anthologię Epigrammaton Græcorum, quam habeo, dono

dono mihi datum à Viro Clariſ. Scipione Gonemio ejus genero. Inde colligo, Patavio Venetias regreſſum, foro eum vacaſſe, atque interim feciſſe mercaturam, quò ſibi & familiæ ſuæ, amiſſa patriâ, inopi, & filiorum multitudine laboranti conſuleret. Nec tamen idcirco à ſuis, ac peculiaribus ſtudiis abſtinebat; quibus ita in omni, quà latè patet, literarum & eruditionis cauſa verſatus eſt, ut, eodem Gonemio teſte, omni exceptione majore, nemo doctior Venetiis haberetur, peritusve magis rerum Græcarum, Latinarumque. Hinc repente, nullo alibi doctrinæ ſuæ documento, publicitus dato ad primam juris Canonici veſpertinam ſedem evectus eſt, datuſque ſucceſſor Jacobo Martæ ann. MDCXVII. Docuit ex ea magnâ apud omnes ſapientiæ famâ ad annum MDCXXIII, quo ipſe rerum Eccleſiaſticarum pertractandarum pertæſus ad Civiles enucleandas adhiberi voluit; deſcenditque ſponte ſua ad alteram Juris Civilis exedram veſpertinam, quam tenuit, pari non ſolùm eruditione, ſed & dignitate loci cum Carbonchio Carbonchio, quocum deinde in ſede altera matutina claſſis ejuſdem profeſſus eſt jura Civilia ann. MDCXXVI. eâdem loci æqualis prerogativâ. Anno denique MDCXXXVIII. Jo. Baptiſtæ Gallo Bononienſi, qui dudum cauſatus adverſam valetudinem, & vitium memoriæ in patriam redierat, ſuffectus in prima ſede matutina Juriſprudentiam pleniſſimis auditoriis expoſuit uſque ad ann. MDCXLVI. ætatis LXXVII, quo deceſſit. Vir, inquit Tomaſinus (1), omni laude dignus, & inter Juris Profeſſores primatius, conſiliis, & voce toto orbe celeberrimus. De illo altiore ſtylo multa memorat & Lollinus (2), & Maurocenus (3); ex quibus multa ſcripſiſſe vir doctiſſimus dicitur. Horum pleraque vidimus apud ſapientiſſimum ſenem Gonemium. Et quæ quidem in Jure dedit Reſponſa plurima, Scholiaque, & Annotationes in Titulos *de Novi Operis nunciatione, de Juriſdictione, de Conſtitutionibus Principum*, maximi vir ille acris judicii faciebat. Nobis attamen pluris habita ſunt, quæ in re Canonica ſcripta perlegimus, quæque ita primum, ac ſecundum Decretalium librum percurrebant, annotabantque, ut iis lectis, quod ingenuè fatendum eſt, profecerimus admodum in Myſtagogicis noſtris, cum Photianas Canonum interpretationes, & injectas auctoritate ſubdoli Balſamonis corruptelas in rem ſacram detegimus. Scripſit etiam *Tractatus aliquot de Controverſiis Photianorum, & Latinorum*, quos dicavit Aloyſio Lollino Antiſtiti Bellunenſi. His addimus *notulas Græcas in Florilegium Epigrammatum Græcorum*. Multa in his ſunt interioris & arcanæ eruditionis cimelia, quæ græcè conſcripta ſervamus

1654 CXLV. LÆLIUS MANCINUS (4) honeſta gente Politiani natus in Thuſcia, Senis & literaturam humaniorem & Philoſophiam didicit in ſcholis Patrum Societatis Jeſu; Juriſprudentiæ navavit operam Piſis, ubi depoſito tyrocinio ſtudiorum, doctor aliquandiu vixit privatim docens: inde Canonicus in patria renunciatus, cum Collegii ſui cauſas Florentiæ procuraſſet Gymnaſii Piſani Moderatoribus adeo doctrinam, & in jure docendo præſtantiam probavit, ut magna mercede ad Piſanum Gymnaſium illuſtrandum electus fuerit. Docuit ibi per annos XXIV. ad annum ſcilicet MDCXXXVI. quo vocatus ad primam ſedem Juris Canonici matutini, ſucceſſor Albertini Miliariæ nob. Patavini ad noſtrum Gymnaſium venit, iniitque hoc præclariſſimum munus eodem anno VIII. Kal. Decembris florenorum mille ſtipendio, quod auctum eſt ducentis additis ann. MDCXLII, excrevitque ad mille & quingentos anno MDCXLIX. Vivere deſiit intra tempus conductionis ann. MDCLIV. Varia concepit animo ingenii monumenta; hæc edidit.

Librum de Relaxatione juramenti.
Controverſias Juris Sacri.
Diſquiſitiones Geniales.
Libros III. de Triplici Juris collatione, & conſenſu.
De reſtitutione Famæ Tractatum.
Vitam S. Antonii Patavini Etruſco ſermone.

1659 CXLVI. M. AURELIUS GALVANUS Ferrarienſis, Alexandri viri Juriſconſultiſſimi filius, major patre, quo præceptore uſus in patria in eam aſſurrexit gloriam eruditæ, atque elegantis Juriſprudentiæ, ut à pluribus Gymnaſiis expetitus certatim extra patriam ad docendi munus evocaretur: hærentem, & à patris dilectiſſimi Patavii profitentis conſuetudine deflectere recuſantem munificentia magni Ducis Hetruriæ ad Piſanum Gymnaſium abduxit. Docuit in eo ad ann. MDCXLI. cùm ad ſecundam juris Civilis matutini Patavium accitus, nongentorum & quinquaginta nummûm ſtipendium par dignitate Profeſſoribus ſedium primarum meruit, auctus deinde ducentis additis, mox ann. MDCLI. ad exedram primam claſſis ejuſdem florenis mille quadringentis & quin-

(1) Gym. lib. 2. c. 9. p. 258. (2) in Epiſt. p. 8. 22. (3) in Opuſcul. p. 230. (4) Tomaſ. Gym. lib. 2. c. 3. p. 240.

quinquaginta provectus eſt. Deceſſit Patavii intra tempus poſtremæ conductionis anno MDCLIX. conditus in ædibus SS. Apoſtolis Simoni & Judæ ſacris eodem tumulo, quo Alexandrum patrem, ac præceptorem ſuum ipſe condiderat. *Vir integerrimus, ac ſtudioſiſſimus*, Tomaſini (1) ſcriptoris coævi teſtimonio, *qui eruditiſſimi Patris exemplo dicendi elegantiam cum antiquitatis notitiâ clariſſimis ingenii monumentis conjunxit*; inter quæ celeberrimus eſt, & typis notus doctiſſimus *Tractatus de Uſufructu*.

CXLVII. Galvano Ferrarienſi ſubjicimus JOANNEM GALVANUM Patavinum, qui quamvis, quod ſciam, nihil ediderit, ſcripſit attamen multa tum in *Regulas juris*, tum *de re Criminali*, quorum titulos prolixè recenſet curioſitas Salomonii (2), nos illos voluminibus duobus contentos vidimus olim apud Jo. Baptiſtam Zaninum fiſco curiæ ſacræ præpoſitum, percurrenteſque altero *Capitalia Crimina Fori laici*, altero *majoribus pœnis plectenda in foro Eccleſiaſtico*. Vir fuit fortunatiſſimus, ſed fortunâ ſuâ dignus. Humili loco natus labore, ac ſtudiorum invictâ conſtantiâ cum ſe geſſit inter diſcipulos, ut jam tum doctor haberetur, ac receptus inter domeſticos Antonii Lando ampliſſimi Senatoris, & Prætoris Patavii, hoc poſtea patrono, cùm inter Triumviros Moderatores Gymnaſii lectus eſt ann. MDCXVI. ad Regularum Juris exedram nondum ætate major, aſcendit. Inde poſt annos quatuor ann. MDCXX. ad ſedem Criminalium translatus, in ea claruit adeo, ut ſine dubio etiam in extraordinario Gymnaſii munere, atque ordine minore, par maximis, imò & omnium juris Interpretum maximus habitus ſit, in quem tituli dignitatum omnes (jure an injuria nihil intereſt) certatim confluxerint. Nam & à Ferdinando II. Cæſare ob virtutis, & ſapientiæ famam, quamvis ab honore ſe ſe excuſaret, Eques, & Sacri Conſiſtorii Comes creatus eſt, & Veneta Majeſtas eum inter Conſultores extra ordinem honorificentiſſimo decreto recepit, præfectumque Græcorum Collegio, & primariis Profeſſoribus parem, licet ſine collega, patronum Nationis Germanicæ Senatus voluit, imò, quod ad eam diem caruit exemplo, Gymnaſticum Præſidem Juriſconſultorum, Doctorumque collegio præfecit, quamvis ne ordinarium quidem Profeſſorem. Tanta ejus fuit in hoc noſtro Gymnaſio auctoritas, atque felicitas, quam auxit deproperata ſemper conductio ampla, dives, munifica, ut, qui quinquaginta florenis militare publico muneri cœperat, in mille ac ſeptingentis moreretur VII. Idus Auguſti anno MDCLXV. ætatis ſeptuageſimo ſecundo. 1665

CXLVIII. Minore fortuna, merito majore Gymnaſium patrium auxit Comes ANTONIUS ALOYSIUS ALDREGHETTUS Aldreghetti filius familiâ nobiliſſimâ, & ab ultima ſtirpe clarâ Patricius Patavinus. Hunc adhuc juvenem patriæ ac Gymnaſio venerandum ſpectandumque præbuit doctiſſimum ingenii ſpecimen, editum in libro *de abſolutâ Philoſophia cognitione*. Hôc apud Cives cùm ſibi præclariſſimæ indolis expectationem eximiam conciliaſſet, publico docendi muneri admotus eſt; docuitque inter tertianos ſexennio Inſtitutionum Cæſarearum profeſſor, undè Senatuſconſulto ad alteram claſſis ejuſdem exedram provectus, biennio poſt ad primam aſcendit, myſtagogus celeberrimus Gymnaſticæ juventutis ad juriſprudentiam, quam utiliter adeo, ac laborioſè tractavit, ut indoluerit Gymnaſium, cùm eum virtutis merita ad alteram ſedem juris Civilis Matutinam, ne labori ſuccumberet, provexere. Ex hac docere cœpit ab anno MDCLIII. ſeptingentis florenis, mox nongentis quinquaginta inſtructus, quos auxit translatus ad ſecundam juris ejuſdem veſpertinam ann. MDCLXI. cùm & par illi locus, ac dignitas data cum primariis Profeſſoribus, excrevitque poſtremâ conductione ad flor. quadringentos & mille ann. MDCLXVIII, quo vivere deſiit IX. Kal. Septembris; Vir, inquit Tomaſinus (3), judiciis & muneribus patriæ publicis commendatus, certè de Gymnaſio noſtro, ſi quis alius, optimè meritus, quod puro legum latice caſtiſſimè aluit, quod generis nobilitate, moribus integerrimis, & ingenti apud cives ſuos gravitatis, ac ſapientiæ famâ profuſiùs illuſtravit. Præter editum, quem ſignavimus librum, hæc extant apud clariſſimos poſteros ejus. 1668

Commentarii in Juſtinianeas Inſtitutiones libri IV.

Argumenta ex capitulis legum Canonicarum, & Civilium eruta lib. II.

Volumina XV. Prælectionum Publicarum in loca plurima Pandectarum, Codicis, & Authenticorum.

CXLIX. JACOBUS CAIMUS Utinenſis Carnus, Comes Tiſſani, Pompei celeberrimi Medicinæ Theoricæ in hoc noſtro Gymnaſio Profeſſoris nepos, vir nobiliſſimus, & Patavino Lycæo, ut alibi diximus, memorabilis, ex vitæ gravitate, præſtantiâ doctrinæ, morum integritate, impenſiſque pro Gymnaſtica utilitate ſtudiis, & laboribus, docere apud nos cœpit ab anno MDCXXXII. Regulas Juris non ampliore quàm centum & 1679

quin-

(1) Gym. lib. 2. c. 9. p. 251. (2) Inſcript. Gymnaſ. (3) Gym. lib. 2. c. 10. p. 253.

quinquaginta flor. ſtipendio, quod meruit etiam tranſlatus, biennio poſt, ad alteram Inſtitutionum ſedem, undè poſt annos itidem duos ad exedram Pandectarum provecto crevit in duplum. Exacto ſexennio ad explanandum jus Civile à ſede ſecunda veſpertinâ venit ann. MDCXLIV., auctuſque ſtipendio nongentorum Carbonchio Carbonchio Peruſino, qui extremam ſenectutem tracducturus in patria Patavio diſceſſerat, ſuffectus eſt, non ut habet Tomaſinus (1), ann. MDCLIII. ſed biennio ante V. Non. Maii primæ ſedis veſpertinę profeſſor, ut conſtat ex albo Quęſtorio. Clarebat auditorum frequentiâ, ut idem Tomaſinus refert, anno per ipſum ſignato, claruitque deinceps magnificentiùs Profeſſorum anteſignanus, ſplendore vitæ, auctoritate, ac ſupercilio dignitatis; hanc ne qua parte detereret, cavit omnibus modis; ut ſpectandam, venerandamque, tum intra, tum extra Gymnaſium faceret, nullâ laborum, ſumptuſque ratione habita, curavit. Nam Venetias profectus gratulatum Nicolao Sagredo novo Duci Veneto Principatum, in aureâ togâ, pileoque, ac circumpedum turbâ ſtipatus majeſtatem Gymnaſii per fora Veneta circumtulit ſpectabilis omnibus, eamdemque intulit in facrarium publicæ ſapientiæ, quo hæc propius agnoſceret, quàm facundis obſequiis Patavina ſapientia munificentiam publicam adoraret. Regreſſus Patavium in flor. mille atque octingentorum ſtipendio, quam auguſtæ Reipublicæ præſtitit reverentiam, hanc ſibi aſſeruit, exegitque à diſcipulis, quorum concurſu frequentiſſimo utebatur. Fertur (2) enim cùm, uti per ea tempora, imò & noſtra, mos obtinebat, circa tempora vacationum importuno ſtrepitu, pedumque ſupploſionibus agerent ſtudioſi juvenes, ne quotidianæ prælectiones haberentur, nec rogati monitive deſiſterent, excanduiſſe adeo, ut deſcendens ab exedra profeſſus ſit, ſe non amplius tam procax & inſolens auditorium aditurum. Promiſſionem ſanxit Libitina; nam intra vacationes Bacchanales cùm ſeptuagenario major ęgrotaſſet VI. Kal. Martii deſiit eſſe mortalis ann. MDCLXXIX.

Edidit Lucubrationes varias, egitque luculenter, & doctè

De Dotibus.
De diviſione fructuum inter maritum, & uxorem.
De Formula Aquiliana
De Subſtitutionibus.
De Fideicommiſſis, & Jure accreſcendi.

CAPUT XXXI.

Paulus Doctus. Almericus Paſſarellus. Carolus Tebaldus. Aloyſius à Puteo. Scipio Gonemius.

1681 CL. PAULUS DOCTUS è Caſtro-Franco celeberrimus fuit noſtra ętate juris Civilis Profeſſor, cui poſtremo noſtrum Gymnaſium debet quidquid gloriæ, quidquid utilitatis noſtris temporibus obtinet. Nam, quod ſuperiùs teſtati ſumus, ex hujus inſtitutione prodiere ſummi in foro Patavino Juriſconſulti, egregii per Italiam diſcipuli, clariſſimi in hoc noſtro Lyceo Profeſſores, quos inter eminet, primaſque inter nos habet, maximus omnium, & citra controverſiam omnem coryphæus juris Interpretum Jo. Baptiſta Ceſſis legum Civilium in primâ ſede matutina Profeſſor. Cœpit porro Paulus docendi publicum munus ab exedra Regularum Juris, tranſlatuſque ad ſedem alteram Inſtitutionum anno MDCXLIV, poſt annos octo ad primam ejuſdem claſſis evaſit, unde primus lectiſſimæ ac ſtudioſiſſimæ juventuti ingenuos Juriſprudentiæ fontes aperuit, unde non fucatam, aut elumbem, vel rudem, & in apicibus ludentem, ſed nativam, robuſtam, acutam, & abdita rimaturam legum notitiam haurirent. Hoc munere functus fructuariis ipſa operis per annos novem ad alteram juris Civilis matutini ſedem aſcendit anno MDCLXI. cùm repetitis conductionibus meruit mille florenorum ſtipendium, quod in eadem ſede auxit ad mille & quadringentos: atque hos tulit ſecum ad primam exedram claſſis ejuſdem provectus anno MDCLXXVIII. auxiſſetque profuſius, ni viro immortalitate digno mors mortalibus decreta obſtitiſſet. Hanc obiit anno MDCLXXXI. XVI. Kal. Maii. Scripſiſſe eum multa Salomonius (3) tradit, qui ſe uſum familiariſſimè tanto viro gloriatur. Titulos ſcriptorum ejus non vidimus, & an quæ ſcripſit ſuperſint, ignoramus. Gonemius Vir clariſ. non ſemel nobis aſſeruit, ab eo doctius, & acutius Pandectarum & Codicis libros illuſtratos, quàm ab eruditiſſimo Duareno.

1682 CLI. ALMERICUS PASSARELLUS Ferrarienſis Juriſconſultus doctiſſimus diu docuit in patria, unde florenis octingentis accitus vacuam biennio ſedem juris Canonici matu-

(1) Gym. lib. ſec. 12. p. 257. (2) Salom. Inſcrip. Gym. (3) Inſcrip. Gym.

matutini principem triennio tenuit ab anno MDCLXXVIII. ad ann. MDCLXXXI. quo ad ſedem veſpertinam juris Civilis primariam deſcendit, primas in Gymnaſio noſtro relaturus ob ſummam, quæ de ejus in legibus enucleandis facilitate & ingenio percrebuerat, opinionem, ni hanc mors præpropera eluſiſſet. Nam cùm ſenex uxorem duxiſſet adoleſcentulam, in hujus importunis illecebris animam poſuit anno MDCLXXXII. V. Idus Februarii. Jacere illum diximus ſine titulo in templo S. Franciſci. Edidit luculentiſſimum, ac lucubratiſſimum Commentarium

De Donationibus, ex quo claret, clarebitque.

CLII. CAROLUS TEBALDUS humili genere Patavii natus ſtudiorum tyrocinio in patria poſito J. V. D. privatis auſpiciis juventuti gymnaſticæ inſtitutiones Cæſareas explanavit: inde cauſſarum patronus praxim Criminalem proſecutus eſt in foro Patavino feliciter, ex eaque inter paucos enituit: quamobrem ad exedram Inſtitutionum primam evectus, ex hac frequentiſſimos auditores biennio docuit, quippe præmaturâ morte ſublatus XIV. Kal. Octob. anni MDCLXXXV. Edidit *Commentarium de Præſtantiâ Juris in leges aliquot civiles, & Canones*. 1685

Auroram legalem, ſeu explanationes continuas in IV. libros Inſtitutionum ſtudioſa juventus legit poſt obitum ejus, opus ſcilicet poſthumum, cujus V.C. & Juriſconſultorum noſtra ætate princeps Jo. Baptiſta Ceſſis, addito Indice ſelectarum quæſtionum, utilitatem ac pretium auxit.

CLIII. JULIUS MARCHIO à PUTEO, ut ipſe ſæpè probat in elogiis, gente Veronæ patricia, & ab ultimâ ſtirpe nobili natus eſt Jo. Baptiſta patre clariſſimo Medico; tredecim annorum puer, annuente patruo Benedicto Juriſconſulto Mantuam diſciplinæ cauſa, mox Bononiam conceſſit, unde legibus Venetis evocatus Patavium in hoc Gymnaſio Philoſophiæ operam dedit auditor Caroli Emmanuelis Vizzanii Bononienſis: deinde ſub Cæſare Ferramuſca Vicentino, qui nondum patricius Venetus ſtipendia gymnaſtica merebat Interpres Codicis, Juriſprudentiæ tyrocinium poſuit. Audivit poſtea Syncliticum eximii nominis Profeſſorem, quo doctore, adeo ſe profeciſſe teſtatur, ut adoleſcens annorum octodecim laurum ſapientiæ præmium emeruerit: adlectuſque eſt in album Veronenſium Juriſconſultorum anno ætatis XXIII. minores patriæ Magiſtratus obiit egregiè; tandemque ad ſupremum dignitatum faſtigium Veronenſem nimirum Præturam aſcendit ann. MDCLII. Agendis deinde cauſſis patronus, dirimendis litibus judex, & arbiter, conſcribendis in jure reſponſis ſcriptor idoneus, atque ex his magni habitus, ad primam exedram veſpertinam juris Civilis ex abrupto Almerici Paſſarelli ſucceſſor aſcendit anno MDCLXXXII. Sed exitu ſæpiſſimè comprobatum eſt, non feliciter munus docendi à ſenibus iniri. Julius ab exedra minimè ſatisfecit, atque intra decennium ſemel tenui florenorum octoginta iterum conductus auctario, jam ſenex in patria deceſſit anno MDCXCII. Edidit *elogia Juriſconſultorum collegii Veronenſis* lutulento ac barbaro ſtylo. *Tractatum compendioſum ſtipulationum. Heroica Miracula Mathildis Comitiſſæ Italiæ. De Urſinâ familiâ.* Concinnavit etiam Italice *libros Inſtitutionum*, quas Venetis legibus conciliabat, ut Venetæ nobilitati uſui eſſent, verùm morte præreptus utiliſſimum opus abſolvere minimè potuit. 1692

CLIV. SCIPIO GONEMIUS Eques Cyprius videri poſſit ad inſtitutum noſtrum minimè pertinere, cùm nihil, quod extet, ediderit vivens, nihil moriens reliquerit poſteris profuturum. Verum & illud ejus modeſtiæ dandum eſt, qui, quæ plurima ſcripſit, quæque è ſublimi loco doctiſſimè diſſeruit, & eloquentiſſimè docuit, cavit, nè cujuſquam oculis ſubjicerentur; & hoc magnanimo tribuendum deſpectui gloriæ, quam optimus ſenex ita contempſit, ut quæ ſcripſerat omnia, anno antequam decederet, me præſente, reclamante licet, atque infimis precibus obnitente inexorabilis igni abſumenda tradiderit. Quo uno prçclaro facinore Scriptoribus çtatis noſtrç omnibus, ſi qui calamum laſſant in legum interpretationibus, meo ſanè judicio prudentiorem ſe, ac feliciorem oſtendit, cui nimirum ſatius viſum eſt, ex fama nominis in ævum perennaturi vivere intactum lividæ maledicæque Criticorum licentiæ, quàm libris de Jure plurimis editis actum agere, coctaque ac recocta centies iteratò recoquere. Re ipſa vir fuit Gonemius, cui nulla prudentiç ac felicitatis pars defuit, & quidem ipſi non alii adſcribenda. Nam magnæ profectò ſapientiæ Doctor, nec tamen maximæ in hoc noſtro Lycæo, Juriſprudentiâ, eruditione, & elegantiâ maximus viſus eſt ſemper; cùm non omnium maximè in Gymnaſio laborioſus inſudaverit publicæ utilitati, omnium quotquot vixerunt hactenus optimè de Gymnaſio meritus habitus eſt: cùmque vel nunquam, vel certè raró in amicos (ſi verba, & officioſam urbanitatem excipias) munificus, eorumque commodis procurandis addictus fuerit,

cum

eum tamen omnes amarunt, obſervarunt, penè dixerim deperiêre, Anno MDCV. ut conſtat ex libro Baptiſmatum S. Georgii Græcorum, quorum ſacris luſtralibus imbutus eſt, Venetiis natus, origine Cyprius, nobiliſſimâ familiâ, & inter Cyprias præcipuâ, patrem habuit, qui Cypro à Tureis ſubactâ diu captivus Conſtantinopoli, poſtquam liber Venetias venit, iniitque cum nobiliſſimâ virgine Cypria conjugium, ad vitam utcunque ſuſtentandam mereaturam ſecit, ex qua par alendæ proli, quam multam habuit, ita huic, ſibique conſuluit, ut moriens filios omnes, fatis ſaventibus, virtute duce ab egeſtate, quam excidium patriæ induxerat, aſſertos aſpexerit, Horum Scipio cùm Patavii Juriſprudentiæ dediſſet operam, ac I.V.D. ingenti omnium plauſu ſuiſſet renunciatus, vixdum ætate major ad regularum Juris explanationem in gymnaſio noſtro, decreto Veneti Senatûs admotus eſt an. MDCXXIX. Hanc elegantiſſimis, & eruditiſſimis diſſertationibus ita auxit, ut in pleniſſimo ſemper auditorio docuerit. Quamobrem ſtatis temporibus aucto ſtipendio conjugium reſpexit, ſibique Alexandri Synelitici concivis nobiliſſimi, ac juris in primâ ſede Profeſſoris celeberrimi filiam ad individuam vitæ conſuetudinem ſacrorum ſociam adjunxit. Poſt annos XXIV. exantlati laboris in explanandis Axiomatibus Legum an. MDCLIII. traductus eſt ad ſedem Feudis explieandis præpoſitam, quam uſque adeo dilexit, ut quamvis evocatus ad ſuperiores, ac ſupremas Gymnaſii dignitates, has permodeſtè recuſaverit, ratus, ut mihi ſæpè dicebat, ſatius eſſe prudenti Profeſſori ejus ſatagere, ut munere ſemel accepto quàm ſanctiſſimè doctiſſimèque deſungatur, atque illud cavere, ne laboribus debita deſint interim auctaria, quàm ad majora ſemper intentum, quæ præ manibus ſunt incurioſiùs tractare; atque interim egere, aut auctariis more ſupplicum inhiare. Hanc igitur ſedem ſibi dixit perpetuam, ex eaque claruit adeo, ut in Re Feudali *Conſultoris* officium illi, quamvis victuro Patavii, Senatuſconſulto Venetiis non ſine peculiari ſtipendio fuerit demandatum, Filiam unicam habuit Polyxenam, matronam nobiliſſimam, quæ nupta nobili viro è Comitibus Stabuli Cypriis de Avila avum illum duorum nepotum ſecit. Horum alter Peregrinus deceſſit avo ſuperſtite, alter Franciſcus generoſiſſimæ Davilarum Stirpis poſtremus ob generis claritatem ultrò in Senatum Patavinum receptus, ſuperſtes avo, anno, qui elapſus eſt proximè, ſenex interiit. Ipſe Scipio ætate decrepitus memoriâ rerum geſtarum, dictatumve ad miraculum uſque tenaci, Eques à Senatu Veneto dictus, & miſſione honorariâ abſolutus munere publico, Patavii vivere deſiit an. MDCC. ipſa nocte mediâ inter XXIV., & XXV. Novembris, eâ ſcilicet horâ, & die, quâ natus ante annos XCVI. fuerat. Jacet in templo S. Franciſci de Paula. Nos illi, quem patris loco colebamus, Epigraphem inſcribendam addidimus (1).

Scipioni Gonemio Equiti Cyprio,
Agnatione ſua, Cognatione Podacathara, & Sozomena,
Affinitate Syncliticorum,
Et magnorum Stabuli in Cypro Comitum de Avila claro,
Iuriſconſulto,
Raræ in ſumma Nobilitate Modeſtiæ,
Summæ in barbara Juiſprudentiæ parte Elegantiæ,
Miræ in extrema ſenectute memoriæ,
Intra probitatem comi,
Citra faſtum docto,
Ad normam Pietatis prudenti,
Feudalis Rei Profeſſori Patavii Publico,
Eadem in Re Veneta Reipublica à Conſiliis,
Viro Optimo,
Amicorum Maximo,
Parenti ex obſequii, & Charitatis officio Venerabili,
Nicolaus Comnenus Papadopoli Creten.
Abb. S. Zenobii Philoſoph. S. Theolog. ac I.V.D.
Et Publicus S. Canonum Anteceſſor
Mæſt. H. M. P.
Vixit An. XCVI. Obiit die, & hora natali VII. Kal. Decemb. An. MDCC.

(1) Salom. Inſcript. Pat. p. 281. n. 5.

SECTIO

SECTIO II.

DE CLARIS ARTIUM PROFESSORIBUS IN GYMNASIO PATAVINO.

CAPUT I.

Rolandinus Grammaticus. Montanarius Poeta. Matthæus Roncalitrius. Petrus Aponenſis.

I. ROLANDINUS GRAMMATICUS primus eſt, vel certè inter primos ex iis, qui 1277
Patavii Grammaticam, & Rhetoricam publicè docuere. Quamobrem in hac Artium parte Gymnaſii noſtri viros illuſtres auſpicari poteſt, ac facem præferre claris illis Doctoribus, quorum eloquentiam, & eruditionem in humaniore literatura poſteritas Patavina venerata eſt. Vixit, ac floruit jam conſtituto Gymnaſio, & ſi ſequare Tomaſinum (1), etiam Collegiis in unum quendam cœtum cogi ſolitis ad S. Urbanum: id quod ego affirmare non auſim. Claruit poſt an. MCC., cum maximè ſæviebat Actiolinus, cujus impotentem tyrannidem deſcripſit in Chronico rerum Patavinarum, & libris XII. de geſtis Actiolini, quos laudat Petrus Paulus Vergerius (2), & Blondus (3), & ex his Scardeonius. Extat Chronicon ſumma fide conſcriptum, ſed neque grammaticè admodum, & lutulenter ſatis, ac barbarè, quemadmodum, & librorum ejus, ſi quid ſupereſt; nam multa ex his periere. Obiit anno MCCLXXVII. menſe Februario ſæculo ſuo æqualis, ut conſtat ex epigrammate, quod cineribus ejus impoſitum ad D. Danielis nunc non extat, niſi apud Scardeonium (4), & Salomonium (5), undè illud (6) alibi propoſuimus.

II. MONTANARIUM Poetam Patavinum Grammaticam, Poeticam, & Rhetoricam 1281
artes ſæculo XIII. maximi habitas docuiſſe in patria, eodemque, quo Rolandinus uſus eſt, jure inter Profeſſores Patavinos habendum, ex Pignorio tradit Salomonius (7): recenſeturque in catalogo veterum Rhetorum à Porcellino, ac nominatur magiſter Dominicus Montanarius, adeoque non alius ab eo fuerit, qui magiſter Dominicus appellatur in citato fragmento appoſito Chronicis Rolandini penes Tomaſinum (8). Fertur (9), nepotem habuiſſe ex fratre Pacem juvenem militiæ ſtudioſum, quem præfectum oppido Campi S. Petri, ac reum factum, quod cum Veronenſibus clam ageret de prodenda Vicentia tunc ſubjecta Patavinæ Reipublicæ, damnatumque bonorum publicatione, ac exilio ſecutus Veronæ ſenex interiit circa an. MCCLXXXI. ut idem Pignorius colligit ex Epitome Montagnonis. Scripſit *Carmen Heroicum de Luna Cleri*, ex quo non lecto laudatur à Scardeonio (10). Pignorius lecti operis cenſor tradit caſtum fuiſſe atque elegans opus, ut ea tulere tempora. Egiſſe in eo Montanarium de Clericis in choro ſacro canentibus, quem lunam appellavit ex apſidis forma concava, multaque in eo congeſſiſſe, quę mores clericorum ſugillarent, interpoſitis ſententiis plurimis, verſu facili, claro, ſępeque humili, vulgaria quędam acroamata Ethica continentibus. Has Montagnonus collegiſſe dicitur, ex quo aliquas profert Scardeonius (11), cui pręcipuè primam hujus priſci Profeſſoris notitiam debemus.

III. MATTHÆUS RONCALITRIUS Patavinis Artium Profeſſoribus Philoſophis, 1303
& Medicis annumeratur, ut omnium antiquiſſimus earumdem ſcientiarum magiſter, & publicus doctor. Idem clarus fuiſſe civis Patavinus dicitur à Scardeonio (12), quem Portinarius (13) more ſuo ſequitur. Et hoc ſanè non conſtat, cùm nuſquam probetur: conſtat illud ex omnibus monumentis Gymnaſii noſtri. Fuiſſe illum celeberrimum ſęculo XIII. Ariſtotelis Interpretem, ac Logicam, & Naturalem Philoſophiam doctis prę-lectionibus illuſtraſſe, certum eſt (14). Tranſgreſſum deinde ad Artis Medicę, ac Galeni prę-ſertim interpretationem Riccobonus poſt alios tradit, & ex hoc, & Portinarius, & Tomaſinus. Apud hos cum multa ſcripſerit, nihil extat. Lignamineus (15), & ex eo Salomonius refert (16), in Bibliotheca Pignorii fragmenta quędam fuiſſe lecta ex commentariis Roncalitrii in libros Priorum, & Poſteriorum, & in librum

(1) lib. 1. Gymn. c. 51. p. 170. (2) ſæpè in hiſtor. Princ. Carrar. (3) Decad. 2. lib. 7. (4) l. 2. claſs. 10. p. 232.
(5) Inſcr. Pat. p. 452. num. 5. (6) lib. 1. c. 16. n. 3. (7) Gymn. Inſcript. (8) Gymn. lib. 1. c. 51. p. 170.
(9) Pignor. Miſcell. 8. Antiq. Patav. (10) lib. 2. Claſs. 10. p. 234. (11) ibid. & p. 235.
(12) lib. 2. Claſs. 9. p. 202. (13) lib. 7. c. 6. p. 254. (14) ex Scard. ibid. (15) Collect. Inſcript.
(16) Inſcript. Gymn.

Galeni, quem Artem parvam appellant. Deceſſit Patavii anno MCCCIII. nonis Maii, ut manifeſtum eſt ex epitaphio cineribus ejus impoſito (1) ad Divi Auguſtini.

1312 IV. PETRUS APONENSIS à Scriptoribus rerum Patavinarum, quos provocat ad teſtimonium poſt Lignamineum (2) Pignorius (3), & ex utroque Salomonius (4), inter claros Lycæi noſtri doctores Medicos clariſſimus, ac princeps aſſeritur. Medicinam ut pluribus in locis, & aliquandiù Bononiæ fecerit, non alibi tamen, quàm Patavii docuit certo ſtipendio, & quidem amplo, de quo Tomaſinus (5) ex ejus teſtamento à ſe lecto, ex quo etiam colligit (6), eum docuiſſe Patavii. Patre Conſtantio tabellione, ut habet in elogiis Tomaſinus (7), poſt Scardeonium, in vico agri Patavini Apono natus eſt an. MCCXLVI. dictus propterea Aponus, vel Aponenſis. Primus inter Italos, quod apud Scardeonium laudatum Tortellius aſſeverat, Artem Medicam ab Avicennæ temporibus vilem, & nullius ferè pretii apud Ciſalpinos latinis ingeniis, atque uſibus conciliavit; in eaque ita verſatus eſt ope Philoſophiæ, in qua maximè præſtitit, ut varias pugnanteſque Medicorum opiniones in concordiam, ſi qua illis contingere poteſt, revocando, Conciliatoris nomen obtinuerit. Profectum eum in Græciam, ut græcam linguam Medico perneceſſariam addiſceret, ferè omnes affirmant; indeque fluxit aliquorum opinio, putantium Aponum Athenis ſtuduiſſe, cùm certum ſit, XIII. ſæculo nullas Athenis fuiſſe ſcholas, nullum ulla in parte Græciæ gymnaſium. Quamobrem, ſi quidem hujus rei cauſâ fuit in Græcia, quod certè non aſſeruerim, in aliqua ſubjectarum Veneto imperio inſularum fuerit, in eaque rudimenta linguæ noſtræ decerpſerit. Peregrinatus deindè in Galliam Lutetiæ diu vixit, ibidemque, tum Philoſophiæ, tum Rei Medicæ operam dedit: nec inde rediit, niſi utriuſque ſcientiæ, Aſtrologiæ quoque, ac Mathematicarum diſciplinarum opibus inſtructiſſimus, quarum luce Italorum, tunc hebetes ex ignorantia oculos ita perſtrinxit, ut apud hos, rudi eo ſæculo, ſi minus Æſculapius novus, novus certè Machaon, & Hippocrates haberetur. Docuiſſe eum Bononiæ ex Petro Caſtellano (8) ſcribit Freherus (9). Sed cùm neque Tomaſinus, neque Scardeonius, aliive Scriptores Patavini ullam Bononiæ mentionem faciant, viderint Auctores hujuſmodi, undè habent, quæ tradunt ignota Patavinis de ſuo cive ſcribentibus; ſuntque propterea ſubleſtæ penitus fidei. Qualia, hercule, dices, quę Marcellus Donatus, & Matthæus de Gradibus apud hos ipſos ingerunt, abhorruiſſe Aponum natura à lacte adeo, ut ne conſpicere quidem ſine nauſea poſſet lac, lacteumque quidpiam comedentes: fuiſſe autem avaritiæ, tam ſuperbæ, ac moroſæ, ut nunquam extra urbem Bononienſem ad ægros exierit, niſi conſtituto ſtipendio in dies ſingulos quinquaginta coronatorum; acceſitumque ad curationem Romani Pontificis Honorii IV., eam non ante ſuſceperit, quàm pactus loco Soſtri diebus ſingulis coronatos quingentos. Hæc nos fidei dicentium relinquimus, & in medio ponenda cenſemus. Hoc certum, Aponenſem Petrum, poſtquam rediit è Gallia, Patavii fuiſſe, in hac urbe & docuiſſe, & Medicinam feciſſe, tantâ & famâ doctrinæ, & curationum felicitate, ut, cùm ad morbos averruncandos pacandoſue, herbarum lapidumque virtutes conferret, certo Cœli adſpectu, ac ſtatis & ſiderum motibus, & horis temporum curioſiſſimè obſervatis, creditus ſit faſcinare homines, adhibere magicas artes, ex his mira facere, univerſim de orthodoxa fide non bene ſentire. Invaluitque hæc fama uſque adeo Patavii, ut perennet etiamnum apud ignorantem plebeculam vigentibus fabulis, quæ magnum illum fuiſſe, ac præſtigiis illudere ſolitum hominibus, vulgi credulitati confirmant. Hinc vivo factum non ſemel negotium eſt à Quæſitoribus ſacris accuſante Regienſi Medico Petro æmulo, patrocinantibus Lupato Poeta, Jacobo Alvaroto, Petro Altichino, quorum ope hominis innocentiâ probatâ, dimiſſus eſt ab obſervatione judicii, quod iterum adſumptum eſt percrebeſcente criminis ejuſdem ſuſpicione circa an. MCCCXII., cùmque eo anno Aponus obiiſſet, ac celebri funeris pompâ in Antoniana baſilica fuiſſet tumulatus, Inquiſitores latâ ſententiâ in eum damnatum invecti, comburendum ejus cadaver ſanxere. Hoc per contubernalem fœminam inde, ubi jacebat, erepto, & apud ædes S. Petri occultato, ſævitum eſt in ejus effigiem, quam, ut hæretici, reique objectorum criminum manifeſti publicus in foro ignis abſumpſit. Et tamen, Scardeonio teſte, cui ſtandum eſt, condito teſtamento, & multa ad pias cauſas legavit, & profeſſus eſt, ſe ea omnia credere, quæ ſancta docet Eccleſia, quæ.

(1) Salom. Inſcript. Patav. p. 83. num. 232. (2) in Collect. Inſcript.
(3) Epiſtol. ad Domin. Molin. præfix. Miſcellan. (4) Inſcript. Gymn.
(5) Gymn. lib. 1. cap. 3. p. 11. (6) ibid. lib. 3. cap. 1. p. 278. (7) lib. 1. p. 21.
(8) Vit. Illuſtr. Medic. p. 151. (9) T. 2. P. 3. p. 1209.

quæque credenda proponit & Symbolum Apoſtolorum, & quod Athanaſii dicitur. Deceſſit Patavii anno, ut ſignavimus MCCCXII. ætat LXVI. Quod occultatum à furore Quæſitorum fuerat, cadaver deinceps inveniſſe ſedes quietas cenſetur in limine decumanæ portæ templi D. Auguſtino dicati, ubi ſine funeris honore jacet, jacuitque diu ſine titulo: hunc illi addidit ſæpè à nobis laudatus F. Deſiderius Lignamineus hac Epigraphe (1).

Petrus Aponus Cognomento Conciliator
hìc ſitus eſt, cujus ſingularem memoriam
Frater Deſiderius Lignamineus Pat. hac brevi
inſcriptione in ſtudioſorum gratiam reſtituit an. MDLX.

Falſum tamen eſt quod attexit, Aponum mortuum anno MCCCXV. ætat. ſuæ LXVI. nam ſtandum eſt ſignatis à Scardeonio.

Scripta Petri Aponenſis, cùm pauca Petrus Caſtellanus recenſeat, latiùs enumerat Scardeonius (2), atque edita ſcribit hoc ordine

De Omnimoda Medicina ad Joannem XXII. P. M.
De Venenis, & eorum remediis.
De Ægritudinibus Corporis humani,
De Unctionibus.
De Syncope.
De Tumoribus Mammillarum.
De Dolore Stomachi.
De Emplaſtris.
De Vomitu, & Singultu, & Siti.
De Appetitu Mortuo, de Appetitu Canino.
De affectionibus Hepatis, & Splenis.
De Hydropiſi,
De doloribus, & fluxu ventris.
De præcipuis Morborum horum remediis.

Scripſit, edidit, ac ſuis ipſe, vel aliorum manibus operatus eſt hæc Mathematica, & Aſtrologica.

Aſtrolabium planum in Tabulis, in quibus horoſcopum ſignavit, quâque hora, & minuto exoriatur, oſtendit.

Aperuit Æquationes Domorum Cæli, & Significationes Imaginum.

Horas inæquales ad qualibet Climata Mundi ſupputatas poſteris reliquit.

Moram in corpore Matris Fœtibus præſtituit, addito Tractatu de Nativitatibus.

Effinxit pluſquam quadringentas imagines diverſarum rerum, artium, operumque ſitas ſub duodecim ſignis Zodiaci, & Planetis ſeptem, ac duodecim Menſibus, eaque omnia pingenda curavit in foro, ſeu aula maxima Juris, ædificio Patavii celeberrimo, quo nihil tota Italia magnificentiùs.

Quædam etiam vertit ex Græco, *librum Meſue, Galenum de cholera nigra*, & *de Regimine Sanitatis*, addiditque *multa ad Problemata Ariſtotelis*.

CAPUT II.

Jacobus Forolivienſis. Nicolaus S. Sophia. Franciſcus Petrarca.

V. PEnè non errabamus cum Salomonio (3) producto ad ſæculum XV. JACOBO FOROLIVIO, antiquiſſimo Artium Profeſſore in Gymnaſio noſtro, & ejuſdem cum Matthæo Roncalitrio ætatis. Nam ex editis à Tomaſino (4) annus ejus emortualis ponitur MCCCXIII. tum in Patavinis Inſcriptionibus, tum in Catalogis (5) Profeſſorum, cùm apud Salomonium (6) ſignetur MCCCCXII. & dies Februarii XII. nec dubium poſtremum hoc eſſe ἁμάρτημα γραφικὸν, cùm epocha prima & inſcriptioni tumuli reſpondeat, & albis Gymnaſticis, in quibus ab an. MCCXC. profeſſor Artium, & Medicinæ Jacobus Forolivius proponitur. Docuit ergo, tum exeunte ſæculo XIII. tum ineunte XIV. Medicinam, & Philoſophiam Patavii, claruitque ex hoc munere inter præcipuos Gymnaſii noſtri Doctores, quamobrem rude, ac mendoſum Tetraſticon exuviis ejus inſcriptum in Eremitana baſilica ſic eum celebrat. 1313

Aa 2 *Forlivius*

(1) Salom. Inſcript. Patav. p. 83. n. 61. (2) lib. 2. claſſ. 9. p. 200. 202.
(3) Gymn. Inſcrip. (4) Inſcrip. Pat. p. 154. n. 35.
(5) lib. 3. c. 1. p. 278. (6) Inſcrip. Pat. p. 232. n. 97.

Forlivius jacet hîc Jacobus, quo clarior alter
Non fuit in Latio, & Græcia doctior illo.
Alter Ariſtoteles, Italis Hippocras fuit alter,
Olim qui terras fama, nunc ſydera luſtrat.

Scripſiſſe eum doctiſſima in libros Avicennæ, & Hippocratis Commentaria, tradit Lignamineus (1), & Pignorius (2), ex quibus Salomonius (3): nobis nihil horum aliunde innotuit, cùm cæteroqui ejus nomen paſſim occurrat in catalogis Profeſſorum poſt Roncalitrium eodem titulo inſignitum, quo Artium, ac Medicinæ Monarcha poſterorum memoriæ commendatur.

1350 VI. Nobilis & ab ultima ſtirpe patricia, quamvis oriunda dicatur Conſtantinopoli, Patavii ſemper fuit, quæ à S. Sophia familia dicta eſt, ac ſæculo ſuperiore recepta in album Venetæ Nobilitatis, auguſtæ Ariſtocratiæ particeps claret. Sapientiæ, cujus nomen præfert, gloriam, & ex Sapientia grande nobilitatis ſubſidium, opes ſibi comparavit Arte Medica partas, in qua Majores ejus, cum in patrio Gymnaſio, tum in aliis, inter Profeſſores præcipuos ſoſpitalis ſcientiæ primas tenuere. Ne brevitas, quam profitemur, in ampliſſimo argumento hæreat; viros dumtaxat illos nominabimus in hac parte operis noſtri ex ejus propoſito, quos aliquid notum vetuſtati Patavinę ſcripſiſſe deprehendimus; at hìc de primo, & principe omnium NICOLAO. Is dicitur diſcipulus fuiſſe Aponenſis Petri, ejuſdemque ſucceſſor, famâ nominis minor, virtute, ac ſapientiâ, & felicitate, tum publicarum pręlectionum, tum privatarum curationum, ſi minus major, at certè par; indeque habitus Medicorum in Gymnaſio noſtro profitentium anteſignanus ſeculo XIV. ut colliges ex Scardeonio (4), & Riccobono (5). Cępit ab an. MCCCXI., pertigit Artem Medicam illuſtrando ad an. MCCCL, quo vivere deſiit menſe Majo. Scripſit *Commentarium in Avicennam; libros tres de Diata; libros duos de curatione febrium peſtilentium, & acutarum, & libellum de morſu Viperæ, & de Sinapiſmo*. Quę ejus Opera recenſet Pignorius Epiſtola ad Thomam Dempſterum Scotum de MSS. à ſe collectis. Filios habuit duos, viros, & Medicos clariſſimi nominis, quorum tempus inferiùs in loco ſignabimus.

VII. Ne quis nos negligentię in adſumpto propoſito accuſet, quem Pignorius (6),
1370 & ex eo alii, multis relatis, adjectiſque plurimis ex curioſa veſtigatione Patavinę vetuſtatis, Patavinis Profeſſoribus annumeravere FRANCISCUM PETRARCAM hìc nominamus, rati cęteroqui, eum ad Gymnaſium noſtrum minimè pertinere, tametſi comprobaveris, multos habuiſſe eum in ſeceſſu Patavino diſcipulos. Quod ut verum ſit (quamvis non planè probetur) non tamen confirmat quod petitur; neque conſtituit, Petrarcam in Patavino Gymnaſio docuiſſe, ad quod, cùm neque ut Alumnus pertineat, extra claſsem eorum omnino eſt, quos ratio noſtri Operis reſpicit. Nec tamen abnuerim à Petrarca ſtudium politioris literaturę, Poeſeos, ac Moralis Philoſophię in hoc lyceum invectum fuiſse, monitis, exemplo, & auctoritate, quam ſummam apud Principes Carrarienſes obtinuit. Nam ante ejus adventum ſummam fuiſse in hoc Gymnaſio, uti & in reliquis Italorum, barbariem conſtat: in quo, citra ſeveriores diſciplinas, Grammatici ſolùm, & quidem ſubagreſtes admodum, & infacundi, multumque referentes de Rolandino, Morando, Zunta, Lucheſio, aliiſque, quos monumenta (7) priſca commemorant Grammatices, & Rhetorices vigiles, & utiles Profeſsores, verſabantur ſæculo XIV., atque non aliam ob cauſam, ſi conjectura uti licet, Jacobus Carrarienſis junior, quemadmodum ipſe Petrarca ſcribit (8), tot nunciis, literiſque, ac precibus egerit cum ipſo trans Alpes degente, ut ad ſe Patavium veniret, niſi ut ejus gloria, & hortatu Patavina juventus ad nitidiorum ſtudiorum, ac Muſarum amorem pelliceretur, inſtitueretur que privatâ conſuetudine, ex qua certum eſt profeciſſe admodum Lombardum Sericum, Franciſcum Zabarellam, Ottonellum Diſcalcium, Joannem Dondum, & alios, de quibus vel diximus, vel dicemus in loco: quique ſub Carrarienſibus floruerunt, exeunte ſeculo XIV., primâque parte ſæculi ſequentis; & latinitate, ſi minus caſtigata, certè non planè barbara, quæ legimus, quæque leguntur edita, conſcripſerunt, adeo ſtylo Petrarchæ ſimilia, ut characterem patris, ac ſpeciem, ſi rimere, in his videas, eoſque conjicias quadantenus ejus inſtitutione formatos. Fit adeo, ut levem etiam de Petrarca notitiam Gymnaſio noſtro debeamus, quò pleniùs humaniorum literarum, quæ in ipſo, mirum quantum, effloruit poſtea, floretque etiamnum, prima origo utcunque deſignetur.

De Petrarca ſcripſere plurimi, copioſiùs reliquis Tomaſinus in *Petrarca Redivivo*, ex quo

(1) in Sylloġ. Inſcr. Gym. (2) Ep. ad Molin. de antiq. Patav. (3) Inſcr. Gymn.
(4) lib. 2. Claſſ. 9. p. 203. (5) Gym. lib. 1. c. 11. p. 14. (6) Ep. ad Molin. de antiq. Patav.
(7) V. Tomaſ. Gym. lib. 3. c. 1. p. 277. (8) apud Tomaſ. ibid. lib. 1. c. 4. p. 16.

ex quo hæc pauca delibamus. Petrarca natus eſt Aretii parentibus Florentinis, honeſtis quidem, ſed fortunæ mediocris, atque ad inopiam vergentis, quippe exulibus. Natales illi fuere calendæ Sextiles anni MCCCIV. Adoleſcens Bononiam à patre miſſus, ut Juriſprudentię nomen daret, muſis amicus, totuſque in perlegendo Virgilio, & Cicerone, Juriſperitos omnes tradidit protervis in mare Ponticum portare ventis. Id quod ubi pater reſcivit, Bononiam profectus, acerbè filium increpuit, & caſtigavit, libros hujuſmodi combuſſit, juſſitque minax utilia amare, nec in egenum, ac ſterilem Parnaſſum viatico cariturum iter capeſſere. Paruit filius aliquandiu; verùm nihil invitâ Minerva, & ingenio reluctante fit diu. Mortua matre intra annum, eoque vix elapſo, patre quoque è vivis erepto, ad ſtudia dilecta rediit, Juriſprudentiâ valere juſſâ: ita autem ad mitiores diſciplinas incubuit, ut relictâ Bononiâ, adjutus viatico à Thoma Meſſanenſi condiſcipulo, quo præ cęteris amiciſſimè utebatur, Avenionem perrexerit. Ibi cùm novas eruditionis per ea tempora exoticæ apud aulicos opes expoſuiſſet, ex Poetices, in utraque lingua, latina & Itala, laude mirum in modum inclaruit, atque arctiſſimâ familiaritate ſibi conciliavit cum Jacobum Card. Columnium, tum ex eadem agnatione Joannem Lombarienſem Epiſcopum. Ab hoc in Aquitaniam ductus, ſub collibus Pyrenæis, feliciſſimam, ut ipſe ſæpè profitetur in Epiſtolis, æſtatem duxit: inde regreſſus Avenionem hoſpitem liberaliſſimum habuit Jacobum Cardinalem, quo ſuppeditante viatica, & Pariſios inviſit, & exinde Romam venit, ubi exceptus à Stephano Columnio, largitatem eximiam, amorem ſingularem, ſummam in ea familia Italarum omnium clariſſima beneficentiam expertus eſt. Româ rediit Avenionem, qua in urbe ſacerdotiis ſatis ad vitam honeſtè traducendam inſtructus, tædio curiæ affici cępit, ſeque in locum millibus paſſuum quindecim, ut alii ſcribunt undecim, Avenione diſtantem cum tota librorum ſuorum ſupellectile tranſtulit, quietis amans, literarii cupidiſſimus otii. Locus Vallis Clauſa incolis eſt, quam Salgas, Italis & ipſi Petrarchæ Sorga, fluvius præterfluit. Ibi captus amore puellæ cujuſdam Laurettæ, quam Lauram vocavit, æſtus modeſti Cupidinis integro carminum Italicorum Opere illo celebratiſſimo temperavit, vel aluit, quo nihil eſt in tota Etruſca Poeſi elegantius, aut mirum magis. Ejus penitiorem notitiam tibi alii facient: nam nos hiſtoriam ſcribimus, imo hiſtoriam potiùs compendiò delibamus. Ad hanc ſpectat ſcire, diu Petrarcam in Vallis Clauſæ ſeceſſu moratum penè omnia, quæ ſcripſit, aut inchoaſſe, aut abſolviſſe, præter Epiſtolas, quas deinde, ut occaſio tulit, dedit, aut edidit.

Nam poſtquam inde diſceſſit evocatus aliò, vel amicorum hortatu, vel Principum precibus, vel Pontificum juſſibus, ſæpè adiit Italiam, in qua moras traxit diu, ſolitus ex negotiorum ratione, vel animi cauſſa in Provinciam redire, dilectumque Clauſæ Vallis domicilium repetere. Exoſus enim curiæ Avenionenſis, quam ſæpè acerrimè deteſtatus eſt, curas, & vitia, ad amænum illud Muſarum hoſpitium, quod ſibi, ac ſuæ quieti conſtruxerat, confugiebat, undè non niſi ad bonum publicum procurandum exibat, longiſque, variis, difficilibus, periculoſis quoque peregrinationibus fungebatur. Has latè proſequuntur ejus biographi, ex quibus noſces, fuiſſe illum ſæpè Neapoli, Piſis, Romæ, Januæ, plerunque in Gallia Ciſalpina, Parmæ præſertim, in cujus Eccleſia fuit Archidiaconus, bibliothecam habuit, ac domum. Mediolani quoque, qua in urbe diu verſatus eſt, à Ducibus Inſubriæ maximi habitus, & prædio donatus, in quod Muſis litaturus ſæpiſſimè ſecedebat. Vixiſſe eum Veronæ etiam aliquandiu, certum eſt; atque has urbes quaſi ſtationes domeſticas, & certas aſſerit ſibi creberrimè in epiſtolis, poſtquam Poetices laurum accepit in Capitolio. De celeberrima pompa, qua ad eam dignitatem Poetæ decreto publico laureati provectus eſt ab Urſo Anguillariæ Comite multa ſcitu digniſſima Tomaſinus (1) & alii. Hoc nobis non erit indictum, ex illo maximè tempore Petrarcam tota Europa virorum doctiſſimum habitum, atque à Principibus omnibus expetitum flagrantiſſimè, receptum familiariſſimè, ornatum locupletiſſimè, adhibitumque negotiis graviſſimis procurandis, ut lectis ejus Epiſtolis inficias ire non poteris.

Quòd tamen, ſi aliàs unquam, eo Italia tempore bellis, diſcordiis, ac ſeditionibus, quateretur, Poeta plerunque inter pericula vagus eſſet, & inquies tot inter cataſtrophas, eò animum appulit, ut Patavium ad Carrarienſem Jacobum ſecederet; receptuſque, ſummâ Principis, ac civium benevolentiâ, cumulatus autem novo ad Archidiaconatum Parmenſem ſacerdotio, Canonicus Patavinus dictus, ſibi domum in urbe, in agro ad Arquadum villam paravit, ſedeſque hìc fixit, quas obitu conſecraret.

(1) in Petrarca Rediv. c. 10. p. 44.

Biennio illum hìc fuiſſe continuo, donec ſcilicet Jacobus junior vixit, ex actis ejus agnoſcimus; eo interſecto ita Patavium incoluiſſe, ut inde, quaſi ex arce, ac ſede propria, aliò atque aliò paſſim excurreret, ex epiſtolis ejus colligimus. Vocatus à Pontificibus Avenionem, juſſa eluſit cauſſatus ſenectutem, & ægritudines: reſtitutus ad lares patrios Senatuſconſulto Florentinorum, honorem ſibi gratulatus eſt, à quo tamen ſe abſtinuit: Aretium natale ſolum dilexit effuſè, dilectus viciſſim; quippe cui adventanti aliquando populus omnis obviam proceſſit, cum crucibus, & lipſanis Divorum Sanctis, quæ Sacerdotes in amictu ſacto palliati ſub umbella geſtabant. Tanta tunc fuit hominum erga viros doctos, tam ſtudioſa religio. Amicitias conſtantiſſimè coluit; tantam verò cum Poeta Boccaccio, ut vivi anulo ſuo imaginem, & ſuam inſculptam ſemper geſtaverit. Florente ætate, quamvis addictus ſacris, concubinam habuit, & ex ea filios: filiam certè Franciſcam, ex qua & Franciſcolo de Borſano Mediolanenſi Franciſcum Nepotem vidit, dilexit, defunctum luxit epigrammate celebri, quod, & apud Tomaſinum (1), & apud Salomonium leges (2). Ætate jam matura libidinibus valedixit omnino: quamobrem non minus, quàm ex fama ſapientiæ, ex virtutibus ethicis cariſſimus fuit Romanis Pontificibus quatuor Clementi VI. Innocentio VI. Urbano V. Gregorio XI. Carolo quoque IV. Cæſari, Gallorum Regibus, Roberto utriuſque Siciliæ, Senatoribus, ac Principibus Venetis, atque inter hos Andreæ Dandulo, Marino Faletro, Joanni Gradonico, Laurentio Celſo, ut Dynaſtas minores prætercam, quos longum eſſet percenſere, quorumque familiaritatibus uſque ad invidiam ſelix, ita tamen divitias, & faſtum contempſit, ut modicis contentus parvo vivere ſemper amaverit, vulgaribus uti cibis, odiſſe ſucceſſores Apicii, hoc eſſe vivere ratus, cum amicis caſtè, ſobriè, pacatè convivere. Vixit an. LXX. una die minus. Deceſſit apoplecticus anno MCCCLXXIV. in agro Patavino Arquadæ, quod Oppidum eſt ad Colles Euganeos. Sepulcrum ejus ibi poſitum à Genero Franciſcolo adhuc viſitur cum tetraſticho noto. Domus, quę olim ad M. Antonium Gabrielium patricium Patavinum pertinuit, nunc in jus ceſſit Comitum de Doctoribus. Ibi ſella ejus, abacus, exſiccatum cadaver (ſceletum vocant) Æluri ipſi dilecti, aliaque tanti viri monumenta; quę appoſitis carminibus ibidem celebrantur à Pignorio, Rhodio, Argolo, Quærengo, & aliis, quos refert Salomonius (3). Multa moribus, & ſcriptis Petrarchę objecta ſunt à viris non exigui nominis, quę jure, an injuria ferantur, dicent alii, quorum ex adſumpto gratis officio labor invidioſus in eo eſt, ut Scriptorum clariſſimorum ſamam adunco naſo ſuſpendant. Notat hos Tomaſinus (4) in Redivivo, ac Petrarchæ vindicias tutelares dare profeſſus, quod pollicetur non prſtat. Is plura dabit, & peculiariùs expoſita de ſcriptis hujus Italorum Poetarum Principis.

Quę vidimus hęc ſunt.

Epitome Virorum Illuſtrium.
Bellum Punicum, ſeu Africa Carmen Heoricum.
Rerum memorabilium libri IV.
Opuſcula Hiſtorica, & Philologica.
De Republica adminiſtranda.
De Otio Religioſorum.
De Vita Solitaria.
De remediis utriuſque Fortunæ.
Epiſtolarum Collectiones variæ.
De ſui ipſius, & multorum Ignorantia.
Rythmi, & Odæ Italicæ Partes II. Opus celeberrimum, notiſſimum, & multis multorum Commentariis illuſtratum, quorum ampliſſimum eſt Geſualdi cum Vita, & aliis ad Petrarcam pertinentibus Operi præfixis.

CAPUT III.

Marſilius à S. Sophia. Joannes à S. Sophia. Petrus Paulus Vergerius Senior. Leonardus à Bertopalea.

1403 VIII. MARSILIUM A' S. SOPHIA, Nicolai filium Medicum intra ſeculum XIII. clariſſimum publicum Profeſſorem fuiſſe Patavii, & diſſimulat Scardeonius omnino, & ſubobſcurè ſignificat Tomaſinus (5). Conſtat attamen ex albis Gymnaſticis, eum hìc, & Logicam primùm, & Medicinam extraordinariam docuiſſe intra annos MCCCLXX., & MCCCLXXX. Claruit ſua ætate inter Italos cæteros in omni ſcientiarum genere, urbemque, ac Gymnaſium patrium famâ ſui nominis illuſtravit ex Philoſophia præſertim, & Medicina, atque in hac præ omnibus peritiſſimus habitus eſt. Cariſſimus fuit Galeatio Inſubriæ Duci, quo Patavium obtinente, ſummo apud Principem in ho-

(1) Rediv. c. 21. p. 244. (2) Inſcr. Pat. in Append. p. 580. n. 4. (3) d. Append. à p. 580. 582.
(4) in Rediv. cap. 9. à p. 39. (5) Gym. lib. 3. c. 1. p. 278.

in honore fuit, opeſque ſibi, ac familiæ, cenſuſque comparavit, & titulos. Hinc, Galeatio circa annum MCCCXC. pulſo, cum Franciſcus Carrarienſis junior armis Venetorum, ac Ducis Bavariæ fuiſſet reſtitutus, vel ſuſpectus Principi, vel parum gratus ſeceſſit Bononiam, ibique Medicinam profiteri cœpit, & quamvis ex pacis poſtmodum fœdere revocatus in patriam, non tamen ſibi fore tutum exiſtimavit, ſubleſtæ fidei ſubirati Principis ſe ſe committere; manſit ergo Bononiæ, undè an. MCDII. Marignanum accitus Galeatium patronum ſuum extremum fermè ſpiritum trahentem, ut refert Scardeonius, per dies aliquot ultra præſcriptum, ſi credere fas eſt, in vita detinuit; ſed & ipſe non diu poſt, circa annum ſcilicet MCDIII. redux Bononiam, ibidem obiit, ibidemque ſepultus eſt in templo D. Franciſci, noſcendus poſteritati ex hoc non ineleganti epitaphio

Vivat ut æternùm vitæ jam munere functus,
Hoc præſtat virtus, quæ facit una Deos.
Sic invecta polo ſupera mens regnat in aula
Undique per terras inclyta fama viget.
Quæ mortalis erat, jacet hìc pars condita, magni
Exuvias animi colligit urna brevis.
Quumque procul latè reſonet ſua gloria, ſaxum
Accipit exiguis nomina magna notis.
*Marſilius Patavus, cui dat gens * alma Sophia* * aliàs
Bononiæ Medicus dum docet, occubuit. genus.

Si Tortellio apud Scardeonium (1) credendum eſt, fuit Marſilius apud Latinos alter à Petro Apono Medicinæ illuſtrator eximius: reipſa ſcripſit multa, de ſanandis ægritudinibus ſcitu digniſſima. Edita ſunt, quæ latè, ac doctè notavit in Tractat. *libri Rhaſis ad Almanſorem de Curatione morborum particularium, & Commentarii ſubtiles in Aphoriſmos.*

IX. JOANNES A' S. SOPHIA Marſilii frater (2), Nicolai filius gloriam ex arte Medica familiæ clariſſimæ mirum auxit in modum, majorque fratre, par patri in hoc noſtro Gymnaſio, & in fine XIII., & initio XIV. ſæculi Philoſophiam, & Medicinam profeſſus eſt. Nam ex Profeſſorum catalogis in utraque diſciplina ordinariam ſedem ſine antagoniſta ſemper obtinuit omnibus diſcipulorum, ut mos tunc habebat, ſuffragiis. Deceſſiſſe videtur circa an. MCDX. cùm deinceps nulla ejus extet mentio in Monumentis Gymnaſticis. Sepultus eſt in paterno ſepulcro Patavii ad meridianam januam templi majoris cum elogio, quod licet prolixius, non piget exſcribere, quippe plenius deſcribit viri celeberrimi laudes, & ex novo, ac ſumptuoſiore novi templi ædificio fortaſſe peribit poſteris, legendum unicè apud Scardeonium, & Salomonium (3) 1410

Artiſta eximius, Medicinæ ritè Monarcha,
Atque ſalus Patavi grandis, & alta jacet.
Ecce pater Studii, Languentum cura Ioannes,
Ortum cui celebris Sancta Sophia dedit.
Virtutis Speculum præfulgens, totus honeſtus,
Norma pudicitiæ, fidus amicus erat.
Expers nequitiæ, ſcelus oſus, regula vitæ
Hic fuit, ac omnis ſplendida cella boni.
Quidquid Ariſtoteles, Hypocras tulit & Galienus
Hauſerat: ac quidquid ſacra medela cavet.
Praxis vera fuit, totique ſalutifer Orbi,
Cujus fama nitens permeat omne ſolum.
Hac terram juxta voluit ſepelirier urna,
Ut mitis natus, ſeq; ſubeſſe Patri.
Terra ſuum cepit, cepit ſibi debita Cœlum,
Perfruitur toto mens ubi ſancta Deo.

Edidit

(1) Ibid. p. 203. (2) Scard. ibid. p. 204. (3) Inſcr. Pat. p. 28. 29. n. 145.

Edidit celeberrimum opus, centum & octoginta capita complexum, quod inſcribitur *Medicina Practica*.

1428 X. Diu dubitavimus, an PETRUS PAULUS VERGERIUS claris alumnis juriſprudentiæ Patavinæ potius annumerandus eſſet, an in claſſem eſſet revocandus eorum, qui ex Artium diſciplinis apud nos claruere. Nam cùm conſtet ex his, quæ ſępè ipſe de ſe ſcribit in Epiſtolis, & annotat Pancirolus (1), eum Florentiæ doctore Franciſco Zabarella juri addiſcendo dediſſe operam, aliunde manifeſtum eſt ab eo nihil editum, quod nobis ſpeciem ejus ingerat aliam à Philoſopho, aut humanioris literaturæ profeſſore. Abſtulit dubitationem album Gymnaſticum ab ann. MCCCXCIII. ad MCD. quod inter miſcellanea nobis à Salomonio (2) relicta reperimus; ibi enim per annos circiter ſeptem plena Diſcipulorum ſuffragatione ad Logicam, hoc eſt Logicam diſciplinam Petrus Paulus Vergerius *Iſtrianus* eligitur. Eodem eum munere functum fuiſſe ad annum uſque MCCCCIII. conſtat ex iis, quæ Franciſcus Zabarella nondum Cardinalis refert de laudibus Ottonelli Diſcalcii ſenioris. Epiſtola enim ad titulum Ottonelli deſcribens tanti viri obitum, & inferias illi celebratas in Eremitana Baſilica, hoc quoque ſplendoris illis accepiſſe tradit, quod funebrem orationem habuerit eloquentiſſimus vir, & Logicorum interpres publicus Petrus Paulus Vergerius Philoſophiæ, ac juris utriuſque Doctor. Hinc porrò qualemqualem notitiam Vergerii Gymnaſio noſtro facimus, dum pleniorem à v. cl. Ludovico Muratorio expectamus. Nobili genere progenitus Juſtinopoli, quæ caput eſt, & metropolis Iſtrorum, à prima ætate Venetiis vixit, undè Patavium ſtudiorum cauſa progreſſus, hic & elocutionem latinam ab iis, qui cum Petrarca verſari fuerant, ac præſertim ab Ottonello Diſcalcio ſibi comparavit, & à Chryſolora linguæ Græcæ inſtitutiones, quarum initia Venetiis cœperat, perdidicit. Aggreſſus deinde graviores diſciplinas in Philoſophiam ſedulò incubuit, cui ex ſæculi more Meditationes Aſtronomicas & Aſtrologicas copulavit. Secutus deinde Franciſcum Zabarellam, quem ob eaſdem animi dotes miro ſemper amore proſecutus eſt, Florentiam venit, atque ibi illum jus Canonicum profitentem audivit, ſimul juris Civilis arcana eo auſpice pervaſit, ac redeuntem Florentia Patavium comitatus hic hæſit inter domeſticos & familiares ejuſdem Zabarellæ Archidiaconi Patavini ac Florentini Antiſtitis electi, præcipuus. Hoc agente, ſenſim in aulam Franciſci junioris Carrarienſium Principum poſtremi receptus, conſiliorum ejus particeps fuit, ac in civitatem Patavinam, quamvis peregrinus, lectus unà Profeſſoris publici munere functus eſt ad annum uſque MCDIII, quo cùm Franciſcus in Venetos multa moliri cœpiſſet, cœpit itidem hominem exterum, & ſub imperio Veneto natum obſervare, præſertim cùm Vergerius eadem, quæ Gattarius conſilia pacis clam palam ſuaderet. Hinc ſemel iterumque à Principe ſine cauſa increpitus, ſibi ſecedendi prętextum quæſivit, quo ab aula recederet, veniamque facilè obtinuit, cauſatus neceſſitatem inviſendarum rerum ſuarum in Iſtria. Profectus Venetias ibi biennio verſatus eſt, donec rebus Carrarienſibus afflictis, mox etiam peſſumdatis, eò flexit animum, ut ſe patriæ quieti redux Juſtinopolim reſtitueret. Jamque navigationem parabat, cùm eum à propoſito revocavit Franciſcus Zabarella, qui tunc princeps Patavinæ legationis ad Venetos, urbem ac ditionem his ritu ſolemni tradiderat: ab hoc Patavium reductus, amicorum ejus atque contubernalium princeps fuit. Nam cum Franciſco Zabarella deinde ſemper vixit tum Bononiæ in aula Joannis XXIII, tum Florentię, cùm re iniit Antiſtitis dignitatem, tum etiam Romę, cùm evectus ad Purpuram Cardinalium Collegio adſcriptus eſt. Eundem comes ad Sigiſmundum Cæſarem in Germaniam deduxit, ejuſdem à ſecretis Conſtantienſi Synodo interfuit. Ibi morienti Magiſtro, Patrono, & amico officiis omnibus adfuit, funus ejus curavit, oſſa Patavium tranſtulit, ut alibi diximus, ibi videtur perſenex occubuiſſe, & quidem non ante annum MCDXXVIII, nam hunc annum fatalem Vergerii Tomaſinus ſignat in Rebus Iſtricis (3). Scripſit multa.

Orationes argumenti varii, & funebres aliquot.

Poemata quadam latina ſatis, at & frigida ſatis, inter quæ carmen vidimus de *laudibus Petrarcha*, cujus apocopen habet Tomaſinus in Redivivo (4).

Comment. in Timaum, & in libros Platonis de Republica.

De Schiſmate abolendo libellum.

Quaſtiones de Eccleſia Poteſtate.

Vitas Carrarienſium Principum ſex, nam poſtremos duos prętериit. Atque hę nuper editæ ſunt.

Vi-

(1) de Clar. Interpr. lib. 3. c. 28. p. 349. (2) ad Inſcrip. Gym. (3) lib. 10. (4) c. 6. p. 28. 29.

Vitam Franciſci Petrarchæ, quam in Redivivo (1) edidit Tomaſinus, apud quem quędam alia leges in Bibliothecis Venetis MSS.

XI. Eodem, quo Vergerius tempore floruit in Gymnaſio noſtro ab anno MCDII. ad 1419
ann. MCDXXIX. LEONARDUS à BERTOPALEA, civis Patavinus, Medicus & Chirurgus clariſſimus. Ex utraque arte, quam in patria, & Venetiis exercuit, maximi habitus opes ſibi, ac poſteritati paravit magnas, ędificavitque magnificè tum in patria, tum in agro Patavino. Docuit hìc Chirurgiam ſummâ confluentium auditorum frequentiâ, ſcripſit autem plurima, ex quibus, non apud Euganeos tantùm, ſed & toto orbe terrarum claruiſſe dicitur à Scardeonio (2), qui præclara ejus opera recenſet, inſignes nimirum *de Chirurgia, & in Canonem Avicennę Commentarios. De Aquis conficiendis ad pellendas ęgritudines maximè idoneis*, Filium habuit Jo. Michaelem, quem catalogi Profeſſorum (3) noſtrorum celebrant Doctorem publicum in eadem arte intra an. MCDXXXIV. & MCDXXXVI.

CAPUT IV.

Antonius Cermiſonus. Sigiſmundus Polcaſtrus. Michael Savonarola Eques. Bartholomaeus à S. Sophia. Hugo Bencius. Joannes Arculanus.

XII. ANTONIUS CERMISONUS celebratur in albis Gymnaſticis (4), ut excellentiſſimus Artium, & famoſiſſimus Medicinæ Doctor, palamque iterum, atque 1435
iterum Artium, & Medicinæ Monarcha dicitur. *Cerneſonus* appellatur apud Tomaſinum, *Cermiſonus* ex Scardeonio (5), quo recte, cùm, quoad vixit, in Gymnaſio Patavino principem locum obtinuerit, non ultra ann. MCDXXXV. vixerit, quando in iiſdem Catalogis illi ſucceſſor eo anno XV. Kal. Novembris notatur Stephanus de Doctoribus. Natus Patavii, poſtquam ad Artium inſignia, & laurum Medicinæ pervenit, ad hæc docenda ſtudioſorum ſuffragatione, ut mos tunc erat vocatus eſt. Et Logicam, tum Phyſicos Ariſtotelis libros explanavit ingenti auditorum frequentiâ; mox ad tractandam Medicinam traductus doctiſſimorum virorum præceptor fuiſſe traditur, atque in his, ut notat Scardeonius, Savonarolæ Medici excellentiſſimi, qui, ſi quidem Michael fuit, Cermiſonum juvenis Logicam docentem audierit; nam, quod attinet ad Artem Medicam, is Cermiſono æqualis fuit, & ſi fides habenda ſit notatis per Scardeonium (6) ipſum, ante Cermiſonum obierit. Theoricæ Medicinæ interpretationem Cermiſonus profeſſus eſt diu, ſimul Medicinam fecit feliciter, ſæpè Venetias ad curationes vocatus, & ab exteris Principibus ſummis ad idipſum accitus, undè illi & dignitatum tituli, & opes non contemnendę obvenere, quas obliguriſſe fertur (7) luxui deditus, & ſumptibus privatâ fortunâ majoribus: quamobrem mortuo vix ad funus honeſtum ſuperfuere. Sepultus eſt in baſilica Antoniana ad ędem plumbeam, ubi jacet ſine titulo. Scripſit in Re Medica Commentarios luculentiſſimos, qui ętate Scardeonii per univerſum terrarum orbem vulgati legebantur; Saluberrima pręſertim Conſilia *adverſus omnes ægritudines à capite uſque ad pedes, librum de Urinis, aliaque multa*. Ferunt hunc primum, Juriſconſultorum more inter legendum, caſum in terminis proponere conſueviſſe, ex eoque morem hujuſmodi apud Scholas medicas perennaſſe.

XIII. Quo tempore ex Theorica Medicina ordinaria clarebat in Gymnaſio Patavino 1440
Antonius Cermiſonus, ſtudioſa juventus plaudebat inſigni doctrinę SIGISMUNDI POLCASTRI, quę ad eandem Theoricam extra ordinem pertinent, explanantis, ut ex albis à Tomaſino (8) propoſitis, & aliis, quę notavimus, certum eſt. Multa hunc fuiſſe conatum ſcribendo, pręlegendoque in Avicennam, ſcripſiſſe *Commentariorum libros tres in Aphoriſmos Hippocratis, de Febribus duos, totidemque de Venenis, & eorum cognitione*, aliaque plura, quę Dini de Gerbo Medici Florentini ſęculo XIII. celeberrimi doctrinam obſcuram, & barbaram illuſtrarint, ſcribit ex Bibliotheca Pignorii Tomaſinus in Characteriſmo (9), & ex hoc Salomonius. Fuit Polcaſtrus ab ultima ſtirpe patricius Patavinus, floruitque ſub Carratienſibus, quorum exitum vidit. Auctor flagrantiſſimus fuiſſe dicitur civibus ſuis, ut ſe Venetorum Imperio committerent, ac ſub Republica ęquitatis, & pacis publicè amantiſſima quietem, & felicitatem auſpicarentur; egiſſe autem ſecretis officiis, ut rei gerendę cauſa Henricus de Alano Nerio Victorio Prętori Dictator ſubſtitueretur, ut eo, quem ejuſdem eſſe ſententię noverat, plebiſcitum ferente, deditio

(1) p. 175. 184. (2) lib. 2. Claſſ. 9. p. 209. (3) Tomaſ. Gym. lib. 1. 46. p. 156. 157. (4) Tomaſ. lib. Gym. c. 46. p. 155. 157. (5) lib. 2. claſ. 9. p. 209. (6) ibid. p. 212. (7) Lignam. Muſcell. Inſcrip. (8) d. p. 155. 157. (9) p. 12.

deditio Patavina ſanciretur. Docuit in Gymnaſio publicè ſumma cum laude perdiu, amplius annis quinquaginta, munus docendi aggreſſus vixdum ad Artium inſulas provectus, poſt quas Philoſophiam ſtatim profeſſus eſt, exinde ad præcipuas Medicinæ ſedes provectus, ex illis in omni ſcientiarum genere jampridem clarus, luculentiùs inclaruit. Vixit annos quatuor, & nonaginta, robuſto ſemper corpore, ac plenâ & proſperâ valetudine. Ex morte quatuor filiorum cùm infelix matrimonium primum fuiſſet expertus, anno ſeptuageſimo ætatis, mortuâ uxore, ſecundam duxit prolis habendæ deſiderio, ex eaque tres illi filii nati ſunt, quorum primogenitum Antonium doctrinæ inſignibus in utroque jure decoratum vidit; Hieronymum ipſemet manibus tremulis de more ad Artium inſulas provectum amplexatus doctorem dixit, obortiſque lacrymis oſculatus eſt. Deceſſit circa annum MCDXL, nam intra eum annum variè in variis Profeſſorum catalogis tum notis Tomaſino, tum quæſitis induſtriâ noſtrâ, ſignatur. Viderit ergo Portinarius (1), undè obitum ejus ad annum produxerit MCDLXV. Sepultus eſt in gentilitio monumento ad lævam ingredientibus baſilicam Eremitanam, ut notat Scardeonius (2), quo autore præter ea, quæ retulimus ex Pignorio, ſcripſit etiam *Commentarios in Opera Galeni, & libros duos, alterum de humido radicali, alterum de Actuatione Medicinarum.*

1440 XIV. MICHAELEM SAVONAROLAM, *Jo. Michaelem* Petrus Caſtellanus (3) appellat, ſimul filium fuiſſe dicit Jacobi Forlivii celeberrimi Medici, de quo diximus; id quod neque facilè, neque ullo modo conceſſerim, tum quia Savonarola familia Patavina patricia ab ultima origine eſt, quam nullo modo ad Forolivienſes retulit unquam; tum quia Jacobus Forolivienſis, ſeu Forolivius obiit ann. MCCCXIII, ut conſtat ex ejus epitaphio (4) in Eremitana baſilica: Michael autem Savonarola deceſſit ex Scardeonio (5) ann. MCDXXXI. ſi nos audias ultra XL. ſæculi XV. annum vitam produxit; atque adeo ſi Forlivii filius, omnino dicendum eſſet ſaltem centum & viginti ſeptem annis inter mortales fuiſſe. Natus eſt igitur Michael Patavinâ gente, imperantibus jampridem Carrarienſibus, & quidem poſtremis, ſub quibus etiam floruerit nobiliſſimus, & jam tum doctiſſimus adoleſcens. Nam & à puero Equeſtri Hieroſolymitanorum militum ordini adſcriptus eſt, & ab adoleſcentia graviſſimis diſciplinis ita operam dedit in patrio Gymnaſio, ut viris maximis ætatis ſuæ par fuerit, major certe apud poſteros Cermiſono Medico, & Profeſſore celeberrimo, cujus fuit auditor. Claruit ex Arte Medica Doctor, & Eques, ac Medicinam publicè profeſſus in patria diu, ab Eſtenſi Principe devexâ jam ætate Ferrariam accitus eſt ingenti mercede, ibique docuit, ubi tum Principis, tum Ferrarienſium beneficiis devinctus, & civitate donatus, ſibi ac ſuis domicilium poſuit, ut deinceps Savonarola familia apud Patavinos clariſſima Ferrarienſi nobilitati ſuum decus adderet perennaretque deinceps bipartitò, Patavii quidem doctiſſimis poſteris, ac præſertim Franciſco (6) vate celeberrimo ſæculi XVI, Ferrariæ verò virtute ac ſapientia Hieronymi ex Ord. Prædicatorum hoc ipſo ſæculo memorandi. Plura de Michaele Scardeonius (7), qui eum tradit obiiſſe Ferrariæ anno MCDXXXI, ſepultumque ad S. Mariæ in Vado, undè translatus jacet ſine titulo in æde D. Georgii. Quæ ut vera in reliquis ſint, in eo ſanè ſtare minimè poſſunt, quo emortualem Michaelis annum ſignant. Conſtat enim ex catalogis profitentium Artes Gymnaſii (8) noſtri ann. MCDXXXIV. prælegiſſe eum feſtis diebus, quæ pertinent ad Rem medicam. Anno vero MCDXXXVI, hìc itidem plenâ diſcipulorum ſuffragatione receptum explicuiſſe Avicennæ Tertium: confirmanturque hæc omnia examine Cuſtodii (9) de Alberenio, cui Michael inter Brabeutas, quos Promotores dicimus, interfuit III. Idus Septemb. anni MCDXXXIV. Quamobrem cum is deinde acceſſitus Ferrariam ibi publicus profeſſor deceſſerit, mors ejus non ante ann. MCDXL, aut etiam ſeriùs ſignanda eſt. Hæc ejus Opera vulgata, & à Medicis ac Aromatariis maximi habita recenſentur.

Introductio Practica Medendi, quam Sigiſmundo Polcaſtro coævo, & Collegæ dicavit.

De Pulſibus, & Urinis, Egeſtibus, & Vermibus.

De Balneis omnibus & Fodinis mineralibus & ſingulis & univerſim.

De Uſu vitalis aquæ, & ratione eam conficiendi.

De rebus omnibus ad uſum medendi pertinentibus.

Speculum Phyſionomiæ, quod Theodorus Gaza ex latino Græcè reddidit.

De uſu Aquarum Aponenſium Calidarum primus edidit Comment.

Alia multa Scardeonius enumerat, apud ipſum videnda.

1448 XV. BARTHOLOMÆUM à S. SOPHIA Joannes pater, de quo dictum eſt, à prima æta-

(1) lib. 7. c. 6. p. 256. (2) lib. 2. claſſ. 9. p. 209. (3) Vit. Illuſt. Med. p. 164. (4) apud Tomaſ. Inſcr. Pat. p. 154. nu. 35. (5) ibid. p. 211. (6) V. Scard. lib. 2. Claſ. 10. p. 245. (7) d. lib. 2. Claſſ. 9. p. 210. 211. (8) apud Tomaſ. lib. 1. c. 46. p. 155. 157. & alibi (9) apud Tomaſ. lib. 4. in Chron. Gym. p. 382.

ætate bonis artibus, atque optimis diſciplinis inſtituit in Gymnaſio, ubi eum auditorem perpetuum habuit, ac deinde Profeſſorem publicum vidit. Claruit autem (1) cum eo munere, primaſque tulit inter doctores noſtros, tum etiam iatrica praxi, quam accitus undequaque, feliciter ſemper exercuit, quâque majori parte habitus eſt, ac locum principem tenuit inter Medicos Italos ſui temporis. Obiit in patria circa ann. MCDXLVIII, ac ſepultus eſt in majorum ſepulcro ad ædem urbis majorem cum hoc elogio poſito in ſublimiore monumenti parte (2).

Quem dedit alma domus ſanctæ propago Sophię
Hic jacet inſignis, præclarus Bartholomæus.
Hæu quo lapſa ruit Medicinæ lapſa columna,
Tanti morte Viri, pro quo fleat æther & Orbis.

Edidit *patris Praxim, cum additionibus eruditiſſimis.*
De Sulphure & Nitro, & horum compoſitione medicinali,
De Phlebotomia ejuſque Topicis,
De qualitate, & indicatione excrementorum, aliiſque, quæ ex Pignorio enumerat Salomonius (3) poſt Lignamineum (4).

Ex eadem Familia circa finem ejuſdem ſæculi claruere Galeatius, & Guljelmus ambo, ut ſcribit Scardeonius (5), in docendo & medendo celeberrimi, quorum extant egregia monumenta, & præſertim Galeatii, qui ſcripſit de Febribus præclarum Opus, in quo *nihil in ea re indiſcuſſum reliquit, aut, quod à quoquam deſiderari, aut rectiùs dici poſſit.* Obierunt ambo Patavii, & in ſepulcro majorum conditi ſunt, quò etiam illatus eſt Bartholomæus junior ſapientiſſimus juvenis celeri fato præreptus ſub initium ſæculi XVI, avitæ gloriæ, cui magnis doctrinæ documentis jam tum præludebat.

XVI. HUGO BENCIUS, quem neque Riccobonus nominat, & præterit exſcriptor Riccoboni Tomaſinus, quamvis uni Ferrarienſi Gymnaſio tribuatur à Ghilino (6), in noſtro tamen, & floruit diu, & docuit, ut conſtat ex albis Gymnaſticis (7), & adverſatiis curiæ epiſcopalis. Natus eſt Senis in Hetruria nobiliſſimo genere, fuitque ſuâ ætate ingentis famæ Philoſophus, & Medicus præſtantiſſimus. His ſcientiis addidit etiam Sacram, habitus inter Theologos ſui ſæculi celeberrimus. Medicinam docebat Patavii ann. MCDXX. collegis Auguſtino Michaele Venero, Jo. Ludovico de Radicibus è Monte Silice, Cando de Candis, & Sigiſmundo Polcaſtro Patavinis rei Medicæ ſcientiſſimis. Accitus deinde majore ſtipendio Ferrariam eandem artem frequentiſſimis auditoribus explanabat ann. MCDXLVII. ac deinceps: Fertur enim ibi cum Orientalibus ad Synodum Ferrarienſem coactis de religione ſapientiſſimè diſceptaſſe, atque eos egregiè confutaſſe. Ferrariâ traductus ad Parmenſes ſcholas à Nicolao Areſtino Marchione Ferrariæ, ibi quoque ſummo cum plauſu Medicinam profeſſus eſt. Deceſſit Romæ ann. MCDXLVIII. ejuſque filii hoc illi epitaphium Ferrariæ in templo D. Dominici poſuere. 1448

Deo Immortali Max.
Hugoni Bencio Senenſi,
Philoſophorum omnium ac Medicorum
ſuæ ætatis facilè Principi
Parenti Opt.
Ob excellentem doctrinam,
De Univerſo hominum genere
B.M: Filii Poſuere
XI. Kal. Decembris, anno
MCCCCXLVIII.

Scripſit *Expoſitionem ſuper quatuor primi Avicennæ.* *In Artem parvam Galeni.*
In 1. Canonem Avicennæ. *Interpretationem de Febribus.*
Commentarium in Aphoriſmos Hippocratis. *Regulas Sanitatis, & de natura Ciborum,* Italicè.

XVII. JOANNEM ARCULANUM, ſive is Romanus fuerit, ſive potius Veronenſis, quamvis dati Profeſſorum noſtrorum à Riccobono, & Tomaſino catalogi oſcitanter prætereant, certum eſt ex Petro Caſtellano (8), & ex albis tum Quæſtoriis, tum Gymnaſticis 1460

(1) Scard. d. Claſſ. 9. p. 204. (2) Scard. ibid., & Salom. Inſcr. Pat. p. 18. nu. 143.
(3) Inſcript. Gymn. (4) in Miſcellan. Inſcript. (5) d. p. 204. & 205.
(6) Theatr. Vol. 1. p. 238. (7) apud me (8) Vit. Illuſtr. Medic.

ſticis, quæ Lignamineus recenſet (1), primùm Bononiæ, mox Patavii Medicinam publicè docuiſſe æqualem Hugoni Senenſi, qui floruit, ut proximè notabamus, Eugenio IV. Pontifice Max., & contra quem non ſemel, ut in vivum, invehitur. Docuit poſtremò Ferrariæ, eratque ibi cum ad Synodum Græci venere, ibidemque præmatura morte defunctus eſt, atque ſepultus an. MCDLX. laudatur ex eruditiſſimo in *libros Almanſoris* Opere; ex *libro de Febribus*, ex *Comment.* in IV. Avicennæ,

CAPUT V.

Bartholomæus Montagnana Senior. Cajetanus Thienæus. Laurentius Roverella. Dominicus de Dominicis. Petrus Leonius. Paulus Bagelardus. Alexander Benedictus.

1460 XVIII. BARTHOLOMÆUS MONTAGNANA ſenior, ortus quidem ex oppido Aniani Montis, vulgo *Montagnana*, quod illi cognomen familiæ fecit, civis attamen Patavinus, fuit excellentiſſimus Philoſophus, Medicus, & Chirurgus celeberrimus, de cujus nomine, ac fama ex arte medica, & felicitate curationum, deque ægrotorum concurſu Patavium, ut ejus induſtriâ & conſiliis ſanitatem recuperarent, multa Scardeonius (2). Docuiſſe eum Bononiæ tradit Quenſtedius (3), nec tamen ſignat docuiſſe Patavii: cùm illud non conſtet ullius teſtimonio, certiſſimum hoc ſit ex albis Gymnaſticis, ex Tomaſino (4), noteturque à Riccobono (5), cui adſtipulatur Portinarius (6). Floruit circa an. MCDXLVI., nec videtur ultra an. MCDLX. vitam produxiſſe. Edita ſunt ejus docta ſatis, at lutulenta, & barbara *Conſilia pluſquam trecenta in Re Medica. Tractatus III. de Balneis Patavinis. De Compoſitione ac doſi Medicamentorum, & Antidotarium.*

1462 XIX. CAJETANO THIENÆO Philoſopho, Theologo (7) & Canonico Patavino nomen dedit natale ſolum Cajeta; ubi patre Simeone Thienço patricio Vicentino Equite, Juriſconſulto celebri, ac regio Vicario Ladiſlai Regis utriuſque Siciliæ natus eſt ex non legitimo thoro an. MCCCLXXXVII. Liberalibus diſciplinis imbutus Neapoli à puero, in has incubuit operoſiùs Patavii apud Amitam Amabiliam Monteaneam, cui ob vividam indolem, & oris venuſtatem carus in tantum fuit, ut moriens adoleſcenti à ſe educato annuos aureos centum ex hæreditate ſua legaverit. Strenuam deinde in hoc noſtro Gymnaſio Philoſophiæ operam dedit, cui artis Medicæ notitiam conjunxit, ubique feliciter adeo, ut brevi laurum utriuſque retulerit à Doctoribus, ab Artium verò ſtudioſis (qui tunc mos obtinebat) ad publicam Philoſophiæ ſedem evectus ſit. Ex ea diu Peripateticorum principem explanavit, rejectis aliorum Interpretum commentariis unum ſecutus Averroem, cui primus in Gymnaſio Patavino auctoritatem conciliavit. Multis eum annis hìc publicè fuiſſe profeſſum, ex eo conjicimus, quòd, ætate jam provecta, rerum divinarum contemplationi animum mancipaverit: pervaſitque abdita Theologiæ celeriter adeo, ut in ea nondum ſenex mirâ ingenii felicitate titulos ſummos meruerit. Sacris deinde ſe addixit: atque à Martino V. P. M. ſacerdotium in eccleſia Patavina Canonicum obtinuit, in quo pietatis unà, & literarum officiis vacans, eo liberali otio felix, legatis facultatibus, cum domo, & ſupellectili Eccleſiæ ſuę, deceſſit an. MCDLXII. ætatis LXXV. Compoſitus eſt in majore templo ſub marmorea effigie, & hoc epitaphio (8).

Cajetano clara ex Familia Thienæa
Canonico Patav. viro integerrimo, proboque,
Theologor. Principi, Philoſopho eximio,
cujus doctrina cuncta Orbis Gymnaſia illuſtrantur,
locus hìc datus eſt.
Cajetanus Vir Eximius.

Scripſit

(1) In Miſcell. Inſcript. (2) lib. 2, Claſſ. 9. p. 212.
(3) de Patr. Doct. Vir. (4) lib. 1. c. 46. p. 155. 157.
(5) lib. 1. c. 13. p. 18. (6) lib. 7. c. 6. p. 350. (7) Tomaſ. Elog. lib. 2. à p. 34.
(8) Salom. Inſcrip. Pat. p. 4. n. 14.

Scripſit multa docta quidem, ſed hac noſtra ætate vieta prorſus & raneida, quæ propterea in ſorulis bibliothecarum latenr, latebuntque olim. Eorum inde Tomaſinus (1) protulit Titulos, quos damus, ne ab inſtituto noſtri Operis declinemus.

In libros de Cælo, & de Anima.
Tractatus IV. Primus an detur Senſus agens?
II. An ſenſibiles ſint per ſe ſenſibiles?
III. De Intellectus Immortalitate
IIII. De Reactione, de intenſione, & emiſſione Formarum.
Comment. in libros Meteororum.
In libros Phyſicorum cum Quæſtion. XII.
In libr. de Memoria, & Reminiſcentia.
In libros de Anima.
Tractatus ſeptiformis de mortalitatibus rerum, corporum, Animalium. elementorum &c.
Fabula ſuper Philoſophiam.
Recollecta in librum Phyſicorum.
Super Regulas, & Sophiſmata Eſbari, & conſequent. Strodi.

XX. LAURENTIUS ROVERELLA Ferrarienſis ſummus Philoſophus, & inſignis 1476
Theologus tum in patria, tum Patavii docuit, plenâque hìc auditorum frequentiâ Stagiriten interpretatus eſt, ſucceſſor Cajetani, & aliquandiu collega, quocum eùm rixe ac diſſidia interceſſiſſent ſponte Patavio diſceſſit, accituſque Pariſios, ibi quoque ſcientiam eandem profeſſus eſt. Eum Nicolaus V. doctorum virorum patronus evocavit, Pius II. Ferrarienſibus infulis ornavit, atque in Germaniam Bohemiam, & Pannoniam ad peragenda periculoſa negotia iterum Nuncium dimiſit, quo in loco Matthiæ Regis in caſtris fertur fœdus inter Germanos, & Pannonas mirâ dexteritate ſanxiſſe. Inde rediit Ferrariam; eumque ſuffectus Paulo II. Sixtus IV. purpuræ deſtinabat. eùm illum præcox & immatura mors ſepulcro condidit ad D. Georgii Ferrariæ: ibi ſignatur elogio pereleganti ann. MCDLXXVI. Scripſiſſe multa dicitur *in libros Ariſtotelis de Interpretatione Priorum & Poſteriorum. De Cælo & Mundo, & inſignem Commentarium in Dialogos Platonis de Republica, & libros Ariſtotelis Politicorum*. Vide Sanſovinum (2), Superbum (3), & ex his Ughellum (4).

XXI. DOMINICUS DE DOMINICIS plebeii generis Venetus Ughello eſt (5), 1478
mihi ex iis, quæ deprehendere licuit, & videtur Cozzandus (6) probare, ex illis eſt unus, qui ſi munus Patricio, honeſto tamen genere nati, bellorumque anfractibus Brixia pulſi venere Venetias, ibique civitate donati, claram, & civibus adſcriptam Venetis familiam propagavere. Ex hac natus eſt Dominicus Venetiis, indeque Patavium venit ſtudiorum cauſa. Eum amantiſſimis Congregationis Canonicorum S. Georgii in Alga Tomaſinus (7) annumerat, & ex albis Collegii Theologorum, artibus ac Theologiæ operam dediſſe Patavii affirmatè conſtituit. Relatâ hìc ſacræ ſcientię ac Philoſophię lauro, poſtremam hanc docuit in Gymnaſio noſtro Profeſſor logicæ per annos plures, quorum duos ipſe Tomaſinus (8) è rotulis profert. Claruit deinde in curia Romana inter Theologos celeberrimus, parque habitus priſcis Patribus, virtutis & ſapientiæ præmium habuit inſulas Torcellanas. Ex illa ſede ad Brixienſem Eccleſiam translatus eſt à Paulo II. ann. MCDLXIV. Eum idem Paulus adhibuit in pertractandis gravioribus curiæ negotiis, atque auctum dignitate legati, miſit ad Cæſarem Fridericum, ut ipſum inter, Matthiam Pannoniæ Regem, & Ludovicum Bavariæ Ducem fœdus in hoſtes Chriſtianorum ſancire ur. Eo munere feliciter deſunctus, miram apud Fridericum gratiam emeruit; ejuſque Diplomate, quod leges apud Ughellum (9), Dominicus, receptus inter intimos Imperii Conſiliarios, Romam remiſſus eſt Orator Imperatoris, auctus titulis Ducis Vallis Camonicæ, Marchionis Ripariæ, Comitis Bagnoli, quos etiamnum retinent Epiſcopi Brixienſes. Romæ ad obſequia, & uſus Pontificum detentus diu ſub Pio II. & Sixto IV. vicariâ poteſtate Urbi præfuit, indeque ad Rempublicam Venetam Nuncius, apud ſapientiſſimos Patres ſummo in honore fuit ex fama ſapientiæ, quâ claruit adeo ſæculo XV. ut omnium liberalium Artium, & Sacræ Theologię Monarcha penes omnes audiret, eoque nobiliſſimo titulo gaudet Brixiæ in templo principe, ubi ereptus è vivis ann. MCDLXXVIII. conditus eſt eum epigraphe laudes ejus latè complexa. Ex hac diſcimus, ab eo multas *Orationes ac Sermones* fuiſſe editos. Extat ejus *Tractatus Scotiſtarum acumina, & Nominalium*, quorum ſe Scholam ſequi profitetur, *argutias explicans*.

XXII. PETRUS LEONIUS Spoleti in Umbria natus, quamvis à ſcriptoribus Profeſſo- 1492
res Patavinos recenſentibus illaudatus, innominatuſque penitùs omittatur, in hoc noſtro Gym-

(1) ibid. p. 38. (2) D: Familiis in Roverel. (3) de Vir. Illuſtr. Ferrarienſ. P. 1. p. 12.
(4) Tom. 2. col. 553. num. 56. (5) Tom. 4. p. 558. num. 94.
(6) Biblioth. Brix. P. 1. p. 74. (7) in Append. Annal. (8) lib. 1. Gym. c. 46. p. 157. 158.
(9) ibid. p. 558. 560.

naſio tamen certiſſimè docuit, ac primus ferè omnium magno acumine perſpicacioris ingenii, eruditâque facundiâ inter Medicos, prolato Galeno, verum Medicinæ limen aperuit, ut ſcribit Jovius (1), & ex eo Petrus Caſtellanus (2): eamque Artem in præclariſſimis Italiæ urbibus profitendo, exercendoque, ſummi nominis auctoritate, non ex fæculentis lacunis Arabum, ſed ex puriſſimis Græcorum fontibus, quæ haurire debeat præcepta, ac remedia docuit. Fertur cùm validis diſciplinarum omnium præſidiis eſſet inſtructus, Aſtrologiæ quoque, ac Magiæ veteris fuiſſe peritiſſimus, quarum ductu de rerum graviſſimarum eventibus non obſcurâ divinatione judicaret, præmoneretque. Certè genus mortis, quam ſe obiturum è ſiderum obſervatione deprehenderat, prædixit, & amicis ſæpiùs aſſeveravit, ſibi ſubitæ mortis periculum in aqua portendi. Quamobrem, cùm ipſi omnia ſuppeterent ad quæſtum, ac decus Patavii, & Venetiis, hæc ille contempſit, atque, impetrata miſſione, Spoletum in Umbriam emigravit, ut mutatâ ſede navigationum neceſſitatem, & occaſiones effugeret. Sed ex adagio Græco πεπρωμένη πανταχοῦ: *Fata ubique viam inveniunt*. Laurentio Mediceo ſupremâ valetudine in villa Caregia prope Florentiam tentato, ad curationem eò precibus, & pollicitatione mercedis maximæ accitus Leonius venit, pactus ante omnia, ne qua ſibi uſpiam neceſſitas eſſet trajiciendi ſtagna, paludes, aut flumina, aut ſecundùm aquarum rivos iter habendi. Ubi ad Ægrotum acceſſit, adeo atrocis morbi occultum impetum contempſit, ut remedia, quæ cæteri proponebant, omnia rejiceret, ac vim valetudinis adverſæ inſurgentis naturæ viribus domitum, ac ſuperatum iri, polliceretur. At cùm non diu poſt ex ea Leonii cunctatione malignitas morbi vehementiùs invaluiſſet, jam Laurentio ſenſim deficienti Ticino miſſus à Ludovico Sforzia Inſubriæ Duce Lazarus Placentinus ſupervenit, ſera afferens moribundo remedia; iſque non diſſimulatè perſtrinxit Leonium, palam teſtatus, quòd neglecta morbi fuiſſent initia, imprudentiâ contemnentis occaſiones curationis facillimæ, actum eſſe de ſalute Laurentii. Atque is non diu poſt expiravit. Ferunt aliqui ex infamiæ dolore commota mente Leonium exitialem inſaniam contraxiſſe, ac furore correptum in vicinum villæ puteum ſe dediſſe præcipitem, fractiſque cervicibus ibi periiſſe demerſum. Tradunt alii hoc ſcelus patratum à Petro Mediceo, mortem patris ulciſcente, qui ſilicernium illud cùm ſtatim ab obitu parentis obviam habuiſſet, irâ exæſtuans quaſi in patris homicidam, medicum infelicem in puteum dejecit. Hoc verius eſſe videtur, probaturque à Varillaſo (3), quippe idipſum Actius Sannazarus carmine deploravit, & Jovius (4) admiſſæ à Petro cædis præclarum argumentum exiſtimat ſimile mortis genus, quo Petrus periit, cùm exul à patria, ſecutus Gallorum arma; ex horum clade ad Lirim profugus, in oſtio fluminis demerſus interiit. Scripſiſſe fertur Leonius in *univerſum Galeni Opus Commentarios*, expurgaſſe tanti Medici Scripta, eaque primus omnium è Græco, deterſa Verſionum antiquarum barbarie, latiniùs reddidiſſe. Diſceptaſſe etiam acutè de Febribus, & de diebus, atque horis criticis ex aſtrorum poſitu, & obſervatione: nec deſunt, qui libros de Anulis, atque aliis ſignis Magicis, qui Petro Aponenſi falsò tribuuntur, huic exiſtiment eſſe tribuendos. Nobis cùm hæc ignotiſſima ſint, ea in medio poſita ſunto. Obiit Leonius an. MCDXCII. menſe Aprili, quo Laurentius (5) Medices deceſſit.

1494 XXIII. PAULUS BAGELARDUS à Flumine patricia gente Patavii natus, vix poſito ſcientiarum tyrocinio magiſter Artium renunciatus in patrio Gymnaſio ad Philoſophiæ interpretationem acceſſit, quam conſortio cæterarum liberalium diſciplinarum ita condecoravit, ut nondum exacta juventute clarus per totam Italiam, & à Gymnaſiis celebrioribus expetitus mirum ſui deſiderium fecerit ſcholaſticis comitiis, quæ ne Patavio diſcederet, acclamationibus interjectis ad Medicinæ ſedem ſubvexere. Ex ea Medicorum omnium ætatis ſuæ famam obſcuraſſe dicitur à Portinario (6), ex Scardeonio (7), & Riccobono (8), à quo tamen ſimpliciùs nominatur. Obiit jam ſenex in patria anno MCDXCIV. Sepultus eſt in monumento majorum, quod in porticibus baſilicæ Antonianæ à Franciſco nepote ex filio Hieronymo reſtauratum eſt. Edidit pereruditum *librum de Morbis Infantium*, quem Nicolao Throno Venetorum Principi dedicavit.

XXIV.

(1) in Elog. p. 67. (2) Vit. Illuſtr. Medic. p. 169.
(3) Anecdota Hiſtoria Dom. Medic. lib. 4. p. 155. (4) loco cit.
(5) Guicciard. hiſt. lib. 1. Varchius hiſt. lib. 1.
(6) lib. 7. c. 6. p. 255. (7) lib. 2. Claſſ. 9. p. 283.
(8) Gymn. lib. 2. c. 13. p. 18. terg.

XXIV. ALEXANDER BENEDICTUS ex Petro Caſtellano (1), & Andrea Chiocco (2) Veronenſis Medicus, ut ignotus Tomaſino & Riccobono ſit, & hic Philoſophos didicit, & Medicam laurum reportavit, quâ redimitus, artis penitus agnoſcendę cauſa luſtravit remotiſſimas regiones, & gentes, ac redux in patriam Medicorum ſua ætate decus eximium fuit. Claruit maximè Venetiis ex praxi medendi, cujus notitiam tranſtulit deinde ad noſtrum Gymnaſium, in quo Profeſſor publicus Practicæ Medicinæ ſummâ frequentiâ ſtudioſæ juventutis auditus eſt uſque ad exitum ſæculi XV. Superſtes enim fuit Carolo VIII. Gallorum Regi, cujus expeditionem Italicam ephemeride integra deſcripſit. 1500

De Morbis medendis à vertice ad Calcem libros XXX.
Aphoriſmorum librum I.
De Medici & Ægroti officio.
De Peſte, ejus Cauſſis, & Materia auxiliorum librum I.
Anatomes libros V.
Diarium de Bello Carolino. Opus perelegans.

CAPUT VI.

Nicolaus Vernia. Chriſtophorus Barziza. Joannes Calphurnius. Andreas Alpagus. Hieronymus Turrianus. Petrus Trapolinus. M. Antonius Turrianus. Marcus Muſurus.

XXV. NICOLAUS VERNIA, quem Theatinum à Riccobono (3) nominat Tomaſinus (4), quaſi natum Theate apud Marrucinos, Thienæus in catalogis Profeſſorum, quos habeo, eſt gente ac patria Vicentinus. Fuit magnus æquè Philoſophus, atque Aſtrologus & Medicus, floruitque extremo ſæculo XV. Robuſta jam ætate majoribus ſe ſe ſtudiis literarum addixit, & in iis excelluit adeo, ut à clarioribus Gymnaſiis expetitus penè omnia contempſerit, ratus Philoſopho, quem unum ſapientem eſſe cenſebat, atque ex adagio dominaturum aſtris aſſerebat, nemini ſerviendum eſſe: paulatim deinde flexit animum, ut juſſis Venetorum pareret, qui eum ad munus ordinariæ Philoſophiæ, quamvis invitum, elegerant. Nam ſibi perſuaſit, in hoc uno Gymnaſio fore, ut plena libertate quidlibet diſſerendi, & de quolibet diſceptandi frueretur. Suffectus eſt Nicolao Paſſatæ de Genua M. Antonii patri, qui publicis prælectionibus ſponte ſua valedixerat: explanabatque in prima ſede ordinaria Philoſophum ſine collega ann. MCDXCIV. Ex ea eùm (5) experiundi ingenii cauſa falſam Averrois de unico intellectu ſententiam tutaretur argumentis ad pompam propoſitis, rumor exortus eſt apud ſtudioſos, quo reus fiebat non ſanæ mentis circa dogmata Fidei. Hinc hortatu Auguſtini Barbadici Venetorum Principis adductus, & monitis Petri Barocii Antiſtitis Patavini, cujus extat ad eum Epiſtola data hac ſuper re ann. MCDXCIX. XII. Kal. Sextilibus, opuſculum edidit de *Immortalitate Animarum*; probavitque latè, ac robuſtè ex orthodoxæ fidei ſcitis, plures animas eſſe, non unam. Hunc librum inſcripſit Dominico Grimano Aquilejenſi Patriarchæ, cui, quòd jampridem Romanam Purpuram prædixiſſet, accepiſſetque promiſſum, quo illi Dominicus Sacerdotium Canonicum in Eccleſia Aquilejenſi pollicebatur, ſi exitus vaticinio reſpondiſſet, Nicolaus propterea in Epiſtola nuncupatoria idipſum, quod prædixerat repetit, aſſeritque, ſe non ſemper Philoſophi, ſed Canonici aliquando titulo uſurum. Et purpura quidem Dominico obvenit, ut inferius dicetur, an flaminis titulum adeptus Nicolaus ſit, ignoramus, cum ab ann. MD. quo (6) Fracantianus Ariſtotelem explicabat, nulla extet memoria Verniæ, quem idcirco, tametſi fortè diutius vixerit, eo anno ſignavimus. Scripſit præter librum de Immortalitate Animæ, 1500

Quæſtionem prolixam de Gravibus, & levibus.
De pluralitate Intellectus.
De Partitione Philoſophiæ naturalis.
De præſtantia Medicinæ: quod ea nobilior ſit Juriſprudentiâ.
Comment. quoque in omnes Ariſtotelis libros de Phyſica auſcultat.

XXVI. CHRISTOPHORUS BARZIZA Bergomas Gaſparini Oratoris eximii & patroni cauſſarum Venetus filius miſſus à patre Patavium à primis annis Medicinæ ſtudia ſecutus eſt. Claruit poſt annum MCDXLII, quo à mi- 1500

(1) de Vit. Ill. Med. p. 159. (2) de Ill. Med. Coll. Veronen. (3) lib. 6. c. 10. (4) lib. 3. Gym. c. 2. 280. (5) Tomaſ. ibid. & p. 281. (6) Tomaſ. Gym. lib. 3. c. 15. p. 305.

noribus exedris cœpit in hoc noſtro Gymnaſio docere, paulatimque ad prima Medicinę ſubſellia provectus eſt. Hinc falſum credimus Calvum (1), qui eum claruiſſe ſcribit circa ann. MDXXXII. cùm ne ad eum quidem annum vivum illum fuiſſe credibile ſit, quem anno à nobis proximè ſignato publicis annumerant Profeſſoribus adverſaria Epiſcopalis curiæ Patavinæ; propius vero eſt, eum circa finem ſæculi XV. mortalem eſſe deſiiſſe. Edidit

De fine Oratoris librum,
In Prognoſtica Commentarium,
De Febribus humidis Declarationes,
Interpretationem Jo. Meſuæ Arabis Antidotarii,
Introductorium cum Practica commentarium ad IX. Rhaſis,
De Febrium cognitione, & cura librum.
Introductorium, ſeu Januam ad omne opus practicum Medicinæ,

1502 XXVII. Omiſſum à Riccobono & Tomaſino, clarum ſæculo XV. literarum humaniorum doctorem Patavii JOANNEM CALPHURNIUM Brixienſem producimus ex adverſariis curiæ (2) Epiſcopalis, ex chronico (3) Philippi Bergomenſis, ex Pierio (4) Valeriano, Octavio (5) Rubeo, & apud hunc aliis, quorum conſtantiſſimo teſtimonio certum eſt, hunc rariſſimæ eruditionis virum bonas artes profeſſum fuiſſe Patavii ab ann. MCDLXXVIII, quo floruiſſe dicitur à Rubeo ad annum ſaltem MDII. quo in relatis adverſariis proponitur Rhetoricam publicè docens. Humillimo genere natus eſt Brixiæ, verùm eo ingenio ac labore ad ſapientiæ gloriam niſus eſt, ut inter celeberrimos ætatis ſuæ Latinæ, Grecæque linguæ, ac politioris literaturæ Doctores locum, ſi minus principem, parem certè majoribus habere meruerit. Docuit primùm Venetiis magna cum laude, qua factum, ut ad exedram Patavinam proveheretur. Eo munere functus ſit non ultra annum ſecundum ſæculi XVI, quem ſignavimus, cùm circa illum ejus mors relata videatur in laudato Philippi Chronico, & nulla deinceps in monumentis Gymnaſticis ejus occurrat mentio. Deceſſit Patavii, conditusque eſt in templo S. Joannis ad Viridaria cum ſimulacro (6), mauſoleo, & hoc diſticho Græco, & Latino.

Τῦ παύυ δασωνέτου Καλπούρνε ἐνθάδε σῶμα.
Φέρτερον ὤυ κείνου προσλαβεν ἄςρα μέρος.

Calphurni Cineres ſunt hic, poſſeſſor Olympi
Eſt animus, volitat fama per ora virum.

Bibliothecę cœnobii libros aliquot vivens donavit; legavitque: in his ſunt aliquot annotationes ab ipſo, vel alio adjectæ hoc ipſum ſignantes. In Ariſtotelis libro de Animalibus hoc Hendecaſyllabum.

Hoc Calphurnius inclytum Volumen,
Gręcis qui fuerat jubar latinis,
Pridem Canonicis dedit Joannes.
Da, Lector, Cineri pio quietem.

Et in M.S. Suetonio brevis inſcriptio. *Joannes Calphurnius Oratoriam Artem Gracè & latinè glorioſè docens Patavii, librum hunc Canonicis Regularibus S. Joannis in Viridario devotus legavit, ut inde proficiens Lector ſit gratus.*
Scripſit *Commentarios in Comœdiam Terentianam Heautontimorumenos*, quam explanatio Donati prętereierat, ut notant additiones ad Chronicon Philippi. Eorum meminit Fabricius(7). Addit Rubeus (8) ſcriptas à Calphurnio *Satyras* multas, & *Comœdias* aliquot facetiſſimas; *Dialogum* quoque *in elyſiis habitum inter ſuam & animam Lucii Calphurnii Piſonis Romani Chronologi*. In eo facetè invectum fuiſſe in illos, qui ſceleſti, indocti, & patratis criminibus turpes, fumoſas Majorum imagines jactant, conſtitutumque validis probationibus dictum Satyrici

Nobi-

(1) Scena liter. de Vir. Illuſt. Bergom. in Barziza. (2) lib. 3, c. 19. (3) ad Ann. 1478. (4) Ep. 60.
(5) Elog. Brix. p. 187. (6) Salom. Inſcr. pat. p. 181. nu. 27. Scard. lib. 4. p. 431.
(7) Biblioth. Lat. p. 11. (8) ibid. p. 187. & ſeq.

Nobilitas ſola eſt, & unica Virtus,
quam proinde Primogenitam naturæ, ſpeculum immortale infinitæ venuſtatis, & gloriæ eſſe, Dialogus ex propoſito comprobaverit.

XXVIII. ANDREAM ALPAGUM, aliàs Bongajum præclarâ ſtirpe Belluni natum 1506
Lycęum Patavinum politioribus literis Græcis, atque latinis excoluit, optimis verò ſtudiis cum Philoſophicis tum Medicis imbuit. Is ad comparandam barbararum linguarum non perfunctoriam notitiam, Arabiam, Aſiam, Syriam, Ægyptum, aliaſque Orientales regiones diu multumque luſtravit; indeque parto ſibi non contemnendo exoticarum ſcientiarum patrimonio dives ad noſtros redit, provectuſque ad primam in Gymnaſio noſtro Theoricæ Medicinæ ordinariam ſedem ita inter Medicos eximios ex multiplici eruditione clarus enituit, ut præcipuis Profeſſoribus Artium annumeretur (1) ſæculo XVI, cujus anno VI. floruiſſe dicitur, incerto mortis tempore, & loco. Edidit

Arabum Philoſophiam & hiſtoriam: hoc eſt de Vitis, & artibus Philoſophorum & Medicorum Arabum, & Græcorum.

Tranſtulit in Sermonem latinum Arabicos Codices Avicennæ. Latinè reddidit Artem practicam Serapionis.

Scripta quoque aliorum Syrorum Arabumque Doctorum latina fecit.

Opus ejus clariſſimum eſt, quod *Canon* inſcribitur, quibus addenda & alia, quæ ab eo ſcripta nobis nunciat vir doctiſſimus amicorum noſtrorum clariſſimus, eruditiſſimus Pilumnus Pilumnus Canonicus Bellunenſis.

XXIX. HIERONYMUS TURRIANUS Veronenſis vir nobilis, & ab ultima ſtirpe 1506
generis contingens Mediolanenſes principes Turrianos, adhuc diſcipulus maximum in Gymnaſio noſtro nomen conſecutus eſt, cùm humaniori literaturæ, ac Dialecticæ ſtudiis operam dabat. His porro ornamentis inſtructus ad rationalis Medicinæ contemplationem ac praxim appulit animum feliciter adeo, ut ſi credendum exiſtimes (2) Chiocco juvenis admodum, & in album Patavini collegii, quamvis exterus, fuerit receptus, & ad minores Practicæ Medicinæ ſedes nondum lauro medicâ inſignitus auſpicio Nicolai Marcelli Principis Venetorum aſcenderit. Accerſitus deinde Ferrariam, in ejus florentiſſimo Gymnaſio docuit, undè juſſu Auguſtini Barbadico Veneti Ducis revocatus Patavium, ampliſſimo ſtipendio primam Practicę Medicinæ ſedem obtinuit, ac per annos undeviginti ſummâ cum laude perſpicax, doctus, ac facundus Profeſſor implevit. Devexâ jam ætate de ſeceſſu in patriam cogitabat, ut ibi, quæ multa conſcripſerat, ad incudem, & limam revocaret, cum febri ardente correptus, fatum invenit Patavii III. (3) Idus Februarii ann. MDV. more Veneto, nimirum MDVI. ætat. LXII. Cadaver ejus delatum à filio M. Antonio Veronam nobili funere illatum eſt in baſilicam Turrianam, pręſentibus Andrea Gritti Prætore, & Paulo Piſano Præfecto. Ibi jacet in tumulo ſuas, & fratris exuvias complexo. Filii epitaphium inſculpendum curarunt, quod leges à Chiocco propoſitum. Virtutem, & laudes Hieronymi Orationibus habitis proſecuti ſunt Bernardinus Parthenius, & Pierius Valerianus, ex quibus habemus, quæ ſcripſit ac prælo paraverat.

Commentaria continua in Galenum.	*De Variolis librum I.*
Conſiliorum libros III.	*De Plantis & Floribus libros II.*

XXX. PETRUS TRAPOLINUS Patavii natus patriciâ gente, quæ jamdudum in 1509
Ruſticam, & Comitum à Vico Aggeris familiam abivit, Philoſophus, Mathematicus & Medicus declinante ſæculo XV. celeberrimus, Medicinam in Gymnaſio Patrio profeſſus eſt, ut conſtat ex albis Gymnaſticis, unde ſua habet Tomaſinus (4). Clarum ſibi ex hac arte, quam profitebatur (5) ab altera Theoricæ ſede ann. MDVI, nomen apud omnes Academias Europæ comparaſſe dicitur à Scardeonio (6), & Portinario (7). Vixit annos LVIII: vivere deſiit ann. MDIX, ea ipſa die, qua captum direptumque Patavium eſt ab exercitu Maximiliani: in eaque rerum cataſtrophe, quę multa conſcripſerat, periere. Supereſt, quem juvenis ediderat, liber eruditus de *Humido radicali*. Sepultus eſt ad D. Franciſci in Majorum ſarcophago, qui ab ejus filio Julio extructus ann. MDXXIX. ceſſit in jus nobilium de Lazara filiorum Marinæ Trapolinæ, ut admonet ejus inſcriptio apud Salomonium (8).

XXXI. M. ANTONIUS TURRIANUS Hieronymo patre, de quo proximè diximus, 1512
Veronæ natus eſt: à primis annis præeunte in auſpicium virtutis & ſapientiæ parente, diſciplinis medicis, & mathematicis ita claruit, ut jam tum Gymnaſiis omnibus eſſet venerabilis, Jovio (9) teſte, cui debemus, quę tradimus. In ipſo juventutis flore, ore

(1) Adverſ. Curiæ Epiſcop. ad an. 1506. (2) de Vir. Illuſtr. Medic. coll. Veronen. (3) Tomaſi Gym. lib. 3. c. 10. p. 297. (4) Gym. lib. 1. c.38. p. 135. (5) Idem ibid. lib. 3. c. 9. p. 294. (6) lib. 2. Claſſ. 9. p. 215. (7) lib. 7. c. 6. p. 256. (8) Inſcr. Pat. p. 343. n. 102.

venuſto, ſerenâ fronte, mirâ comitate conſuetudinis jucundiſſimæ amores occurrentium rapiebat, admirationem verò à diſcipulis extorquebat docendo, diſceptandoque, inſectator Medicorum ſui temporis acerrimus, quos, prolatis Græcis auctoribus, errare turpiter, & exitialibus Medicamentis uti, ac inſidiari vitę hominum, oſtendebat, quòd botanicæ facultatis, & Anatomes inſcitiâ laborarent. Hinc ille unà profitendo, & ſecando damnatorum cadavera edidit Volumen *Anatomicum*, ex Galeni placitis celeberrimum, quo Mundinum rudis ſæculi ſcriptorem, Zerbum verò ſua ætate ex iiſdem ineptiis, ex quibus etiam periit apud Triballos, delirantem jugulavit. Docuit Medicinam Patavii (1) primæ ſedis Theoricæ ordinariæ Medicus poſt Antonium de Faventia: deinde accitus Ticinum eandem artem frequentiſſimis auditoribus explanavit. Eo Magiſtro Jovius inſtitutum ſe dicit, ab eoque comprobatæ dignitatis ornamenta lauream, & anulum accepiſſe profitetur; nec poſt multos menſes, cùm ad ripas Benaci ſeceſſiſſet, febre peſtiferâ annorum XXXIII. Juvenis è vivis ereptus eſt eo anno, quo Julius II. Pont. Max. in perduelles Cardinales, & in Gallos arma victricia expedivit, ac funeſtus utrique pugnantium parti prælii exitus ad Ravennam parem luctum intulit victis, atque victoribus, hoc eſt an. MDXII. Turriani cadaver Veronam delatum ibi apud Chioccum cum cineribus patris meritos titulos habet, quibus argutum diſtichon hoc Nicolaus Archius addidit.

Ante annos ſciviſſe nocet: nam maxima virtus
Perſuaſit Morti, ut crederet eſſe ſenem.

1517 XXXII. Undè habeat Tomaſinus (2), quæ ſignat initio catalogi Profeſſorum in noſtro Gymnaſio ad literas Græcas, & Latinas, nec ſcimus, nec ſcire admodum intereſt noſtra, quorum ante oculos ſunt alba Quæſtoria, & producta per Lignamineum Monumenta Gymnaſtica, in quibus an. MD. notatur *D. Marcus Creticus ad Rhetoricam, à qua abiit Anno MDV. & incepit An. MDVI. idem D. Marcus Muſurus Civis, fideliſſimus Creticus lecturam lingua Græca, ejuſdem lingua peritiſſimus*. Hinc pro comperto ſit MARCUM MUSURUM Profeſſoribus noſtris annumerandum eſſe, quod & ipſe aſſerit ad Rhallam ſcribens, & affirmat Jovius ſynchronus author, palam teſtatus (3), Muſurum in Gymnaſio Patavino aliquandiù Græcos authores interpretatum. Natus eſt Rhethymnæ in Creta, undè illi gentile Cretenſis nomen, plebejo ſanè genere, ſed ex mercatura diti. Græcas literas in patriâ didicit, latinas Venetiis, ubi primas etiam docuit, habitus ibi, quod Jovius (4) notat, exactæ diligentię Grammaticus, cui titulo cùm addidiſſet longè glorioſius Poetæ raræ felicitatis ex carmine de laudibus Platonis, evehi meruit ex Senatuſconſulto ad humanitatis exedram Patavinam, in qua vir perſpicacis ingenii, & in græcis æquè, ac latinis Scriptoribus priſcæ eruditionis verſatus, ad integram, quęſitamque meritis doctrinæ famam pervenit, aptè Græca Latinis componens; undè complures in præclaros utriuſque linguæ viros evaſere. Id muneris apud nos obiit ab initio ſæculi XVI. ad fœderis Cameracenſis exortum, cùm afflictis Venetorum rebus exturbatus Patavio, Romam venit ſub Julio II., paulatimque irrepſit in clientelam Joannis Cardinalis Medicei, quo Pontifice Leone X. cum Manuel Rhalla homo Græcus, Archiepiſcopus Epidaurenſis in Dalmatia (qui more tunc apud eruditos obtinente Manilium ſe nominabat) morte fuiſſet ſublatus, ei ſuffectus eſt Antiſtes ejuſdem Eccleſiæ. Hanc inquit Jovius (5), ſecundæ fortunæ celeritatem Muſurus, quaſi ab occultis fatis majora pręmia monſtrarentur, immoderato animo tulit ſic, ut inſanâ percitus ambitione, pręproperus ad Purpuram adſpiraret: cùm ſępè quereretur, Gręci nominis neminem, quaſi probro gentis, lectum fuiſſe, quando Princeps, in donanda purpura maximè liberalis, uno comitiali die ſupra triginta Nationum omnium delecta capita Galero purpureo perornaſſet. Porrò ab hac intempeſtiva, &, ſi vera volumus, inepta honoris ſiti contabuiſſe dicitur celeriter adeo, ut obrepente morbo intercute (qualem ętate noſtra in ſimili quodam aſpeximus, experto verba ſpei plena, re inania) non deguſtatâ dignitate, quam ambiebat, deceſſerit. Romę mortuus in templo Pacis conditus eſt an. MDXVII. Amiternius Antonius ejus tumulo hoc diſtichon inſcripſit (6)

Muſure manſure parum, properata tuliſti
Præmia: namque cito tradita, rapta cito.

Sed melius Latomus, quę mors non rapuit Muſuro, ex eruditionis, & ſapientię cenſu pręmia his verſibus celebravit (7).

Arma

(1) Jovius ibid. Tomaſ. Gymn. lib. 3. cap. 8. p. 291. (2) Gymn. lib. 3. cap. 4. p. 340. (3) Elog. p. 57.
(4) ibid. (5) ibid. p. 58. (6) apud Jovium ibid. (7) apud eundem ibid.

Arma Pelaſgiacas quaterent dum Turcica terras,
Inveherent culto barbariemque ſolo:
Quid facerent Muſæ? fugere Helicone relicto;
Phocin & Aſcræum deſeruere nemus.
Regna latina petunt, & erat Muſurus in illis:
Hoſpitio utuntur hoſpitis ante ſui.
Nunc etiam buſtum, grata pietate ſepulti
Officii quamvis ſedulitate colunt.
Theſpiacas frondes circum, & Permeſſida laurum,
Et ſacro ſpargunt ex Helicone thymum:
Caſtalias lymphas aliæ, & cape munera dicunt,
Muſure, Aonii factus Apollo Chori.

Scripſit *Epigrammata* elegantiſſima Venetiis edita per Michaelem Margumium in Symmictis, græcè.

Præfationem in Etymologicum Magnum, græcam.

Carmen præfixum Operibus Platonis egregium, publica omnium commendatione cum antiquis ex elegantiâ, nitore, acumine, gravitate, comparandum.

CAPUT VII.

Antonius Tubetta. Ludovicus Ricberius Rhodiginus. Franciſcus Victorius. Nicolaus Leonicenus.

XXXIII. ANTONIUS TUBETTA humili loco Patavii natus an. MCDXXXVII., 1518
adoleſcens Minorum S. Franciſci profeſſus Ordinem in cœnobio Antoniano, totum ſe diſciplinis ſeverioribus addixit, atque in eam famam Philoſophi, ac Theologi ſubtiliſſimi robuſto perſpicacis ingenii niſu pervenit, ut ſi Scardeonio (1) credendum ſit, in utraque ſcientia diſputator acutiſſimus, & ſine controverſiâ princeps Scotiſtarum ſuâ ætate habitus ſit. Docuit ex Mente Scoti Metaphyſicam in patrio Gymnaſio per annos circiter XLII. ab anno ſcilicet MCDLXIX. ad annum MDXI. ut notat ex catalogis Profeſſorum Tomaſinus (2), claruitque adeo inter Socios, ut invidiæ uni tribuendum putet idem Scardeonius (3), quòd non ad ſummos quoſque honores in ea cęnobitarum familiâ, quam ſui nominis gloriâ decorabat, altiùs eveheretur. Provinciæ tamen S. Antonii præfuit per annos viginti, quod in ejus Epitaphio (4) ſignatum leges peculiariùs. Julius II. accitum Romam in iis, quę parabat pro Synodo adverſus rebelles Cardinales celebrandâ ſedulum Theologum, & ex opera utilem admodum habuit, quem tum Archiepiſcopum Urbinatem renunciavit, ut inter Patres ſacerrimi cętus ſederet. Dignitatem illam Tubetta poſtea Petro Bembo amico ſuo nondum Cardinali ceſſit, reſervatâ ſibi redituum parte, adſumptoque Archiepiſcopi Athenienſis titulo, ſeceſſit Patavium ſenex decrepitus, ubi octogenario major vivere deſiit an. MDXVIII. Sepulti cineres jacent in Antoniana baſilica prope aram Virginis, ſignaturque ſtatuâ ejus ænea cum Epigraphe. Franciſcus Savonarola Poeta nobilis octaſtichon addidit hoc nitidum (5), elegans, & argutum.

Orphea, fama refert, piſces, volucreſque, feraſque,
Infernumque Canem conciliaſſe lyra.
Priſca fides taceat, raptus ſuper æthera Præſul
Id tulit eloquio, quod tulit ille lyra.
Expulit hic Sophiæ ſordes, tenebraſque fugavit:
Extant ingenii plurima ſcripta ſui.
Unica ceu Phœnix vitam ſibi morte novavit.
Dic, rogo, perpetuum, qui legis iſta, vale.

Quæ

(1) lib. 2. Claſſ. 7. p. 155. (2) Gym. lib. 3. c. 2. p. 279. (3) ibid. p. 156.
(4) apud Salom. Inſcr. Pat. p. 387. n. 146. (5) apud Scard. d. p. 156.

Quæ edita carmen ſcripta plurima Tubettæ prædicat, hæc ſunt

Commentarius Sæculo XV. & XVI. Scotiſtis ſummo in pretio habitus *in XII. librum Metaphyſicorum Ariſtotelis.*

Tractatus de futuris contingentibus.

In Formalitates Scoti.

De Intellectu Agente.

1529 XXXIV. LUDOVICUS (1) COELIUS RICHERIUS nobili quidem, ſed fortunæ tenuioris patre Silveſtro Rhodigii, quod inſulæ Venetæ, quam Policinum appellant, oppidum eſt, natus an. MCDL. primus eruditione, ac bonarum literarum gloriâ patriam celebrem, ac notam Europæ fecit, ut ipſe ingenuè fatetur. In florentiſſimo tunc Ferrariæ Gymnaſio tyrocinium mitioris literaturæ poſuit, ſimul moralem Philoſophiam didicit doctore Nicolao Leoniceno Medico Græcæ, Latinæque linguæ peritiſſimo, atque interim Veterum ſcripta pervolutavit aſſiduè, ſummoque labore in epitomen redegit: jam tum Operi proludens, quod magno poſterorum commodo, ætate jam maturâ compoſuit. Redux in patriam, cum editis ingenii ſui documentis aliquot, eruditionis ſuæ meritum comprobaſſet, mercede Vicentiam accitus, ibi Rhetoricam docuit; Orationem Ciceronis pro Milone, Homerum, & naturalem hiſtoriam Plinii publicis explanationibus illuſtravit, ut non obſcurè Voſſius ſignificat (2); extiteruntque hæ ejus doctiſſimæ lucubrationes, teſte Baltaſſare Bonifacio Epiſtola (3) ad Carolum Avantium donec apud Principem [illegible], cujus juri ceſſerant, periere. Poeticam quoque Vicentiæ docuit, ac de rebus naturalibus non perfunctoriè diſceptavit. Rediit deinde Rhodigium majorum jam tum cupidus, atque idcirco quærens domeſticum otium, undè pleniore conatu gloriam laceſſeret. Verùm cùm ibi à ſuis, ac præſertim ab agnatis acerbiùs tractaretur, ceſſit injuriæ, profectuſque Ferrariam, in ea urbe ſedem fixit, favente Alfonſo I. Duce, qui eum ad ſedem Oratoriæ facultatis publicam in Ferrarienſi Gymnaſio delegit. Eodem Magnanimo Duce favente, & ſumptum ſuppeditante in Galliam venit, innotuitque Gallorum Regi Carolo VIII., quem ſecutus Gallias peragravit, ac bibliothecarum forulos diligenter, & laborioſè ſcrutatus, excuſſit codices omnifariam, ſibi autem ea adverſaria paravit, ex quibus ingens, quod meditabatur, eruditionis promptuarium conficeret. E Galliâ poſt hæc in Inſubriam revocatus, agente Joanne Grolierio Regis Ludovici XII. à ſecretis, Græcis, & latinis Inſtitutionibus Mediolani præficitur magno ſtipendio, Regi ipſi gratiſſimus, cum ob variam hiſtoriarum notitiam, tum etiam ob rerum civilium agendarum cognitionem. In eo munere ſumma cum laude verſatus, jamque totâ Italiâ clarus, mutatâ rerum Italicarum facie, à Senatu Veneto Patavium acceſſitus eſt, & in clariſſimorum Profeſſorum numerum cooptatus hic reliquum vitæ in cœpto ſtudiorum curſu tranſegit; mirumque eſt, quòd eum inter Patavinos Profeſſores Riccobonus ejus contemporaneus minimè nominarit, ut annotat Tomaſinus (4), cui hoc ipſum objici poteſt eò turpius; quòd, quem doctorem autumat Patavinum in Elogiis Patavinis, nuſquam accenſet Profeſſoribus in Gymnaſii catalogis. Nec tamen abnuerim, utrunque excuſari ex eo poſſe, quòd quamvis certiſſimum ſit, Cœlium Rhodiginum publicè profeſſum fuiſſe Patavii; idque ante alios aſſerat Jovius (5) ejus auditor, non tamen conſtat ullo publico monumento, cui ſcientiæ explanandæ publicitus inſudaverit. Si conjecturæ locus ſit, cùm Avantius in Epiſtola ad Bonifacium ſcribat (6), patrem ſuum, tum literas mitiores, tum Ethicam Philoſophiam, ac demum Philologiam à Rhodigino traditas accepiſſe, his edocendis, vel ſeorſim, vel ſimul operam dederit, plurimoſque auditores habuerit, atque inter hos Julium Bordonium, qui, ut irridet Tomaſinus (7), nondum Julio nomen addiderat Cæſaris, nec in Principem evaſerat, ſe uno auſpice in familiam Scaligerorum adſcitus. Habitavit Rhodiginus in foro lignario; eoque in loco, ubi poſtea Parthenonem Sanctimonialibus D. Marci Patavini (8) Antiſtites extruxere. *Ibi antiquarum Lectionum libros* elaboravit, perſtrepente bello Cameracenſi, tunc, cùm bellicorum fulminum fragore Maximilianus Imperator Patavina mœnia quatiebat. Hoc erudititiſſimum Opus maximi ſemper apud viros doctiſſimos habitum eſt, ex eoque Cœlium Voſſius (9) locupletiſſimè laudat, quem ex eodem Varroni comparat, ac præfert hoc Epigrammate Scaliger (10).

Deſcripſit

(1) Tomaſ. Elog. lib. 2. p. 60. (2) apud Tomaſ. ibid. p. 62.
(3) apud eund. ibid. (4) ibid. p. 65.
(5) Elog. p. 203. (6) apud Tomaſ. ibid. p. 66.
(7) ibid. p. 65. (8) V. Salom. Inſcr. Pat. p. 207. & ſeq.
(9) apud Tomaſ. ibid. p. 68. (10) apud Jovium ibid.

Deſcripſit Varro, coram quæ ſæpe videbat,
Aut facile ex Patriis prompſerat hauſta libris.
Varronem extinctum magni ſit reddere; majus
Illum majorem condere; utrunque dedi.

At Jovius, cùm ſe ejus auditorem profiteatur, & Mediolani, & Patavii, malignè
ſtylum docentis carpit, planèque contemnit, atque eum à multis laudatum, non aliun-
de laudabilem putat, quàm ex decoro vultu, cultuque veſtium. Sed Hiſtoriæ Jovii
jampridem tineas alunt, Opus Rhodigini manibus etiamnum omnium teritur, æternùm
victurum: quando non elegantia ſtyli, & candor ſuperſtitioſus latinitatis exſuccæ li-
bris vitam, ſi ſapimus, tribuunt, ſed veritas, doctrina, rerumque pretioſa varietas,
quâ probetur auctoris mira in diverſiſſimis rebus, & accurata dexteritas. Fertur enim
Cælius ex hoc opere comprobari Philoſophus ſectarum omnium peritiſſimus, Platonis
ſectator, Ariſtotelis cultor; neque Stoicorum effata, neque phyſicas Epicuri ſenten-
tias neglexiſſe. Quid in Rhetoricis, Politicis, & Poeticis tentaverit, quàm probè Me-
dicorum arcana perſuaſerit, quantoque ſtudio Theologica proſecutus ſit, atque inde
quantum & amorem retulerit, & commercium celebrarit apud doctiſſimos ætatis ſuæ
viros, latè Tomaſinus proſequitur (1): ex quo diſces, Commentaria Lectionum An-
tiquarum, eo vivo, fuiſſe edita non integra. Nam eorum Sexdecim libros, quos Al-
do deſtinatos, Andreas Aſulanus defuncti Socer publicavit, recudit ſtarim Frobenius
Baſileæ; quatuordecim reliquos Camillus nepos & Jo. Maria Goretus editis addidere,
quos unà omnes annis XX. ab obitu Auctoris, mutato quadantenus priorum ordine,
iidem typi Frobeniani, ut nunc extant, integros evulgarunt. Atque hoc unum ejus
Opus, & vivit, & notiſſimum eſt, cætera, quæ Tomaſinus enumerat, periere. Ipſe Pa-
tavii vivere deſiit ſeptuagenarius an. MDXX. Ejus exuviæ Rhodigium translatæ con-
ditæ ſunt in periſtylio ſeu cavædio cœnobii S. Franciſci, ſine titulo, donec Jo. Bapti-
ſta Bonifacius epitaphium, & ſtatuam impoſuit, de quibus, & aliis conſule Tomaſi-
num (2).

XXXV. FRANCISCUM VICTORIUM Calvus (3) Themiſtocli, Cæſari, Senecæ, 1523
Mithridati, & Ariſtophani comparat ob memoriæ vim, ex qua videtur agnomen ha-
buiſſe *Memoria* dictus à Tomaſino (4). Natus Bergomi Rinaldi ludimagiſtri filius, apud
patrem literas, atque artem Grammaticam didicit, Philoſophiam, & Medicinam Pata-
vii. Hanc docuiſſe deinde videtur in multis Italiæ Gymnaſiis, undè ad noſtrum acci-
tus eidem arti explanandæ publicam operam præſtitit, & ante, & poſt bellum Ca-
meracenſe: primùm quidem profeſſus Practicam Medicinam extra ordinem, deinde or-
dinariam ejuſdem claſſis in alterâ ſede, denique in prima Theoricam ordinariam, ut
patet ex albis Gymnaſticis, quæ ſolita Tomaſinus perturbat incuriâ. Fertur multa
ſcripſiſſe, ex quibus inter præcipuos ſui temporis Philoſophos, & Medicos claruit. Ea
memorat, laudatque tum Manucius (5), tum Riccobonus (6), & Tomaſinus (7) ex
Manucio, quo teſte, quæ Victorius doctiſſimè ſcripſit, incendio periere. Emortualem
ejus diem ſignat Calvus (8), ſacram D. Martino, mortis quoque genus ex vomitu,
quem malus ſui Medicus nimio Meſphilorum eſu contraxit. Annum diſſimulat, qui
non alius fuerit ab an. MDXXIII, quando ſucceſſor ejus Matthæus Curtius anno
MDXXIV. ex omnibus catalogis Profeſſorum docere cœpit. Nec audiendus eſt Toma-
ſinus, qui Victorium à prima ſede Theorica ad ſecundam Practicam traductum pro-
trahit (9) ad an. MDXXVIII., nam præterquam quod hæc ad deteriora trajectio nec
probabilis eſt, nec niſi certis teſtimoniis recipi poteſt, ea nuſquam apparet in monu-
mentis gymnaſticis, quæ ubique Hieronymo Bagolino an. MDXXV. Franciſcum Bona-
fidium in ea ſede ſubſtituunt.

XXXVI. NICOLAUS LEONICENUS Vicentinus ex Vicentinorum catalogis in au- 1524
la Quæſtoria, ſapientiam ſuam debet Gymnaſio noſtro, in quo Philoſophicis, & Me-
dicis inſtitutionibus imbutus utriuſque ſcientiæ præmium laurum Doctoris, & probatæ
virtutis teſtimonium retulit, quod tamen in ejuſdem Gymnaſii utilitatem refudit: nam
eum profeſſum fuiſſe Patavii, conſtat ex Epiſtola Ægnatii, qua Joannem Planerium
(10) Diſcipulum ſuum ſtudiorum cauſa venientem Patavium illi commendat, quo
certiore

(1) ibid. p. 67. & ſeq. (2) ibid. p. 69. 70. (3) Scen. Literar. P. 1. p. 167.
(4) Gym. lib. 3. c. 11. p. 300. (5) Præf. ad Comment. Alex. Aphrodiſ. in Topic. Ariſt. Græc.
(6) lib. 1. c. 15. Gymn. (7) Gymn. lib. 3. c. 8. p. 291. (8) ibid. p. 168.
(9) lib. 3. Gymn. c. 11. p. 300. (10) V. in Planerio.

certiore profectu ab ipſo in re Philoſophica, & Medica inſtitueretur. Ex quibus manifeſtum eſt, Leonicenum claruiſſe inter Profeſſores noſtros ſingulari ſapientiæ præconio, nec tamen diu: nam eum nos in albis Gymnaſticis non niſi anno MCDLXII., ac duobus ſequentibus notatum reperimus. Hinc igitur evocatus Ferrariam venerit, ibique deinceps clariùs effulſerit. Laudatur à Jovio (1), & orator dicitur ac Philoſophus, qui à prima ætate literis excolendis, & in primis Medicinæ illuſtrandæ deditus, hanc ampliùs annis ſexaginta Ferrariæ docuit. Non tamen primus, ut Jovius tradit, ſed inter primos præcipuus ſæculo XV., & parte XVI. Græca Galeni volumina interpretatus eſt, & latinis explicationibus, commentationibuſque ad captum Italorum deduxit. Voluptates vitæ mollioris, & ſævam habendi ditescendique cupidinem ita neglexerat, ut inſtrumenta luxuriæ pecunias, ne agnito quidem pretio monetarum, aut notâ, contemneret, nullâ quæſitum curâ cibum caperet, nec unquam de fortuna minaci, ſeu blanda gauderet triſtareturve: quippe vir ex doctrina ſobrius unam ſtudiorum laudem amabat, nec annonam ſibi defuturam timebat, certus benignitatis, quam ſibi ſoſpitalem, & providam experiebatur in Ferrarienſibus Regulis Hercule, & Alfonſo. Perveniſſe eum ad annum ætatis nonageſimum integerrimis ſenſibus, vegetâque memoriâ, non incurva cervice, erecto autem corpore, nec ſcipionis indigo venerabilem, deſcribit Jovius (2), à quo rogatus, ut ingenuè profiteretur, quonam arcano artis uſus viria ſenectutis ad eam ætatem eluſiſſet, *Vividum*, inquit, *ingenium*, *Jovi*, *perpetuâ innocentiâ*, *ſalubre verò corpus hilari frugalitatis præſidio tuemur*. Deceſſit Ferrariæ an. MDXXIV. Edidit

Tractatum, *quo probavit ægris omnibus*, *ſalutem*, *& vitam reſtitui poſſe*, ut refert Trithemius (3).

Opus de Serpentibus, *& inſectis*.

Romanum Medicum Antiſophiſten.

De Ordine doctrinarum trium.

De Virtute Formativa.

Hiſtoriam Dionis, *& Dialogos Luciani* Italicè tranſtulit, ut ab Hercule Atheſtino Duce Ferrarienſi linguæ latinę imperito, legerentur.

C A P U T VIII.

Bartholomæus Montagnana Junior. Alexander Achillinus. Marinus Becichemus. Hieronymus Bagolinus. Bernardinus Donatus. Petrus Pomponatius.

1525 XXXVII. BARTHOLOMÆUM MONTAGNANA juniorem, fortè nepotem ex fratre, vel filio ſenioris, laudat Scardeonius (4), & omiſſum licet à Riccobono & Tomaſino doctoribus Gymnaſii noſtri jure, ac merito annumerat: idipſum enim habent Profeſſorum, & catalogi, & codices Queſtorii, in quibus illi ſexcentorum ſtipendium ſolvitur ad an. MDVIII. quo per bellum Cameracenſe Gymnaſium diſcuſſum eſt. Docuit igitur hìc Medicinam diu; utque in ea facienda minus Bartholomęo patruo, vel avo claruerit, attamen ingenio, eloquentiâ, politioribus literis illo pręſtantior fuit. A' bello Cameracenſi ſenex Venetias accitus, ibique maximo in pretio habitus ob felicitatem curationum, poſt multas divitias ex Medicina partas, ibi vivere deſiit; ac ſepultus eſt an. MDXXV. V. Idus Maii. Scripſit eleganter & doctè; *Reſponſa reparandæ*, *conſervandæque ſanitati* ſcitu digniſſima. *De Morbo Gallico ad Principem Cardinalem*, *& Proregem Pannoniæ*. *De Peſtilentia ad Adrianum Pont. Max.*, & alia multa, quorum ſe Scardeonius (5) teſtem ſiſtit.

1525 XXXVIII. ALEXANDER ACHILLINUS Bononienſis, vir doctiſſimus, & inſignis utroque ſęculo XV. & XVI. Philoſophus, Averrois, ac Stagiritę ſectator, diu Philoſophi utriuſque doctrinam luculentiſſimè frequentiſſimis auditoribus expoſuit, primùm Bononię, è minoribus exedris, mox è prima Philoſophię Patavii, Antonii Fracantiani ſucceſſor, collega, & antagoniſtes Pomponatii, ejuſdemque in ſcholaſticis concertationibus re quidem victor, ęmulus tantummodo ſpecie; nam cùm vir priſci moris ex habitu, quem ſcitè Jovius (6) deſcribit, è ſermone pingui, moribuſque Socraticis ridendum ſe diſcipulis extra Gymnaſium prębeteret, facile ab ęmulo dicaci, & verſuto ſenſim eludebatur, circumducebaturque facetiis ita, ut invictum doctrinę robur, quo adverſarium ſemper

(1) in Elog. p. 132. 133. (2) d. p. 133.
(3) de Script. in Leoniceno. (4) lib. 2. Claſſ. 9. p. 212. 213.
(5) loco cit. (6) Elog. p. 131.

ſemper urgebat, miteſceret, ac frangeretur. Patavino Gymnaſio ſilere juſſo per bello-
rum, & fœderis Cameracenſis tumultus ſe recepit in patriam, in qua iterum aliquan-
diù docuit, nempè ad an. MDXXV. circa quem nondum quinquagenarius obiiſſe dici-
tur, quippe ante Pomponatium, qui illi Bononiæ ſuffectus eſt, mortuus. Edita ſunt
ejus opera uno Volumine ſub his titulis.

De poteſtate Syllogiſmi liber I.	*De Proportionibus motuum.*
Diſtinctiones in Capita XXV. diſtributa.	*Tractatus de Elementis libri III.*
Quæſtiones VIII.	*De Orbibus libri IV.*
Expoſitio Primi Phyſicorum.	*Quodlibeta V. de Intelligentiis.*

In his palam Peripateticam ſectam profeſſus, ita obſcuris Averrois interpretationibus
inhęret, ut ſæpè nomenclatore opus ſit, quò eum philoſophantem intelligas; eò reſpexit
Latomus apud Jovium (1) hoc diſticho.

Quiſquis Averroem cenſes habuiſſe cerebrum,
Falleris: haud eſt me paſſus habere meum.
Regula non fallit: propter quod quodlibet unum
Taliter affectum eſt, ſed magis illud erat.

XXXIX. MARINUS BECICHEMUS, gente Dalmata, domo Schodrenſis, patriâ
Turcarum armis peſſumdatâ profugus Epidaurum Dalmaticam, ibi ad redimendam ino- 1526
piam minores literas docuit: quippe pollebat ingenio; ſibique humanioris literaturæ, ſu-
perſtiti non perituras paraverat opes, tum in patria, tum alibi. Præerat maritimæ Ve-
netorum claſſi Melchior Treviſanus Senator ampliſſimus, & literatorum hominum Me-
cęnas, ſi quis alius, beneficentiſſimus. Is cùm Epidaurum appuliſſet, à Becichemo fa-
cunda oratione, quàm in portu habuit, exceptus eſt; placuitque ex ea adeo, ut etiam
commendatum ab Epidauriis, non ut famulum, & familiarem, ſed ut filium ad ſe &
invitaverit, & receperit. Docuit deinde privatim Patavii frequentiſſimos auditores, prę-
ſertim patricios Venetos, atque inter hos Victorem Capellum Senatorem maximi nomi-
nis, & Blanchæ Franciſci Magni Ducis Hetruriæ fratrem. Poſt hæc evocatus à Brixien-
ſibus, in horum Gymnaſio Rhetoricam profeſſus eſt ab an. MDIII. ad an. MDXIX. ut ipſe
non uno Epiſtolarum ſuarum loco fatetur. Eo anno accitus ad publicas literarum hu-
maniorum Inſtitutiones Patavium, anno ſequenti inſcendit Latinæ Palladis ſibi creditam
exedram in Patavino Gymnaſio. Hanc vir celeberrimus tenuit toto ſexennio, deceſ-
ſitque apud nos an. MDXXVI. relictis liberis ex uxore. Eruditiſſimum Rhetorem exiſtimat
Guillandinus (2), celebrat Tomaſinus (3), at carpit Jovius (4), (cui ſuccinit Latomus)(5),
non aliundè iratus Becichemo, quem Barinum, non Marinum de nomine novit, niſi
quod inuſitatis exceſſibus utitur, Georgii Scanderbegi geſta deſcribens; nec dubitat ſu-
ſpectum habere mendacii ex amore patriæ in laudes prorumpentis. At ſatius eſt, ex
amore patriæ, ſplendidè in Hiſtoriam peccare, & à veritate aliquantiſper diſcedere, cer-
tè minus turpe eſt, quàm fœdi lucri cauſa, vel cupiditate vindictæ, in hiſtoria com-
muni, quod Jovius peccat, mentiri. Edidit Becichemus præter notatam *Georgii Scander-
begi Epirotarum Principis Vitam*, *Explanationes in Plinium*. *Commentarium de ratione ſcribenda-
rum Epiſtolarum*, quarum addidit libros duos. *Caſtigationes in libros Ciceronis de Oratore*, *de
Inventione*, *& Rhetoricorum ad Herennium*. *Orationes varias*, aliaque, ex quibus in Gymnaſio
noſtro tanti fuit, ut poſt ordinarios Philoſophos, ejus haberetur (6) honorifica ratio
in catalogo Profeſſorum.

XL. HIERONYMO BAGOLINO natale Solum Veronæ fuit. Claruit inter Philo-
ſophos, & Medicos ab an. MDXXVIII. Et primò quidem in Gymnaſio noſtro Philoſo- 1528
phiam ordinariam profeſſus eſt in primo loco (7), Brandapori Mediolanenſis collega ab
an. MDXV. quo poſt bellum Cameracenſe intermortuum Lycęum revixit, ad an. MDXXII.
quo traductus ad alteram Practicę ordinariæ ſedem, ex illa Medicinæ clarus interpres
ingenti adcurrentium diſcipulorum frequentiâ auditus eſt. Collegas habuit Ludovicum
Carrenſium, & Bernardinum Speronium, antagoniſten Hieronymum Accorambonum.
Senex rediit in patriam an. MDXXVIII, nec diu fuerit ſuperſtes. Edidit (8) *Annota-
tiones in Averrois Compendium ſuper Ariſtotelis Analytica priora*. *Notas & dubitationes in I. Analyti-
corum*. *Vertit latinè* Joannem *Grammaticum Philoponum in libros Ariſtotelis de Generatione*, *& Corru-
ptione*. *Quæſtiones Morales Alexandri Aphrodiſſei*, *& de Fato*. *Syrianum in Metaphyſica*, quibus de
ſuo addidit multa ad elucidationem Interpretationis utilia.

LXI.

(1) ibid. p.153. (2) in Synonim. herbar. c.10. (3) lib.3. Gym. c.40. p. 340. (4) Elog. p.214. (5) apud Jovium ibid.
(6) Tomaſ. loc. cit. (7) Tomaſ. Gym. lib.3. c.11. 15. p. 300. 306. (8) Riccobon. Gym. lib.1. c.15. p.21. terg.

1530 XLI. BERNARDINUM DONATUM Veronenſem, Veronenſi Bagolino ſubjicimus concivem, & ęqualem. Clarus (1) alumnus Gymnaſii noſtri, Gręcas hic literas didicit pręceptore Muſuro, latinas ab aliis in patria didicerat. Philoſophiæ operam dedit, audivitque, & Pomponatium, & Achillinum celeberrimos Profeſſores, ex quibus profecit admodum, ac redux Veronam humaniores literas profeſſus eſt ad an. MDXXVI., cùm ad ſtipendia lycęi noſtri Senatuſconſulto accitus Romuli Amaſei ſucceſſor ad Gręcam facundiam ingenti cum laude famâque multiplicis eruditionis frequentiſſimos auditores inſtituit per annos circiter quatuor. Obiit in patria an. MDXXX. ſexagenario major. Edidit (2) librum *de differentia Platonicæ, & Ariſtotelicæ Philoſophiæ*. Latinos è Gręco fecit *Ariſtotelis Libros OEconomicorum*, & *librum Galeni de cognoſcendis, curandiſque animi morbis*.

1530 XLII. PETRUM POMPONATIUM Philoſophum Mantuanum Profeſſoribus Artium Patavinis annumeramus auctoritate Jovii (3), quem Freherus exſcribit (4): & alioqui, quamvis à Riccobono, & Tomaſino incuriosè diſſimuletur, ingeritur attamen manifeſtè ex tabulario Quęſtorio, quod habemus à Salomonio (5), notatque par fuiſſe ſtipendium Achillino, & Pomponatio ſolutum ab arca Gymnaſtica. Fuit inter celeberrimos exeunte ſęculo XV. & ineunte XVI. Peripateticos. Docuit Patavii diu Ariſtotelis, & Averrois dogmata, habuitque inter auditores plurimos, quos ſibi malis artibus comparabat, ne qua parte ſuum Achillini antagoniſtę auditorio minus eſſet, & Jovium ipſum, & Herculem Gonzagam poſtea Cardinalem. Fuiſſe illum puſilla admodum ſtatura idem Jovius refert, qui ejus indolem, & corporis formam graphicè deſcribit. *Ex hoc agnoſcimus, ſolitum eum, cùm docebat ab exedrâ, uti ſuavi, & præclara voce, elocutione autem emendatâ, & levi cùm proponeret, volubili, & concitatâ cum inferſeret, porrò cum definiret, ac decerneret adeo gravi, ſedatâque, ut auditores in ſubſelliis ſcriptitando explicatas ſententias notis exciperent.* Eodem auctore in diſceptationibus, & ſcholaſticis pręliis minus valebat, urgebaturque in conventibus, qui ad Pręt0riam porticum, ut mos tunc obtinebat, habebantur, ab Achillino ferociter, ac ſępè ancipiti enthymemate, męandriſque ſyllogiſticis ita premebatur, ut impetum adverſarii non niſi ſuperfuſo ſale facetiarum, eluderet: Achillino ſuperſtes fuit, nec ante diſceſſit Patavio, quam furor belli Cameracenſis Gymnaſium diſcuſſit. Seceſſit ergo Bononiam, ubi eandem Ariſtotelis, & Arabis Peripatetici dogmata commentatus eſt, & ab exedra publicavit. Simul quę plurima in libros Philoſophi Patavii lucubraverat, edidit. Horum Volumina XII. Manuſcripta Tomaſinus vidit in quadam Patavina Bibliotheca (6); complectebantur Philoſophiam ferè omnem, & partes aliquot Theologię. Ex aliquot eorundem apud poſteros famoſus eſt in utraque vocis ſignificatione, pręſertimque ex *Tractatu de intenſione, & remiſſione Formarum*, ex Opuſculo *de Incantationibus*, & libro *de immortalitate Animorum*, quibus animas poſt mortem interire ex Ariſtotelis ſententia probare nititur: ea ſcilicet venditans, quibus Alexander Aphrodiſſeus idipſum cenſuit poſſe conſtitui. Ex iiſdem damnatus eſt à ſapientiſſimis viris, quorum inhęſere veſtigiis Niphus Sinueſſanus, & Contarenus doctiſſimus Cardinalis, quibus addendus etiam Cardanus in libro de Immortalitate animorum. Sed majus obiit periculum è ſacris armis, quæ à ſeverioribus, ac religioſioribus Monachis in ſe, caputque ſuum adhuc vivus expedivit hac impiâ, planèque deteſtabili ſententiâ. Ab his diu multumque vexatus, factam ſibi eo libro edito invidiam tandem avertit, teſtatus libello, non à ſe credi, quod hac in parte Stagirites docuerat, hoc veriſſimum à ſe putari, ſententiam hujuſmodi eſſe Stagiritæ, quod etiam Thomas de Vio Cajetanus exiſtimabat. Hoc porrò ſcriptum eruditum, & elegans quantumvis falſum, & impium legi olim apud Silveſtrum Maurum peritiſſimum in Ariſtotele, Dominum, ac Magiſtrum meum, qui illud appoſitis ad marginem notis ex Ariſtotele confutavit. Climactericus ſtranguriâ obortâ Pomponatius deceſſit Bononiæ an. MDXXX. Cadaver ejus Mantuam delatum ſepulcro condidit Hercules Cardin. Gonzaga, erga pręceptorem gratus diſcipulus. Janus Vitalis invectus eſt in eum hoc brevi epigrammate apud Jovium.

En animarum ingens globus, & legio omnivagantum,
Quas tu perpetua luce carere negas.
Mortuus ut diſcas æternam has vivere vitam.
Ad cineres ululant, Pomponiace, tuos.

CAPUT

(1) Lazar. Bonam. ep. 18. (2) Riccobon. lib. 1. c. 16. p. 29. Tomaſ. lib. 3. c. 40. p. 341. (3) Elog. in Achillino p. 112.
(4) T. 2. P. 4. p. 1441. (5) Inſcript. Gym. (6) M. Ant. Gabrielii in Bibliot. Patav. p. 97. 100.

CAPUT IX.

M. Antonius Zimara. Leonicus Tomæus. Tomas de Vio Cardinalis Cajetanus.

XLIII. NOtus nobis, & Gymnaſio noſtro celebris eſt M. ANTONIUS ZIMARA 1532
Sanctipetrinas ex Riccobono (1), & Tomaſino (2): ſed & in monumentis publicis à Salomonio (3) collectis claret, ut vir in Ariſtotele, & Averroe verſatiſſimus, & ſui temporis Philoſophus maximus. Ante bellum Cameracenſe Logicam docebat Patavii. Diſcuſſo per bellum Gymnaſio, Philoſophiam Romæ profeſſus eſt, undè Patavium revocatus, primam ordinariæ Philoſophiæ ſedem obtinuit ann. MDXXV. datus antagoniſtes M. Antonio Genuę de Paſſeribus. Obiiſſe creditur an. MDXXXII., quo illi ubique ſufficitur Vincentius Madius Brixienſis. Extant (4) ejus *Theoremata*, quę *Memorabilium Propoſitionum Imitationes* appellat. *Tabula dilucidationum in dicta Ariſtotelis, & Averrois Ordine Alphabeti propoſita. Indicatio locorum, in quibus hi Philoſophi copioſiùs de rebus quæſitis diſputant. Solutiones contradictionum Ariſtotelis, & Averrois in unum collectæ, & in ordinem redactæ ex contextu librorum utriuſque Magiſtri.*

XLIV. LEONICUS, ſeu NICOLAUS TOMÆUS Epirotâ patre Venetiis genitus, ætatem à primis unguiculis omnem egit Patavii, quamobrem, prout occaſio tulit, Epirotam ſe, Venetum, Patavinum, ex gente, ex natali ſolo, ex domicilio jactat. 1533
Hic non autem Florentiæ, ut Jovius habet (5), Demetrium Chalcondylem audivit, & vernaculâ Græcorum linguâ inſtructus, antiquam, quam Hellanicam Græci dicimus, apprimè didicit. Philoſophiæ deinde ſe ſtudiis addixit, audivitque ipſe major natu ſe natu minorem Thomam de Vio Cajetanum, ex placitis Scholaſticorum Peripatetica dogmata ad Thomiſtarum ſententias revocantem. Non placuiſſe illi hanc explicandæ Philoſophiæ rationem, profitetur ipſe datâ ad Muſurum epiſtolâ Græcâ, quam habeo ſatis prolixam, nec tamen robuſtè admodum evincentem, quod aſſerit, Scholaſticas tractationes, veræ ſapientiæ σκάνδαλον eſſe. Nam, ut hæ ad doctrinam non ſufficiant, quod veriſſimum autumo, attamen habendæ, tuendæque doctrinæ perneceſſariæ ſunt. Quid enim, ſi quæ promis ex Ariſtotele, & ad mentem ejus intelligi contendis, perneget alius, quod paſſim uſuvenit, quid, inquam, repones, quave ratione interpretamentum tutabere tuum, niſi te Schola jis inſtruat armis, queis adverſarium ad veritatem cogas, quæque opinaris, imperioſè conſtituas? Sed de hoc obiter; non enim hìc criticam agimus, hiſtoriam damus, quæ tamen opportunè nos monet, contemptu Scholaſticæ ſeveritatis fieri, ut hoc maximè tempore Ariſtoteles, quem Gymnaſia publica profitentur ab exedris, ab exedris ipſis vel contemnatur publicitus, vel integris diſſertationibus propalam impugnetur, & quidem inauditus, quippe ab jis, qui eum ne lectum quidem, ſed ab aliis perperam, vel malignè propoſitum damnant. Ad Tomæum regredimur. Hic igitur primus fertur (6) tricis polemicis amandatis in animum induxiſſe, ut producto Ariſtotelis textu, non fucatam, & implexam, ſed ingenuam Græci Philoſophi mentem exponeret, & barbaram aſſeclarum Averrois doctrinam è Gymnaſio prorſus exterminaret. Primus igitur ordinariam Philoſophiam è ſuperiore loco reverâ Peripateticam apud nos docuit, eandemque horis pomeridianis domi privatim explicavit, & uberiùs, & ſuaviùs, plerunque etiam non latinè tantùm, ſed & græcè; vir, ut à Jovio, & aliis deſcribitur, modeſtus, affabilis, comis, qui procul à contentione, & ambitu, in moderato cultu, mediocri cenſu, molle, ac ſtudioſum otium tranſegit. Fertur aluiſſe domi gruem, quem uſque adeo per an. XL. cicuraverat, ut de manu ejus cibaria caperet. Is, cum ſenio conſumptus periiſſet, portendiſſe viſus eſt domini mortem: qui tunc integra valetudine prædixit, ſe non multo poſt amatę volucris fata ſecuturum: id quod evenit: obiitque ſenex, & cęlebs Patavii an. MDXXXIII. ętat. LXXVI. Ejus cadaver Gymnaſtica juventus egregio comitatu, ac funebri pompâ, quę teſtimonium amoris ederet, exornavit. Sepultus eſt ad D. Franciſci diſticho Bembi celebratus, qui addidit epigraphen tumulo, adjecitque diſtichon Grecum, quod ſibi Tomęus fecerat vivens.

(1) Gymn. lib. 1. cap. 15. p. 21. terg. (2) lib. 3. cap. 15. p. 306. (3) Miſcell. ad Inſcr. Gymn. (4) Riccobon. ibid. (5) Elog. p. 170. (6) Jov. ibid. Toſcanus apud Gadd. de Script. p. 3.

Naturæ (1) ſi quis rerum te fortè latebat
Hoc legis in Magno nunc, Leonice, Deo.

Leonico (2) Tomæo Veneto mitioribus in literis, pangendiſque carminibus ingenio amabili, Philoſophiæ verò in ſtudiis, & academica, peripateticaque diſciplina longè præſtanti. Nam & Ariſtotelicos libros Græco ſermone Patavii primus omnium publicè docuit, Scholamque illam à malis latinis interpretibus inculcatam perpolivit, & Platonis majeſtatem noſtris hominibus jam prope abolitam reſtituit, multos claros erudiit viros, præter virtutem, bonaſque artes tota in vita nullius rei appetens. Vixit autem A. LXXV. M. I. D. XXVII. integer. Petrus Bembus amico incomparabili P. C. adſcripto carmine, quod ſibi vivens fecerat.

Νῦν ὄντως ἀδεὴς κὴ ἄελπις ὑπὸ πλακὶ τῇ δε
Ὕπνον ἐκοιμήθην πᾶσιν ὀφειλόμενον.

Scriptum de Tomæo carmen notat Gaddius (3), cujus refert initium hoc,

Hic Sophiſmata vana barbarorum,
Chimæras Arabumque ineptientum,
'A veræ Sophiæ Scholis fugata,
Ablegavit ad otioſiores.

Edita ſunt Tomæi hæc. *Comment. in Ariſtotelis Naturalia Parva. Quibus adduntur quæſtiones Naturales, & Amatoria Problemata.*
Liber de Morbo Gallico.
Dialogi X. more Academico propoſiti.
Quæſtiones de Intellectu maximi habitæ.
Libri Ariſtotelis aliquot latinè verſi, Paraphraſi, & Argumentis illuſtrati.
Libri III. de Varia Hiſtoria Opus eruditiſſimum, & eleganriſſimum.
De Alica farre noto, & inde alimento.
De Aſtragalo, ſeu ſignificationibus variis vocis hujus.

1534 XLV. THOMAS DE VIO Cajetanus Cardinalis, antequàm ſacrum Prædicatorum Inſtitutum iniret, Jacobus, lucem addit, gloriam auget, nomen, ac decus Gymnaſii noſtri immane quantum amplificat. Eum hìc, & diſciplinis optimis imbutum, & earundem tum doctorem, tum Profeſſorem publicum fuiſſe, teſtatur inſcriptio, quam legit in Cenobio ſuo S. Auguſtini Salomonius (4) in hæc verba.

F. Thomas de Vio Cajetanus S. R. E Presbyter Cardinalis fuit in hoc Collegio Studens, Magiſter Studentium, Baccalaureus, Regens, & in Univerſitate Pub. Metaphyſicus.

Adverſaria quoque curiæ Epiſcopalis excepta, cum actu, ab eruditiſſimo viro Adamo Pivati ſæpius à me laudato, anno MCDXCIII. XIV. Kal. Aprilis, notant, Thomam de Vio Cajetanum in collegio Theologorum Patavii infulas Theologicæ facultatis accepiſſe; conſtatque ex actis, & albis Gymnaſticis eundem Cajetanum Ariſtotelis Metaphyſicos libros publicè interpretatum ex D. Thomæ mente, collegam fuiſſe Tubettæ Minoritæ, de quo dictum eſt. Natus eſt Cajetæ in oppido noto Latii vel Campaniæ, humili quidem genere, ſed honeſto, de quo videndus Oldoinus (5) mira quædam ſcribens ex aliis. Vir puſillâ corporis mole, virtute par maximis, à prima ætate in ordinem à D. Dominico inſtitutum adſcitus, ut proximè comprobavimus, Patavii ſtuduit, atque hic doctor Theologus renunciatus eſt, mox ad publicum docendi munus evectus, hoc obibat ipſo anno, quo theologicas infulas induit. Fallitur enim Tomaſinus egregiè (6), cum Cajetanum Metaphyſica docentem inducit an. MCDLXIX. Patavii: quippe eo anno vixdum natus erat, qui quinto, & ſexageſimo ætatis anno deſiit vivere anno MDXXXIV. Triennio eum docuiſſe Patavii

(1) apud Jov. ibid. p. 272. (2) Salom. Inſcr. Pat. p. 338. 339. n. 89.
(3) ibid. p. 4. (4) Inſcrip. Patav. p. 97. n. 306.
(5) ad Ciacconium T. 3. p. 390. (6) Gym. lib. 3. c. 2. p. 280.

Patavii Salomonius (1) ex monumentis cœnobii ſui probabiliter ſatis conſtituit. Nam an. MCDXCV. Romæ erat, atque ibi Theologiam, & ſacras Literas explanabat tanto cum plauſu, & admiratione frequentium auditorum, ut exinde maximus Theologorum apud omnes audierit, primaſque, ac præcipuas ſui Ordinis dignitates percurrerit non minore famâ prudentiæ, quàm ſanctitatis, & ſapientiæ. Ergo Dominicanæ familiæ plenâ Sociorum ſuffragatione Generalis Præfectus dictus ad ſacram Purpuram venit à Leone X. in Apoſtolicum Senatum cooptatus. Præfuit deinde patriæ ſuæ Præſul, Cajetanus Epiſcopus, mox Panormitanus Archiepiſcopus, Luthero Eccleſiam turbante, Legatus à latere in Germaniam profectus eſt. Quid ibi tunc egerit diſces ex heterodoxis hiſtoriis, & Paulo Sarpio (2), nec aliter judicabis ex æquitate, niſi lecto etiam Sfortiâ (3) Cardinali Pallavicino in hiſtoria Concilii Tridentini. Hoc certum, magnam eum ex eâ legatione laudem Romæ retuliſſe: quamobrem ab Adriano VI. ſucceſſore Leonis iterum ad Germanos Legatus à Latere miſſus, ingentem pecuniam detulit, quâ milites cogeret adversùs Turcarum Imperatorem, imminentem Pannoniæ Suleimanum. Revocatus à Clemente VII. interfuit Romanæ direptioni ſub eodem Pontifice, captuſque & ipſe, non niſi ſolutis quinque millibus coronarorum, libertatem emit. Seceſſit poſt hæc apud Sodales ſuos, vixitque in cœnobio S. Mariæ ſupra Minervam, ubi & mortalitatem depoſuit, ut diximus, exacto ætatis anno quintò & ſexageſimo pridie mortis à Clemente VII. obitæ, nimirum IV. Idus Auguſti anni Chriſtiani MDXXXIV. Humi condi voluit in templo ejuſdem cœnobii, ubi hæc epigraphe legitur.

Hac interiori foſſula, quàm Lector inſpicis
Felicis memoriæ Thomæ de Vio Ordinis Prædicatorum
Cardinalis Cajetani conſervantur oſſa. Qui dum
Vixit ita moribus, atque animi doctrina humano
Generi profuit, ut pro tanto beneficio Deo gratias
Agere, ac pro ejus anima meritò preces fundere
Teneamur. Hic quorundam aliorum inanem
Declinans faſtum, humili hoc condi juſſit Tumulo.
Vixit Annos LXV. Dies XXIX.
Obiit Anno Chriſti MDXXXIV.
Thomas de Vio Cajetanus
Cardinalis S. Sixti,
Sacri Ordinis
Prædicatorum.

Damus Operum à Summo Theologo Editorum Catalogum hoc Ordine. Philoſophica

In Univerſalia Porphyrii.
In Libros Ariſtotelis Logicos, & de Anima.
De Conceptu Entis.
De Potentia neutra.
De Nominum Analogia.
De ſubjecto naturali Philoſophiæ.
Quæſt. de Cælo, & Mundo, & de ſenſu agente.

In Sacras Paginas, ſeu Scripturalia.

In Pentateuchum.
In tria priora Capita Iſajæ.
In libros hiſtoriales, & Sapientiales S. Scriptura, ſeu Bibliorum.
In quatuor Evangelia.
In Epiſtolas D. Pauli.

Theologica, & Dogmatica:

Celeberrimos Commentarios in Summam D. Thomæ.
Summula de Peccatis.
De Poteſtate Papæ, & Concilii.
De Cambiis.
De Maleficiis.
De Votis.
De Uſura.
De Eleemoſyna.
De Circumſtantia Diei Feſti.
De Infinitate Dei.
De Celatione Confeſſoris.
De Uſu Spiritualium in peccato Mortali.
De Pontificatus inſtitutione divina.
De Synodorum Differentia.
De Simonia.
De Caſtitate.
De Matrimonio.

Cc 2 *De Unione*

(1) Inſcript. Gymn. (2) Hiſt. Concil. Trid.
(3) Hiſt. Concil. Trid. l. 1. c. 9. c. 11. c. 20. l. 2. c. 4. & ſ. 4.

De Unione Verbi Dei.	*De Communione.*
De Immortalitate Animarum,	*De Confeſſione.*
Quomodo Spiritus patiatur in igne,	*De Satisfactione.*
De Spaſmo Virginis,	*De Invocatione Sanctorum.*
Adverſus Lutherum de Fide, & Operibus.	*De Monte Pietatis.*

Refert hæc ipſa Ghilinus (1), & ex eo Freherus (2).

CAPUT X.

Hieronymus Accorambonus. Ludovicus Carreſius. Franciſcus Caballus. Vincentius Madius. Remigius Melioratus. Franciſcus Delphius. Jo. Baptiſta Montanus.

XLVI. HIERONYMUS ACCORAMBONUS Eugubii in Umbria nobili familiâ na-
1535 tus, Peruſiæ bonis artibus imbutus ad Philoſophiæ, ac Medicinæ ſtudia convertit animum, invito patre, qui eum Juriſprudentiæ deſtinabat, ut ipſe ſcribit (3). Artis arcana ſcrutatus impigrè, eo pertigit Medicæ eruditionis, ut vix ætate major ex feliciſſimis curationibus Medicorum antiſtes habitus fuerit. Mox eandem artem è ſuperiore loco docere aggreſſus in pluribus, ac diverſis Gymnaſiis avidiſſimè, ſummâque accurrentium diſcipulorum frequentiâ auditus eſt. Jam inter Jatroſophiſtas Italos celeberrimus, ſed perſenex Veneti Senatûs ad hoc noſtrum Gymnaſium decreto accitus honorificentiſſimo, in prima ſede Practicam Medicinam profiteri cepit XI. Kal. Novembris an. MDXXVII. ut monumentis publicis conſentiens annotat Tomaſinus (4) poſt Riccobonum (5). Eam ſedem impleviſſe dicitur per annos integros octo: nam à ſocietate vivorum capularis abreptus eſt an. MDXXXV. quo illi ſucceſſor datur Ludovicus Carreſius. Edidit

Tractatus ad Praxim Medicam utiliſſimos, & ſæpius recuſos.
De Catarrho. De Viſu. De Lacte. De Putredine.
Comment. in libros Galeni, & Aphoriſmos Hippocratis.
Librum ſingularem de Morbis Epidemicis, & eorum Alexipharmacis.

1539 XLVII. LUDOVICUS CARRESIUS cognomento *Toſetus* humili, & obſcuro loco natus Patavii, claruit virtute ſua primùm in Ferrarienſi Gymnaſio Philoſophiæ Profeſſor, deinde in patrio, ubi docuit Medicinam, vir quidem breviſſimæ ſtaturæ, ſed prolixæ, & altæ mentis, qui acri, ac peracuto ingenio difficilis, ac permoleſtus eſſet antagoniſtis, quos urgebat atrociter, ac plerunque ad incitas redigebat. Eximium eum Philoſophum, & in Mathematicis peritiſſimum prædicat Scardeonius (6), & ex hoc Riccobonus (7), & Portinarius (8). Tomaſinus eum poſt reſtitutum à bello Cameracenſi Gymnaſium Ferrariâ revocat Patavium, & ad alteram Theoricæ Medicinæ ordinariam ſedem evehit (9) anno MDXX. anno ſequenti traducit (10) ad alteram itidem Practicæ, undè illum ad primam claſſis ejuſdem ſufficit (11) Accorambono an. MDXXXV. Obiit in patria ſextum ſupra ſeptuageſimum annum agens V. Idus Octobris æræ Chriſtianæ MDXXXIX. Jacet ad D. Auguſtini ſub ſtatua docentis ab exedra, & hac epigraphe (12).

Ludovico Carreſio cognomento Toſeto, Viro
Acuto, & Perfaceto, & in Philoſophiæ Medicinaque
Studiis ita excellenti, ut in earum Profeſſione
Ferrariæ Pataviique primas diu obtinuerit. Sui
P. Vixit Annos LXXVI. Obiit anno Domini
MDXXXIX. Die XI. Octobris.

Publici juris fecit librum de tribus Doctrinis magni habitum, quippe qui perutilis iſagoge eſt ad Artem Medicam.

XLVIII. FRANCISCUM CABALLUM, ſeu *de Caballis* Brixienſem, quem ſemel nominat
1540 Tomaſinus (13), annumeratque, anteſignanis Profeſſoribus Medicinæ Practicæ ordinariæ, pecu-

(1) Theatr. P. 2. p. 237. (2) T. 1. P. 2. Sect. 2. p. 27. 28. (3) Præf. ad Prax. Medic. (4) lib. 3. c. 10. p. 297.
(5) lib. 1. c. 15. p. 21. terg. (6) lib. 2. Claſ. 9. p. 221. (7) lib. 1. c. 15. p. 21. (8) lib. 7. c. 6. p. 254.
(9) Gymn. lib. 3. c. 9. p. 294. (10) ibid. c. 11. p. 300. (11) ibid. c. 10. p. 297.
(12) Scard. ibid. Salom. Inſcript. Pat. p. 72. n. 161. (13) Gymn. lib. 3. c. 10. p. 297.

peculiariùs laudat Octavius Rubeus (1), magnique nominis Medicum aſſerit, qui eloquentiâ perutili, ac jucundâ frequentiſſimos ad ſe auditores alliceret, attraheretque. Addit, maximum fuiſſe Aſtrologum, & ex hac illum ſcientia diu malè audiſſe, reum paſſim Magiæ factum ab invidis, & malevolis, quod tamen crimen vitæ innocentiâ, & probatæ religionis evidentiâ diſcuſſerit. Fertur peritiſſimus fuiſſe linguæ utriuſqve Grecę, & Latinæ, quibus addidit Hebraicę notitiam, ex qua, quam Cabalam vocant, myſticam Judæorum ſcientiamne an fatuitatem, ſi minus inſaniam, apprimè noſſet. Docuit in Gymnaſio noſtro ad initium belli Cameracenſis. Vixit deinde in patria, ubi & conſenuit, ac deceſſit circa an. MDXL., ut licet conjicere, perſenex. Sepultum autem Brixię apud Carmelitas in marmoreo tumulo, quem illi filiæ quatuor, reliquiæ ſobolis extruxere, ſcribit idem Rubeus (2), & ex eo Ghilinus (3). Edidit his authoribus

Tractat. de Serpenti Theriacali, quem Viperam eſſe probat, multaque de Inſectis, & aliis animalibus explicat.

In Phyſicam Ariſtotelis Diſceptationes, & Meditationes, quas Filio ſuo Joanni Aurelio inſcripſit.

XLIX. VINCENTIUS MADIUS, ſeu MAGGIUS Brixienſis ob eximiam erga omnes, 1543
ac præſertim doctos amicos liberalitatem, (cui non ſolùm quæ merebat ſtipendia, verum etiam integrum patrimonium impendit), laudatur ab Octavio Rubeo (4), & inter Philoſophos *liberalis* aſſeritur. Vir fuit doctiſſimus latinæ, gręcęque lingue, ſi quis alius, peritus; variarumque diſciplinarum ornamentis inſtructus, negabat verum quemquam dici Philoſophum poſſe, qui his quaſi lacertis depugnare adversùs ignorantiam pro veritate non poſſet. Docuiſſe dicitur Ferrariæ Philoſophiam non vulgari commendatione virtutis. Sed & Patavii ſcientiam eandem profeſſus eſt (5). Nam hanc profitebatur hìc an. MDXXVIII. (6) ab exedra prima extraordinaria noſtri Gymnaſii, quam deinde ad alteram ordinariam ejuſdem ſcientiæ translatus, M. Antonii Genuæ ſucceſſor explicavit ab an. MDXXXI. ad MDXLII. An hinc Ferrariam accitus commeaverit, an potiùs inde huc revocatus advenerit, incertum Rubeo tacente. Si conjecturæ ſit locus, cùm extra ordinem anno uno prelegerit Patavii, ac ſequenti ejus notetur ſucceſſor; nec ipſe provectus ad ſedem ordinariam, niſi poſt triennium, appareat, non ineptè crediderim, illo triennio meruiſſe eum Ferrarienſia ſtipendia; indeque ad Patavina rediiſſe, atque hìc expleſſe mortalitatem circa an. MDXLIII., quo datur illi ſucceſſor Abracius Apulus. Scripſit, & edidit

Librum eruditiſſimum de Ridiculis.

Interpretationem in lib. Q. Horatii Flacci de Arte Poetica ad Piſones.

Explanationes communes, ac proprias in librum Ariſtotelis de Poetica, ex quo acriter vapulat à Caſtelvetro, quem non minus acriter reprehendit Rubeus (7), ex hoc ipſo Opere Madii, aliiſque, quæ ab hæredibus ejus neglecta, in tenebris deliteſcunt.

L. REMIGIUS MELIORATUS Sulmonenſis, qui ſe ex familia, & poſteris 1543
Innocentii VII. Pontificis Maximi, non uno (8) in loco jactat, Philoſophus non ignobilis ſæculo XVI. docuit Philoſophiam primùm Piſis, undè mox accitus venit Patavium, atque hic Sophiſticen profeſſus eſt publicè, collega Andreæ Politi Brixienſis ann. MDXXXV. triennio, quo elapſo provectus ad primam Logicę ſedem, in ea exacto quinquennio ſucceſſorem habuit Bernardinum Tomitanum anno MDXLIII. An hic obierit, an potius hinc abierit alibi moriturus, juxta cum ignorantiſſimis ſcimus. Eum in hac parte Operis noſtri nominamus, quòd libellum ediderit argutum, & doctum *de Putrefactione* adversùs Argenterium. Ex hujus libri Præfatione, undè notus eſt Riccobono (9), & Tomaſino (10), hæc ipſa, quę hìc damus, accepimus.

LI. FRIDERICUM DELPHINUM Patavinum acutiſſimum fuiſſe Philoſophum, & peritiſſimum Medicum ex Pignorio (11) ſcribit Salomonius (12), quo teſte per annos quindecim Venetiis Medicinam fecit mirâ curationum felicitate, ac methodo, & tam certo prognoſticorum eventu, ut ex hoc maximè cucullatis ſuſpectus, vix non in carcerem, de iis, quę prędicebat, rationem redditurus raperetur. Hanc ob cauſam cùm opum ſatis fuiſſet adeptus, rediit in patriam, eamque, quam deperibat, & ex cujus

(1) Elog. p. 326. 327. (2) ibid. p. 327. (3) Theatr. Volum. 1. p. 57.
(4) Elog. 289. (5) Portinar. lib. 7. cap. 4. pag. 234.
(6) Tomaſ. Gymn. lib 3. cap. 16. pag. 308. 318. (7) ibidem pag. 290.
(8) Præfat. libr. de Putrefact. & cap. 6. 11. 18. (9) lib. 1. cap. 16. p. 25. terg.
(10) lib. 3. cap. 35. 38. pag. 331. 337. (11) de Antiq. Pat. Epiſt. ad Molinum.
(12) Inſcript. Gymn.

numeris morborum ſymptomata prædicebat, Aſtrologiam privatis meditationibus apud amicos, aut domi, ex Medico Mathematicus excoluit. Inde clarus Philologo, qui dudum ſe munere Mathematici publico abdicaverat, ſuffectus eſt anno MDXXI., conſtatque ex monumentis Gymnaſticis, quæ ſequitur Tomaſinus (1), eum ſumma cum laude Mathematicas diſciplinas, & præcipuè ſupputationes, & rationes Aſtronomicas explicaſſe per annos ſex & viginti. Deceſſit in patria an. MDXLVII. Sexagenarius, ſepultus eſt ſine titulo ad D. Clementis in foro Nobilium. Scripſit luculentiſſimè

De fluxu & Refluxu Maris Comment.
Annotationes in Tabulas Alfonſinas.
Librum de Phænomenis ſublunaribus, & Aſtronomica Paralaxi.
De motu Octavæ Sphæræ.

1551 LII. JO. BAPTISTA MONTANUS quanti nominis Medicus, Orator, & Vates fuerit, quantamque ſibi paraverit gloriam ſoſpitalem artem profitendo in hoc noſtro Gymnaſio, non eſt, ut hìc otioſe multis conemur exponere, cùm de eo ex inſtituto plenè diſſeruerint Andreas Chioccus (2), Panuinius (3), Hieronymus Ghilinus, & alii (4). Natus nobili genere Veronę à patre Patavium miſſus eſt, ut operam daret Juriſprudentiæ, ſed ingenio propenſus ad Medicinam, paternam legem poſthabuit non impunè. Nam pater, re cognitá, neque Patavii deinceps agentem, neque aliò vagantem, & peregre diſciplinarum, quas deperiebat, amore provectum miſſa pecuniá juvit; imo & regreſſum ad lares patrios poſt laurum Medicam reportatam, limis oculis deinceps aſpexit, coegitque ad eas querelas, quas hoc diſticho complexus eſt.

Eſt Pater Euriſteus, Junò Fortuna, ſuperſunt
Ærumnæ, Alcides, da mihi robur, ero.

Ergo ſe patriæ ſubduxit, verſatuſque variis in urbibus, praxim ubique Medicinæ feliciſſimè profeſſus eſt, quam artibus Apollineis exornavit, Orator eloquentiſſimus, & Pindaricus Poeta perelegans. Hinc illi Medicinam facienti Neapoli amicitia cum Joviano Pontano, Actio Sincero Sannazaro, aliiſque eruditiſſimis viris; patuitque aditus ad Academias per Italiam clariſſimas. Romæ deinde Hippolyto Card. Atheſtino charus, in ejus aula aliquandiu vixit; mox ſarcinulas ſuas Venetias tranſtulit, ubi partis brevi opibus ad otium literarium ſeceſſit Patavium. Hìc quadriennio longè feliciùs, quàm alibi, artem, quâ pollebat, exercuit, tanto cum plauſu, famâque doctrinæ, ut ad exedram publicam à Senatu vocatus, ſe principem inter Medicos Profeſſores intra biennium, ac venerabilem omnibus exhibuerit. Docuit per annos ferme viginti adeo addictus, & dignitati, quam gerebat, & obſequio Reipublicæ, quam ſibi munificam, & blandam experiebatur, ut quamvis ſtipendiis peramplis identidem oblatis invitatus à Carolo V. Cæſare, à Franciſco I. Gallorum Rege, à Coſmo Magno Hetruriæ Duce, quò propius ejus conſiliis ſalutaribus uterentur, modeſtè ſe ſemper excuſaverit, ne Patavio diſcederet: undè ſemel dumtaxat extulit pedem, ut pareret Senatui, annuenti precibus Franciſci Mariæ Feltrii Urbini Ducis, qui eum ad reparandam ſalutem uxoris ſuæ, ut Hippocratem alterum, evocabat. Jam ſenex calculi doloribus vehementer vexatus, & catarrho cum febri oppreſſus, cùm inſtare ſibi mortem præſagiret; ad villam ſuam, Terracii in agro Veronenſi, ſe contulit, ubi morti conceſſit, pridie Nonas Majas, anno ætatis Climacterico, æræ communis MDLI. Cadaver ejus Veronam delatum ſplendido funere tumulatum eſt in templo S. Mariæ ad Scalas, ubi funebri oratione laudes ejus complexus eſt Nicolaus Chioccus, cognomento Calvus, vir facundiſſimus, ex quo hæc ipſa tradimus. Hieronymus Fracaſtorius æmulo, quem iniquiſſimum ſibi ſemper fuerat expertus, epitaphium impoſuit hoc Hexaſticho.

Dum medica, Montane, doces ope vincere fata,
Et Lacheſi invita vivere poſſe diu.
Lethæo indignans preſſit te Parca ſopore,
Et ſecuit vitæ grandia fila tuæ.
Sic animas & tu, Æſculapi, dum ſubtrahis Orco,
Te quoque ſævorum perdidit ira Deum

Quæ ſcripſit (5) Montanus, partim ipſe edidit, partim poſthuma, agente Joanne Cratone diſcipulo grato, lucem aſpexere ſub his titulis.

Meta-

(1) lib. 3. Gymn. c. 39. p. 338. (2) de Med. Illuſt. Coll. Veron. (3) Antiq. Veronen. lib. 6. (4) in Theatr.
(5) Vid. Teiſſer. in addit. ad Elog. Thuani T. 1. p. 40. 41.

Metaphraſis ſummaria eorum, quæ ad Medicamentorum doctrinam attinent.
Libellus de Gradibus, & facultatibus Medicamentorum.
Lectiones in IX. Rhaſis ad Almanſorem Regem Arabum.
Lectiones in Aphoriſmos Hippocratis & in I. Epidemiorum.
In I. Fen Avicennæ.
In Artem curandi Galeni ad Glauciam, & in Artem parvam.
Idea Hippocratis.
De Febribus.
De Urinis.
De ſimplicibus Medicamentis.
Quæſtio, quomodo Medicamentum æquale, vel inæquale dicatur circa quatuor qualitates.
Opuſcula Varia.
Conſultationum Medicinalium Tomi III.
Examen Aureæ Alexandrinæ.
De aquis deſtillatis.
De coctione, & præparatione humorum.
De alimentis, & victus ratione.
Periocha Methodica in Galeni libros de Elementis, de Atra bile, de naturâ humanâ, de temperamentis, de generatione pituitæ.
Methodus de humore Melancholico.
De componendis Medicamentis.
De Lue venereâ.
De Uteri affectibus.
De Characteriſmis Febrium.
De febre ſanguinis Hectica, & peſtilenti.
De ordine in edendis, legendiſque Galeni libris.
Aetii Medici Græci libros X. latinè reddidit.
Bella ſui temporis heroico Carmine deſcripſit.

Alia quædam Tomaſinus recenſet in Characteriſmo, quæ Crato neglexit.

CAPUT XI.

Julius Dojonus ſeu Doleonus. Lazarus Bonamicus. Hieronymus Fracaſtorius. Romulus Amaſæus.

LIII. NOminis inter claros Medicos, & Profeſſores Gymnaſii noſtri famam, ac decus JULIO DOJONO, quem alii cum Tomaſino (1) *Doleonum* appellant, Pilumno Pilumno V. Cl. Bellunenſi Canonico, ſapientiſſimo, ac permunifico amico noſtro debemus. Is illum ad nos ſcribens virum fuiſſe teſtatur hoc noſtro catalogo, ſi quis alius, dignum. Belluni natus familiâ nobili, quæ etiamnum claret, inſtructuſque pleno bonarum artium apparatu, ex Phyſicis præſertim, ac Medicis diſciplinis inter paucos præſtitit. Accitus Patavium Senatuſconſulto, & ad Medicas explanationes accedere juſſus, publicè docuit interpres Avicennæ locupletiſſimus. Mox honeſtis conditionibus evocatus Conſtantinopolim à Veneto Conſule apud barbaros Medicinam biennio fecit. Inde ab alio apud Syros Conſule Tripol.m ad majora ex arte commoda, & operas lucroſiores pellectus, ibi diu ægrotorum curationibus feliciter labores impendit, præſertim graſſante peſtilentiâ: qua factum, ut, licet jam dives, & quietis cupidus, fruſtra patrios penates exoptarit; ibi enim deceſſit circa an. MDLII. neque enim qui an. MDXLV. Avicennam profitebatur Patavii, niſi poſt eum, quem ſignavimus, annum objerit ſaltem quinquennio verſatus in Oriente. Præmaturâ ejus morte, quæ multa in Philoſophia, & Medicina paraverat, imperfecta reliquit, nec præter *Commentarium de Lithoſi*, ſeu *morbo Calculi*, quem laudat in ſumma Philoſophiæ Dulcius (2), poſteritati memorabile ſupereſt. 1552

LIV. Baſſianum lætiſſimum Oppidum in tractu cognomine ad Medoacum flumen, quà deſcendens è montibus vicinis perfluit agrum Patavinum, Municipium olim fuit Patavinorum, ac jure municipali ſubjectum Patavio, quamobrem Scardeonius (3) LAZARUM BONAMICUM, quo nullus clarior Archididaſcalus ſæculo XVI., Baſſiani natum, Rhetoricis Patavinis annumerat. Is ruſtici patris filius agrorum cultui à prima ætate deſtinatus, agrum quoque coluiſſe dicitur. Quo fati munere, quave ratione Cereri ſacer à vomere, ligone, & bipalo ad Minervæ, Muſarumque caſtra tranſierit, ignoramus: neque enim, quod Tomaſinus tradit (4), id illi contigiſſe induſtriâ patris, probare quis poſſit, cùm ſupra vires, atque etiam animos ruſtici ſit, ereptum aratro filium ad ſumptuoſa literarum ſtudia dimittere. Veriſimillimum eſt, quod ex Pignorio colligit Salomonius (5), à viro patricio, & Veneto Senatore Joanne Cauco, cujus prædia colebat Lazari pater, ob indolem experrectam, & diſcendi cupidam, accedente ſpecie corporis liberali, adamatum, & primo quidem Curioni preſbytero traditum, ſub quo primas literas diſceret, mox & alimentis decretis Patavium miſſum, ubi ſtudia majora capeſſeret. Hic ergo Muſuro præceptore uſus 1552

Græcas

(1) Gym. lib. 3. c. 31. p. 327. (2) c. de morbo calculi. (3) lib. 2. claſ. 10. p. 246.
(4) in annot. ad Scard. (5) Inſcript. Gymnaſ.

Græcas literas didicit, Latinas aliis inſtitutoribus; atque unà Pomponatium audivit explanantem Phyſica: quibus diſciplinis imbutus cùm ſenſim ex privata juvenum inſtitutione cœpiſſet Patavii, Romæ, Bononię clareſcere, paulatimque nomen habere pręcipuum inter eloquentiſſimos homines ad Reginaldi Poli familiaritatem admiſſus eſt, eumque ſecutus Romam iterum venit, ubi miſerrimæ direptionis, quà urbem exercitus Borbonii peſſumdedit, ſpectator fuit, non ſine damno bibliothecę ſuę, quam eo furore diſtractam ac perditam doluit. Inde à Republica Veneta Patavium accerſitus rediit; atque in Gymnaſio noſtro humaniores literas, quas jam privatis auſpiciis octo & viginti annis docuerat, poſt Donatum Veronenſem publicè docuit ab ann. MDXXX. Nullus unquam majore cum plauſu in hac artium Scholaſticarum parte verſatus eſt, aut majore frequentia, & ſtudio diſcipulorum aut dixit ab exedra, aut pro rerum opportunitate Muſis litavit. Hinc Poeta nitidiſſimus, facundiſſimus Orator habitus, præceptorem ſe omnibus præſtitit, quotquot ex Athenæo Patavino deinceps cultioris literaturę proceres prodiere: idem totâ Italiâ Græcę ac latinæ eruditionis, & eloquentiæ princeps floruit ætate ſua; eumque Gyraldus (1) ſummis ætatis ſuę Poetis annumerat, Eraſmus (2) ad ſupremum eruditionis apicem evehit; Speronio (3) tantus eſt, ut, eo teſte, artium, quas profitebatur, verticem, ſi quis unquam alius, attigerit. Nec aliter de Bonamico cenſuit Sadoletus (4) & Scardeonius (5), quibus tantus eſt, ut, eo audito, nullius ex antiquis doctoribus aut ſcientiam majorem aut copiam requirere, opus ſit. Scilicet Rhetorica pertractabat ſummâ facilitate doctrinæ, firmitate judicii, elocutionis elegantiâ, quam tanti faciebat, ut ſæpe diceret, ſi optio daretur, ſibi potius fore, loqui ut Cicero, quam ut Pontifex Maximus Romanis arcibus imperare; præclarorumque ſe famam, & gloriam Romani Oratoris maximi, fortunæ & Imperio Auguſti, Cæſarum maximi. Laudatur hoc effatum Lazari à Ciceronianis ſæculi XVI. ſcriptoribus, apud quos paſſim ejus laudes occurrent, ac præſertim in Epiſtolis Bembi & Sadoleti, quibuſcum & aliis ejus ævi literatiſſimis viris commercium literarium habuit perpetuum, ac familiare. Nec minore (6) in pretio fuit apud ſummates Principes. Nam ad Gymnaſium Bononienſe agentibus Legatis à latere, oblato ingenti ſtipendio, evocatus, à Clemente VII. propoſitis per Hieronymum Card. Aleandrum conditionibus ampliſſimis ad curiam Romanam illectus, à Ferdinando Rege octingentorum nummûm Pannonicorum honorario Vindebonam invitatus, hæc omnia ille cœli Euganei adſpectui, & majeſtati Patavini Gymnaſii poſthabuit, ratus glorioſam ſapientiam nuſquam feliciùs vivere, tutiùſve, quàm ſub Veneto imperio, in quo ipſi vel extorri, ac miſeræ nunquam perfugium defuit, ſemper patrocinium ſuperfuit. Hic ergo conſenuit, ac vivere deſiit ann. MDLII. ętat. LXXIII. Jacuit illatus in ſepulcrum à diſcipulis piè feretro, & certatim ſubeuntibus in baſilica Antoniana, laudatus à Hieronymo Nigro Canonico Patavino funebri oratione, ſignatus verò hoc tetraſticho ſepulcrali.

Quantum ager Arpinas Ciceroni, atque inclyta quantum
Palladis urbs debet Socratis ingenio;
Baſſani & Patavi debent tibi mœnia tantum,
Lazare, quando illis unus utrunque refers.

Ejus deinde oſſa tranſlata ſunt in Ædem D. Ioanni ad Viridarium ſacram. Ibi jacent ſub ęnea imagine, & lapide hac Epigraphe notato.

Lazari Bonamici
Catharinaque ux. car.
In ſecundum Redemptoris
Adventum quietis Sedes.
D.
H. M. D. M. A.

Vivens edidit nihil, cùm plurima tum ſoluta, tum vincta numeris oratione conſcripſerit. Ab obitu lucem publicam aſpexere *Epiſtola aliquot carmine ſcripta*, *Proſâ quindecim*, *Italicè triginta*. *Sententia*, *ſenſuſque mentis de lingua latina*. Anecdota plura extant, atque inter hæc *Epigrammata*, *& Elegia*.

1553 LV. De HIERONYMO FRACASTORIO Scriptorum ſæculi XVI. penè dixerim omnium

ſi

(1) de Poetis (2) Epiſt. ad Bemb. (3) Dial. 3. (4) de liber. rectè inſtituend. (5) ibid. p. 247.
(6) Imperial. Muſæi.

(ſi unum excipias P. Caſtellanum, qui in vitis Illuſtrium Medicorum oſcitanter hujus unius obliviſcitur) elogia extant uberrima, Julii (1) Cæſaris Scaligeri, Onuphrii (2) Panvinii, Thuani (3), Ghilini (4), Imperialis (5), Gerardi à Stochen (6), Chiochi (7), Teiſſeri (8), aliorumque (9), quorum agmen claudit vita ejus ab Anonymo in editione Operum ipſius Patavina Vulpianis Typis religioſè adeo, atque eleganter propoſita, ut aliquid addere neque fas ſit, nec niſi ſupervacaneum cenſeri poſſit. Illud mirum eſt, ſi unum Biographum Anonymum excipias, neminem unum Profeſſoribus Patavinis annumeraſſe tanti nominis Philoſophum, Poetam, & Medicum, cùm certiſſimum ſit nòn ſolùm ex Matriculis, ſive albis Veronenſium, alumnum eum fuiſſe Gymnaſii noſtri, in quo diſciplinis omnibus, quibus excelluit, imbutus eſt, verùm etiam ex adverſariis curiæ Epiſcopalis Profeſſorem fuiſſe publicum, & ab anno undevigeſimo ætatis ætæ communis MDII. Logicam publicè docuiſſe. Natus Veronæ nobiliſſimo genere, de quo prolixè Julius à Pureo (10), ore fuiſſe, compactis invicem labiis, obſtruſo dicitur ita, ut chirurgi (11) ferro aperiendum fuerit: innatas ab infantia lauros geſſiſſe viſus eſt, quippe cui lactanti (12) in ſinu matris, fulmen, quo, ingruente ſubitâ tempeſtate mater tactâ diſperiit, innoxium fuit. Puer primis elementis literarum excultus in patria, Patavium à patre Paulo Philippo miſſus humaniores, ſeverioreſque diſciplinas perdidicit, atque etiam adoleſcens nondum legitimæ ætatis, ut diximus publicè docuit (13). Eo munere ſunctus ſit per annos circiter octo ab ann. MDI. ad ann. MDVIII., quo Cameracenſe fœdus togam juſſit armis concedere, juſtitiumque fuit Gymnaſii noſtri. Sibi ergo exinde vacaverit in patria, donec in eam ſapientiæ multiplicis famam aſcendit, cui fortaſſis parem intra ſæculum XVI. & ſequentia nullum invenies. Fuit enim Fracaſtorius Poeta ſummus, maximus Medicus, Philoſophus acutiſſimus, accuratiſſimus Aſtrologus, & Coſmographus. Nam & Aſtrorum motus, & Orbes Cœli, terrarumque, & globulos ad locorum dimenſiones noſcendas accomodatos ipſe ſuis manibus conſtruxit, ſpectandoſque eruditis, & admirandos propoſuit. Ipſe rerum naturalium arcana in lucem publicam protulit; differendi cogitandique, & philoſophicè diſceptandi rationem tricis ſcholaſticis expedivit, atque ita in Platonis, & Ariſtotelis libris verſatus eſt, ut parem ſua ætate in Philoſophicis vel neminem habuerit, vel rariſſimum. Eadem illi laus ex Medicina fuit, quam eo erga ægrotos profeſſus eſt ſtudio, eo lucri contemptu, & laboris impendio, ut amorem ſibi omnium, ac Principum præſertim benevolentiam conciliarit. In his fuit Tridentinus Cardinalis Madrucius, qui eum ſæpiſſimè vel animi, vel valetudinis causâ cariſſimum hoſpitem voluit; tantique fecit, ut, cùm Carolus V. iter Piſcariâ faceret, accurriſſetque cum reliqua multitudine Fracaſtorius ad ſpectaculum Cæſaris tranſeuntis, hunc Imperatori unum Cardinalis videndum digito demonſtravit, ut Medicorum doctorumque virorum miraculum; ſubſtititque Cæſar aliquantiſper, ut ipſum, nominis dumtaxat celebritate notum, curioſiùs contemplaretur, ex ſpectaculo omnium ipſe ſpectator factus unius, qui omnes merito ſapientiæ ſuperabat. Ex hac etiam arte acceptiſſimus, ac planè venerabilis fuit Bartholomæo Liviano Veneti exercitùs imperatori, cujus Fracaſtorius convictu in caſtris diu, ad Abduanam uſque cladem, potitus eſt. Ipſi quoque Paulo III. ex arte Medicâ maximi fuit, eumque Medicum Synodi œcumenicæ Pontifex prudentiſſimus dixit, aſſignato honorario menſtruo quinquaginta aureorum. Ibi cum ann. MDXLVII. peſtilentiam ſub Autumni tempus prædixiſſet, in cauſa fuit, ut majori ex parte Antiſtites congregati Bononiam ſe reciperent. At ex Poetica facultate, muſarumque deliciis adeo præſtitit, certâque gloriæ menſurâ eruditiſſimos omnes ſui ſæculi ſuperavit, ut nemo fuerit, qui non illum priſcis vatibus parem, atque etiam majorem exiſtimaret. Hinc ejus arctiſſima familiaritas cum Naugerio, cum Joanne Baptiſta Rhamnuſio, aliiſque omnibus, ſi unum concivem ejus Jo. Baptiſtam Montanum excipias, qui æmuli, ſed longè majoris, laudibus torquebatur, & quantum poterat, ſed infeliciter, detrahebat. Compeſcuit livorem hominis commune judicium, quo id omnium, etiam æmulorum, calculo conſtitutum ac planè ſancitum eſt, Fracaſtorium præ omnibus proximè ad Virgilianam majeſtatem ſuis carminibus acceſſiſſe.

Ferunt

(1) Poet. lib. 6. & car. Inſcript. Aræ Fracoſtoreæ. (2) Antiq. Veron. lib. 6.
(3) hiſt. lib. 10. & in elog. (4) Theatr. Vol. I. p. 119. (5) Muſæi p. 16.
(6) in Thuan. enucleat. (7) Addit. ad Elog. Thuani Tom. 1. p. 78.
(8) Elog. Medic. Veron. (9) Elog. Juriſconſult. Col. Veron. p. 294. (10) loc. cit.
(11) Menagius in Antibaillier p. 372. (12) ixt. SSenen. in Biblioth. Sancta.
(13) Adverſ. Cur. Epiſc. ad. Ann. 1502.

Ferunt Jacobum Sannazarium, parcum alioqui & amarulentum alienę virtutis laudatorem, lectâ coram Hippolyto Mediceo Cardinali Siphilide, ſequoque victum exclamaſſe; faſſumque ingenuè fuiſſe, Poema de Partu Virginis, à ſe viginti annorum curâ concinnatum, perpolitum, atque editum, Siphilidis omnino & ſublimitate deprimi, & radiis obſcurari. Scribit Imperialis (1), Fracaſtorium ſolitum labrum ſibi ſuperius plerunque commordere, hęrere obtutu, ingredi lento, ſedatoque greſſu, gerere faciem tetricam, & vultum cogitabundum, eloqui non niſi laceſſitum, vel potiùs rogatum; & tamen admirandę fuiſſe inter loquendum, ſcribendumque ſententię, facilitatis quoque & ubertatis interdum conditę ſalibus, atque ita inter ſerium & jocoſum diviſæ, ut appareret latere in pectore nobili ſtupendum naturæ arcanum egregiis obvium, ignavioribus abditum. Errant Ghilinus (2) & ex eo alii, cùm Patavii eum obiiſſe ſcribunt, atque hìc tumulatum ad S. Sophię. At neque Veronæ deceſſit, ut refert Julius à Puteo (3). Certum eſt enim, Fracaſtorium in villa ſua Caphi, quæ eſt ad Montis Ubaldi radices, inter prandendum apoplexi correptum, amiſſo penitus uſu ſermonis, manu ſubinde in verticem exporrectâ innuiſſe adſtantibus, ut celeriter cucurbitulâ ibi appoſitâ cerebro ſuccurreretur: quo remedio ſe quondam Sanctimonialem Virginem reſtituiſſe meminerat; cùmque id illi neglexiſſent, ſub noctem expiraſſe ſeptuagenarium VIII. Idus Auguſti ann. MDLIII. Veronenſes civi optimo & fortè omnium maximo, inter alias illuſtrium Veronenſium ſtatuam erexerę cum hac epigraphe.

Hieronymo Fracaſtorio
Pauli Philippi F.
Ex publica Auctoritate
Anno MDLIX.

Conditus eſt Veronæ ad S. Euphemiæ. Julius Scaliger Epitaphium cecinit hoc hexaſticho.

Hic ſitus eſt Fracaſtorius Hieronymus: urna
Quem capit, is cepit pectore cuncta ſuo:
Sidera digeſſit, revocavit funera, rerum
Naturæ, imperii conſcius atque Dei.
Aut Heliconiadum fontem ſibi ſuſtulit omnem,
Aut tumulus vertex hic Heliconis erit.

Hæc ejus Opera celebrant Typi.

Philoſophica, Medica, Aſtronomica libris duobus contenta.
De morbis contagioſis eorumque curatione libri III.
De Sympathia, & Antipathia.
De Vini temperatura.
Turrius, Dialogus de intellectu.
Homocentrica, ſeu de Stellis.
De cauſis Criticorum dierum, per ea, quæ in nobis ſunt.
Naugerius, Dialogus de Poetica.
Fracaſtorius, Dialogus de Anima.
Carminum liber unus.
Alcon, ſeu de cura Canum venaticorum.
Siphilidos libri III. de Morbo Gallico ad P. Bembum.
Joſeph Comœdia, ſive Poema, quod morte præreptus abſolvere non potuit.

1555 LVI. ROMULUS AMASÆUS origine Bononienſis, ſed Utini natus in Carnia, collega Marini Becichemi, circa ann. XXIII. ac deinceps ſæculi XVI. Græcas literas interpretabatur Patavii, ut ſcribit Tomaſinus (4): Reque ipſa in catalogis Profeſſorum ab ann. MDXX. ad annum ab illo ſextum Marino Latina profitenti Romulus Græca docens adjungitur. Viderint ergo Thuanus (5) & poſt hunc Teiſſerus (6) undè habuerint, eum diu linguam utranque fuiſſe profeſſum Bononię, charumque ibi fuiſſe Julio II. Pont. Max. Senatus Bononienſis primùm à ſecretis, deinde Julii ipſius; atque adeo intra ann. MDX. ea dignitate conſpicuum, quę illum à docendis humanioribus literis prorſus averteret. Quid, quod Romulus maritus erat ad annum uſque MDXXXVIII, ut ex ejus epiſtolis (7) conſtat; nec videtur ejus conditionis homo inter cælibes aulæ Romanæ Miniſtros recipi potuiſſe à ſeveriſſimo Pontifice, quem Pſeudoſynodus Piſana ad tutiora morum in aula obtinentium conſilia provocabat. Quęcunque igitur Scriptores hi, aliive de Romulo narrant, nec merentur fidem hiſtoricam, & veram hiſtoriam ſuſdeque vertunt; quamvis ut ipſi

(1) Muſæi p. 16. 17. (2) ibid. d. p. 119. (3) loc. cit. (4) Gym. lib. 3. c. 40. p. 341. Riccob. Gym. lib. 1. c. 16. p. 28. terg. (5) in Elog. (6) in addit. in Elog. Thua. Tom. 1. p. 136. 137. (7) Ep. 23. ad Sadolet.

ipſi ſignant (1) è Bibliotheca Bononienſi deprompta. Dabimus veriora ex ejus Epiſtolis, ex ejus ſucceſſore Donato, & ex Pignorianis (2) Analectis de Patavinâ Antiquitate. Natus, ut diximus, Utini Amaſæus intra ſæculum XV. Venetiis humaniores literas didicit, & linguam Græcam inſtitutione Jo. Calphurnii Brixienſis, quem ſecutus Patavium, Muſurum hic ſe audiſſe ſignificat (3). Profectus deinde Bononiam, ibi hæſit privatis auſpiciis ex diſcipulo doctor, ac latinæ, & Græcæ linguæ mercenarius præceptor. Mirâ frequentiâ floruiſſe ludum ſuum, ipſe refert (4), nec dubium, quin inde opes ſibi paraverit non contemnendas, & nomen eximium, quo factum, ut ad Gymnaſium evocaretur, probatâque origine ſuâ, inter cives Bononienſes adlectus fuerit, uxorem duxerit nobilem è Guaſtavillanâ familia, admiſſuſque ad ſecreta Conſilia Bononienſium, ipſorum Senatui ab Epiſtolis operas ſuas elocaverit; & fortaſſis, cùm Julius II. Bononiæ fuit an. MDVI., ejus nomine latinas literas aliquandiu ſcripſerit: undè illi ab Epiſtolis fuiſſe creditus ſit. Vixit Bononiæ toto tempore Belli Cameracenſis: idque ipſe confirmat Egnatio ſcribens (5). Poſtquàm Julius ſibi Venetos conciliavit, reſtitutumque eſt in priſtinum decus Gymnaſium noſtrum, ingenti, ut ea tempora ferebant, ſtipendio ad linguam Græcam docendam Patavium accitus eſt; conſtatque hoc ipſum ex aulę Quęſtorię monumentis. Docuerit porrò ad an. uſque MDXXVI., quo datur illi ſucceſſor Bernardinus Donatus. Quid egerit, ubi moras traxerit poſt annum illum, ipſo, aliiſque tacentibus ignoramus. Veriſimillimum eſt remeaſſe Bononiam, atque ibi docuiſſe, donec an. MDXXXV. à Paulo III. Romam accerſitus Præceptor doctorque literarum, & morum formator datus eſt Alexandro Farneſio, quem dudum impubem Purpura Romana contexerat. Fuit igitur in aula ſummâ ex eruditione Græcâ, & latinâ apud omnes famâ; indeque, tum Sadoleto, tum Bembo Cardinalibus carus, ut ex Epiſtolis horum deprehendes. Eum quoque & Paulus idem, & ſucceſſor ejus Julius III. pertractandis negotiis graviſſimis idoneum cenſuere, ad quæ ab his non ſemel in Germaniam, & Sarmatiam miſſus eſt. Quo tempore cùm uxor ejus obiiſſet, ſenex ſacris ſe addixit, vixitque deinceps Romæ inter proceres humanioris literaturæ. Ibi obiiſſe creditur ante obitum Marcelli II. à quo ſummopere diligebatur (6); atque adeo ante menſem Aprilem an. MDLV. Scripſiſſe eum multa, imò infinita tradit Thuanus (7). Nobis hæc tantum nota ſunt.

Orationum Volumen.
Schola II. de ratione inſtituendi.
Libellus Epiſtolarum latinarum LXIX.
Libri VII. Xenophontis de Cyri minoris expeditione, & Pauſanias.
Libri II. de dignitate Linguæ latinæ adverſùs Hetruſcos.

CAPUT XII.

Ludovicus Paſinus; Thomas Philologus. Franciſcus Bonafides. Oddus de Oddis. Franciſcus Frigimelica. M. Antonius de Paſſeribus à Genua.

LVII. LUDOVICUS PASINUS Patavinus in patrio Gymnaſio Philoſophiam, ac Medicinam docuit, quam praxi quoque complexus eſt feliciter adeo, ut 1557
ex hac inter paucos claruerit, non in uno Gymnaſio noſtro, verùm etiam apud exteras gentes. Docuit apud nos publicè, tum Philoſophiam, tum etiam Medicinam, ut conſtat ex Scardeonio (8), quem ſequitur Portinarius (9), ex catalogis Profeſſorum, & privilegio Co. Jacobi Zabarellæ, quod leges apud Tomaſinum (10), incurioſum adeo in re, quam tractat, ut quem videt inter Philoſophiæ, & Medicinæ Profeſſores an. MDLIII. ſex illis annumerari, qui Zabarellam ad Magiſtrorum inſulas provexere, ejus omninò in catalogis, quos exhibet, oblivifcatur. Expetitus à multis extra fines imperii Veneti ad curationes, non niſi juſſu Principis extrahi Patavio potuit, fuitque apud Urbinatem Ducem, Venetorum exercituum imperatorem quoad ille vixit; poſt ejus obitum in Patriam redux, ibi conſenuit Medicorum, citra omnem invidiam, Patavinorum Antiſtes, quippe qui non ſolùm arte, qua feliciſſimè functus eſt, cæteris præſtitit, ſed & nitorem addidit arti ex varia, & multiplici eruditione, ac ſtudio Antiquitatis. Habuiſſe dicitur bibliothecam, cum omni codicum genere locupletem, tum vetuſtiſſimis vaſis, lucernis, ſigillis æneis, ſeu ſtatiunculis inſtructiſſimam, in quam eleganti carmine Luviſinus luſit (11). Obiit tunc cùm de eo Scardeonius ſcribebat XI. Kal. Septemb. an. MDLVII.

(1) Teiſſer. ibid. in marg. (2) apud Salom. Inſcript. Gymn. (3) Ep. 35. (4) Ep. 11. (5) Ep. 25.
(6) Amaſæus Ep. 59. (7) in Elog. ibid. (8) lib. 2. Claſ. 9. p. 224. (9) lib. 7. cap. 6. p. 254.
(10) lib. 1. cap. 55. p. 186. (11) apud. Scard. ibid.

an, MDLVII. octogenario major, ut conſtat ex ejus (1) epitaphio ad D. Joannis in Viridario. Ibi amici cineribus compoſitum à ſe Octaſtichon Bernardus Georgius tunc Prætor Patavii ſic inſcripſit,

Philoſophus jacet hic Ludovicus maximus ille,
Paſino celebri ſanguine progenitus.
Egregiè doctus, medicaque peritus in Arte,
Creditus à cunctis Æmulus Hippocratis.
Filius hunc tumulum, pariterque piiſſima Conjux
Erexere, viro hæc; Natus at ipſe Patri.
Heu qui te confers, lymphas inſperge ſacratas,
Ac pro defuncto, quæſo, precare Deum.

Scripſit *de Balneis Patavinis* inſignem librum, & *Conſilium adversùs Peſtem Venetiis An. MDLVI. ſævientem*, quo, inquit Scardeonius (2), utroque typis impreſſo ſicuti viventibus notiſſimus fuerat, ita apud poſteros etiam poſt obitum perpetuò immortali famâ vigebit.

1557 LVIII. THOMAS PHILOLOGUS Ravennas (3) in Patavino Gymnaſio Philoſophiam, & Medicinam didicit, ex eâque lauream retulit. Aſtrologiæ, ac Mathematicis diſciplinis ſe addixit Ferrariæ, undè cum Venetias tranſtuliſſet ſarcinulas ſuas, in eâ urbe tam feliciter Medicinam fecit per annos circiter viginti, ut opes ſibi paraverit, ſupra fortunam privatam ex curatione urbanarum tribuum, quas indigetæ *Seſteria* vocant. Feſſus aſſiduo labore, & ſumptibus faciendis magnificè par, ad Gymnaſticam gloriam reſpexit, juſque docendi Medicinam obtinuit in lycæo Patavino mercede minimâ ſexaginta nummorum; qua functus ab an. MCDXCVI. ad belli Cameracenſis initia, reſtituto Gymnaſio, ad ſedem Aſtronomiæ translatus eſt (4), cui tamen non niſi quinquennio, vel ſexennio præſtitiſſe operas ſuas videtur, quando Fridericus Delphinus ei ſufficitur an. MDXX. Solutus proinde obligatione muneris publici, quod reliquum vitæ fuit, Medicinæ privatis iterum mercedibus exercendæ Patavii dedit: ubi octogenario major obiiſſe dicitur an. MDLIX., ſed verius eſt, eum ſuperſtitem fuiſſe ad an. MDLVI., quo condidit teſtamentum, quod habeo, atque adeo non ante annum ſequentem propè nonagenarium deceſſiſſe. Extremis tabulis Collegium ſtudioſis eligendis à Curatoribus Paroeciarum SS. Geminiani, Juliani, & Joannis ad Braculam Venetis erigi juſſit in ædibus, quas ad Pontem Molendinorum ædificaverat, ut ea ferebant tempora, ſpecioſas, & amplas, de quibus videndus eſt Tomaſinus (5) in eo corrigendus, quòd Philologi hujus Collegii protrahit inſtitutionem ad an. MDLXXVII., cùm ſit manifeſtum ex additis ad calcem ipſius teſtamenti, Alumnos hujus Collegii à Curionibus Venetis, quibus jus erat eligendi, an. MDLVII. cœpiſſe eligi. Hæc Philologi edita Opera ſunt.

Liber de omnibus modis curandi Morbi Gallici.
Scholia in Aetium.
Obſervationes in Dioſcoridem, & Theophraſtum.
Comment. in libr. Hippocratis de Dietâ.
In libr. Galeni de diebus Criticis.

LIX. FRANCISCUS BONAFIDES Medicus & Botanicus Patavinus celeberrimus,
1558 primus herbarum, ac ſtirpium, ſimpliciumque medicamentorum facultates docuit in Gymnaſio noſtro, ut & Scardeonius refert (6), & Riccobonus confirmat (7), latiùſque Tomaſinus explicat (8). Hoc ſuadente, Senatus Venetus Hortum Botanicum à Tomaſino deſcriptum, (cujus in prima parte Operis hujus Clar. Pontadera recentiorem imaginem graphicè atque eruditè propoſuit), decrevit; iſque primus Horto eidem jam conſtituto, referentibus Triumviris literariis Sebaſtiano Fuſcareno, & Nicolao Theupolo, Senatuſconſulto datus curator eſt, ac primus ibi poſt Kalendas Majas plantas cœpit oſtendere: quo munere præclarè functus ad annum uſque MDXLIX., ſucceſſorem habuit Gabrielem Fallopium: ipſe, poſtquam diu Medicinam Practicam ordinariam, Theoricam verò extra ordinem publicis prælectionibus illuſtravit, lumine oculorum

(1) Salom. Inſcr. Patav. p. 181. n. 26. (2) loc. cit. (3) ex ejus Teſtam.
(4) Tomaſ. Gymn. lib. 3. c. 39. p. 338. (5) lib. 1. Gymn. c. 61. p. 106.
(6) lib. 2. Claſ. 9. p. 223. (7) lib. 1. Gym. c. 5. p. 9. terg.
(8) Gymnaſ. lib. 1. cap. 34. p. 84.

oculorum orbatus, atque ætatis decrepitæ ſenex, annorum quatuor & octoginta inter mortales eſſe deſiit Patavii ann. MDLVIII. XV. Kal. Martii conditus ad D. Franciſci ſine titulo, in oſſuariis Fratrum Minorum Tertii Ordinis, caruitque, quod ſibi ipſe vivens præparaverat, hoc Epitaphio (1).

Æris ad æthereas ſonitus cum ſurget ad auras,
Hac Bona Franciſcus dormit in æde Fides.
Materiem Medicam docuit qui Antenoris urbem,
Quæ lecta in tota non fuit Auſonia.
Cujus ob auſpicium Venetum Reſpublica juſſit,
Ut fieret Medicis Hortus, ut Alcinoi.
Delicias nectens oculis, viridemque Minervam:
Quique foret Patavi gloria, ſplendor, honos.

Scriptorum ejus hi tituli ſunt,

Tractat. de Pleuritide curanda adversùs Curtium Medicum.
Comment. in librum Ariſtotelis de ſtirpibus, & plantis.
De Nominibus ad hiſtoriam Plantarum pertinentibus.
De nexu utriuſque Mundi.
De ſemeſtri partu.
De diſceptatione orta inter Antonium Fumanellum, & Bartholomæum Civanum Medicos Veronenſes de Vino decertantes, quorum judex Fracaſtorius fuit.
De ponderibus minoribus, & grano.
Finis Artis Medicę, Enarratio.
An Medicina ſit ſcientia vel Ars.
De duplici ratione componendi ſimplices Medicinas.
Expoſitio Canonum univerſalium, cum modo curandi Spaſmum.
Modus intelligendi gradus Medicinarum ſecundùm Dioſcoridem.
De ſex rebus non naturalibus.
De practica Medicina.
Expoſitio Theorematum, ſeu Canticorum Avicennę.

LX. ODDUS DE ODDIS nobili genere, quod ab ultima (2) ſtirpe oriundum 1558
Peruſiâ claret, ortus Patavii ann. MCDLXXVIII. excultuſque politioribus literis, Medicinam (3) inter primos à ſordibus barbarorum ad nitorem, ſplendoremque Græcæ venuſtatis, & gloriæ revocavit. Aliquandiu eam in patrio Gymnaſio docuit, diu deinde Venetiis eandem exercuit, quam denuo Patavium à Senatu redire juſſus inter primates è primis exedris profeſſus eſt uſque ad obitum, tam accuratus, eruditus, & facilis in explicando Galeno, ut omnes eum Galeni animam appellarent. Quo titulo ſibi maximè placuit, gloriari ſolitus, quidquid uſquam didicerat, id ſe totum hauſiſſe ex doctrina Galeni. Refert Jo. Antonius Maginus (4), Oddum in ſuis de Peſte libris, ſingulares ſiderum aſpectus enarraſſe, quibus ea ſolet generari, ſimul affirmaſſe, poſſe ex variis eventibus, à ſe pro diverſitate temporum obſervatis, ſi minus demonſtratione, ſaltem ratione non modicam fidem afferente, Galeni, & Avicennæ ſententiam comprobari, & à cavillis Pici Mirandulani defendi. Deceſſit Patavii octogenarius ſi credendum Tomaſino, ſeptuagenarium eum Scardeonius (5) infert ſepulcro ad D. Danielis ann. MDLVIII. ibi jacet cum elogio (6) à nepotibus poſito. Edidit

Expoſitionem In I. & II. Aphoriſmorum Hippocratis Sectionem.
In Artem Parvam Galeni, opus poſthumum editum à Marco Filio.
Apologiam pro Galeno tum in Logica, tum in Philoſophia & Medicina.
De cæna & prandii portione libros II.
Comment. in I. Fen. Avicennę.
De Peſtis cauſis, ſignis, pręcautione, & curatione lib. IX.

LXI. De FRANCISCO FRIGIMELICA pauca Tomaſinus (7), plura Scardeonius (8), ex quibus nos aliqua. Patriciâ gente progenitus vivere cœpit ann. MCDXCI. 1559
Pubeſcente adhuc ætate, literas humaniores, mox naturalem Philoſophiam in patrio lycæo perdidicit, hanc autem in eodem ſapientiſſimè profeſſus eſt, tantâque cum laude, atque auditorum frequentiâ, ut ad culmen Peripateticæ ac Galenicæ doctrinæ, & ex doctrina glorię præ reliquis aſcendiſſe diceretur. Prælegebat à ſede Theoricę Medicinæ ordinaria ann. MDXXXIII, quo eam dimiſit, ſeceſſitque Vene-

(1) apud Scard. ibid. p. 224. (2) Thuill. in Præf. ad emblem. Alciati.
(3) Vid. Tomaſ. Elog. lib. 1. p. 47. 49. (4) in Præfat. Medic. Aſtro.
(5) lib. 2. claſſ. 9. par. 225. (6) Salom. Inſcript. Pat. p. 455. n. 21.
(7) Elog. lib. 1. p. 51. & ſeq. (8) lib. 2. Claſ. 9. p. 225.

tias, undè Romam accitus à Julio III. Pontifice vixit aliquandiu in aula venerabiliis omnibus, tum ob manifeſtum doctrinę decus, tum ob generis claritatem, & verſatiles ad omnem egregiæ conſuetudinis ſpeciem mores. Interfuit comitiis Marcelli II. & Pauli IV, à quo magnificè donatus, evocantibus literariis Triumviris, rediit Patavium, traductuſque, aucto ſtipendio, ad ſedem Practicæ Medicinæ ordinariæ principem, hanc docuit deinceps ad obitum uſque, vir non ſolùm è ſapientiæ cenſu, verùm etiam ex gravitate morum, continentiâ, modeſtiâ, atque erga diſcipulos, & ægrotos charitate, & beneficentiâ ſua ętate ſpectatiſſimus, ut Patavini Scriptores (1) omnes tradunt, quos inter, ſi Tomaſinum audias, hoc unum Frigimelica inſatiabiliter concupierit, propagari memoriam ſui: nam contemptu famæ contemni virtutes ſciebat. Quod dictum non eò ſpectat, ut cupiditatem inſanam glorioſæ viro gravi probandam eſſe conſtituat, ſed ut jubeat viros etiam graviſſimos famam revereri, quâ vitia caſtigantur, virtutes vivunt. Reipſa hoc unum ſummus philoſophus, & Medicus flagrantiſſimè concupivit, ut ex operibus à ſe editis perennaret: id, quod non prorſus obtinuit. Quæ enim typis paraverat, multa ingenii ſui præclariſſima monumenta mors hærere coegit in domeſticis pluteis à fratre Antonio ſervata. Eorum tamen aliqua ex triginta Tractatibus, quos lucubraverat, Scardeonio (2) teſte, ad lucem publicam pervenêre. Nam Tractatus *de utilitate Viperarum*, quem Udalricus (3) Rumelius celebrat, & *Coment. de Peſte Patavina ann. MDLV.* qui memoratur à Tomaſino (4), prælo Franciſci Bolzettæ publici juris facti ſunt. Obiit quarto poſt peſtem anno ęræ Chriſtianæ MDLIX ætat. LXVIII. conditus eſt in templo D. Auguſtini, ſub titulo, quem Patri, Jacobo Franciſco (5) fratri, ſibi & fratri alteri, ſuiſque omnibus Georgius frater poſuit anno eodem, Aprili Menſe.

1563 LXII. M. ANTONIUS DE PASSERIBUS à GENUA notior eſt in hoc noſtro Gymnaſio, cui militavit diu ſumma cum laude Profeſſor Philoſophię clariſſimus, quàm ut elogio cujuſpiam indigeat. De eo aliqua Scardeonius (6), & Tomaſinus (7), & alii, undè nos ejus doctiſſimo nomine ſyllogen hanc noſtram augemus. Ortus eſt Patavii ann. MCDXCI. illuſtriſſimo genere, quod cùm imperaſſet in Paſſerinis Mantuæ Regulis, traductum Genuam, inde verò Patavium, utrunque cognomen retinuit, ut à Paſſeribus, & Geneva cenſeretur, atque inter Patavinas familias præcipuæ nobilitatis decus explicaret. Patrem habuit Nicolaum, clarum Medicum, & Profeſſorem Gymnaſii noſtri, de quo pauca Scardeonius (8). A puero liberalibus diſciplinis excultus ita ſe phyſicis meditationibus addixit, ut Philoſophorum præcipuus adhuc in ætatis flore haberetur. Hinc doctrinæ conſecutus inſignia, ſtatim, quæ didicerat, docuit, diuque in ſede ſecunda ordinariæ Philoſophiæ hanc profeſſus, ejuſdem ad ſuggeſtum primum evectus eſt an. MDXXXI. quo ex loco ſummâ cum auditorum frequentia & publica utilitate fertur primus, certè inter primores, atque precipuos Ariſtotelis doctrinam ſecretiorem ex Græcis textibus explanaſſe; ac dogmata Peripateticorum involuta variis Interpretum ambagibus recta methodo, eruditione mirabili, acri judicio, ac tam experrectâ & expeditâ facilitatę illuſtraſſe, ut non defuerint, qui ſuſpicati ſunt, eum ad tantam rerum notitiam non experientia duce, ſed familiaris lemuris cujuſpiam ductu fuiſſe provectum. Re ipſa vir fuit non in una, quam profitebatur, Philoſophia verſatus, ſed omnium propè ſcientiarum, artiumque liberalium ornamentis inſtructus; ut non ſit mirum, ſi Pierius (9) Valerianus de illo prædicet, nihil in tota Encyclopædia fuiſſe, quod illum latuerit, quod non habuerit in promptu, eoque pro loco, ac tempore feliciſſimè non ſit uſus. Effœtæ ejus ætati & emeritæ datum, (quod raro olim, ſed & magnificè, nunc parcitas à moribus abſtinet) ut non integro tantum, verum etiam aucto ſtipendio, atque additis honorificentiſſimis titulis vacaret, ſuoque exemplo doceret poſteros, ſapientiam tutâ ac commodâ ſenectute venerabilem non otiari, ſi gloriæ militet vel in otio. Vixit annos LXXII, deceſſit ann. MDLXIII. conditus in monumento patris (10) ad S. Joannis in Viridario. Edidit

Comment. abſolutiſſimos in lib. de Anima. *In lib. Phyſicorum.*
In lib. de Cœlo. *In lib. Metaphyſicorum.*
In lib. de Generatione. *Contra Antonium Bernardum Mirandulanum.*

C A-

(1) loc. cit. Scard. Tomaſ. Port. lib. 7. c. 6. p. 252. (2) ibid. p. 226. (3) Obſervat. 84. (4) Gym. lib. 4. pag. 409. (5) Salom. Inſcr. Pat. p. 75. num. 186. 187. [6] lib. 2. Claſſ. 9. p. 216. [7] Elog. lib. 1. p. 100. & ſeqq. [8] ibid. p. 215. (9) in. Præfat. ad Tit. de Iſide & jugeris quadra. [10] Scard. ibid. Salom. Inſcr. Pat. p. 182. num. 31.

CAPUT XIII.

Gabriel Fallopius. Baſſianus Landus. Matthæus Curtius. Andreas Veſalius.

LXIII. FAllitur Petrus Caſtellanus (1) apertè in GABRIELE FALLOPIO, quem 1563
natum ſcribit ann. MDXXIII. mortuum MDLI. nondum quadragenarium.
Conſtat ex Tomaſino (2), annum natalem Fallopii fuiſſe MCDXC. Murinenſis patriâ ab honeſtis parentibus, qui domicilium tranſtulerunt Venetias, & Patavii ſibi prædia comparaverant, puer acutiſſimi ingenii, & robuſtiſſimi corporis literarum ſtudiis admotus, brevi ſeverioribus diſciplinis idoneus viſus eſt. Præ aliis ſibi agnoſcendam, ac penitus introſpiciendam Medicinam elegit; fuitque auditor in Gymnaſio noſtro clariſſimorum virorum omnium, qui ea ætate illam artem profitebantur, cui Aſtrologiæ notitiam adjunxit, excitatuſque famâ Jacobi Carpenſis, de quo idem Caſtellanus (3), ad Botanicam, & Anatomen animum appulit, urgente Jo. Baptiſta Montano, quo præcipuo præceptore uſus eſt. Hanc ob cauſam totam fere Europam dicitur peragraſſe, ut abdita cognoſceret arcana naturæ, plantarum abſtruſas virtutes deprehenderet, & ad cœleſtia penetranda mente pertingeret. Hinc à peregrinationibus reduci locus datus eſt inter Anatomicos in Gymnaſio Piſano, undè à Senatu Veneto evocatus Anatomicam artem non minor deceſſore Veſalio, ſucceſſoribus major, ſummo explicavit cum plauſu. Nam multa noſcenda detexit, atque inter alia Tubas, ſeu cornua Matricis, undè, ex recentioris Medicinæ ſententia, ova, quæ hominum ſeminarium ſunt, in Ovarias alvi deſcendunt; quamobrem Cornua hujuſmodi Tubæ appellantur Fallopii. Hęc in Theatro Anatomes ediſſerens ſimul & virtutes herbarum ab Exedra docuit, & in Horto Botanico poſt Bonafidem plantas demonſtravit ab ann. MDLI. ad obitum uſque. Mortalitatem explevit Patavii ſenex annorum trium & ſeptuaginta anno MDLXIII. Jacuit in baſilica Antoniana, noſcendus ex appoſito diſticho (4) hoc.

Fallopi, hic tumulo ſolus non conderis, undè
Eſt pariter tecum noſtra ſepulta Domus.

Nunc nulla memoria ejus, monumentum nullum eſt, nam cùm in eo loco janua fuerit conſtructa, oſſa tanti viri aliquandiu in capſa lignea ad oſſuaria vetera neglecta jacuere, donec in ſepulcro Melchioris Guillandini condita quievere in primo clauſtro Cœnobii. Edita ſunt hæc Scripta Fallopii.

Obſervationes Anatomica.	*De Decoronatione*
Inſtitutiones Anatomica.	*De parte Medicinę, quę Chirurgia appellatur.*
De humani Corporis Anatomia Compendium.	*Methodus conſulendi.*
De partibus ſimilaribus.	*Obſervationes de Venis.*
De vulneribus Tractatus III.	*Expoſitiones in lib. Galeni de Venis.*
De Cauteriis Tabula.	*De compoſitione Medicamentorum.*
De Morbo Gallico.	*De Medicamentis ſimplicibus.*
De Medicamentorum ſimplicium purgantium remediis.	*De Aſparagis.*
De luxatis & fractis oſſibus.	*Tractatus de medicatis Aquis, & foſſilibus, & Metallis.*

Opus Italicè inſcriptum *Secreta diverſa, & mira in tres libros diviſum* falsò tribuitur Fallopio: tribuendum creditur Joanni Bonacio, ita Placio cenſente (5).

LXIV. BASSIANUS LANDUS (6), patria Placentinus, politiorum omnium di- 1563
ſciplinarum ornamentis inſtructus eſt in patria primùm, deinde Patavii, ubi Jo. Baptiſtæ Montani diſcipulus Philoſophiæ, quæ ad eum diem exoleverant, ſtudia tranſtulit ad Medicinam. In utraque autem ſcientia Doctor, ſtatim ad publicas exedras provectus eſt, non ſanè continenter præceptori ſucceſſor datus, ut multi ex Ghilino ſomniarunt, ſed in ſubſelliis minoribus majora meritus ad illud pervenit; quod magiſter ejus ante annos ſexdecim deſeruerat, ut majore ex loco diſceptaret. Nam primo è ſecunda ſede Philoſophiam extra ordinem docuit, ſuffectus

(1) Vit. Illuſt. Medic. p. 206. (2) Elog. lib. 1. p. 41. (3) ibid. p. 168. (4) Tomaſ. elog. ibid. p. 43. Salom. Inſcr. Pat. p. 382. n. 124. (5) de Script. Anonym. p. 194. (6) Ghil. Vol. 2. Reinger. Theatr. Virum. Quenſted. de. Patr. Vir. Illuſtrium.

Hieronymo Stephanello Patavino ann. MDXLIV. Triennio poſt in primo loco extraordinariam Theoricam Medicinam profeſſus ann. MDXLVII. Antonio Fracantiano Vicentino ſucceſſit, eodemque anno translatus ad alteram ordinariam excepit Oddum de Oddis, ac ingenti cum laude docuit per annos duodecim, quibus exactis ad primam ſedem ejuſdem Oddi ſucceſſor ann. MDLIX. magni nominis, & celebritatis Profeſſor evaſit. In hac poſtremum diem clauſit interfectus à ſicario, qui noctu redeuntem domum vulneribus ſeptem impetiit, ex quibus die ſeptimo ſummo totius Academiæ cum luctu periit, mandaruſque terræ eſt ſine titulo in Eremitana baſilica an. MDLXIII. Claret ex his Operibus, & operum titulis.

Jatrologia,
Dialogi duo ad Herculem II. Ferrariæ Ducem. In his exhibet Methodum ad cognoſcendos, & curandos morbos.
Præfatio in Aphoriſmos Hippocratis,
Libellus de Vacuatione.
Comment. in Artem parvam Galeni,
De Origine & cauſa Peſtis Patavinæ an. MDLV.
Liber Epiphyſidum.
Comment. de antiquis Imaginibus.
Ecphraſis de motu, de loco, de tempore, de Incremento, de Natura Cæleſti
De humana hiſtoria, hoc eſt de partium hominis cognitione libri II.
Paraphraſis in libros Ariſtotelis de Anima.
Annotationes in Terentium.
Verſio latina Orationis Demoſthenis contra Androtionem.

1564 LXV. MATTHÆUM CURTIUM, Franciſci Curtii (1) junioris Juriſconſulti celeberrimi fratrem, nobilis ſed pauperrimus pater Ticini edidit, ibidemque educavit, egeſtas autem addixit ſtudioſis laboribus, quorum poſtquam ſtudium legitimum decurrit, ad præmia virtuti debita venit doctor Medicinæ jam tum nominis eximii. Docuit primùm in Patrio Gymnaſio, deinde in hoc noſtro Theoricę Medicinæ Profeſſor clariſſimus ab ann. MDXXIV. ad MDXXXII. claruitque tantâ ex re Medica ſapientię famâ, ut eum Clemens VII. Pont. Max. ſui corporis valetudini præfectum optaverit, evocatumque in aulam præfecerit. Ei deinceps, ſi quando proficiſcebatur ab urbe, ſemper adfuit ſalutis cuſtos, & victûs arbiter: eundemque ſecurus eſt cùm neptem Catharinam deduxit Maſſiliam ad nuptias cum Henrico Franciſci I. Gallorum Regis filio, celebrandas. Extincto Pontifice, Bononiam ſeceſſit, ibique aliquandiu docuit, mox accitus Florentiam à Coſmo Duce, cùm ibi quoque docuiſſet, ad prima. Piſani Gymnaſii ſuggeſta provectus eſt, è quibus artem ſalutarem explanavit ſummâ cum laude, & auditorum frequentiâ; in ea urbe numero vivorum exemptus eſt ſepruagenarius ann. MDLXIV. Sepultuſque in communi cœmeterio, quod Campum Sanctum vocant, ſignatur hoc epitaphio ſumptu Principis ipſius poſito.

Matth Curtio Ticinenſi
Qui Hippocratis Galenique Vindex,
Salutis augurium egit, Medicinamque
Exercendo, & docendo ipſe valens
Semper excoluit. Monumentum
Hoc amplius quam
FF. T. P. I.
Coſmus Medices Florentiæ Dux II. Ære
ſuo P. C. Anno MDLXIV. Vixit
Ann. LXX.

Scripſit. *De Prandii & Cœnæ modo libellum.*
De Vena Sectione librum.
In Mundini Anatomen Explicationem.
De Aqua bonitate.
De doſibus, ſeu de juſta quantitate, & proportione Medicamentorum Opuſculum; quæ omnia recenſentur à Ghillino (2) & ante hunc à Riccobono, (3) & Tomaſino (4);

LXVI. Anatomicorum princeps ANDREAS VESALIUS locum habet præcipuum
1564 inter Profeſſores Gymnaſii noſtri. Natus eſt Bruxellis (5) in Brabantia Belgarum Provincia nobiliſſima anno MDXIV. Andreæ Pharmacopolæ apud Carolum V. filius. Fertur à puero, mures, talpas, canes, ac feles diſſecare, & eorum viſcera rimari, in more habuiſſe, atque in deliciis; magno ſcilicet omine futuræ dexteritatis Ana-

(1) Ghil. Theatr. Vol. 2. par. 195. (2) Vol. 2. Theatr. p. 195.
(3) lib. 1. cap. 15. pag. 21. (4) lib. 3. cap. 8. p. 291.
(5) Teiſſ. addit. ad Elog. Thuan. T. 1. p. 244. 246.

Anatomicæ, quam hìc jamdiu intermortuam ad vitam revocavit. Anno ætatis undevigeſimo admirandum opus de humani Corporis fabrica in publicum edidit, nec diu poſt Baſileæ Anatomen publicè docuit, unde antequam diſcederet, corporis humani ſceletum artificiosè conſtructum ſui amoris μνημεῖον Academiæ reliquit; acceſſituſque Patavium eximiâ mercede Chirurgiam profeſſus eſt in Gymnaſio, in quo eam Artem prælegerat ann. MDXL. ætatis XXVI. ſimul & Anatomen adminiſtrabat concurſu pene dixerim inaudito, & diſcipulorum ex totâ Italia & finitimis regionibus mirâ frequentiâ. Quadriennio functus eſt eo munere apud nos, deinde à Carolo V., ejuſque filio Philippo II. Hiſpaniarum Rege accitus, & aulæ ſuæ Medicus renunciatus, Matriti fuit, unde à Rege miſſus in Galliam eſt, ut Henrici II. vulnus, in ludo equeſtri acceptum, curaret: ſed cùm Regem mortuum repeřiſſet, rediturus in Belgium, mirum virtutis ſuę, & Anatomicæ ſcientiæ Gallis experimentum exhibuit. Cùm enim linteolo contexiſſet oculos, provocavit omnes, pollicitus, quodcunque os offerretur ſic velato, agniturum ſe illud ſolo tactu, ac de eo, quidquid eſſet dicendum probè videnti, dicturum. Id quod & facto ipſo probavit, mirantibus omnibus, tantum in arte, quæ adſpectui ſervit, uſum. Profectus in Belgium parem admirationem à popularibus ſuis extorſit, prędictis Burenſi Comiti die, horâ, ac pene non momento mortis, quam proximè obiturus erat. Ferunt Comitem tantâ & credulitate, & conſtantiâ mortis nuncium accepiſſe, ut indicto amicis ac familiaribus convivio, ipſe ſedens in menſa argenteam ſupellectilem ac gemmas inter illos diviſerit: mox decumbens, eâ planè obierit horâ, quam Veſalius ſignaverat. Redux in aulam Hiſpanicam non diu ibi vixit, diſceſſitque vel pertæſus vitæ aulicæ, vel coactus facto, quod ſic apud Teiſſerum (1) Languetus narrat. Cùm Veſalii familiaris Hiſpanus quidam nobilis, uti videbatur, mortuus fuiſſet, is ab ejus cognatis obtinuit, ut eum diſſecaret: at ubi novaculam, id agens, in ejus pectus infixit, agnovit illico, eum adhuc vivum, inſtitit attamen operi, quod incęperat, apertoque thorace, vidit adhuc cor ſaliens palpitare. Re à cognatis compertâ, Veſalius utriuſque criminis reus agitur, & homicidii apud Judices ordinarios, & impietatis apud Quæſitores pravitatis hæreticæ, quo certiùs ac ſeveriùs plecteretur. Crimen manifeſtum erat, & publicum, jamque ſacri Judices de homine ex legibus puniendo agebant, cùm Regis Philippi amor, quà auctoritate, quà precibus interceſſit, parcitumque eſt reo, hac tamen conditione, ut pœnæ nomine peregrinationem Hieroſolymitanam obiret. Suſcepit hanc Veſalius circa annum MDLXIII, quo etiam Senatus Venetus eum ad Fallopii, qui dudum ad plures abierat, ſedem, ingenti ſtipendio decreto, revocavit. At illum agebant fata. Socius Jacobi Malateſtæ Ariminenſis, terreſtrium apud Venetos copiarum Imperatoris navigavit in Cyprum, indeque Hieroſolymam adiit, unde redux, dum in Italiam ad ſedem ſibi decretam navigationem inſtituit, tempeſtate in deſertum Zacynthi litus ejectus, ibique morbo correptus, atque omni ope deſtitutus, in miſerrimo tuguriolo, vel ut aliis ſcribunt, ſub arbore, inter agreſtes, & barbaros è vita deceſſit ann. MDLXIV. ætat. L. Fertur ab auri fabro, qui eò paulo poſt fortè appulit, agnitus, fuiſſe ſepultus. Tradit Joannes Schenkius (2), opus à Veſalio Anatomicum ſcriptum, quo non ſanorum tantùm, ſeu ſecundùm naturam ſe habentium, verùm etiam ex occultis diuturniſque morbis demortuorum corporum diſſectiones hiſtoriis propoſitis complexus eſt labore regum theſauris præferendo. Latere illud in Hiſpania idem veriſimillimum putat, ſed Patavii quoque fuerit, quò Veſalius ſua mittebat omnia ad Fallopium, à quo tanti ſemper habitus eſt, ut eum patrem, ac reſtitutorem Anatomes, virum divinum, & naturę miraculum appellaret, quamvis non ſemper adſtipularetur ejus ſententiis.

Edita Veſalii Opera ſunt.

De humani corporis Fabrica libri VII.

Anatomicarum Gabrielis Fallopii obſervationum Examen.

Epitome librorum de humani Corporis Fabrica.

Epitome Anatomica cum notis & Commentariis.

Epiſtola docens, venam axillarem dextri cubiti in dolore laterali ſecandam, & Melancholicum ſuccum ex vena porta ramis ad ſedem pertinentibus purgari.

Chirurgia magna à Proſpero Borgarucio cum Inſtrumentis edita.

De radice Chinæ Epiſtola, ubi ſparſim de Salſa Parilla.

De modo propinandæ Chinæ

Conſilium pro Magni Terræ novæ Ducis fiſtulâ ex lęva axilla in thoracis concavum pervia, & aliis gravibus non paucis affectibus, ob puris ſupra ſeptum tranſverſum coacervationem, & ineptam per fiſtulam expurgationem ſubinde provenientibus.

(1) in Addit. ad Elog. Thuan. T. I. p. 245. (2) in Præfat. Obſervat.

Conſilium pro viſu partim depravato, partim abolito.
Conſilia quædam Medica de Arthritide. Vertit etiam quædam Rhaſis Opera, ſed malè ob Arabicæ linguæ ignorantiam.

CAPUT XIV.

Matthæus Realdus Columbus. Antonius Fracantianus. Franciſcus Robortellus. Victor Trincavellus.

1564 LXVII. MATTHÆUS REALDUS COLUMBUS Cremonenſis bello Cameracenſi abductus à patria bonas artes, & Philoſophiam perdidicit adoleſcens Mediolani. Juvenis rebus Venetorum compoſitis, ac Gymnaſio reſtituto Patavium venit, atque hìc Medicinæ ſe addixit, cujus deinde in ea maximè parte verſatus eſt, quæ ad rem anatomicam pertinet, fuitque præcipuus auditor, atque etiam ſectator Veſalii. Hoc præceptore ac patrono commendante, juſſus eſt Sophiſticen in Gymnaſio profiteri, quam docuit collega Joannis Gravii Britanni, ſuffectus Jo. Baptiſtæ Balneato Patavino an. MDXL. Poſtquam Veſalius in Hiſpaniam abiit, collega Fallopii ab altera ſede Chirurgiam, & Anatomen adminiſtravit ab an. MDXLIV. nec ultra annum exinde tertium ſignatus reperitur in Rotatis catalogis Profeſſorum, quum an. MDXLVII. ſucceſſor ejus Paulus Guiduccius notatus appareat: & fortè ſe à munere publico excuſaverit. Nam vixiſſe eum ultra annum MDLXIV. conſtat ex Epitaphio (1), quod eo anno Epiphanio filio mœſtus impoſuit in templo Servorum. Scriptis eum claruiſſe Tomaſinus tradit (2): neque ipſa edidit libros XV. de Re Anatomica, ea his complexus, quæ raro in corporum ſectionibus conſpiciuntur.

1567 LXVIII. ANTONIUS FRACANTIANUS nobilis Vicentinus nepos Antonii ſenioris ex eadem clara familia, qui ordinariam Philoſophiam in prima ſede profitebatur Patavii an. MD. ut conſtat ex catalogis Profeſſorum à Tomaſino (3) productis, ab adoleſcentia bonarum artium alumnus in Gymnaſio noſtro fuit. Nondum ætate major, receptis Philoſophiæ, ac Medicæ artis inſignibus, Logicam profeſſus eſt ab exedra tertia an. MDXXIX., decennio autem poſt traductus ad primam extraordinariæ Medicinæ Theoricæ, inter præclariſſimos Profeſſores enituit ad annum uſque MDXLVI., quo datus collega Paulo Craſſo Patavino, pari dignitatis honore ex altera Practicæ Medicinæ ſede frequentiſſimos auditores inſtituit tantâ doctrinæ famâ, ut eum Bononienſe Gymnaſium optaverit, oblatoque ampliſſimo ſtipendio ad primas exedras ſuas evocaverit, attraxeritque an. MDLV. quem deinde poſt annos novem ad ſe revocavit Gymnaſium noſtrum, ac primæ ſedi non ſanè Practicæ, quam Trincavellus tunc obtinebat, nec ſucceſſorem Trincavelli, ut non felix chronologus Tomaſinus conſtituit (4), ſed Theoricæ Baſſiani Landi ſucceſſorem præfecit an. MDLXIV. Vix triennio ſupervixit, obiitque Patavii an. MDLXVII. Edidit celebrem tractatum *de Morbo Gallico*. Librum *de Variolis*. *Notas in Avicennam, & Rhaſim*, in cujus librum *IX. Prælectiones ab eo habitas*, nec editas habuiſſe Joannem Rhodium ſcribit Tomaſinus (5).

1567 LXIX. Utinum urbs clara Carnorum, caputque Gentis, FRANCISCUM ROBORTELLUM genuit (6), virum ferocis ingenii, eruditionis eximiæ, infractæ in adverſis, in proſperis elatæ mentis, & fortunæ indulgentioris plerunque, quamvis ea paſſim laceſſeretur, & in ſui clientis exitium perpetuâ ejus ſiniſteritate provocaretur. Mitioribus literis in patria imbutus, has diligentiùs excoluit, additiſque graviorum diſciplinarum munimentis egregiè confirmavit Patavii. Mox accitus Lucam, cùm aliquandiu eloquentiam docuiſſet, reus factus homicidii, & convictus, fugâ ſibi conſuluit, multatuſque exilio eſt, quod illi gradum ad majora fecit. Nam Piſas profectus ingenti cum plauſu ad ſedem Eloquentiæ, ac Philoſophiæ Moralis aſcendit; cœpitque ferocem animum in famam clariſſimorum ex eruditione virorum convertere: undè illi nomen illuſtrius, & ex maledicentia decus; non quale quorundam noſtra ætate eſt, qui ſtolidè carpunt omnia, ſeque non ſine riſu, & indignatione, ſtomachoque proborum in ipſa dicacitate ignorantiſſimos pædagogos, & arcadicos cenſores omnibus probant, ſed quale in viro ſapiente damnes quidem, ſed feras, & ex quo aliquid diſcas

cas

(1) Salom. Inſcr. Patav. p. 469. n. 22.
(2) lib. 3. c. 13. p. 302. (3) Gymn. lib. 3. c. 15. p. 306.
(4) Gymn. lib. 3. c. 10. p. 298. (5) loc. cit.
(6) Imperial. Muſæ. Teiſſer. Add. ad Elog. Thuan. T. 1. p. 311. & ſeq.

cas præter alienas injurias. Inerat enim Robortello peracris, ac erudita obtrectandi licentia, ſummaque, ſed & docta in viros doctos iniquitas; quos neque pares ferre poterat, &, ut ſe minores oſtenderet, luſibus, & convitiis ingenioſè, ac perfacetè proſcindebat. Summa illi contentio cum Sigonio fuit, nec modeſtior cum Alciato, aliiſque ſui ævi luminaribus, quibuſcum ſcriptis editis propè internecinas exercuit ſimultates. Notat Voſſius (1), Robortellum non ſecus locutum de Eraſmo Roterodamo ac de ignorantiſſimo literatore; Paulum Manucium illi fuiſſe bibliopolam merum, atque typographum: putidum pædagogum Muretum: Henricum Stephanum impoſtorem manifeſtarium. Venetiis etiam, quò Piſis relictis diverterat, Baptiſtam Egnatium præſentem crebrò ſolitus deridere, periculum ſubiit à ſene decrepito laceſſito, qui fertur, educto ſenili gladiolo, impetum feciſſe in obtrectatorem infeſtum. E' vivis erepto Lazaro Bonamico eruditiſſimorum hominum hoſtis eruditiſſimus Robortellus ſucceſſor datus humanioribus literis explanandis ad noſtrum Gymnaſium venit; docuitque ſexennio integro ab an. MDLII. ad an. MDLVIII., cum à Bononienſibus majore ſtipendio emptus, ſummâ in eo Gymnaſio frequentiâ de Arte Oratoria diſſeruit: nec tamen diu. Nam cum rogatu Hiſpanorum ibi funebrem de Carolo V. Cæſare orationem habendam ſuſcepiſſet, in ipſo dicendi exordio ita memoriâ deſtitutus eſt, ſenſibuſque turbatus, ut progredi minime quiverit; eoque infortunio, uti mos habet, ita exiſtimatione, quam ſibi aliundè quæſierat, excidit, ut migrandi Bononiâ conſilium cœperit, quod & effectum dedit, invitatus Patavium iterum an. MDLXI. Ergo Sigonio Bononiam accito ſuffectus, iterum in hoc noſtro Gymnaſio humaniores literas, & moralem Philoſophiam ſummâ celebritate profeſſus eſt. Scripſit acerbiùs tunc adverſùs Sigonium, quo quidem ſapientiâ minor fuit, at actione in diſſertationibus major, atque ideo diſcipulis gratior, præſertim Germanis, quorum Natio unanimis perpetuam grati animi memoriam in periſtylio baſilicæ Antonianæ defuncto teſtata eſt, erecto nigro lapide, & ſtatua cum Epigraphe hac,

Franciſco Robortello Utinenſi Rhetoricæ Artis
Moraliſque Philoſophiæ Profeſſori clariſſimo,
qui in florentiſſimis quibuſque Italiæ Gymnaſiis
magna cum famæ celebritate triginta annos publicè
docuit, Natio Germana Præceptori benemerito unanimis poſuit. Vixit Annos L. Menſes VI. Dies IX. Obiit
XV. Kal. Aprilis MDLXVII.
Conſiliario Carolo Forlich à Forlichſpurg. Procuratoribus
Georgio Rotmairo, & Ugone Jacobi Roterodamo.

Eo igitur anno XV. Kal. Aprilis, atque adeo XVIII. Martii deceſſit, non autem XV. Aprilis, ut habet Tomaſinus (2). Opera Robortelli ſunt

Annotationes in omnes hymnos Callimachi.
Laconici, ſeu Sudatorii explicatio.
De Vita, & Victu populi Romani.
De Provinciis Romanorum, & de Judiciis eorundem.
De præmiis Militaribus.
Ephemerides Patavinæ An. MDLXII.
De nominibus Arborum.
De Rhetoricâ facultate.
Explicatio in Catulli Epithalamium.
De Convenientia Supputationis Livianæ cum Marmoribus, quæ ſunt Romæ in Capitolio.
Diſputatio de ratione corrigendi veteres Auctores.
Epiſtolæ variæ.
De artificio dicendi liber.
Tabulæ Oratoriæ.
Æſchili Tragediæ ex MSS. libris repurgatæ, & comment in eaſdem Tragedias.
Comment. in aliquot loca Horatii, Cæſaris, Tibulli, Catulli, Propertii, Ciceronis Rhetoric., OEconomica Ariſtotelis.
Ode Græca, quæ inſcribitur [illegible].
Explicationes in Libr. I. Æneidos.
Annotat. in varia loca Græcorum, & Latinorum libri II.
In librum Ariſtotelis de Poetica, & Paraphraſis Horatii in Poetica.
Explicationes de Poetica, de Satyra, Epigrammate, Comœdia, Salibus, & Elegia.
Annotat. in Obſcuriora loca Epiſtolar. Familiarium Ciceronis.
Notæ in Aſconium Pedianum.

Annota-

(1) de Anal. lib. 1. c. 7. (2) lib. 3. c. 40. p. 342.

Annotationes in Apophthegmata Eraſmica, & quædam Diogenis Cynici ex Laertio non bene verſa.
Converſio latina Æliani Sophiſtæ de Militaribus Ordinibus inſtruendis more Græcorum.
Comment. de Arte Hiſtorica, & multa adverſus Sigonium.

1568 LXX. VICTORIS TRINCAVELLI (1) nomen doctorum Gymnaſii noſtri gloriam auxit, eamque orbi univerſo celebrandam propoſuit ſeculo XVI. Ortus ex familia inter cives Venetos clarâ an. MDXCVI. Adoleſcens Dialecticæ operam dedit Patavii, adjunxitque Philoſophiæ Medicæ artis ſolertiſſimum ſtudium: exactâ adoleſcentiâ, ut ſibi famam etiam apud exteros compararet Bononiam profectus tantus apud præceptores ſuos habitus eſt, ut eum in rerum difficultatibus conſulere non erubeſcerent; peterentque ab eo lucem, ſicubi tenebras in enarrandis priſcis ſcriptoribus offendiſſent. Quippe jam tum Philoſophiam, ac Medicinam barbarie deturpatam ſtudebat humanioribus expurgare diſciplinis Latinæ, & Græcæ ſapientiæ. Hinc in diſſertationibus ſuis Latinis Græca miſcere ſolitus, ex his, quorum adſtupebant miraculo auditores, apud Bononienſes Græcus appellabatur. Poſt moræ Bononienſis ſeptennium, ſuis, & exoticis opibus dives, Patavium rediit, ubi exacto ſtudiorum curriculo, receptiſque inſignibus doctrinę, regreſſus in patriam eſt: nec multo poſt loco Sebaſtiani Fuſcareni Philoſophi nobiliſſimi, publicè Philoſophiam Venetiis profiteri cœpit; in eoque munere Philoſophorum ſui temporis gloriam obſcurare, atque inter hæc Medicinam ſumma felicitate, ac fama virtutis facere. Ex hac apud Venetos clarus, Murianum accitus libentiſſimè in ea Inſula patriæ proxima, peramœna, & ſtudiis opportuna ſuis, artem exercuit. Verùm patria commota deſiderio ejus, & abſentiæ impatiens, eum ad ſe revocavit, receptumque in collegium Venetum Medicorum, cujus deinceps vindex, & patronus fuit, ita coluit, ut non ſolùm in urbe Veneta princeps fuerit Jatroſophiſtarum omnium, ſed & in Italia univerſa ſummus Philoſophus, & Medicus habitus ſit: ad quem tanquam ad Apollinem undique viri principes curationis, vel conſiliorum cauſâ confluerent. Inde illi ingens lucrum, quod aureorum tria millia ſuperaſſe quotannis dicitur; quodque is tamen contempſit juſſis publicis obſequens, quibus Joanni Baptiſtæ Montano in habendis prælectionibus Patavinis ab exedra prima Practicæ Medicinæ ordinariæ ſuffectus ſolo coronatorum nongentorum quinquaginta ſtipendio laborem Gymnaſticum iniit ann. MDLI. vergente ad ſenium ætate, vir annorum LIX. Aucta illi merces eſt triennio poſt ad MCC. mox, & ad MDC. perrexitque docens rara cum gloria, & fama eruditionis, non ad an. MDLXIV. ut legimus apud Tomaſinum (2), ſed ut habet Laurentius Marucinus (3) in ejus vita præfixa ejuſdem conſiliis, ad an. MDLXVIII. ætat. LXXII. quo juſſu Senatûs ad curationem Andreæ Pegel Cæſarei Curatoris in Carnia miſſus, eo ex deſperata Medicis ægritudine ad ſanitatem reſtituto, ipſe fractus incommodis, indeque febri correptus Venetias divertit, ibique vivere deſiit, ſepultus ad Cruciferos, laudatuſque à Dominico Caſtello funebri oratione, quam legimus, & ad hæc, quę ſcribimus adnotavimus, ea pręſertim parte, quę nobis Opera ab eo ſcripta, editaque ſigillatim enumerat his titulis.

Themiſtius Hermolai Barbari Scholiis illuſtratus.
Simplicius, & Jo. Grammaticus editus Gracè.
Quæſtiones tres de Reactione juxta decreta Ariſtotelis, & Averrois.
Utrum in morborum initiis, ſolùm cùm Materia turget, medicamentis purgantibus uti liceat?
De Vena in Pleuritide, cæteriſque partium inflammationibus ſecanda.
Multi Galeni libri in latinum ſermonem tranſlati.
De ratione, & uſu componendorum Medicamentorum libri III.
Practicæ Medicinæ libri II.
De Moribus particularibus, & Febribus.
Enchiridion de cognoſcendis externis, & internis humani Corporis Morbis.
Epiſtolæ Medicę, tum ipſius, tum aliorum Medicorum ad eum ſcriptę.
Comment. in IV. Primi Avicennę.
In librum II. Prognoſticorum Hippocratis.
In libros Galeni de compoſitione Medicamentorum per loca.
Conſilia ultra CC.
Opuſcula de febre hectica, de affectibus Ventriculi, Hepatis, & Lienis.
De vulneribus Capitis.
De Febre peſtilenti.
De morbo Gallico.
Alia in eadem Oratione enumerantur, quę non edita perierint.

CAPUT

(1) Laurent. Marucin. Vid. Trincavelli Domin. Caſtelli Orat. funebri in eund.
(2) lib. 3. cap. 10. p. 298. (3) loc. cit. ſub fine.

CAPUT XV.

Chriſtophorus Lignamineus. Franciſcus Barocius. Joannes Faſeolus. Paulus Craſſus. Aloyſius Bellacatus.

LXXI. CHRISTOPHORUS A' LIGNAMINE, ſeu LIGNAMINEUS, ſuo, & fratris Deſiderii nomine Gymnaſio Patavino memorabilis eſt. Suo quidem, quòd 1568
Patavinus, genere non obſcuro natus, vir autem Philoſophiæ, ac rei Medicæ peritiſſimus, qualem illum poſteris exhibet Scardeonius (1) diu in Gymnaſio noſtro non Logicam ſolùm, in qua una ponitur à Tomaſino (2), verùm etiam Philoſophiam ordinariam, & Medicinam extra ordinem publicè profeſſus eſt, ut ex catalogis, & inſcriptionibus Gymnaſticis comprobat Salomonius (3). Utranque ſcientiam poſtmodum Venetiis docuit, mox alteram fecit ibidem, edcaptique abſolutiſſimam expoſitionem in difficillimum Prologum magni Averrois ad libros de Phyſico Auditu, quam idem Scardeonius laudat (4), & magna cum admiratione perlectam dicit ab omnibus. Eam ille inſcripſit Sebaſtiano Fuſcareno Senatori doctiſſimo, & literario Triumviro, pollicebaturque multa ſe propediem editurum, quæ parabat, ſed an ea publici juris fecerit, ignoramus, ac potius eſt, ut dicamus, hæſiſſe, quæ ſcribebat, in papyro, nec in lucem publicam prodiiſſe: quippe an. MDLXVIII. Venetiis vivere deſiit nondum plane ſenex, ut ſcribit ejus frater Deſiderius (5): quem hìc nominare liceat grati animi cauſa. Illi enim hoc opus noſtrum admodum debet; quippe multa collegit ad Gymnaſticam antiquitatem pernoſcendam utilia, faterique æquum eſt, verum eſſe, quod annotat Salomonius (6), ſi quid habent, quod ſapiat, quod vera de Gymnaſio noſtro proponat, & certa, nec res ad conjecturas, & ut Græci dicimus, προλήψεις, deducat, id ferè totum Deſiderio Lignamineo deberi, qui labore improbo, quæ tunc è parietibus Gymnaſii poſteritati vivebant, monumenta, & inſcriptionibus nomina, ac virtutes diſcentium docentiumque explicabant, magna ex parte congeſſit, alba Gymnaſtica contulit, aulas Quæſtorias excuſſit, ea denique omnia veſtigavit, quæ incondito quidem ordine, ac perturbato, at opulentam ſcribendi materiem ſuggerunt. Habuit hæc ipſa Salomonius, cùm de Gymnaſticis Inſcriptionibus ſcribere cogitabat; pleraque autem excerpſerat, atque novis, ut ſolebat, laboribus illuſtrarat; ſcripta tamen ea erant in epiſtolarum papyraceis operimentis confusè, & inordinatè adeo, ut non minori labore ad uſum revocari à nobis quiverint, cùm ipſe Salomonius ea nobis ad hoc opus vocatis conceſſit, ut ſcribit, ac magnificè (7) profitetur. Porrò in his de conſarcinatore ipſorum hæc habeo. Natus eſt Lignamineus honeſtâ gente Patavii Joannes nomine, quod in Deſiderii nomenclationem deinde tranſtulit, natu major Chriſtophori frater. In adoleſcentia ſedulus Patrum Societatis Jeſu Patavii diſcipulus fuit, apud quòs poeſim, & eloquentiam didicit, in primis autem pietatem coluit, & religionis inſtitutionibus apprimè imbutus eſt. Cùm de ineundis publicis in Gymnaſio diſciplinis cogitaſſet, ægrotavit, nec ante convaluit, quàm ſe voto adſtrinxit obſequio Deiparæ Virginis, quæ in precario Roſarum ſerto colitur. Inde illi crebrum cum patribus Ordinis Prædicatorum commercium, & conſuetudo quotidiana, apud quos Philoſophiæ operam dedit, mox & inſtituto eorundem, ac legibus obligavit ſe, mutatoque nomine ex Joanne Deſiderium ſe dixit. Studuit poſt hæc Theologiæ, ex qua doctor in patrium Theologorum collegium receptus eſt, quo titulo inter claros artium Alumnos Gymnaſii noſtri referendus erat, ni opportuniùs viſum eſſet hìc eum fratri conjungere. Claruit maximè ex eloquentia, tum Italica, tum verò peculiariùs latina, itidemque ex Poetices latinæ laude: occurrentque ſæpe in Patavinis Inſcriptionibus Salomonii ejus epigrammata, epigraphæ, lemmata: honoribus in ordine ſuo functus ampliſſimis cariſſimus fuit Patavinis Epiſcopis, tantæque auctoritatis in collegio Canonicorum, ut ſcholis clericorum, quas collegium hoc inſtitutioni religioſæ pubertatis in Eccleſia cathedrali curâ, & ſtipendio fovet, fuerit præpoſitus. Has Deſiderius inſtaurandas ornandaſque curavit (8): atque interim beneficia multa cœnobio ſuo contulit, quæ ipſe alicubi modeſtè in libris, quos ſcripſit, enumerat. Scripſit autem longam, & luculentam hiſtoriam, tum templi D. Auguſtino dicati, tum etiam cœnobii ſui, ut leges in ejus epitaphio (9), quod ſibi ipſi paraverat biennio antequam moreretur anno ſcilicet MDLXX. De eo fortaſſis inferiùs plura.

LXXII.

(1) lib. 1. Claſs. 9. p. 227. (2) lib. 3. Gymn. cap. 35. p. 330. (3) Inſcript. Gymn.
(4) ibid. (5) in fin. Albi Gymn. Profeſs. (6) Inſcript. Gymn. (7) Præfat. ad Inſcript. Pat. in fin.
(8) Salomon. Inſcript. Patav. p. 24. num. 121. (9) apud eund. ibid. p. 44. in marg.

1569 LXXII. FRANCISCUS BAROCIUS patricius Venetus alius ab illo eſt, qui jus Pontificium profitebatur Patavii Antonii Roſelli collega circa an. MCDXLVII., nec edidit quicquam, ex quo ad hoc Opus noſtrum pertineat. Floruit enim is, quod agimus, centum annis illo poſterior declinante ſæculo XVI., nec Juriſprudentiam amavit, ſed meditationibus phyſicis addictus Matheſim præcipuè coluit. Hunc eum publicè profeſſum in Gymnaſio noſtro circa an. MDLIX., ſcribit Riccobonus (1), ac ſucceſſorem fuiſſe Petri Catenæ, vel certè collegam: id quod jure Tomaſino (2) mirum, & incredibile videtur. Nam certum eſt ab an. MCDLXXIX. vetitum fuiſſe Senatuſconſulto Patriciis Venetis publicum docendi munus etiam ſine honorario. Verùm multa quandoque contingunt, quæ quamvis vetita, facta tenent, quando lex mutum quid eſt, quod niſi ad vocem provoces, palam neminem increpat. Et fortaſſis citra profitendi publicum munus diſceptaverit Barocius publicè pro concione in Gymnaſio non ſemel de re Mathematica, undè additus illi publici Profeſſoris titulus in aliqua Gymnaſii monumenta ſenſim irrepſerit. Re enim vera, ſi libros publicos conſulas, Catenæ proximus ſucceſſor ſignatur Moletius. Quidquid ſit, certè Franciſcus Barocius claris Alumnis Gymnaſii noſtri annumerandus eſt. Hic enim, & adoleſcentiam, & juventutem tranſegit in ſolidum. Etenim hoc apertè profitetur Moletius in præfatione ad Tabulas Gregorianas; ubi eum virum illuſtriſſimum appellat, Senatorem ampliſſimum, Catenæ diſcipulum, & Geometricæ ſcientiſſimum, peritiſſimum autem in Aſtrolabio, ſimul paucis ante annis, nondum ætate in ſenium devexa occubuiſſe ſcribit Jadræ in Dalmatia Præfectum, dum in ea urbe munienda ſtudioſiùs, quàm corpus affectum pateretur, laboraret. Obierit proinde ante an. MDLXXII., quo cœptum ſub Gregorio XIII. de Kalendarii Romani emendatione, ad quam ſuas tabulas Moletius edidit, agitari. Extant Franciſci Barocii *libri IV. de Coſmographia. Libri III. de Muniendis artibus. Libri II. in Elementa Euclidis, & Commentarius*, admirandum illud Problema Geometricum demonſtrans, quod docet, duas lineas in eodem plano deſignare, quæ nunquam invicem coeant, incidantve invicem, tametſi in infinitum protrahantur, & quantò longiùs producuntur, tantò ſibi invicem propiores evadant.

1571 LXXIII. JOANNES FASEOLUS Patavinus, quem adhuc vivus mirificè laudat Scardeonius (3), juvenemque adhuc, & amiciſſimum in Philoſophiæ, & in humanarum literarum ſtudiis longè doctiſſimum, atque tam Græcæ, quàm Latinæ linguæ peritiſſimum aſſerit, vivo adhuc Lazaro Bonamico, hoc eſt ante an. MDLII. eloquentiam docere veſperi cœpit, ut ſcribit Riccobonus (4). Profecto Bononiam Sigonio, extinctoque Robortello, huic ſuffectus eſt an. MDLXVII., cùm illi id contigit, quod ſummis viris accidiſſe notum eſt ex hiſtoria. In ſolemni enim proluſione (5), qua Profeſſores coram Rectoribus urbis, & Gymnaſiarcha, Nationumque Conſiliariis munus ipſis demandatum ineunt, memoriâ lapſus ita eſt, ut illi poſt prima verba, quibus placuiſſe Principi, Senatui, ac Triumviris literariis ſibi eam provinciam demandari, profitebatur, nihil præterea ex iis, quæ paraverat, ſuperfuerit, facetiæque apud diſcipulos locum fecerit, qua luderent, dicerentque: *per verbum placuit Faſeolus diſplicuit*. Infortunium tamen vir doctus deinde publicitus excuſavit, diſertiſſimè comprobans exemplis propoſitis, quod illi contigerat, ſummis oratoribus contigiſſe. Claruit deinceps inter probatiſſimos Rhetoras laudatus ab ipſo Riccobono (6) non tam collega, quàm æmulo. Nam ei adhuc vivo Riccobonus (7) adjunctus eſt eo ipſo anno, quo deſiit inter mortales eſſe, exeunte Decembri an. MDLXXI. Primus (8) latinè vertit *Commentarios Simplicii in libros Ariſtotelis de Anima*, nec quicquam aliud ex ejus operibus extat, quod ſciam, præter *Epiſtolas tres*, cultiſſimas, elegantiſſimas, quæ jure eum à ſynchronis laudari, accenſerique clariſſimis Profeſſoribus Gymnaſii noſtri, comprobant.

LXXIV. PAULUS CRASSUS ſeu *de Craſſis* Patavinus, quamvis ad primas
1574 Gymnaſii ſedes non fuerit evectus, eas tamen meruit, quippe dignitate minor ſi majoribus par fuit, aut major. Docebat Moralem Philoſophiam anno MDXXIX. Hieronymi Cæpollæ, ac Priſciani Calvutii Firmani ſucceſſor. Poſt annos aliquot ad exedram extraordinariæ Medicinæ Practicæ translatus Hieronymi Tiraboſchi collega fuit in altera ſede, undè ad primam ejuſdem claſſis evaſit anno MDXXXIX. retractus deinde ad ſedem Practicæ Medicinæ par tamen primariis Profeſſoribus, vices

egit

(1) lib. 1. Gym. c. 16. p. 28. terg. (2) lib. 3. Gym. c. 39. p. 339.
(3) lib. 1. Claſ. 10. p. 149. (4) Gym. lib. 2. c. 46. p. 52. (5) Riccob. ibid. terg.
(6) ibid. p. 53. (7) idem lib. 1. c. 16. p. 30. & lib. 2. c. 2. p. 34.
(8) idem d. p. 53. Tomaſ. lib. 3. c. 40. p. 342.

git Franciſci Frigimelicæ ægrotantis ab anno MDXLIV. ad ann. MDLVIII. poſt quem an. MDLIX. ad ſedem ſecundam ordinariæ Theoricæ traductus Baſſiano Lando ad primam tranſvecto ſucceſſit, ejuſque collega fuit, deinde & Bernardini Paterni; eamque ſedem ſumma cum laude, ac virtutis gloria per annos XV. procuravit. Vir cum ex artis, quam profitebatur, præſtantia, tum ex eloquentia, & politiorum literarum ornamentis clariſſimus. Exceſſit è vita an. MDLXXIV. Septuagenario major. Edidit

Anatomen, ſeu de humani Corporis Fabrica Theophili Protoſpatharii librum à ſe latinè redditum.

Aretei, Ruffi Epheſii, & Galeni libros complures latinos fecit.

Comment. de Balneis Agri Patavini ipſe compoſuit.

Annotationes in librum Theophraſti de Plantis.

Ejus laudes, atque hæc ipſa quæ tradimus, leges apud ſynchronum Scardeonium (1), ac Riccobonum (2), ex quibus ſua habet Tomaſinus (3): quæ breviter Petrus (4) Caſtellanus complexus eſt, breviùs autem, & argutiùs Joannes (5) Sambucus hoc epigrammate.

Nil commune tenet nomen cum pectore ſacro,
Subtili ingenio tot monumenta fluunt.
Plurima convertit, ſcripſit ſua, cujus Areteus,
Quam proprio, mavult tegmine ubique legi.

LXXV. ALOYSIUM BELLACATUM cùm Tomaſinus (6) in albis Gymnaſticis 1574
bis Brixienſem legerit, eandemque illi Riccobonus patriam aſſerat (7), nec aliter inſcribatur in catalogis, quos vidimus; idem Tomaſinus (8) alibi Patavinum facit, undè Frehero (9) quoque Patavinus eſt. At eundem neque Octavius Rubeus Brixienſibus ſuis, neque Patavinis Portinarius annumerat, ut hominis inter Profeſſores noſtros XVI. ſæculo clari patria jure ſit anceps, niſi dicamus origine Brixienſem natum fuiſſe Patavii anno MDI. A puero liberalibus diſciplinis adoleſcentiam, juventutem Philoſophiæ, ac Medicinæ ſtudiis excoluit; atque in utraque ſcientia excelluit adeo, ut his vitam impendiſſe totam videretur. Annorum triginta juvenis Medicinam profeſſus publicè librum Avicennæ III. explanavit (10) in prima ſede anno MDXXXI. Mox datus Paulo Craſſo ſucceſſor (11) extraordinariæ Medicinæ Practicæ ſecreta interpretatus eſt in altera ſede an. MDXLIV. Deinde iterum Craſſo (12) ſuffectus claſſis ejuſdem exedram primam obtinuit anno MDLV. tandemque (13) ad ſecundam ejuſdem Medicinæ ordinariæ ſedem evaſit, quam anno MDLXIV. dimiſiſſe videtur; quippe nimis preſſus labore perpetuo, quem curandis ægris impendere cogebatur. Hinc vir ex arte Medica celeberrimus nec docendo nec ſcribendo immori potuit, ſed Patavium propriæ virtutis gloriâ, & filios auxit divitiis, ut loquitur Tomaſinus, ex quo hęc tradimus omnia. Obiit an. MDLXXV. ętat. LXXIV. Sepultus in baſilica Eremitarum ſub hoc titulo (14).

Aloyſius Bellacatus Medicus: Vixit annos 74. menſ. 9. dies 26. Obiit an. Salutis 1575. 12. Kal. Decembr.

Superſunt attamen *Conſultationes* aliquot pro variis ęgrotorum affectibus à Bellacato ſcriptę, legendęque in Reſponſis Jo. Baptiſtę Montani, & Victoris Trincavelli.

CAPUT

(1) lib. 2. Claſ. 9. p. 226. (2) Gym. lib. 2. c. 29. p. 47. terg. (3) Gym. lib. 3. c. 9. p. 295.
(4) Vit. Illuſt. Med. p. 241. 242. (5) In Iconib. Illuſt. Medic.
(6) Gym. lib. 3. c. 11. p. 300. & c. 31. p. 326. (7) lib. 2. Gym. c. 25. p. 22. terg.
(8) in Elog. lib. 1. p. 63. (9) T. 2. P. 3. p. 1271. 2.
(10) Tomaſ. ibid. c. 31. p. 326. (11) Idem ibid. c. 21. p. 316.
(12) ibid. c. 21. p. 314. (13) ibid. c. 11. p. 300.
(14) Salom. Inſcr. Pat. p. 140. n. 159.

CAPUT XVII.

M. Antonius Montagnana. Petrus Montagnana. Daniel Furlanus. Bernardinus Tomitanus. Petrus Catena. Hieronymus Wielmus.

1574 LXXVI. M. ANTONIUS MONTAGNANA Patavinus Bartholomæi ſenioris abnepos, junioris nepos ex filio Jacobo, artem Chirurgicam publicè profitebatur (1) in patrio Gymnaſio, clarebatque ex ea ab an. MDXLV. ad an. MDLXX., quibus inſcriptus legitur in albis Gymnaſticis; quo anno mortalitatem expleverit non conſtat, ſed pertigiſſe videtur ad an. MDLXXII., quando Operum ejus præfatio ſignatur eo anno: quam ob rem vitam ejus ad annum ſequentem protrahimus. Scripſit & edidit *Tractatus de Herpete Phagedana, Gangrana, Sphacello, & Cancro.*

1574 LXXVII. M. Antonio proximè laudato addimus PETRUM ejus fratrem, qui fratri ſuffectus in adminiſtranda Chirurgia vix tribus menſibus fratri ſuperſtes (2) fuit, ſed enim diu ante ex eadem arte claruerat Patavii, atque admodum fratri profuerat in parandis iis, quæ utilia & neceſſaria erant dexteritati chirurgicæ, ut mos tunc obtinebat diſcipulis oſtendenda. Commendatur ut Philiſophus magni nominis, & Medicinæ artis peritiſſimus, atque in arte Chirurgica princeps ſui temporis à Sacerdonio (3), quem ſequitur Portinarius (4). Tabulis, picturis, & imaginibus editis interiora hominis ſubjecit oculis hominum, tantâ vel doctorum virorum ob rei novitatem admiratione, ut oſtento fuerit, quod accuratiùs deinde effectum contemni potuit. Scripſit præter hæc *de Urinis, de Vulneribus, & Ulceribus, eorumque remediis.* Ea non latinè duntaxat edita ſunt, verùm etiam italicè, ut etiam latina neſcientibus Chirurgis ſint uſui.

1576 LXXVIII. DANIEL FURLANUS Rhethymnæ in Creta natus genere nobili, quod oriundum è Carnia ſeu Foro Julii inter nobiles Coloniæ Cretenſis cooptatum eſt, à prima ætate Venetiis bonis, & humanioribus diſciplinis à Planerio imbutus, ut ipſe ſcribit (5) in Procemio ſuorum operum, ad Philoſophiam, Juriſprudentiam, & Medicinam addiſcendam Patavium venit, immoratuſque annos octo ex his ſcientiis omnibus lauream reportavit. Nam eum Philoſophiæ ac Medicinæ doctorem fuiſſe conſtat ex ejus libris, adeptum verò Juriſconſultorum inſignia teſtatur Diarium (6) Sanſoni. Reverſus in patriam, cum aliquandiu cauſſas egiſſet ac negotia politica, dirimendaſque lites ex juriſdictione demandata, accitus eſt primùm quidem à Marco Quirino, qui Sinui Adriatico præerat, mox ab Antonio Canali ſupremo claſſis Venetæ Proviſore: cum hoc ubi Venetias remeavit, politicorum Magiſtratuum pertæſus cœpit Philoſophiam privatis auſpiciis profiteri, habuitque diſcipulos nobiliſſimos juvenes, quorum ambitione apud parentes factum, ut ad exedram Patavinam extraordinariæ Philoſophiæ in primo loco proveheretur: obiitque munus illud egregiè uſque ad annum peſtilentiæ MDLXXVI., quo illâ afflatus occubuit nondum planè ſenex Venetiis. Edidit ibi typis Somaſchi *Commentarium* pereruditum *in lib. I. Ariſtotelis de partibus Animalium*; tradítque Salomonius (7) ex Lignamineo ſynchrono Furlani, & peramico, multa eum lucubraſſe tum *in Aphoriſmos Hippocratis*, tum *ad Titul. Decretal. & Pandectar. de Judiciis*, quorum aliqua ſunt edita apud Franciſcum Bolzettam typographum Patavinum.

1576 LXXIX. BERNARDINUM TOMITANUM Patavinum Philoſophum, Medicum, Oratorem, Poetam, ut ſileant Ghilinus (8), Imperialis (9), Tomaſinus (10) & alii, quorum carminibus, & orationibus ejus fama perennat, quæque de illo adhuc florente Patavii Scardeonius magnificè ſcribit (11), immortalem poſteris faciunt, quæ doctè, ingenioſè, atque eleganter ſcripſit. In patrio Gymnaſio ad omnes liberalium diſciplinarum inſtitutiones propenſum animum & expeditum ex indole, exorſus ab adoleſcentia, Alexandro Achillino Philoſopho, Franciſco Victorio Medico, Marino Becichemo, & Romulo Amaſæo literarum humaniorum doctoribus, addixit. Tantum autem ingenio, & eruditione valuit, ut inter diſcipulos Patavinos adhuc diſcipulus loco magiſtri doctoriſque haberetur. Lauream (12) conſecutus anno ætatis quinto

(1) Port. lib. 7. c. 7. Tomas. Gym. lib. 3. c. 13. p. 302. (2) Salom. Inſcr. Gym. (3) lib. 2. Claſ. 4. p. 213.
(4) lib. 7. c. 7. p. 172. (5) ad libros Ariſtotelis de Part. Animal. (6) ad An. 1552. 7. Mart. (7) Inſcr. Gymn.
(8) Theatr. (9) Muſæi (10) in Elog. lib. 1. p. 66. 69. (11) lib. 2. Claſ. 9. p. 227. (12) Tomas. ibid.

quinto & vigeſimo æræ communis MDXXXI. privatis auſpiciis & Philoſophiam, & Poeſim plurimos docuit, receptuſque inter familiares à Reginaldo Polo, tunc nondum Cardinali, & degente Patavii, admodum gratiæ apud ipſum ex morum honeſtate, & mitioris literaturæ gloriâ ſibi conciliavit. Ann. MDXLIII. cooptatus in ordinem Profeſſorum Logicam in Patavino Gymnaſio docuit per annos ferme viginti ſummo omnium cum plauſu, ſummâque & frequentiâ, & utilitate ſtudioſæ juventutis, nempè ad annum MDLXIII, quo cùm eum Logicorum ſatietas cœpiſſet, ulteriùs progredi, & ad ſubliniorem ordinariæ Philoſophiæ ſedem aſcendere concupivit: quam dato ad Triumviros Literarios libello ſupplice modeſtiſſimè flagitavit. Verùm hi habitâ commodorum Gymnaſii ratione, nulloque invento, quem tanto viro parem, ſacturumque ſatis diſcipulorum votis, & utilitati, cognoſcerent, deſideriis ac precibus ſupplicis annuere detrectarunt, eumque adhortati ſunt reſponſo magnifico, ut munus ſibi commiſſum porro pergeret obire, ſingulari publicarum laudum præmio contentus, quo nullum viro docto dignius, aut certius, quem integra Academia pleno, publicoque præconio ſummum Logicarum difficultatum, atque inſtitutionum magiſtrum ac nemini comparandum prædicaret. Ægrè has laudes Tomitanus tulit, queis neque labori ejus, neque dignitati conſulebatur. Quamobrem doloris impatiens, exedris omnibus valedixit, ſeque totum curandis ægris, colendæque pietati, extortâ quamvis difficillimè vacandi veniâ, mancipavit. Vixit deinceps pacatiſſimè in otio liberali, erga amicos comis, officioſus in reliquis, ſibi felix. Deceſſit anno MDLXXVI. ferè ſeptuagenarius. Mortis genus ſubticet Tomaſinus in elogiis, qui alibi (1) eum peſtilentiâ è vivis ereptum aliis eodem fato ſublatis annumerat. Ex Eliſabetâ Zampeſchi uxore filium ſuſcepit unicum, qui ſine liberis obiens rem familiarem tranſtulit ad nepotem ex ſorore Jo. Rodulphum Sfortiam, à quo avunculus ad D. Franciſci conditus ſine titulo titulum habuit (2). Edidit multa: quæ vidimus hæc ſunt.

Animadverſiones in I. Poſteriorum Ariſtotelis.
Brevis Methodus diluendorum Paralogiſmorum per diviſionem.
Introductiones ad Sophiſticos elenchos Ariſtotelis.
Argumenta quatuor in novem Quæſita Averrois demonſtrativa.
In Averroe, & Ariſtotele Contradictionum ſolutiones. Opus eruditionis plenum.
De Morbo Gallico libri II.
Coridon, ſeu de Venetorum laudibus Carmen.
Clinicus, ſeu de Reginaldi Poli laudibus Carmen.
Thetys in Adventu Henrici Regis Gallorum & Polon. ad Venetam Urbem.
Scripſit redditque etiam Italicè carmina varia.
Orationes aliquot.
Diſſertationem de lingua Etruſca, & ejus Elocutione.

LXXX. PETRUS CATENA Venetus Delphino Matheſeos publico Profeſſori Patavii ſucceſſit anno MDXLVII. ex eo maximè celebratus, quòd multos è 1578
gente patriciâ in Mathematicis excoluerit Venetiis ad annum uſque quadrageſimum ſextum ætatis, quo, annitentibus diſcipulis, ad exedram Patavinam Delphini morte vacuam provectus eſt. Eum è ſuggeſtu docentem habuiſſe auditores è Veneta Senatoria nobilitate triginta ſeptem, atque inter eos Franciſcum Barocium, qui ei ob ſenium vacanti quaſi collega fuit, deditâ opera notat Pignorius (3), id ipſumque annotat Sanſonus (4) in Diario, quod habeo, quo ſignificat, quanta per ea tempora fuerit ad liberalium diſciplinarum ſtudia Venetæ juventutis propenſio. Functus eſt publico munere per annos circiter triginta, quorum ſeptem poſtremos ab anno MDLXX. magna ex parte ſubſidiario patricii diſcipuli labore ſuſtinuit. Deſiit vivere ann. MDLXXVII. Ætat. LXXVI. tranſlatusque ab alumnis nobilibus Venetias, commune habuit ſepulcrum cum eruditiſſimis viris Dulci, Athanaſio, Ulloa, & aliis ad D. Lucæ. Scripſit

De Sphæra libros IV.
De primo Mobili librum ſingularem.
Ephemerides Annorum XII.
De calculo Aſtronomico libros II.

LXXXI. HIERONYMUS WIELMUS origine Rhœtus, patriâ Venetus & Venetâ 1582
civitate donatus, quamvis Peruſiæ natus, ut ſcribit Ughellus (5), Patavii ſtuduit adoleſcens jam tum adſcriptus ſacro PP. Prædicatorum ordini, cujus tyrocinium poſuit (6) Patavii, ibidemque tum literis humanioribus, tum ſacris diſciplinis

Ee ope-

(1) Gym. lib. 4. p. 418. (2) Salom. Inſcr. Patav. p. 332. num. 45. (3) Ep. ad Molinum. (4) ad an. 1550. menſ. Junio. (5) Tom. 5. p. 751. num. 61. (6) Salom. Inſcr. Gymn.

operam dedit, ac gradatim ad Magiſterii apicem evectus, Veneti Senatûs decreto publicè Metaphyſicorum è Sententia D. Thomæ libros interpretatus eſt per annum (1); nam adverſâ valetudine impeditus anno ſequenti ſubſtitutum habuit Jo. Matthæum Valdinam Siculum, ut annotant Profeſſorum catalogi. Ubi convaluit, vacavitque ferè triennio ad ſedem Sacræ Theologiæ, ad eandem ſententiam explanandam traductus eſt Sixti Medices Veneti ſucceſſor ann. MDLIV. (2) Claruit maximè ab hac exedra, quamobrem Pius IV. Romam accitum eandem ſcientiam in archilycæo Romanæ Sapientiæ profiteri publice juſſit. Eum inter paucos S. Cardinalis Carolus Borromæus dilexit, qui ne Wielmus rediret Patavium, quò Senatuſconſulto ad Sacrarum Paginarum interpretationem evocabatur, apud avunculum egit, ut Argolicenſis Epiſcopus renunciaretur titulo tenus, ac ad Synodum Tridentinam dimitteretur. Interfuit actis Synodi ejuſdem poſtremis, ut ex nomenclatore eorum conſtat, qui Concilio interfuere. Rediit deinde Patavium, fuitque Patavini Antiſtitis, uti dicimus, Suffraganeus. Incertum eſſe Tomaſinus (3) ſcribit, an prælegerit publicè ea dignitate ornatus: ſed certum illi ſtipendium ex ærario Gymnaſtico ſolutum nuſquam apparet, ut annotat Salomonius (4); quamobrem deſignatus dictuſque Sacrarum Paginarum interpretes fuerit, nunquam tamen eas è ſuggeſtu Patavino fuerit interpretatus, præſertim cum ipſo anno MDLXV. quo ſignatur S. Scripturæ Profeſſor Romam evocatus non ante triennium Patavium remeaverit; nec diu poſt anno ſcilicet MDLXX. à Pio V. ad Æmonienſis Eccleſiæ ſedem in Iſtria provectus eſt. Ejus luridæ ſatis urbeculæ, & ut cum Hieronymo (5) loquar, raro habitatore ſemirutæ diu ſquallore maceratus, crudâ adhuc ſenectute Venetias reſpexit, eôque regreſſus mortalitatem exuit ann. MDLXXXII. Ætat. LXIII. condituſque eſt ad SS. Joannis & Pauli cum Epitaphio, de quo Ghilinus (6), & Ughellus (7), apud quos & Oldoinum (8), & Criſpoltum (9) plura leges de hoc Viro doctiſſimo. Edidit

Opuſculum de ſex diebus Orbis conditi.
De D. Thomæ doctrina libros II.
Orationem Apologeticam adverſus Obtrectatores Theologiæ.
De Optimi Epiſcopi Munere libellum.
Elucubrationes de Epiſcopis Titularibus.
Librum de Reſidentia Epiſcoporum.

CAPUT XVII.

Hieronymus Quainus. Carolus Sigonius. Archangelus Mercenarius. Speronus Speronius.

1582 LXXXII. HIERONYMUS QUAINUS Patavii natus Ordinis Servorum S. Mariæ æqualis ac ſuperſtes adhuc laudatur à Scardeonio (10) peculiariùs ex eloquentia ſacra, atque ubertate & copia verborum in concionibus, refertur autem inter Theologos Patavinos, quod ex hac quoque ſcientia claruerit. Fuit enim reipſa & inſignis Theologus, & effuſiſſimæ, ut ea ferebant tempora, facundiæ concionator eximius: utranque laudem contulit ad Sacras Paginas explanandas in Gymnaſio noſtro, ſucceſſor quidem Adriani Veneti, ſubſtitutus verò Hieronymo Wielmo, qui ad hanc exedram evocatus, quod titulum Argolicenſis Epiſcopi fuiſſet adeptus, & vicariâ Patavini Pontificis poteſtate fungeretur Proantiſtes, munus Gymnaſticum exercere vel non potuit, vel noluit. Anno igitur MDLXXI. Quainus cœpit Sacras Literas interpretari; atque ita de difficillimis verbi divini locis publicè diſceptavit, ut incertum fecerit, quid in eo præſtaret, ſacrarumne literarum doctrina, an eloquentia. Anno undecimo ab initâ publica profeſſione, æræ communis MDLXXXII, deceſſit Patavii pridie Kal. Februarii, ut notum eſt ex epitaphio (11) cineribus ejus impoſito, ſuppoſitoque ſimulacro ejus marmoreo à Sodalibus in templo Servorum. Scripſit Italicè *Conciones* diſertiſſimas multas: harum duas habebat Salomonius (12), ritque erat vir bonus, maximi faciebat, ſibique maximo fuiſſe uſui affirmabat, mihi ut ingenuè fatear, neque placuere admodum, & plus viſæ ſunt loquentiæ præſeferre, quam eloquentiæ, vitio ſcilicet ſæculi XVI, cui plus nimio placuit evanida ſermonis Etruſci elocutio, quam operoſum, & maſculum ingenium robuſtæ & efficacis Oratoriæ. Edidiſſe dicitur

Com.

(1) Tomaſ. Gym. lib. 3. cap. 6. p. 287. (2) Idem ibid. cap. 3. p. 282. 283.
(3) ibid. cap. 5. p. 285. (4) loc. cit. (5) Epiſt. de muliere ſepties icta.
(6) Theatr. Vol. 1. par. 119. (7) loc. cit. (8) in Athen. 9. Aug. Vol. 1. pag. 129.
(9) in Peruſ. Aug. par. 119. (10) lib. 2. Claſ. 7. par. 157.
(11) Salom Inſc. Patav. p. 459. num. 21. (12) Inſcr. Gym.

Comment. in Actus Apoſtolorum.
In libros Regum.
Tobiæ, Eſther, & Judith.
Quæſtiones de Deo Trino, & Uno.
De Sacramentis novæ Legis.
De libertate Arbitrii à neceſſitate indifferentiæ.
De Gratia.

Orationes quoque duas latinas laudat Riccobonus (1), alteram, qua Nicolao Ormanetto Epiſcopo Patavino adventum Patavium pro Theologorum collegio gratulatus eſt; alteram cùm primùm publicam in ſedem aſcendit Actus Apoſtolorum explicaturus.

LXXXIII. CAROLUM SIGONIUM Mutinenſem eruditorum hominum ſua ætate 1585
Principem Romulus Amaſæus (2) inſtituit Bononiæ, & in eam famam humanioris literaturæ provexit, ut nondum ætate major, natus annos duos ſupra vigeſimum has in patria docuerit. Inde Venetias accerſitus, ac ſucceſſor Baptiſtæ Egnatii datus, ad Patavinum Gymnaſium earundem Doctor & Profeſſor publicus miſſus eſt. Docuit hìc ſummo cum plauſu, & auditorum frequentiâ ab an. MDLX. non enim ut Grammaticæ magiſter & pædagogus, ſed, ut erat eruditiſſimus Rhetor atque Philologus, eloquentiam tractabat, primùm quidem ſolus, deinde collega Robortelli, quem Veneta Reſpublica Bononiâ revocaverat ad Patavinum Gymnaſium. Cum hoc Sigonius multas, ac perdifficiles habuit controverſias, rixaſque perpetuas, in quibus licet æmuli victor, quippe doctrinâ, & eruditione major, attamen gratiâ apud diſcipulos minor in eam triſtitiam adductus eſt, ut ſponte ſe munere abdicaverit, ac Bononiam ſeceſſerit. Ibi quoque Oratorias inſtitutiones ingenti ſtudio profeſſus, conſcribendis hiſtoriis ſuis, lucubrandiſque aliis operibus, ex quibus nomen ejus immortale eſt, doctiſſimum calamum addixit, quem iterum novis litibus literariis implicuit. Nam & Robortellum infenſiùs inſectatus eſt, & adverſus Nicolaum Gruchium, quem longè Robortello doctiorem exiſtimabat, acerrimè ſcripſit, atque etiam feliciter. Non ita contra Riccobonum. Is editum à Sigonio librum de Conſolatione ſub nomine M. Tullii Ciceronis, nec Ciceronis eſſe, & recentioris cujuſpiam (ſignabat autem Sigonium ipſum) confictum & pſeudepigraphon Opuſculum eſſe antilogiis editis comprobavit. Certaminis momenta atque exitum deſcribit ipſe Riccobonus (3) propoſitis epiſtolis hinc inde conſcriptis. Inde cognoſces, eruditos omnes majoris nominis contra Sigonium ſtetiſſe, Lipſium quoque, & Joannem Gulielmum, quorum auctoritate oppreſſus vir doctus, mœrore, ut ferunt (4), contracto, cùm remeaſſet in patriam ſuburbanam domum empturus, ſuæ ſenectutis domicilium, ibi fato deprehenſus interiit ſexagenarius an. MDLXXXV. Eum ſapientiſſimi Doctores omnes meritò inter majora Italiæ lumina, & ſummates Philologos numerant, Laurentius (5) Craſſus, Lipſius (6), Manutius (7), Scaligeriana. Reprehenditur à Spondano (8), quòd Andreæ de Auria ſtrenuitatem in prælio ad Nicopolim laudet, cùm conſtet, culpâ tanti Ducis prælium illud infeliciter ceſſiſſe Chriſtianis, feliciſſimè Turcis. At parcendum ſcribentibus in Italiâ, quibus vix tutò licet experiri

——quid concedatur (9) in illos
Quorum Flaminiâ tegitur cinis atque Latinâ.

Cæterùm qui ubique maximus eſt Scriptor Sigonius, laudatur peculiariùs è libris *de antiquo jure Romanorum Civium, Provinciarum ac Romanę Juriſprudentiæ Judiciis. De Faſtis Romanis, & Scholiis in T. Livii Hiſtoriam*. Quippe in his (10) Jus Romanorum, eorumdemque Antiquitates præ cæteris Scriptoribus luculentiùs illuſtravit.

Reliqua ejus Opera hæc ſunt. *Chronologia in T. Livium. Faſti conſulares ac Triumphi. Commentarius in univerſam Romanam Hiſtoriam. Liber de nominibus Romanorum. De Republica Hebræorum. De Republica Athenienſium, & eorum ac Lacedamoniorum temporibus. Liber Emendationum. De lege Curiatâ Magiſtratuum & Impp. liber. De Vita & rebus geſtis P. Scipionis Æmiliani. Emendationum libr. II. cum reſponſionibus ad Robortellum, & ejus reprehenſione. Ariſtotelis Rhetoricorum libri III. latinè converſi. De Dialogo libr. Hiſtoria de Regno Italiæ. Hiſtoria de Regno Orientali. Collectio Fragmentorum Ciceronis cum Scholiis. Liber de Conſolatione editus ſub nomine Ciceronis. Orationes duæ. Accuſator ſeu de Conſolatione Ciceronis. Hiſtoria de rebus Bononienſibus libri VIII. Notæ in Aſconium Pedianum. De Vita Andreæ Doria. Diſputationes Patavinæ. Sententia adverſus libros III. Nicolai Gruchii de Comitiis Romanis. In Sulpicii Severi Hiſtoriam Sacram Commentarii. Orationes.*

(1) lib. 2. Gym. c. 25. p. 46. terg. (2) Sigon. Diſp. 3. Patav. Laur. Craſſ. in Elog. Thuan. Elog. Teiſſ. ad Thuan. T. 2. p. 108. (3) Gym. lib. 1. c. 2. p. 182. 194. (4) Imperial. Muſæi p. 58. 59. (5) in Elogiis (6) Miſcell. Epiſt. Cent. I. Ep. 7. (7) in Epiſt. famil. Cicer. lib. 1. ep. 1. (8) ad an. 1558. (9) Juven. Sat. 1. in fin. (10) Scaligeriana.

tiones. Vita Nicolai Albergati. De Conſulibus, Dictatoribus, & Cenſoribus Romanis. De Judiciis libri III. Hiſtoria de Occidentali Imperio. Judicium de Hiſtoricis, qui Res Romanas ſcripſerunt ab VC. ad Caroli Magni Imperium. De Epiſcopis Bononienſibus. Vita Laurentii Campegii Cardinalis. Fragmenta Ciceronis collecta, & Scholiis illuſtrata.

Ejuſdem, ſub nomine Bernardini Lauretani, *Commentarius in Orat. Ciceronis de re Agraria*. Sub nomine Hieronymi Ragazzoni *Comment. in Epiſt. Familiares Ciceronis*: alii hos P. Manucio tribuunt. Sub nomine Jacobi Manoldi, *De Titulis Regis Hiſpaniæ*. Denique Opuſculum *de Senatu* ſub nomine Joannis Zamoſchii, quod antiquitati noſcendæ utiliſſimum eſt.

1585 LXXXIV. De ARCHANGELO MERCENARIO (1), præter ea, quæ ſcripſit, nihil nobis innotuit hactenus. Patria Picenus ex oppido Montis Sancti, quo fortunę ludo actus Venetias venerit, ignoramus: at certum eſt, eum ibi claruiſſe, nomenque ſibi privatis auſpiciis docendo paraſſe. Inde in Gymnaſium noſtrum doctor inductus eſt, cœpitque docere in ſede ſecunda extraordinariæ Philoſophię collega Franciſci Piccolominei Senenſis anno MDLX. Provectus poſt annos ſeptem ad primam ejuſdem claſſis antagoniſten habuit, brevi quidem tempore, Bernardinum Petrellam, diutiùs Jacobum Zabarellam, ad annum ſcilicet MDLXXXV, quo vivere deſiit. Acutiſſimus (2) fuiſſe Philoſophus dicitur, huncque illi titulum aſſerunt ſcripta, quibus tenebras diſcutere, ac ſolvere nodos Philoſophicos paſſim in Ariſtotele, & Averroe occurentes viſus eſt. Ea hęc ſunt

Dilucidationes in plurima Ariſtotelis loca perobſcura, & nonnulla Averrois.

Dilucidationes aliæ Quæſtionum Philoſophiæ Naturalis Ariſtotelis, & illius Interpretum.

Diſputationes de putredine ſimul cum aliis quatuor adverſariis Thomæ Eraſti propoſitæ.

1588 LXXXV. SPERONUS SPERONIUS de Alvarotis Patricius Patavinus nobiliſſimâ ortus familiâ ſuæ fuiſſe videtur ætatis miraculum; nullo tunc viventium ſapientúm gloria minor, par omnibus, fortè etiam maximus omnium, ſi ea recipias, quæ de eo plurimorum (3) elogia prædicant. Nondum ætate major liberalibus ſtudiis innutritus in patrio Gymnaſio diſciplinas omnes, Moralem, naturalemque Philoſophiam, Mathematicas Theoreſes, Theologica dogmata capaci ſinu mentis eximiæ complexus eſt. Eum Scriptores, ex quibus hæc tradimus ſub Leone X. Romam traducunt, gratiſſimumque illi Pontifici Muſarum Mæcenati faciunt, ac toti aulæ Romanæ ex eruditione ac ſapientia venerabilem, qui à Cardinalibus fuerit interrogatus, quid ſibi vellent pro foribus Palatinis inſcriptę hę literę M.C.C.C.L.X. reſponderitque, ſic eas intelligendas: *Multi cæci Cardinales crearunt Leonem Decimum*, & quidem liberrimè hęc effatus vivo ipſo Leone. Quæ omnia, ſi vera ſunt, cum ętate Leonis ſtare non poſſunt, & ad ætatem adultam Speronij pertinere potius videntur, qua Romæ fuerit ſub Pontificibus aliis, non ſub Leone, quo vivo natus ann. MD. vix annum vitę vigeſimum attigerat; nec eâ doctrinæ, & eloquentiæ famâ clarebat, quæ poſſet, nondum probata Patavii, Romanæ curiæ aſſuetæ maximis admirationem movere. Anno ætatis quinto & vigeſimo jam doctor in collegium doctorum cooptatus publicè profiteri cœpit in exedra prima extraordinariæ Philoſophiæ, ſi ſequare Thuanum (4), per annos quatuor & ſexaginta, ſi ſtandum ſit publicis monumentis, biennio; quod colliges ex annotatis à Tomaſino (5) poſt Riccobonum (6) Speronio æqualem. Hoc teſte (7) converſus ad elocutionis Italicæ, ſummas ſua ætate doctorum delicias philoſophicam ſcholarum barbariem ferre non potuit, valedixitque profeſſioni publicę, ut quæ in uno patrio Gymnaſio latinè parum explicabat, in omnibus Italorum Academiis, mentibus omnium nitidè, copioſè, eleganter ingereret. Nec illum fefellit ratio propoſiti, deſtituitve ejuſdem felicitas. Fortè enim nemo ſæculo XVI. frequentiùs auditus eſt, nemo ſtudioſiùs lectus, quod modeſtè vel ipſe in epigraphe ſepulcri ſui memorandum reliquit. Patavina illum Civitas Ariſtotelem novum, novum Ciceronem cenſuit, habuit, appellavit, appellandumque indixit poſteris erecto in aula maxima judiciorum ſimulacro, inſcriptoque elogio (8) ad poſteros perennaturo; tantique eum forum Venetum fecit, ut, Speronio, ex munere Legati, quod miſſus ad Senatum à civibus ſuis obibat ſæpè, coram patribus perorante, feriaretur, omnibus accurrentibus undique, quo propius tanti

vi-

(1) Riccob. Gym. lib. 2. c. 41. p. 51. (2) Tomaſ. Gym. lib. 3. cap. 16 pag. 308. (3) Tomaſ. in Elog. lib. 1. pag. 85. 91. Thuan. in Elog. Teiſſer. in Addit. Vol. 2. p. 166. 168. Ghilin. Vol. 1. Theatr. p. 210. Riccobon. in Orat. Funebr. (3) in Elog. apud Teiſſer. d. p. 166. Tom. 2. (5) Gym. lib. 3. c. 24. p. 318 (6) Gym. lib. 1. c. 15. p. 24. (7) Orat. in funer. Speron. (8) Salom. Inſcript. Pat. p. 482. num. 13.

Digitized by Google

viri facundiâ fruerentur. Quid cùm in Academiis verba faciebat, ac de moralibus & eruditis diſſerens argumentis Gymnaſium transferebat in ædes ſuas? Eas adiiſſe ſe frequentiſſimè, Torquatus Taſſus tunc Patavii ſtudens, non ſemel affirmat, aſſeritque, in illis novam quandam ſibi ſpeciem objectam Lycæi ejus, in quo Socrates, & Plato diſceptare cum diſcipulis ſuis ac diſſerere conſueverant. Accitus à Veneto Duce in funere Cęciliȩ Varanæ, quæ Urbinatis Ducis uxor fuit, eloquentiſſimè declamavit, mox & Petri Bembi Card. obitum Venetiis publica oratione deflevit: par illi, quem laudabat, ac, meo ſanè judicio, major; quippe qui ſplendidiſſimȩ elocutioni ſolidam doctrinȩ lacertoſamque vim argumentorum addebat. Ex utroque jam clarus Romam venit ſub Pio IV. prope ſexagenarius, vixitque in aula inter literatos homines, ſi minus princeps, certè principibus par. Edita oratione locupletiſſima pro publica Italiȩ pace ad Reges Galliarum Hiſpaniarumque, Pontifici, cujus hortatu illam ediderat, gratiſſimus fuit, à quo equeſtria ornamenta retulit, non ſine spe majorum tum ab ipſo, tum ab aliis magnis Principibus ornamentorum, quȩ ille ſprevit libertatis, & quietis amantiſſimus: ac redux in patriam robuſtam ſenectutem bono publico, commodiſque communibus impendit; ex eo quoque civibus ſuis venerabilis, quod aſtrorum peritus multa plurimis futura predixit. Tres ex nobiliſſima conjuge filias habuit, è quarum duabus præmortuis avus, proavus, atavus in vita fuit, è ſuprema Julia ipſi ſuperſtite, quæ nupſit in patricia Comitum familia, avus. Migravit è vita III. Junii an. MDLXXXVIII. major annis LXXXVIII. falliturque Ghilinus, qui ei annos tribuit octoginta quatuor dumtaxat. Laudatus à Riccobono in funere jacet in templo urbis maximo ad Deiparæ Virg. ſacellum cum epitaphio Italico, quod ſibi ipſe compoſuit legendum apud Salomonium (1) & Tomaſinum (2). Cùm plurima ſcripſerit, maximi habetur ex Dialogis, & Canace comœdia. Hæc porro Italicè, atque his titulis ſcripta ejus edita ſunt.

Apologia pro I. Parte Dialogorum.
Lectiones pro Canace Comœdia habita in Academia Elevatorum.
Orationes de Prudentia Principum. De Militia, de Laudibus Terræ, de ſententiis, ne quid nimis & noſce te ipſum; *de Philautia. De eloquentia Vernacula. De lactandis filiis.*
Dialogus de curâ rei domeſtica.
Exegeſis Orationis Dominica.
Epiſtolæ Familiares.
Carmina varia.

Typos deſiderant, quæ, ſubjicimus.

Diſſertationes variæ. Duȩ in Comœdiam Danthis. Tres in Poema Arioſti. Octo in Virgilium. Quatuor de Rhetorica. De Sermone Hominis. De vita ſolitaria, De Natura, Arte, & Deo. De honore. De Fortuna. De ſobrietate. De divitiis Viri virtute præditi. De lingua latinâ. De ſervitute Aulica. De Virtutibus.
Volumen Epigrammatum Rhythmicorum, aliorumque Carminum.
Lectiones in IV. libros Ethicorum Ariſtotelis.
Index Rhetoricus.
Explanatio Epiſtolæ ad Hebræos.

CAPUT XVIII.

Joſeph Moletius. Hieronymus Capivaceus. Melchior Guillandinus. Iacobus Zabarella. Iaſon de Nores.

LXXXVI. PEtrum Catenam, de quo diximus, excepit in tradendis Mathematicis Theorematibus è ſuggeſtu Gymnaſtico JOSEPH MOLETIUS, celebratus elogio à Tomaſino. Natus eſt Meſſanæ in Sicilia, nutrituſque ab adoleſcentiâ Philoſophicis, & Geometricis ſtudiis, ex his juvenis claruit, morum ſuavitate, ſermonum illecebris, totiuſque vitæ conſuetudine permodeſtâ non ſtudioſis dumtaxat adoleſcentibus, ſed & viris principibus acceptiſſimus. Ex horum numero Gullielmus Dux Mantuæ famâ hominis commotus Venetiis, ubi tunc agebat ampliſſimorum Senatorum vel familiaris, vel hoſpes, accitum ad ſe Vincentio filio inſtituendo ac Mathematicis diſciplinis imbuendo præfecit. Quo in munere præſtitit adeo, tantique habitus eſt à munificentiſſimis Principibus, ut ſummis 1588

(1) Inſcr. Pat. par. 7. num. 27. (2) Elog. lib. 1. par. 89.
(3) Elog. Tom. 1. par. 111.

auctus præmiis, cultus patrocinio præcipuo, crebriſque laudibus commendatus toti prorſus Italiæ uti Mathematicorum antiſtes innotuerit. Hinc à Republica Veneta, cui ſingularis ſemper cura fuit Patavinum Gymnaſium conductis celeberrimis præceptoribus augendi, honorario magno propoſito advocatus ab Aulâ Mantuanâ ad Euganeam exedram venit. Ab hac legendo, ſcribendoque tantum nominis, & in ea, quam tractabat, ſapientiæ parte, tantum famæ ſibi fecit, & gloriæ, ut nedum æquaſſe, ſed multis quoque ſpatiis ſuperaſſe omnes, quotquot Patavii Matheſim fuerunt profeſſi, viſus ſit. Senatûs Veneti juſſu in gratiam Gregorii XIII. Pont. Max. Tabulas Gregorianas conſcripſit, & edidit, lucratus ex illis aureos quingentos, quorum ducenti à Senatu, trecenti dati à Pontifice, pollicito multò majora ſi ſcribere perrexiſſet. Sed eum ab hoc, aliiſque laboribus eruditis crebræ corporis ægritudines avertêre, quarum vi tandem fato ſuccubuit an. MDLXXXVIII. Conditus eſt (1) ab hæreditatis Procuratoribus in templo S. Franciſci cum brevi tumuli titulo, & elogio prolixiore, quod hæc ipſa, quæ ſcripſimus, explicat. Scripſit

Ephemerides motuum Cœleſtium ab an. MDLXII. ad MDLXXX. ad calculum Alphonſinum nondum hypotheſi Copernicana damnatâ.

Iſagogicos Tractatus ad Aſtronomiam, qui ea maximè ratione placuerunt, quòd plerunque ad regulas judiciarias deflectunt.

Tabulas Gregorianas pro Anni correctione, & in has Commentarium locupletiſſimum.

1589 LXXXVII. HIERONYMUS CAPIVACEUS patricius Patavinus, vir doctiſſimus artem Medicam coluit ab adoleſcentia in patrio Gymnaſio (2): mox eandem docuit in eodem primùm quidem inter tertiarios Practicæ extraordinariæ ab an. MDLII. ad MDLXI. deinde inter ſecundarios ejuſdem claſſis ad an. MDLXIV. Collega poſt hæc fuit Antonii Fracantiani ordinariæ Profeſſoris primarii, in ſecundo ſubſellio; eoque fatis erepto docuit ab eadem ſede cum Hieronymo Mercuriali pari cum ipſo muneris dignitate. Cum hoc evocatus Venetias an. MDLXXVI., ut de morbo, qui funeribus epidemicis urbem funeſtabat, ſententiam ferret, pararetque remedium, inſtar numinis cœlo delapſi cum collega receptus eſt: cùm expectationi fortuna minimè reſpondiſſet, penè non ignominioſè cum ſocio reprehenſus, deriſus, dimiſſus eſt. Adeo Medicis ab exitu meritum eſt, & artis longæ fallacia experimenta fallax gloria ſequitur. Vixit deinde Capivaceus in patria ſummus artifex Morbi Gallici curandi. Qua ex opera citra jactantiam profitetur (3), ſe ultra octodecim coronatorum millia fuiſſe conſecurum. Creditus eſt in curationibus hujuſmodi arcano aliquo uti: verùm hoc ipſe conſtanter inficiatus Polono diſcipulo ſuo, ut arcanum ipſum ſibi proderet, impensè roganti, reſpondit (4): *lege Methodum meam, & habebis mea ſecreta.* Fertur ſenio confectum Aſtrologus quidam admonuiſſe, ne illa ætate aliò iter faceret, ſuſciperetve; quod monitum cùm neglexiſſet, profectus Mantuam ad Ducem ibi ægrotantem, in reditu, ſuppreſſo hæmorrhoidum fluxu conſueto, correptus, diaphragmatis inflammatione vivere deſiit an. MDLXXXIX. Sepultus eſt in templo veteri Societ. Jeſu D.M. Magdalenæ ſacro, undè ad novum (5) oſſa ejus translata ab hæredibus Pimbiolis patriciis Patavinis ibi ſecus aram maximam jacent ab an. MDCLXXX.

Ejus Opera edita hos titulos habent.

Medendi Methodus univerſalis ad cognoſcendos, & curandos omnes Corporis humani affectus in libros VII. diſtributa.

Tractatus de Urinis.

Libellus de ratione componendi Medicamenta.

Explicationes XXXIV. de Methodo medendi.

Methodus Anatomica de Arte ſecandi.

Tractatus de Febribus.

Acroaſes de Virulentia Gallica, ſeu de lue Venerea.

De Morbis particularibus Partes duæ.

Opuſculum de Doctrinarum differentiis, ſeu de Methodis, Philoſophis, Theologis, Juriſconſultis, & Medicis neceſſarium.

Alia quædam Tomaſinus MSS. recenſet (6).

1589 LXXXVIII. MELCHIOR GUILLANDINUS Boruſſus Coningbergæ natus ab infantia, Thuano teſte (7), optimis artibus excultus Medicinam profeſſus eſt: diu vixit Romæ, & in Sicilia ſumma preſſus egeſtate, atque adeo miſer (8), ut operis poſitis in evellendis plantarum radicibus, & his locatis, aut venditis victitaret. Rede-

(1) Tomaſ. ibid. p. 110. Salom. Inſc. Pat. p. 346. n. 126. 127. (2) Tomaſ. Elog. lib. 1. p. 96. Proſopograph. Gaſpar. Currad. Millenario I. (3) lib. de Lue Vener. c. 12. (4) Freher. T. 2. P. 3. p. 1291. 1. (6) Salom. Inſcr. Patav. p. 290. n. 2. 292. n. 11. (6) ibid. p. 98. (7) in Elog. (8) Melch. Adamus Vit. Illuſtr. Medic.

Redemit eum ab his anguſtiis Oratoris Veneti Romæ liberalitas, cui ex re Botanica cùm innotuiſſet, hominem in familiam recepit, ſecumque Venetias tranſtulit, ubi probatus ex eadem plantarum ac ſtirpium notitia Marino Caballo Equiti atque ampliſſimo Senatori ac Gymnaſii noſtri Triumviro, hujus auſpiciis & ſumptu Aſiam, & Africam perluſtravit: in Indos quoque penetraſſe dicitur. Captus in reditu à piratis Turcis, ac ferreis vinculis alligatus ad tranſtra, magno animo fortunæ ſævos luſus; & barbarorum injurias toleravit; atque interim pertinax in re, quam ſibi propoſuerat exantlandam, mirum in modum in rei Botanicæ ſcientiâ profecit, ad eámque contulit quidquid variis ornatum diſciplinis ingenium cognitioni ſimplicium Medicamentorum utile aut meditari, aut effectum dare poteſt. Ære Fallopii (1) redemptus, ac poſtliminio regreſſus Venetias ad Patavinam quietem ſeceſſit apud Fallopium, ubi à Senatu Veneto, poſt extinctum Fallopium, ejuſque ſucceſſorem breviſſimi temporis Bernardinum Triviſanum, horto Botanico præfectus ſtirpium virtutes publicè expoſuit, ſimul Medicinam magno cum plauſu profeſſus eſt ab an. MDLXIV. uſque ad obitum, qui contigit (2) VIII. Kal. Januarii an. MDLXXXIX. Claruit inter doctiſſimos ſui temporis viros, indeque laudatur à Thuano (3), Adamo, Teiſſero (4), magniſque celebratur præconiis à docto Dalenchampio (5), cæteriſque Philologis, qui de Papyro ſcribentes non alia probant, quàm quæ Guillandinus annotavit. Et tamen hæc opinio communis eruditorum virorum non placuit Fecialibus Criticorum Scaligero (6) & Caſaubono, quorum alter contendit, Philologorum pro Guillandino ſententiam eſſe minimi habendam, alter exiſtimat nihil ineptius eſſe Guillandini Commentario de Papyro. Cenſet enim, in eo nullum perſpici veſtigium eruditionis: auctorem ejus, ne rem quidem ipſam, quàm ſibi proponit illuſtrandam, intellexiſſe; vix perlevem in eo fuiſſe Scriptorum Græcorum, & Latinorum notitiam; atque in Animadverſionibus ejus judicii perparum apparere. Adeo Criticorum ſuperbiſſimorum ingenium ſævum eſt in eos, qui fari non poſſunt. Nam vivum Botanicum hunc non ſunt aggreſſi, claſſicum cecinerunt in non auditurum, ſcripſeruntque dicam ex adagio noſtro ὑποχθονίῳ. Vivum impugnavit Matthiolus, quæque Guillandinus in ejus libris accuſaverat, ultus eſt pluſquam Græco tinctus aceto. Quinque in Epiſtolis paſſim ei arrogantiam impingit, inſcitiam, temeritatem, calumniandi libidinem, eòque progreditur, ut alicubi nebulonum omnium Principem officioſè, ſi ſuperis placet, pronunciet. Eum hæc rabioſè declamantem prudenter Guillandinus tulit, ac libro edito atrocem dicacitatem pacatiùs, ſed efficatiùs refutavit. Scripſit enim

Apologiam adverſus Matthiolum, quam inſcripſit Theon.
Commentarium in tria Capita Plinii majoris de Papyro.
Aſſertionem ſententiæ à ſe pronunciatæ in Galenum.
De Stirpibus Epiſtolas V. & peculiarem in Conradum Geſnerum.
Deſcriptionem Aviculæ Indicæ, quæ in perpetuo volatu eſt, quamque appellat Manuco-Diaca, vel Manucodiata.

LXXXIX. JACOBI ZABARELLÆ celeberrimi Philoſophi & Mathematici in Gymnaſio noſtro Antenoreum genus, parentes nobiliſſimos, titulos Comitis, adoleſcentiam Græcis, & latinis literis imbutam, adjectiſque ſeveriorum diſciplinarum ornamentis excultam latè Tomaſinus exponit (7). Hæc omnia Patavino Gymnaſio notiſſima ex illo pete. Anno ætatis vigeſimo, Chriſti Servatoris MDLIII. (8) Philoſophicæ laureæ inſignia conſecutus, poſt decennium, quos, Bernardino Tomitano docente, didicerat Logicos anfractus emetiri, ejuſdem ſucceſſor in prima Logicæ ſede ſtudioſæ juventuti oſtendere cœpit an. MDLXIII., quo munere defunctus ad an. MDLXVII. inde ad ſecundam ſedem extraordinariæ Philoſophiæ provectus, ac deinceps ad primam ejuſdem ordinis, ad alteram ordinariam tandem aſcendit, quam ad obitum tenuit collega atque æmulus Franciſci Piccolominei uti virtute, ita par illi dignitate Senatusconſulto renunciatus. Vir fuit doctiſſimus, quem jure Gymnaſium noſtrum ſuſpexerit, quem poſt alios ſummis laudibus efferat Imperialis (9), quo teſte, illi ne ſummus inter Philoſophos appareret, hæc obſtitere, memoriæ labes, marcidus quidam torpor rebus agendis ineptior, ſegnities in enodandis difficultatibus ex inopinato propoſitis, nec reſpondere, niſi poſt in-

1589

(1) Tomaſ. Gym. lib. 1. c. 34. p. 97. (2) Idem in Chronol. Gym. lib. 4. p. 430.
(3) loc. cit. (4) Addit. ad Elog. Thuan. T. 2. p. 184. 185.
(5) Coment. in Plin.
(6) ex Privilegio apud Tomaſ. Gym. lib. 1. c. 55. p. 187.
(7) Muſæi p. 117.

interpoſitas. horas idonea: denique ſuſpicio quædam gravis non integræ fidei, nec penitus orthodoxis dogmatibus conſentaneæ; quòd impenſiùs, quàm ut aliena referret, ex Alexandri Aphrodiſſei ſententiâ animarum à corpore ſecretarum immortalitatem impugnaret. Hæc tamen, ut ab exedra diſſerenti non nihil obfuerint, ne quadantenus quidem apud indigetes, exteroſve impedimento fuere, quominus inter Philoſophicos proceres eximius, inter cives clariſſimus haberetur. Nam illum civitas Patavina conjugio nobili, indeque numeroſa, & ingenua ſobole venerabilem primis ſemper, & maximis honoribus extulit, ac ſæpe legatum ad Principes Venetos miſit, queis gratus uſque adeo fuit, ut præter ſtipendia, vel extra ordinem iterata munificè, renovato, quod M. Antonio Genua dederat, regiæ liberalitatis exemplo, dotem filiæ poſtremò nupturæ mille nummis augendam decreverit ex Ærario. Merueratque hunc Jacobus honorem ab Auguſto Senatu, quem ſemper præomnibus habuit, atque adeo dilexit, ut quamvis à ſummis Principibus, ac præſertim à Sigiſmundo Poloniæ Rege invitatus illectuſque pretioſis pollicitationibus, his rejectis, ſuo Principi famulari maluerit, officio ſibi commiſſo immori, ſcriptiſque ac lucubrationibus doctiſſimis ſibi, & patrio Gymnaſio immortalitatem parare. Ex his eum æſtimavit vergens ad exitum ſæculum XVI., ęſtimavit & ſequens, ęſtimabitque, ſi ſapit, poſteritas, eum prædicatura, qui clariores inter Peripateticos numerandus ſit, & habendus Logicorum magiſter eximius, Moralis, & Naturalis Philoſophię, evocatâ ad ſenſa Stagyritę indaganda, è Gręcis codicibus ope, interpres acutiſſimus: opticus denique, & Aſtrologus maximus, cujus vaticinia probaverit exitus, vel ipſi fatalis. Nam refert Imperialis, adſtante refertiſſima juvenum manu, ſidus veſperi ab eo commonſtratum in cęlo, quod aſſeruit funeſtum ſibi quidpiam minitari: nec multis abinde diebus emortualem ipſi contigiſſe nondum maturę prorſus ętatis. Quippe deceſſit an. MDLXXXIX. laudatus in funere à Riccobono locupletiſſimè. Jacet in familię Zabarellę ſepulcro ad D. Antonii ſine titulo. Scripta ejus edita hęc ſunt.

Tabula Logica.
De natura Logica libri II.
De quarta figura Syllogiſmorum liber I.
De Methodis libri IV.
Apologia ad Objectiones Piccolominei de Doctrina Ordine Libri II.
De converſione Demonſtrationis in Definitionem liber I.
De Propoſitionibus neceſſariis libri II.
De Speciebus Demonſtrationis libri II.
De tribus Præcognitis liber I.
De medio Demonſtrationis.
Commentar. uberrimi in libros Phyſicorum Ariſtotelis.
Commentar. in libros de Anima.

Filium habuit Julium nomine à ſe inſtitutum, inſignem Mathematicum, atque alumnis Gymnaſii noſtri clarioribus accenſendum, ni eum nimium Veneris ſtudium ita labefactaſſet, ut nihil, ex quo memorandus eſſe videatur, ediderit; contractoque ex intemperantia paralyſis morbo, ex eo, poſt ægritudinem miſerrimè quinquennio toleratam, inglorius objerit.

1590 XC. JASON DE (1) NORES natus Leucoſiæ, quæ Nicoſia in Cypro inſula eſt, nobiliſſima gente, tituliſque ac ditionibus Comitum Tripolis in Syriâ, clariſſimâ, ex Oriente Patavium venit causâ ſtudiorum, quæ feliciter emenſus, Philoſophiæ doctor remeavit in patriam ad honores avitos, quos eruditionis, & doctrinæ gloriâ cumularet. Ingruente Turcico in Cyprios Bello, patrimonio diſtracto, ac re domeſtica contracta, Venetias rediit, ſenſimque, in alenda familia iis, quæ ſecum detulerat vivendi præſidiis inſumptis, à Senatu Veneto ſuppetias flagitavit; conceſſaque ſunt ejus familiæ ampliſſima prædia in Creta, quò alter ex fratribus navigavit, ſedes fixit, familiam propagavit, ſua, & Cretenſi nobilitate conſpicuam, quæ iterum, noſtra ætate, excidio patriæ ab Inſula Turcarum armis ſubacta extorris, nunc vel perierit, vel in ſordibus vivat. Ipſe Jaſon cum fratre Livio natu minimo Patavium ſeceſſit, ubi tanti habitus eſt ob inſignem literarum ſcientiam, ut exedram Moralis Philoſophiæ, quæ Senatuſconſulto jam (2) decennio ab diſceſſu Robortelli vacabat, plenis ejuſdem Senatûs ſuffragiis obtinuerit. Ex ea docuit eximia cum laude ad ann. MDXCI. per annos tredecim, quos pacatè & feliciter vivere illi non licuit. Nam (3) & filius ejus, ob interfectum in rixâ patricium Venetum, exul in Cretâ apud patruum occubuit, & ipſe auſus ea de tragœdia effutire, atque edito libro ea ſcribere, quæ viſa ſunt Paſtorem Fidum, Eq. Baptiſtæ Guarini fabulam, carpere, in ſe calamum tanti viri provocavit, cujus cùm Verato primo Jaſon reſpondiſſet, is addidit ſecundum, tantæ tam ſeveræ atque etiam injurioſæ acrimoniæ, ut non deſint, qui Jaſonem ex eo felicem exiſtiment, quòd ejus libri editionem morte præverterit, ne ſibi, eo

(1) Ghilin. Theatr. Vol. 1. p. 76. 77. Thuan. Elog. cum Addit. Teiſſer T. 2. p. 216. 218.
(2) Tomaſ. Gym. lib. 3. c. 28. p. 323. (3) Idem Elog.

eo lecto, lycambæam reſtim expediret. Obiit Patavii an. MDXC. major octogenario. Hæredem habuit fratrem Livium, qui Canonicus Patavinus per annos XLVI. annorum LXXVII. ſenex deceſſit an. MDCXXXI. ex Epigraphe in templo majore poſitâ. Scripſit pauca latinè.

Inſtitutionem in Philoſophiam Ciceronis.
Epitomen Præceptorum de Arte dicendi ex Cicerone.
Librum de conſtitutione partium humanæ, & Civilis Philoſophiæ
Interpretationem in Artem Poeticam Horatii.

Claret maximè ex Operibus Italicis, præſertimque ex Arte Rhetorica, quæ ex methodo, facilitate, ac felicitate ſcribendi, candore ſtyli ſublimis, & perſpicui, eruditionis autem copiâ doctorum hominum laudem, & admirationem emeruit. Hanc Poſſevinus (1) maximi faciendam cenſet; atque opus præſtantiſſimum prædicat, utiliſſimum verò Judicibus, Oratoribus, legatis, ac præcipuè Concionatoribus ſacris. Equè laudantur ejus opera reliqua, nempè,

Poetica.
Inſtitutio Reipublicæ Optimæ.
Oratio ad Ducem Venetiarum.
De principiis, cauſis, & incrementis, quæ Comædia, Tragedia, & Carmen Heoricum ſibi conciliant ex morali Philoſophia, & Civili.
De Sphærâ, cum diſſertatione de Geographiâ.
De Mundo, ejuſque partibus, tum ſimplicibus, tum miſtis.
Apologia adverſùs Auctorem Verati.
Iſagoge in III. libros Ariſtotelis Rhetoricorum.

CAPUT XIX.

Marcus Oddus. Bernardinus Paternus. Jacobus Ant. Cortuſus. Bernardinus Petrella. Albertinus Bottonus. Hieronymus Pallanterius.

XCI. MARCUS ODDUS Oddi filius Patavii nobili majorum ſerie, & ut diximus Peruſiâ ad Euganeos translatâ progenitus an. MDXXVI. ex Tomaſino (2), patrem Oddum ſummum Philoſophum, & Medicum imitatus, eodem auſpice, ac præceptore utranque facultatem gnaviter excoluit, imbutuſque arcanis Medicinæ penitiſſimis eam artem adeo feliciter retulit ad praxim, ut quà latè patet, Ciſalpinam Galliam, imò totam Italiam ſui nominis famâ compleverit. Eandem in patrio Gymnaſio publicè docuit ab an. MDLXXVIII. (3) tum Theoricæ Medicinæ extraordinariæ, tum poſtea Practicæ itidem extra ordinem Profeſſor in prima ſede. In hac anno ætatis quinto ſupra ſexageſimum, æræ communis MDXCI. vitam (4) clauſit malignâ febre, in ſepulcrum majorum ad D. Danielis illatus VIII. Kal. Auguſti. Edita ſunt ejus Opuſcula 1591

Methodus componendorum Medicamentorum.
Apologia de putredine adverſùs Argenterium.
Libellus de Urinis.

XCII. BERNARDINUS (5) PATERNUS Medici filius Salodienſis, diſtortis incurviſque humeris, illiberali facie, ingenio tamen recto, valido, & ad ſapientiam facto, naturâ verò comi, & ad morum normam ſubactâ percharus omnibus adoleſcens, vix peracto mitioris literaturæ curriculo ad Philoſophiam appulit animum, tanti à Jacobino Bargio Minorita præceptore, quem Tomaſinus Burgos (6), & Burgium appellat, habitus, ut cùm Romam negotiorum Ordinis ſui cauſa profectus eſt, hunc, quanquam adoleſcentem annorum novendecim (quod tunc licebat) ſibi ad prælectiones publicas habendas in Metaphyſicis ſubſtituerit, cujus rei teſtis eſt Riccobonus (7). Medicinæ deinde, patris exemplo provocatus, operam dedit, brevique ita profecit, ut Philoſophica, & Medica Theoremata Veronæ, Venetiis, Patavii à ſe publicæ diſputationi propoſita propugnaverit. Anno ætatis vigeſimo ſeptimo Doctoris inſulas induit in Philoſophia, & Medicina, nec diu poſt hanc docuit in Gymnaſio noſtro Theoricæ extraordinariæ Profeſſor ſecundarius. Inde accitus ad Gymnaſium Piſanum Medicinam ordinariam explanavit, quam in Academia quoque Montis Regalis, & in lycæo Ticinenſi profeſſus eſt, undè eum ad Patavinum fuiſſe revocatum, videtur 1592

aſſerere

(1) Biblioth. T. 2. lib. 18. c. 9. (2) Elog. lib. 1. p. 143. 144. (3) Idem Tomaſ. Gym. lib. 3. c. 18. 21. p. 310. 314.
(4) Idem ibid. lib. 4. p. 430. (5) Tomaſ. Elog. lib. 1. p. 151. Riccob. lib. 2 c. 28. p. 47.
(6) Gymn. lib. 3. c. 7. p. 289. (7) loc. cit.

aſſerere Tomaſinus (1), qui alibi rem aliter narrat (2). Nam cum Paternus, dum Ticini profitebatur, inter præclariſſimos Medicos ſui temporis haberetur, chariſſimus erat Franciſco Venerio Philoſopho Prætori Veronenſi, cujus operâ, atque prenſatione factum eſt, ut eum Veronenſes cum familia, poſteriſque, quamvis exterum, jure civitatis Veronenſis donarent. Is porro Paterno auctor fuit, ut à Ticinenſibus miſſionem cauſariam peteret, quam conſecutus, ſeceſſit Romam gratus hoſpes Marini Grimani Cardinalis, quo ſuadente, cum proficiſceretur Veronam gratias acturus civibus ſuis, quorum decreto fuerat honoratus, interfecto Baſſiano Lando ſuffectus eſt Veneto Senatuſconſulto Medicinæ Theoricæ in prima ſede Patavina Profeſſor an. MDLXIII. Quod munus & ſuſcepit hilariter, & ingenti cum laude procuravit, auctus honorario flor. MCC. quo, licet minore, quàm quod à Stephano Bathoreo Sarmatiæ Rege offerebatur, ſi princeps apud Polonos Medicus eſſe voluiſſet, contentus fuit, illudque merens mortalitatem explevit annorum plenus an. MDXCII. (3) V. Kal. Februar. Edidit.

Explicationes in primam Partem Canonis Avicennæ.

Tractatum de Humorum purgatione in morborum initiis tentandâ.

Alterum, quo probatur, Canam uberiorem eſſe debere prandio, etiam in Catarrho.

Conſilia Medica varia inter Conſilia Laurentii Scholtzii.

Conſilium de Balneis Aquenſibus, ad Ferdinandum Gonzagam.

1593 XCIII. Quamvis neque quicquam ediderit, neque Medicâ lauro redimitus Medicinam profeſſus ſit JACOBUS ANTONIUS CORTUSUS nobilis viri Matthæi Patavini filius, (quem peritiſſimum, ac ſtudioſiſſimum Hetruſcæ linguæ, & operum doctiſſimorum, quæ fortè perierint, ſcriptorem adhuc juvenem ſummis laudibus Scardeonius (4) effert), dignus tamen eſt, qui & alumnis, & Profeſſoribus accenſeatur clariſſimis Gymnaſii noſtri, cujus gloriam auxit aſſiduitate Gymnaſticâ, Naturæ obſervatione perſpicaci, rei Botanicæ ſcientiâ planè mirabili, ex qua nemo ſuo tempore peritior fuiſſe dicitur à Riccobono (5), qui latè ejus geſta proſequitur, eumque inventorem rerum quarundam aliis ignotarum aſſerit, atque inter cæteras ejus herbæ, quæ ab ipſius cognomine Cortuſa nuncupatur, de qua ejuſque virtutibus hæc habet Caſtor (6) Durantius.

Nervorum lenit, juncturarumque dolores
Cortuſa: atque eadem jucundo ſpirat odore:
Confirmat, ſtringit tum vulnera, & ulcera ſanat:
Hæc etiam ruptis Dyſentericiſque medetur:
Spiritui & cerebro confert prodeſtque malignis
Ulceribus ſtrictis, quibus eſt, & fiſtula nomen:
Calfacit, attenuatque, exſiccat denique & ipſa.

Idem Durantius Cortuſum inventorem ſcribit herbæ, quam Doronicum appellavit, quæ ita ibidem deſcribitur.

Ignoto fuerat Doronicus ante veneno:
Sed tu tanta Orbi dona hæc, Cortuſe, tuliſti,
Expertus Canibus: magnas hinc reddere grates,
Et ſervatorem noſtræ te dicere vitæ
Debemus, violaſque tibi jam, & lilia plenis
Dent Nymphæ manibus, ſertis frontemque coronent.

Guillandino ſucceſſor datus an. MDXC., ut annotat Tomaſinus (7), rei Herbariæ virtutes, facultates, ac ſpecies oſtendit in horto Botanico ad an. MDXCIII., quo vir de Gymnaſio optimè meritus interiit, ſepultus in templo Servorum ſine titulo.

1595 XCIV. BERNARDINUS PETRELLA, quem Riccobonus (8) modò Burgenſem, modò Burgopolitanum appellat, in monumentis Quæſtoriis Tuſcus aſſeritur. Quamobrem natus ſit Burgi, quod S. Sepulcri vocant, eſtque aliis Biturgia in Umbria ad Tiberim

(1) Gym. lib. 3. c. 8. p. 292. (2) in Elog. loc. cit. (3) Tomaſ. lib. 4. p. 432.
(4) lib. 2. Claſſ. 11. p. 259. (5) Gym. lib. 3. c. 41. p. 75. terg. & p. 76. (6) in Herbario.
(7) Gym. lib. 1. c. 34. p. 97. & lib. 3. c. 14. p. 305. (8) Gym. lib. 2. c. 1. p. 53. terg. lib. 2. c. 41. p. 58.

Tiberim urbs: id quod planè confirmat epigraphe (1) tumulo ejus impoſita ad S. Laurentii. Undè in hoc Gymnaſium irrepſerit, ignoramus, hoc Gymnaſium ejus virtute, ac doctrina illuſtratum ſcimus intra ſæculum XVI. Docebat Logicam publicè in alterâ ſede an. MDLXIII. miro cum plauſu, ac diſcipulorum mira frequentia, quamvis antagoniſten haberet Jacobum Zabarellam in eadem claſſe Philoſophiæ Profeſſorem primarium. An. MDLXVII. traductus ad ſecundam ſedem extraordinariæ Philoſophiæ ſucceſſit Archangelo Mercenario, quem virtus ad primam ſedem claſſis ejuſdem tranſvexerat. Hoc dignitatis auctario Petrella poſt annum excidit non ſine gloria, magno autem in publicam utilitatem Gymnaſii cum merito. Nam cum, provecto ad majora Zabarella, explanandarum logicæ difficultatum præceptor idoneus defeciſſet; nec adeſſet, qui meliùs utiliùſve Petrellâ id poſſet muneris obire, ſtudioſa juventute poſtulante, impetratum eſt à Triumviris Gymnaſii Moderatoribus, ut aucto (2) extra ordinem ſtipendio, Petrella vel invitus ad primam Logicæ ſedem revocaretur. Docuit ex ea annos circiter ſeptem, & viginti, ab an. MDLXVIII. ad an. MDXCV. quo annum agens ætatis quintum, & ſexageſimum Patavii devixit, ut in Epigraphe ſepulcrali laudatâ proponitur. Magnas habuit cum Jacobo Zabarella diſſenſiones, & controverſias circa res Logicas, libriſque editis, quas ille ſententias impugnaverat, validiſſimè tutatus eſt; tantâque contentione, ut in partes Gymnaſium abierit, aliis Zabarellam conſectantibus, aliis ſe ſuccenturiantibus Petrellæ ſententiis. Edidit ad hoc ipſum *libros VII. Diſputationum Logicarum; & Commentarios in duos Ariſtotelis libros Analyticos poſteriores.*

XCV. ALBERTINUS BOTTONUS, quem *Albertum* vocat, & adhuc juvenem laudat cum Hieronymo Capivaceo Scardeonius (3), ex illuſtri Parmæ familia, & oppidorum dominâ, ut memorat Tomaſinus (4), oriundus, Patavii natus eſt, domo hìc quoque nobili, quæ nuperrimè deſiit in ſanctimoniali Virgine S. Agathæ. Laureatus Philoſophiæ, ac Medicinæ doctor docere Logicam inter tertianos Profeſſores cœpit an. MDLV., ſuffectus Antonio Experto, collega verò Bernardini Tomitani, & Petri Mariæ Arcuani. Hinc ſecundam extraordinariæ Medicinæ ſedem conſecutus an. MDLXIV. poſt annos duodecim ad primam Practicæ extraordinariæ translatus eſt, undè ad alteram Theoricæ ordinariæ ſedem evectus an. MDLXXXIII. par muneris dignitate Bernardino Paterno in ea claſſe primario, in illa conſenuit, vita defunctus an. MDXCVI. ſepultuſque in Eremitana baſilica. Varia reconditæ naturæ remedia fertur habuiſſe, eaque communicaſſe cum auditoribus ſuis. Primus poſt Carpum, inquit Tomaſinus (5), hoc eſt Jacobum Carpenſem chirurgum celeberrimum Bononienſem, hydrargyro luem Veneream profligare cœpit ingenti lucro; undè illi opes privato majores, atque ædes magnificæ, quas nepotibus teſtamento reliquit. Edidit 1596

Methodum Medicinalem de legitima medendi ratione.
De ratione conſultandi in re Medica librum I.
De Morbis Mulierum libros III.
Tractatum de modo diſcurrendi circa Morbos, eoſque curandi.
De Vita conſervanda librum I.
Conſilia Medica.

XCVI. HIERONYMUM PALLANTERIUM natum in oppido Flaminiæ Bononeſio, adſcitum in ordinem Minorum cœnobitarum, in eoque plurimis, & variis per Italiam magiſteriis admotum, viris ſummatibus ob ſapientiam notum, cultum à Cardinalibus, magni habitum à Felice Peretto mox Pontifice Sixto V. profeſſorem Theologiæ Ticini, oratorem denique ſua ætate clariſſimum ex iis, quæ tradit Riccobonus latè (6), cognoſces; quippe ſupervacaneum ſit de illo dicta referre, aut habitas ab illo latinas orationes, quæ nuſquam ſunt, percenſere. Ticino ad gymnaſium noſtrum accitus, Theologiam ex doctrina Scoti interpretari cœpit an. MDLXXX. ſucceſſor Bonaventuræ Manenti Gabianenſis ex oppido agri Brixienſis, de quo idem Riccobonus multa (7), quæ ad nos non ſpectant. In libris Quæſtoriis Pallanterio ſucceſſor Mordanus datur an. MDXCVIII., falliturque Tomaſinus (8) qui eum videtur diutiùs in exedra Theologiæ Patavina detinere. Eodem anno eum ſuperſtitem fuiſſe, conſtat ex Riccobono, qui de illo adhuc vivo ſcribit. An Patavio diſceſſerit, vel potiùs intra illum annum ibi deceſſerit, ignoramus, quem propterea ad hunc annum retulimus. Edidit robuſtum ſatis, & elegans *propugnaculum* (ſic librum illum Italicè ſcriptum inſcripſit) 1598

pro

(1) Salom. Inſcr. Pat. p. 315. n. 14. (2) Tomaſ. Gym. lib. 3. c. 35. p. 331.
(3) lib. 2. Claſ. 9. p. 227. (4) Elog. lib. 1. p. 145. (5) lib. 3. Gym. c. 9. p. 296.
(6) Gym. lib. 3. c. 26. p. 65. terg. 67. (7) ibid. lib. 2. c. 24. p. 45. terg. 46.
(8) Gym. lib. 3. c. 4. p. 284.

pro Deiparâ Virgine ſine labe ex Protoplaſte contractâ, immunique prorſus omni Originis culpâ. In hoc rem agit, ſi quis alius vibratè, ac ſtrenuè, præſertim cum pugnat ex Patribus, & ductam ex loco Eſteræ (1) rationem amplificat, retunditque unicum adverſariorum telum ex verbis Pauli Apoſtoli (2) *omnes in Adam peccaverunt*, depromptum.

CAPUT XX.

Alexander Maſſaria. Antonius Riccobonus. Horatius Augenius.

1598 XCVII. ALEXANDER MASSARIA Medicus exeunte ſæculo XVI. nominis maximi, Vicentiæ natus(3) à natura corpus robuſtiſſimum nactus, hoc totum parandæ in omni doctrinarum genere ſapientiæ à primis annis addixit. Græcas literas, & latinas in patria præceptore Jacobo Grypholo Lucinenſi didicit, quas deinde penſiculatiùs excoluit Patavii doctore Lazaro Bonamico publico humanioris literaturæ Profeſſore. Inde in Logicis Tomitani ſectator, in ordinaria Philoſophia Genuæ, in extraordinaria Alberti, Oddi ſenioris in Theorica Medicina, in Practica Fracantiani, in Anatome & Chirurgia Fallopii, teſte Riccobono (4), eximias ſibi ſcientiarum opes comparavit. Quamobrem Medicinæ conſecutus inſignia, Vicentiæ unum de principibus locis inter Philoſophos, & Medicos tenuit, ibique Medicinam exercens, & cooptatus in Academiam Olympicorum, Ariſtotelis Meteora, & Anatomen explanavit: evocatus autem Venetias amicorum, & patronorum hortatibus, in ea urbe incredibili prorſus felicitate, ingentique cum lucro praxim exercuit, ſimul quæ multa eleganter conſcripſerat, evulgavit. Inerat homini magnanimitas, opum non affectata contemptrix: hac artem profitebatur erga viros illuſtres ſplendidè, in pauperes liberaliter. Nam fertur ſingulis feriatum ſextarum diebus, egenis centum ſolitus erogare panem, ſextâ verò feriâ majoris hebdomadæ, & in pervigilio Natalium Chriſti, quotannis, horum duodecim lauto excipere prandio, donatoſque certa pecunia dimittere. His fulgentem virtutibus, clarumque ex doctrina ac diuturna, & felici curationum experientiâ Senatus Venetus Mercuriali, cui fecerat poteſtatem abeundi Bononiam, ſucceſſorem dedit an. MDLXXXVII. in prima ſede Medicinæ Practicæ ordinariæ; fruſtra conantibus Germanis diſcipulis pro Hieronymo Capivacceo, quem quamvìs in ea ſede à Triumviris Literariis ſignatum, poſthabendum exiſtimavit authoritas publica (5) Maſſariæ, pro quo praxis Medicæ gloria, nota Venetiis, perorabat. Refert in Elogiis Tomaſinus (6) apertam ab eo fuiſſe Patavii domum peramplam, quam viris doctis, amicis præſertim, & advenis ſecum eſſe communem, & patentem perpetuò voluit exemplo raro, quod ſummis laudibus poſteritati commendat Riccobonus (7), ex eoque Maſſariam Cimoni Athenienſium omnium liberaliſſimo comparandum præferendumque verbis multis ac pluſquam hiſtoricè exiſtimat. Addit Tomaſinus fuiſſe eum virum perfervidi ſpiritùs, & validæ, conſtantiſque virtutis, vel in ultima ſenectute. Nam biennio ante quàm è vivis excederet, cùm diſcipulum ſibi publicè diſſerenti obſtrepentem identidem ſemel atque iterum objurgaſſet, domum rediens irâ juſtâ percitus, baculo, è lignorum ſtrue, in quam caſu inciderat, ſtatim arrepto in illum, qui cum cæteris in comitatu ſequebatur, impetum fecit; ac ſtupentibus cunctis contudit probè admirabili animadverſione, quam tamen, utut ea poſteris ad exemplum proponatur à Tomaſino, meo ſanè judicio nemo prudens probaverit. Senio confectus morte ſubitâ periit XV. Kal. Novembris ſub noctem an. MDXCVIII. Sepultus ſine titulo in Antonianâ Baſilicâ. Acerrimas controverſias habuit cum Horatio Augenio, & Hercule Saxonia, de quibus videndus eſt Tomaſinus (8). Edidit

De abuſu Vexicantium & Theriaca in morbis peſtilentibus adverſus Saxoniam.

Apologiam ad Reſponſionem Saxoniæ, ſeu librum de Phoenigmis.

Practicam Medicam.

Librum Reſponſorum & Conſultationum Medicinalium.

Diſputationem de Scopis mittendi Sanguinem.

Alteram de Purgatione in principio morborum.

Tractatum de Peſte libros IV.

Tractatum de Affectibus Renum, & Veſica.

De Morbis Mulierum.

De pulſibus, & Urinis.

Conſultationem de Febre Catarrhali.

XCVIII.

(1) c. 4. V. 13. (2) Rom. 5. V. 12. (3) Riccob. Gymn. lib. 3. c. 31. p. 69. terg. 70. Tomaſ. in Elog. lib. 1. p. 166. (4) ibid. p. 70. (5) Vid. Riccob. ibid. (6) ibid. p. 167. (7) ibid. p. 71. terg. & 72. (8) lib. 4. Gymn. p. 431. 435.

XCVIII. ANTONIUM RICCOBONUM (1) humili loco Rhodigii natum an. 1599
MDXLI. Venetiis primùm humanioribus literis initiatum doctoribus M. Antonio Mu-
reto, & Paulo Manutio, deinde operoſiùs Patavii à Carolo Sigonio inſtitutum, in
ipſa adoleſcentia Juriſprudentiæ dare operam vidit Gymnaſium noſtrum: eumque iis
palam laudibus proſecutum eſt, quibus excita patria juvenem adhuc, nec planè ma-
jorem ætate ſtipendio publico accitum ſcholæ ſuæ præfecit. Quod ille munus gnaviter
adeo ac ſedulò nullis parcens laboribus obiit, ut civium ſuorum amorem, ac ſtudia
ſibi pleniſſimè conciliaverit, Hinc vix elapſo biennio, anno ſcilicet MDLXVII. ami-
corum rogatu, cum publicè in Juriſprudentiæ laudem declamaſſet, Rhodiginorum om-
nium calculis in ordinem civium cum familia relatus eſt. Poſt annum ex typis cla-
rior, quippè Commentarium de Hiſtoria vulgavit unà cum fragmentis M. Porcii Ca-
tonis, quæ additis etiam annotationibus explanavit; Venetias profectus, cum M. An-
tonius Muretus oblatum à Triumviris literariis locum Robortelli defuncti recuſaſſet,
non ſane ut prædicat Tomaſinus (2), is ſolus præ cæteris eruditis in Italia viris dignus
habitus eſt, cui prima Oratoriæ facultatis exedra traderetur, ſed ut ipſe, quamvis non
jejunus rerum ſuarum laudator, narrat, hortatu (3) & officiis Laurentii Maſſæ, qui tunc
à Secretis Triumviralibus erat, adductus eſt, ut Juriſprudentiæ lauro receptâ, eam ſibi di-
gnitatem expeteret, quam Maſſæ patrocinio, & officiis obtinuit. Sedem iniit an. MDLXXI.
quam & diſſertationibus tribus locupletiſſimis, quas pro noſtris Gymnaſticis habuit,
auſpicatus eſt, & prælectionibus utiliſſimis, eruditiſſimis ſcriptis, libris quoque apud po-
ſteros cum laude perennaturis, ut Gymnaſii noſtri monumenta prædicant, illuſtravit.
Tradunt enim ex his tum ſtudioſæ juventuti, tum civibus Patavinis Riccobonum fuiſ-
ſe venerabilem. Nam ex decreto Gymnaſii non ſemel miſſus eſt gratulatum novis Veneto-
rum Ducibus Principatum, præfectuſque Gymnaſticis legibus emendandis, additâ in præ-
mium laboris, & operæ ritè navatæ, immunitate rerum omnium, quæ quotannis Gymnaſio
ſolvi à Profeſſoribus ſolent. At verò à Patavinis de graviſſimis rebus conſultus ſæpiſſimè,
adhibitus eſt paſſim ad Collegiorum decus, ornatus Animoſorum Principatu: tandem ſo-
lemni ritu, plenâ ſuffragatione, ſummo cum plauſu in jus Patavinæ civitatis receptus.
Narrat hæc de ſe ipſo Riccobonus (4) ipſe pluſquam glorioſè in Opere de Gymnaſio, quod
conſcripſiſſe videtur non tam ut Gymnaſium deſcriberet, ac poſteris commendaret,
quàm ut ſe, ſuaque opportunè, importunè jactaret: ita quæ pertinent ad Gymnaſium
perfunctoriè, ſtrictim, atque jejune dat, ſua ex induſtria, latè, atque eleganter uſque
ad ſatietatem proſequitur, ne vitio quidem illi parcens, quo nullum in hiſtorico
majus cenſeo, quo qui, ne ſua prætereat, maximam hiſtoriæ partem ſuis exponendis
ac jactandis impendit, inſeritque Operi contentiones, quas habuit cum viris do-
ctis, Orationes, quas dixit in funeribus variorum, vel etiam laudibus: denique
quidquid ex occaſione vel minimâ & quæſita ad commendationem ſui trahi poſſe
utcunque videbatur. Hinc mirum eſt, ſi Tomaſinus, cùm ſcribat, vixiſſe cum ſuâ ſor-
te, quamvis mediocri, contentum, amicis gratiſſimum, diſcipulis amabilem ſimul & uti-
lem ex facilitate docendi, addat, eundem pacatæ indolis fuiſſe, animoque modeſtum.
At ſi quæ notavimus, perpendiſſet vir bonus, cùm Riccoboni libros exſcribebat, mo-
deſtiam hominis non probaſſet, indolem verò pacatam vidiſſet nuſquam, ea penſicula-
tiùs rimatus, quæ ſcripſit adverſus Sigonium (5) amicum & præceptorem, ſtantem pro
libro Ciceronis de Conſolatione: quæ contra Joannem Marium Matium Brixianum
(6) circa notata per Quintilianum de Cornificio: quæ objecit Nicolao Colonio (7) Ber-
gomati in Methodum Horatianæ Epiſtolę de Arte Poeticâ: quæ denique pro laurea
Patavina Julii Bordonii, ſeu Julii Cęſaris Scaligeri Scioppio dictavit, Belgarum cala-
mos ad grave bellum excitatura. Vixit ad nonum & quinquageſimum ętatis annum:
ſed cùm incommodâ crurum valetudine laboraret, & vinis generoſis Vicentinis maxi-
mè delectaretur, ex calculo ſenſim contabuit an. MDXCIX. Oratorię profeſſionis trigeſi-
mo translatus Rhodigium, & Oratione funebri laudatus, conditus eſt in templo D.
Franciſci: cui frater Barnabas hoc epitaphium impoſuit.

Titulus hic eſto æternus
Antonii Riccoboni V.I.C. Rhodigini,
Patavii qui politiores Eloquentiæ Artes
publicè & glorioſè profeſſus eſt per Annos

(1) Tom. Elog. lib. 2. p. 109. 112. Imper. in Muſæo, & ex his Freher. T. 2. P. 4. p. 1493. 1. (2) loc. cit.
(3) Gymn. lib. 2. c. 47. p. 53. terg. (4) ibid. p. 54. (5) lib. Gym. 4. c. 2. p. 83. terg. 94.
(6) ibid. c. 3. p. 94. (7) ibid. c. 9. p. 96. terg. 97.

XXX. E Vita ceſſit honorifica ſexagenario propior Anno MDXCIX.
P. Barnabas Riccobonus Abbas Olivetanus Fratri laudatiſſimo MDCXV.

Edita à Riccobono hæc ſunt (1).

Commen. in Ciceronis libros de Inventione. In Partitiones Oratorias, Topica, Orat. ad Brutum & de Officiis.

De Hiſtoria cum Fragmentis hiſtoricorum Veterum M. Porcii Catonis, Quinti Claudii Quadrigarii, L. Siſennæ, C. Criſpi Saluſtii & M. Terentii Catonis: cum Notis.

Oratio de legum laudibus.

Praxis Rhetorica.

Paraphraſis in Rhetorica Ariſtotelis & de uſu Artis Rhetoricæ.

Artis Rhetoricæ Compendium.

Ars Comica ex Ariſtotele.

Poetica Ariſtotelis latinè converſa, & Paraphraſis ejuſdem. De Gymnaſio Patavino libri VI.

Defenſio de quibuſdam locis Quinctiliani, quibus probatur Rhetoricam ad Herennium eſſe Cornificii

Judicium, è quo Ciceronis Conſolationem non eſſe eam, quæ ſub ejus nomine venditatur, oſtendit.

De Conſolatione edita ſub nomine Ciceronis, ſeu primo ejus judicio adverſus ſecundam Caroli Sigonii aſſertionem.

De Conſolatione edita ſub nomine Ciceronis judicium ſecundum.

Ariſtotelis Ethica interprete Riccobono cum Comment. Defenſiones, ſeu Opiniones de Epiſtola Horatii ad Piſones.

Conciliatio cum Nicolao Colonio.

Orationum Volumina II.

Epiſtolæ LXIX.

1603 XCIX. HORATIUM AUGENIUM Theologum, Philoſophum, Medicum oppidulum Piceni, cui Mons Sanctus nomen, tulit, Ludovici Filium profeſſoris Medicæ praxeos in præcipuis Flaminiæ, Piceni, & Etruriæ urbibus inſignis. Fuit Medicus Clementis VII, mox intimus amicorum Alberti, & Leonelli Piorum Comitum, unde in illum ſumma charitas & familiaritas Rodulphi Card. Pii, qui filius Leonelli fuit; atque hoc agente eâ gratia fuit apud Guiſium Ducem, & fratres, alioſque Principes Gallos, qui ſuppetias laturi Paulo IV. in Italiam exercitum duxerant, ut earum honorariis nummis ditatus magnificè pro patriâ quoque ſuâ munus acceperit, quo ab oneribus, quæcunque ob exercitûs tranſitum loca alia ſuſtinebant, exempta eſt. Hoc parente natus Horatius humaniorem literaturam, Philoſophiam, atque etiam Theologiam in Lycæo Firmano didicit, & ex eodem laureatus Medicinæ doctor prodiit. Juvenis Logicam in Maceratenſi gymnaſio publicè docuit biennio, inde Medicinam Theoricam quinquennio profeſſus eſt in ſcholis Romanis. Poſt hæc in Ticinenſi, ut habet Freherus (2) ex Tomaſino (3), vel potius ut leges in Riccobono (4) & ipſo Tomaſino (5) alibi, atque etiam apud Petrum Caſtellanum (6), in Taurinenſi Academiâ ſexdecim annos Medicinam practicam explanavit, unde ad Patavinum Gymnaſium accitus flor. nongentorum ſtipendio, non Hieronymo Capivaceo, ut ſomniat Freherus (7), ſed Bernardino Paterno, ut habent monumenta Gymnaſtica (8) ſuffectus eſt an. MDXCII. in ſede primà Theoricæ Medicinæ ordinariæ. Senex deceſſit Patavii an. MDCIII. attritus diuturnis controverſiis, habitis cum Alexandro Maſſaria de ratione mittendi ſanguinis. Has Horatius complexus eſt libris X. qui extant inſcripti,

De miſſione ſanguinis, quibus addidit,

Tractatum de ratione curandi per ſanguinis miſſionem.

De Febribus Commentarium.

De modo præſervandi à Peſte Tomos III, qui dno ſunt Tomaſino.

Obſervationes ſingulares.

De partu hominis librum.

De calculoſis exulceratis renibus.

De morbo Gallico.

Comment. in libr. II. Galeni ad Glauconem de Curatione.

CAPUT XXI.

Salvator Bartholuccius. Franciſcus Piccolomineus. Æmilius Campolongus.

1603 C. SALVATOR BARTHOLUCCIUS Minorita natus Aſſiſii apud Umbros Metaphyſica Scoti dogmata publicè profeſſus eſt apud nos ab an. MDLXXXII. ad an. MDXCIX. quo

(1) Tomaſ. ibid. p. 122. (2) loc. cit. (3) ibid. p. 115. (4) ibid. terg. (5) Gym. lib. 4 p. 432. (6) de Illuſtr. Medic. Pag. 247. (7) loc. cit. (8) apud Riccob. & Tomaſ. ibid.

quo eum ad plures abiiſſe Salomonius (1) tradit, cùm conſtet ex libris Quæſtoriis, quos vir bonus ſavens huic operi noſtro laborioſè nobis excerpſit, ei vacanti, quòd morbo paralyſis miſerè laboraret, florenos octoginta ſuiſſe ſolutos ex area Gymnaſii ad an. MDCIII, quo nimirum obierit. De hoc viro adhuc ſuperſtite multa extra rem noſtram Riccobonus (2) ad laudem oratoriè commemorat, ex quibus hoc unum colligimus, virum fuiſſe apprimè doctum, concionatorem inſignem, oratorem nobilem, Philoſophum acutiſſimum, & in illuſtrando Doctore ſubtili laborioſum. Emendavit ejus Opuſcula, quæ vocant Quodlibeta, ſcriptum Oxonienſe pręclariſſimis animadverſionibus explicavit, extricavit Quæſtiones enodatis difficultatibus. Addidit Scoti ipſius vitam curioſiùs expoſitam, atque incredibili mentis conatu Formalitates, ut Schola loquitur, Antonii Lichetti, qui Riccobono Sitettus eſt, revocavit ad mentem Scoti; cui propterea ex his meritis datum, raro per ea tempora exemplo, ut in collegium Theologorum cooptaretur, & Patribus Antoniani cœnobii adſcriberetur.

CI. Memorabilem Gymnaſio noſtro Philoſophiæ Profeſſorem Ariſtotelicæ, & Plato- 1604
nicæ terris eripuit initium ſæculi XVII. FRANCISCUM (3) PICCOLOMINEUM, qui nobili, ac vetuſtâ familiâ Senis natus, & penè non ab ipſis unguiculis primis impetu quodam naturæ ad laudem abreptus, poſt quæſitas primæ literaturę opes, Philoſophiæ ſe addixit, ac M. Antonii Zimaræ diſcipulus, condiſcipulus Felicis Peretti, deinde Sixti V. Pontificis, & Conſtantii Sarnani poſtmodum Cardinalis, in eam doctrinę famam adhuc adoleſcens evaſit, ut in illa ętatula Logicam in patria profeſſus publicè ſit. Annorum XXV. juvenis ad Gymnaſium Maceratenſe accitus, ejuſque non admodum ſolitudine delectatus, cùm diſceſſum pararet, à Proceribus oblato primæ ſedis honore detentus eſt: ſed enim vix anno elapſo, cùm annum ageret XXVII. expetitus à Peruſinis ad earum Academiam acceſſit, in qua decennio docendi munus obivit glorioſè, & feliciter, edito volumine de *Morali Philoſophia*, quod ad formandos mores aptiſſimum miris omnium Gymnaſiotum laudibus exceptum eſt. Inde clarus, cùm ex morbo in patriam remeaſſet, recuperatâ valetudine ad Patavinum Lycęum honeſto ſtipendio invitatus venit ann. MDLX. extraordinarię Philoſophię in primâ ſede Profeſſor, & Archangeli Mercenarii collega, viri clariſſimi, quem nondum exacto quadriennio dignitate prætergreſſus eſt, ſenatuſconſulto datus Pendaſio ſucceſſor, ut radiis doctrinę ſuæ probatę omnibus, & omnium miro plauſu, ſummâque frequentiâ commendatę ordinarię Philoſophię primam exedram illuſtraret. Quantâ & vitę integritate, & ſuavitate dicendi, quantâ eruditionis uberrimę copiâ, & interpretationum acumine per annos ſeme quinque & triginta hoc, aliiſque muneribus, quę juſſu Reipublicæ Venetæ gerenda ſuſcepit, perfunctus ſit, leges apud Tomaſinum (4), & Imperialem, & alios ex his, quorum exſcribere Elogia (5) ſupervacaneum fuerit. Senex, nec minus attritus laboribus, quàm domeſticis filiorum diſſidiis vexatus, cùm, edito volumine, in Jacobum Zabarellam æmulum & collegam inſurrexiſſet, quieti & ex adagio Platonico καλῇ ἐν ἀργίᾳ ἀμελεῖς, incuriæ in ſenio bonæ ſtudens, impetratâ muneris miſſione, octogenario major, non imminuto mille & quadringentorum ſtipendio, Senas ſeceſſit; nec tamen otio marceſcere ſolitus, & legationes plures pro patria ad magnum Etruriæ Ducem obivit, & conciliare Platoni Ariſtotelem aggreſſus eſt, ne, ut ajebat, Doctorum Reſpublica uno Ariſtotele contenta altero careret oculo, & Cyclopis inſtar in hac rerum univerſitate lapſaret. Fatum Operi invidit; nam annorum quatuor & octoginta ſenex, nullo unquam conſpicillo uſus, cum ampliſſima ſui nominis famâ, ingenti patrimonio hæredibus relicto, deceſſit in patriâ an. MDCIV. ex eo quoque ſelix, ut habet Imperialis, quòd inſolito Senenſium ſqualore, juſtitio, & lacrymis illi à civibus parentatum eſt. Sepulto ad D. Franciſci brevem, nec tanto Philoſopho parem Epigraphen hanc hæredes impoſuere.

D. O. M.
Franciſcus Piccolomineus
Philoſophus
Ejuſque Hæredes,
Donec lux poſtrema refulgeat,
In his tenebris conquieſcent.
Fides dirigit, ſpes elevat,
Charitas cum Deo
nectit. MDCIIII.

Ff 2 Enita

(1) Inſcript. Gym. Miſcell. (2) lib. 3. Gym. c. 29. p. 67. terg. 69. (3) Elog. Tomaſ. lib. 1. pag. 108. Imperial. in Muſæo. (4) loc. cit. (5) Freher. T. 2. p. 4. p. 1498.

Edita ſunt ejus Opera his titulis.

Naturæ totius Univerſi Scientia perfecta, & Philoſophica, quinque partibus abſoluta, quas Tomaſinus ſigillatim exponit.

Comment. in libros Ariſtotelis Phyſicorum. De Cœlo. De Ortu & Interitu. De Anima. De Meteoris, & materia cum his connexa.

De Arte definiendi & diſcurrendi liber ſingularis.

Comes Politicus, adverſus Jacobum Zabarellam.

1604 CII. ÆMILIUS CAMPOLONGUS (1) patricius Patavinus, quo nemo doctior ſuâ ætate in re Medica. Vir non domi tantum, & apud Euganeos, verùm etiam apud ſummates Principes exteros eximii nominis, tantique paſſim habitus, ut plerique conſilio ejus in graviſſimis morbis unicè ducerentur; Urbinatium verò Dux pretioſis magnificè donatum muneribus, quamvis abſentem coluerit, præſens autem ſuæ ſaluti obligatum ſibi eſſe voluerit. Venerabilem illum ſpecie fuiſſe, atque in colloquiis, ut ſcribit Tomaſinus, blandum adeo, ac jucundum, ut non minus ejus humanitate, quàm remediis adhibitis ægri ſe refici faterentur. Sui temporis Medicorum facilè princeps ſectator ac cultor acerrimus fuiſſe traditur Ariſtotelis, & Galeni, quos contemnere, ac damnare paſſim, fortè nec lectos quidem, Medicorum quorundam recentiorum ſtupida gloria eſt. Anno ætatis octavo & vigeſimo, æræ communis MDLXXVIII. docere cœpit ab exedra ſecunda extraordinariam Medicinam Theoricam: primam in eâdem claſſe ſedem obtinuit quinquennio poſt an. MDLXXXIII. Poſt annos octo, ob præſtantiam ejus in praxi Medicâ manifeſtam omnibus, planèque inclitam ex felicitate, & gloria curationum, inſcius traductus eſt ad primam Practicam extraordinariam, datuſque Marco Oddo ſucceſſor an. MDXCI. undè an. MDXCVI. progreſſus ad alteram Theoricam ordinariam in eâ deſiit eſſe mortalis an. MDCIIII. ætat. LV. Conditus eſt à filio Annibale Juriſconſulto in templo Servorum, & ſacello majorum, ſignatuſque poſteris hoc Elogio (2).

D. O. M.
Æmilio Campolongo
Nobili Patavino
Summæ integritatis
& Innocentiæ Viro
Philoſopho, atque Medico Clariſſ.
Qui agendo, ſcribendo, & publicè
Diu in Patria tum Practicam
Tum Theoricam inter Primarios
Profitendo
Summorum Principum gratiam
conſecutus
Nomen ſibi ad extremas etiam
Regiones nunquam periturum
comparavit.
Obiit Anno Salutis MDCIIII.
XV. Kal. Novembris
Ætatis ſuæ LIV. Menſe II.
Annibal IC.
Patri Benemerenti
& incomparabili
P. C.

Edita ſunt ejus hæc, quæ ſubjicimus.

Theoremata de humana Perfectione Veritatis Indagatoribus Patavii diſcutienda relicta.

Methodus conſultandi, in qua legitima medendi ratio traditur à Lazaro Suſembeto edita.

Tractatus de Variolis.

Nova cognoſcendi morbos Methodus ad Analyſeos Capivacciana normam expreſſa.

De

(1) Tomaſ. Elog. lib. 1. p. 304. & ſeq. Freher T. 2. P. 3. p. 1316.
(2) Tomaſ. d. p. 305. Salom. Inſcr. Pat. p. 465. n. 6.

De Arthritide cum Ant. Schnebergeri medicamentorum facilè parabilium adverſus omnis generis articulorum dolores enumeratione.

CAPUT XXII.

Juſtus Lipſius. Hieronymus Mercurialis.

CIII JUSTUM LIPSIUM Profeſſoribus ſuis Gymnaſium noſtrum annumerat in Monumentis Gymnaſticis, quamvis meo ſanè judicio his annumerandus minimè ſit: 1606 quippe qui licet Senatusconſulto, quo Patavium accerſebatur, acquieverit, conſenſeritque decreto à Patribus magno ſtipendio, imo & viaticum ad iter acceperit, atque hoc ſuſcepto Viennam uſque pervenerit; attamen ibi deterritus prælegendi ratione, quę jam tum obtinebat, atque obtinet in hoc Lycæo, ſe tandem excuſavit, nec Italiam ingreſſus, nec ſalutato Patavio, ad ſuos rediit. Narrat hæc Vincentius Contarenus (1), ex quo quædam ad idipſum decerpſit Tomaſinus (2), ſed & multa prudens omiſit, atque illud in primis, quod morem noſtrum Gymnaſticum memoritet prælegendi videtur carpere; ſimul & Cremoninum & Riccobonum accuſare, qui primi, quod olim ex arbitrio cuique licebat, vel memoriter explicare, quæ mente conceperat, vel quæ dictaverat, de ſcripto docere, majeſtate Gymnaſii indignum rati, vetari curavere. Hoc more ſic ad legis obligationem deducto deterritum Lipſium autumat Contarenus, ab exedra Patavina, quam poſt obitum Riccoboni Riccobono longe glorioſiùs illuſtraſſet, nec uno Patavini Profeſſoris nomine, ſed & re ipſa ſcriptorum ſuorum gloriam in præcipuum Italiæ ſapientiæ lycæum reſudiſſet. De Lipſio igitur & nos pauca quædam ex plurimis, quæ pleno omnium ore, calamoque celebrantur, hìc damus, ne quis nos utcunque à propoſito deſciviſſe contendat. Dicimus autem pauca, quis enim ut multa dicat ex plurimis, aut plurima brevitati, quam profitemur, accomodet? Natus eſt Iſcani in oppido Barbantiæ Bruxellis proximo, patre, & avo opibus, doctrinâ & genere claris. Coloniæ Ubiorum puer adhuc annorum duodecim Græca, & Philoſophica didicit in ſchola Societatis Jeſu, quorum in ordinem cum cooptari petiiſſet, jam adoleſcens legitimæ ætatis, à patre domum revocatus, Lovanium miſſus eſt, atque ita detortus ab eo, quod ſecum ipſe decreverat, ut ad unam ex literarum quæſtu gloriam ſe ſe converterit. Lovanii annorum XX. adoleſcens primum ingenii ſui fœtum edidit *Variarum lectionum* libros an. MDLXVII. Inde Romam profectus, biennium tranſegit in hoſpitio, & convictu Antonii Perenoti Granvellani Cardinalis, cui à latinis epiſtolis fuit; ſimul Romanas antiquitates inſpexit, & Bibliothecas celebriores excuſſit. Poſt hæc Lovanium reverſus, & Viennam evocatus in aulam Maximiliani II. Cæſaris venit, cujus tædium cùm ferre minimè potuiſſet, nec redeunti ad lares patrios per tumultus bellorum in Belgio aditus pateret, Jenæ in Thuringia ſubſtitit, atque ibi Hiſtoriam, & Oratoriam publicè profeſſus eſt anno integro. Lutheranorum mores exoſus ex ea urbe clam ſe ſubduxit, regreſſuſque iterum Lovanium, repoſitis aliquantiſper Muſarum deliciis, Juriſprudentiam excoluit; cujus laurum brevi conſecutus ad ſtudia iterum Philoſophiæ ſe contulit: ac ductâ uxore pia & religioſa fœmina, dum ſedem ſibi & familiæ Lovanii ponere cogitat, iterum acrioribus ex bello periculis territus paulatim eò flexit animum, ut Lugdunum Batavorum, quo ad munus docendi conditionibus optimis invitabatur, ſecederet. Ibi annos tredecim vixit, publicè docuit, multa conſcripſit, at & pietatis ac religionis, quam ad eam diem ſanctè coluerat, jacturam fecit: quippe ſenſim in Calviniana dogmata delapſus viſus eſt orthodoxam Fidem ejuraſſe. Sed poſt annos aliquot piæ uxoris querelis, & monitis ad priſtina ſalutis conſilia retractus, conſcientiâ præterea reclamante, crebriſque morbis admonitus, hos cauſatus ad hauſtum acidularum acceſſit: voto autem concepto, quo ſe obligavit, ſi ſanitatem patrocinio Deiparæ Virginis Hallenſis & Sichimenſis convaluiſſet, ſe ad ſacra catholica rediturum, & culturum deinceps impenſiùs tanti beneficii pontentiſſimam auſpicem, compos factus voti, Moguntiæ ſe majorum religioni reſtituit, coluitque exinde ſacerrimas icones auguſtæ Virginis, cujus ſe precibus, & præſidio commendaverat. Sic geminæ ſanitati reſtitutus Lovanium venit, ſedes ibi fixit auditus in Lovanienſi Academia cupidiſſimè; utque in Lugdunenſi Bataviæ diſcipulum habuit Mauricium Auriacum Principem, ita Lovanii diſſerentem pro roſtris Gym-

(1) Epiſt. ad Domin. Moiin. (2) Gym. lib. 3. c. 40. p. 342.
(3) Thuan. Elog. Teiſſer. ad Elog. Thuan. T. 2. p. 445, 452. Freher. T. 2. P. 4. p. 1501. & ſeq.

naſtjeis audivere ſæpè Albertus Archidux, & quæ vulgò Hiſpaniatum Infans dicebatur, Eliſabetha. Jam Lipſius totâ, quà latè patet, Europâ clarebat eruditionis raræ, miræque virtutis famâ non apud literatos dumtaxat viros, ut palam eſt ex Erythræi Pinacotheca (1), Miræo (2), Balzaco (3), Thuano (4), Teiſſero (5), & aliis, quos numerare in re manifeſtâ, nec juvat, & piget, verùm etiam apud Principes ſummos, quorum aſſiduus labor fuit, ut eum extractum Belgio ad ſe pertraherent. Nulli hoc datum, niſi Reipublicæ Venetæ, quæ oblato ampliſſimo ſtipendio, ſucceſſorem eum dixit Antonii Riccoboni. Sed, ut diximus, inſtitutis Gymnaſii noſtri territus Vindobonâ, quò Patavium aditurus pervenerat, Lovanium redit, ubi humaniorum literarum Profeſſor, à conſiliis Archiducis, Regis Hiſpaniarum Hiſtoriographus, literatorum hominum, & Criticorum ſuâ ætate princeps, Chriſtianorumque Stoicorum exemplar ex catarrho, & tuſſi deceſſit ann. MDCVI. ætatis LVIII. Vir fuit morum honeſtate, integritate vitæ, amore pietatis, & religione erga Deum, Deique Virginem Matrem memorabilis, nec ſapientiæ gloriâ quoquam ſui temporis minor, pleriſque major. Fatentur hoc omnes, qui non è partium ſtudio cenſorem agunt, neque ex Scioppii ſcholâ, quam Scioppius meruit, ſtrigili confricandi, Grammaticuli ſtolidè feroces, & palam in triviis maledici ſunt. Nam horum quoſdam exſtincto Lipſio inſultaſſe notiſſimum eſt, eique dicam ſcripſiſſe, ut Idolorum cultori, ut corruptori candidiſſimæ Latinitatis, ut plagiario. Quæ omnia noſces ex Grotio (6) Joſepho (7) Scaligero, Baudio (8), Thomſono (9), Salmaſio (10), Galeſio (11), Matthæo (12) Vayerio, aliiſque, quos producit Teiſſerus (13). At contra hos equitas ex Juriſconſultorum dictatis excipit Criticos infelices, & patres circulatorum quorundam, quorum unum opus eſt, adverſùs viros doctiſſimos ringere, vel potius rudere ex gentis ingenio. Ut in Lipſio non ubique ſit emendata prorſus latinitas, ut quędam è variis corraſerit, ut non ad nitorem, ut vocant, aurei ſęculi, quę doctiſſimè ſcribit, vendiret; at in pręcipuis operibus ſuis latinus ubique eſt, nec ex larvâ Ciceronis diſluit, ſed ex ſuâ, quâ Senecam & Tacitum æmulatur, grandia, erudita, utiliſſima loquitur, caletque in arena, non friget ex hiſtoria; cùmque hoſtes ejus vel jampridem etiam de nomine perierint, vel ex cenſura contra eum latâ nihili fiant, Lipſius vivit, legitur: vel in iis, in quibus quadantenus reprehenditur, tantus eſt; ut ſolis inſtar, qui ſuas maculas luce ſuâ tegit, ſi quid peccat, gravitate, doctrinâ mirâ, multiplicis eruditionis copiâ, ſententiarum acumine, vibratique ſtyli ſemper, & operoſi conſtantiâ redimat. Multis illum elogiis extinctum celebrarunt multi, aliqua leges apud Teiſſerum (14) ſparſim propoſita: omnium breviſſimum, quod Antuerpienſes illi poſuere, prę omnibus ſapit, his verbis omnia complexum (15).

Juſti Lipſii
Quod claudi potuit,
Hìc jacet.
SPQ. Antuerpien.
Incliti Viri
Famæ Orbi notæ,
Virtuti Cœlo receptæ,
H. M. P.

Scriptorum ejus integrum catalogum nuſquam vidimus, quæ legimus ejus nomine prælo publici juris facta, hæc ſunt.

De Virgine Hallenſi, & Sichimenſi.
De magnitudine, & militia Romana.
Poliorcetica, de Machinis, Tormentis, Telis &c. libri V.
De Cruce libri III. & de Bibliothecis Syntagma
De Veſtalibus. De Conſtantia. Lovanii deſcriptio.
Comment. in Tacitum, C. Vellejum Paterculum, Senecam, & Panegyricum Plinii.
Politica libri V. De Philoſophia Stoicorum, & ad eam manuductio.
Variarum lectionum libri III. Antiquarumque Lectionum Libri V.
Epiſtolicarum Quęſtionum libri V. Electorum verò lib. II.
Notę in Valerium Maximum, & Animadverſiones in Tragœdias Senecę.

Judi-

(1) ibi Pinaco. 2. (2) de Script. Bel. Elog. (3) in Socrat. Chriſt.
(4) in Elog. (5) ibid. (6) Annal. Holland. lib. 5.
(7) Epiſt. lib. 2. ep. 129. (8) Epiſt. Cent. 2. ep. 27. (9) In Vindice Veritat
(10) lib. 1. Epiſt. epiſt. 93. (11) de Biblioth. p. 185.
(12) Homel. Acad. 22. (13) ibid. p. 447. 449.
(14) ibid. p. 418. (15) Freher. T. 2. P. 4. p. 1502.

Judicium De Conſolatione Ciceronis. Satyra Menippæa.
Epiſtolarum Miſcellanearum Centuriæ V.
Ad Belgas Centuriæ III.
Ad Germanos & Gallos I.
De Veſta, & Veſtalibus Syntagma.
Leges Regiæ & XVirales cum diſſertatiuncula ad Principes.
Saturnalium Sermonum libri II.
Tract. VIII. ad Cognoſcendam hiſtoriam Romanam.
Epiſtola pro Pace, Induciis, & Bello.
De Amphitheatro Romano, & aliis extra Urbem.
Epiſtolica Inſtitutio, & Dialogus de rectâ pronunciatione Linguæ latinæ.
Monita & Exempla Politica.
Notæ ad Manuductionem Stoicorum.
Liber de una Religione adverſus Dialogiſtam Theodorum Conhertium.

CIV. HIERONYMUS MERCURIALIS non ex iis dumtaxat æſtimandus eſt, quæ de illo ſcripſere Riccobonus (1), Tomaſinus, & Caſtellanus, ſed ex iis maximè agnoſcendus, celebranduſque, quæ docta, & æternùm victura multa eruditiſſimè edidit. Vivere inter mortales cœpit Forolivii Galliæ Togatę in urbe ad viam Æmiliam. Nomen habuit à die natali D. Hieronymo ſacrâ, Mercurialis agnomen à S. Mercuriali quondam ſuæ urbis Epiſcopo, & tutelari. Patavii Philoſophiæ, ac Medicinæ operam dedit, indeque laureatus doctor in patriam rediit, nec deinceps Medicinæ factitandæ vacavit. Vir eruditionis raræ non contentus veterum, recentiorumque Medicorum inſtitutionibus, altiùs in Philoſophica ſe immiſit, ſcrutatuſque neglectam ab aliis antiquitatem, ac linguarum Græcæ & Latinæ peritiſſimus, in eam doctrinæ gloriam aſſurrexit, ut non Mercurialis, ſed Mercurius, & quidem Triſmegiſtus, apud pleroſque audiret. Juvenis admodum à civibus legatus Romam ad Pium IV. miſſus, in aulam Alexandri Farneſii Cardinalis, virorum doctorum Mœcenatis, receptus eſt, in eaque ſeptennio vixit tanta cum nominis fama ex artis Medicæ præſtantia, ut eum Senatus Venetus ultro ſucceſſorem Antonio Fracantiano decreverit ſtipendio ſatis amplo, quod deinde liberaliter auxit traducto ad principem Practicæ Medicinæ ſedem ordinariam anno MDLXIX. In eo munere Mercurialis, nondum quadragenarius, quot habuit auditores, habuit autem frequentiſſimos ſemper, tot habuit admiratores, præconeſque ſummæ in omni literaturæ genere ſapientiæ; praxim autem exercuit in curationibus felicem adeo, blandam, atque jucundam, ut ab omnibus expetitus, vix ſuffecerit ęgrotis nobilioribus. Maximilianus II., datis ad Nicolaum Pontium Venetorum Ducem literis, illum ad ſui curationem obtinuit à Veneta Republica. Profectuſque Vindobonam an. MDLXXXIII. Mercurialis, comitantibus Hercule Saxonia Patavino, & Antonio Tertio Vicentino, ęgrum Cęſarem ſanitati reſtituit: ab incolumi Principe non titulis dumtaxat ſpecioſis Comitis & equitis, ſed & torque aureo, & pecuniâ largè donatus prę ſociis. Regreſſus Patavium, quinquennio poſt, majore quàm Patavino ſtipendio accerſitus Bononiam, eò ſe tranſtulit anno MDLXXXVII: undè poſt annos quinque, precibusne, an pollicitationibus Magni Ducis Etrurię dedit, ut Piſis doceret, mercede aureorum MDCC; mox etiam bis mille eam ſedem implevit nominis & doctrinę ſuę famâ locupletiſſimè uſque ad ann. MDCVII, quo, cùm in patriam remeaſſet animi cauſa, calculi dolore vexatus per dies triginta, eodem ſuperatus occubuit Idibus Novembris, cum prædixiſſet (2) magnos renibus ſuis ineſſe lapides duos, rogaſſetque Medicos, ut ſe poſt obitum ſecto, ſui dicti veritatem explorarent: quo facto, reperti ſunt ſignati lapides duo pergrandes, ſi Erithræo (3), & Craſſo (4) referentibus credere dignum eſt, pondo centum, drachmarum ſcilicet octingentarum. Vixit annos LXXVI. magnificè & ſumptuoſè, attamen hæredibus reliquit aureorum centum viginti millia, cùm amicis legaſſet multa, multa erogaſſet in pauperes, plurimum impendiſſet in extruendo baſilicè templo D. Mercurialis, quod lipſanis Cęlitis ejuſdem ditaverat, ſuiſque cineribus, ibi ſepultus, facit conſpicuum. 1607

Scripta ejus typis excuſa, quę videre licuit, hęc ſunt.

Galeni Opera omnia latinè reddita, & emendata.
Prælectiones Patavinæ in omnes Hippocratis Aphoriſmos à Filio Maximiliano editæ.
Prælectiones Bononienſes in II. Epidemiorum Hippocratis.
Prælectiones Piſanæ in Epidemicos Hippocratis, quibus adduntur Hiſtoriæ.
Medicina Practica libri V.
Reſponſorum, & Conſultationum Medicarum Volumina II. à Michaele Columbo collecta.
De Peſtilentia Lectiones, univerſim de Peſte, in ſpecie de Venetâ & Patavina exceptæ à Hieronymo Zacco.
De Morbis Mulierum libri IV.
De Morbis Puerorum libri II.
Tractatus De Morbis oculorum & aurium à Michaele Columbo editus.

De

(1) Riccob. Gym. lib. 2. c. 30. p. 47. terg. 48. Tomaſ. Elog. lib. 1. p. 147. Caſtell. Vit. illuſt. Medic. Freher. T. 2. P. 3. p. 1319.
(2) Teiſſer. ad Elog. Thuan. Tom. 2. p. 421. (3) Pinacoth. 1. (4) in Elog.

De Morbis Cutaneis, & omnibus Corporis humani excrementis, exceptum & à Paulo Aicardo editum,

De generatione hominis, Balneis Piſanis, de Vino & Aqua; de Varicibus, de naſo reficiendo, & Decoratione.

De Venenis & morbis venenoſis, excepti ex ore ejus ab Alberto Sclopio.

De Compoſitione Medicamentorum libri III.

Variarum lectionum libri VIII. Opus infinitę eruditionis, quo Medicorum infinita loca vel corrupta reſtituuntur, vel obſcura declarantur.

De Maculis peſtiferis, & Hydrophobia liber.

Comment. in Hippocr. Prognoſtica, Prorhetica, & de ratione victus, in morbis acutis.

De Arte Gymnaſtica libri VI.

Ex hoc ultimo magni nominis Opere notiſſimus eſt Mercurialis omnibus viris eruditiſſimis, quorum ſanè obſtrepit plauſibus lividæ ſemper ac petulantiſſimę Critices homo Julius Bordonius, qui ſe Cęſarem, & Scaligerum dixit, rabidum dentem in virum poſteris ſi qui ſapiunt, venerabilem exacuit (1), contemptim de eo, atque aliis ejus pręlectionibus ſcribens. Verùm momi latratus, & apoſtatæ faſtum retudère olim quicunque de Merculiari ſumma cum laude ſcripſere, Thuanus (2), Janus Erithręus (3) Laurentius Craſſus (4), Ghilinus (5) Gabriel Naudæus (6), & alii.

CAPUT XXIII.

Hercules Saxonia. Euſtachius Rudius. Jo. Thomas Minadous. Proſper Alpinus. Julius Caſſerius. Hieronymus Fabritius ab Aquapendente.

1607 CV. HERCULES SAXONIA (7) nobilis Patavinus annum MDLI. natalem habuit. Veſtigia Victoris Patris, Hieronymi, & Franciſci patruorum ſecutus artis Medicę Profeſſoribus excolendum ſe dedit, ejuſque laurum conſecutus inter tertiarios Profeſſores in Gymnaſio Logicam docuit an. MDLXXIV. unde anno ſequenti ad primam inter tertii libri Avicennę interpretes exedram provectus, cùm in ea per annum docuiſſet, Gymnaſio relicto, Venetias venit cum familia, praximque Medicam ſtipendiis privatis profeſſus cum laude, ingentes opes ſibi paravit ad ann. uſque MDLXXXIX. Quippe ei fruſtra germani fratres publicum munus à Triumviris impetrare conati ſunt, reclamante Bottono, qui Saxoniam collegam habere recuſabat. Erepto tamen è vivis Capivacco ſuffectus eſt an. MDXC. ſecundę ſedis Profeſſor in Practica Medicina ordinaria. Auctis deindè ſtipendiis nongentos meruit, paremque dignitatis locum obtinuit cum Maſſaria ann. MDCII.. Vir magni nominis inter Medicos Patavinos, ac propterea Mercuriali ſocius datus, cùm ad curandum Maximilianum II. Imperatorem iter ſuſcepit Vindobonam, undè ornamentis equeſtribus decoratus, cumulatuſque donis in patriam rediit. Ingens illi certamen fuit (8), & acerrima controverſia cum collega Maſſaria, quòd, cùm peſte Piſauri ſęviente, Dux Urbini Medicos Patavinos de remedio conſuluiſſet, Maſſaria, & alii, quos nominat Tomaſinus, uſum Theriacæ, & Vexicantium, quem propoſuerat Saxonia, reprobaſſent. Scriptum utrinque dicaciſſimis diſſertationibus, & ex more Medico nihil conſtitutum: omnia in medio poſita in caput & vitam hominum luſere. Deceſſit Saxonia multis relictis liberis, quadriennio minor ſexagenario ann. MDCVII. Sepultus eſt ad D. Petri cum hoc tetraſticho (9).

Herculis oſſa jacent, qui nomen ab arte medendi.
Ante omnes clarum ſparſit in Orbe ſuum
Et quis erit qui non doleat, morſque improba, dicat?
Durior heu ſaxo Saxonium abripuit.

Scripta ejus edita.

Pantheon Medicina ſelectum, ſeu Medicinę Templum in libros XI. diſtinctum à Petro Uffenbachio editum.

Prognoſticon Practicorum libri II.

De Febrium putridarum ſignis, & Simptomatibus lib. III.

Tractatus De pulſibus, & urinis.

De Morbo Gallico.

De Melancholia

De Plica Polonica.

De Phœnigmis libri III.

Libellus de vero, & legitimo Aquę cordialis concinnandi modo, & utendi ratione, cum aliis ſcitu dignis, propoſitus à D. Claudio Deodato.

CVI.

(1) Ep. 448 (2) in Elog. (3) loc. cit. (4) in Elog. (5) Theatr. Vol. 1. p. 123. (6) Biblioth. Polit.
(7) Tomaſ. Elog. lib. 1. p. 230. (8) Tomaſ. Gym. lib. 4. p. 431. (9) Salom Inſcript. Pat. p. 118 num. 21.

CVI. EUSTACHIO RUDIO nobili Bellunenſi nihil defuit, quominus ad gloriæ verticem ex eruditione pertingeret: præclarum ingenium, acumen in meditationibus, diſceptationibuſque ſingulare, pertinax, & cupidiſſimum ſtudium diſcendi omnes omnifariam ſcientias. Præcipuè ſe Philoſophicis, ac Medicis diſciplinis inſtuxit, claruitque ex his uſque adeo, ut ad publicum docendi munus in Patavino Gymnaſio ultro vocatus, hæc noſtra ſubſellia Profeſſor memorandi nominis illuſtrarit (1) ab anno MDXCIX. ad an. MDCXI. quo muneri immortuus eſt. Edidit *opuſcula quædam Chirurgica*. *Volumina vero V. in univerſam Medicam Artem*, cujus partes his complexus eſt, Theoricam, Practicam, Therapeuticam, & Prophylacticam. Ex iiſdem clariſſimus (2) Medicus, Practicęque ordinariæ ſedis Profeſſor in prima ſede pręcellentiſſimus habitus eſt, dignuſque magni Maſſarię ſucceſſor. 1611

CVII. JOANNES (3) THOMAS MINADOUS vitam auſpicatus eſt Rhodigii familiâ ex origine Siculâ, quę traducta primùm Neapolim, deinde Manfredoniam in urbem Apuliæ Daunię, utrobique claruit, denique ſe recepit Rhodigium, eò translata per avum Thomę Juriſconſultum, ditataque per patrem ejuſdem Philoſophum, & Medicum pręſtantiſſimum. Ab hoc Jo. Thomas miſſus Patavium Medicinę laurum emeruit; medicam deinde operam praxi navavit peregrè apud Syrię Conſules Venetos Theodorum Bilbum, & Joannem Michaelium. Inde redux Medici Palatini functus officio eſt apud Gullielmum Mantuę Ducem per annos aliquot, poſt quos Utini, in Monte Aniano, & Rhodigii publicis, & quidem inſolitis ob curationes feliciſſimas pręmiis honoratus eſt, ex quibus clarus, atque ideirco Senatuſconſulto provectus ad primam Medicinę Practicę extraordinarię ſedem, locum inter Patavinos Profeſſores pręcipuum obtinuit an. MDXCVI. Æmilii Campolongi ſucceſſor an. MDCVII. ſuffectus eſt Herculi Saxonię in altera ſede docenti Medicinam Practicam ordinariam, undè an. MDCXII. ad primum claſſis ejuſdem ſubſellium evaſit, in quo etiam conſenuit. Deceſſit Florentię III. Kal. Junii MDCXV. illuc ad Magnum Ducem Etrurię curandum evocatus. Edidit 1615

De humani Corporis turpitudinibus agnoſcendis, & curandis libros III.
Tractatum de Variolis, & Morbillis.
Diſputationes Medicinales.
De morbo Cirrorum in Polonos graſſante, quem Plicam vocant.
Philodicam, ſeu de Dieta in morbis acutis.
Hiſtoriam de Bello Perſico Italicè.
Apologiam latinè pro Hiſtoriâ ſuâ adverſùs Leunclavium.

CVIII. PROSPERI ALPINI nomine claret Maroſtica, oppidum ad Montium Vicentinorum radices amenum, & nobile. Ibi natus eſt an. MDLIII. Franciſco patre inſigni Medico. Adoleſcens (4) ferocioris ingenii arma ſpectabat, quibus ſe frater addixerat, ſed patris monitis, precibuſque matris, ad ſtudia mitiora converſus, Patavium venit. À Diſcipulis Vicarius Rectori Gymnaſtico datus, mox etiam Syndicus, ita publica negotia geſſit, ut ſedulò Philoſophię, ac Medicinę, conſtanterque vacaverit, atque intra quadriennium, nondum planè major etate, Doctoris in utraque facultate ornamenta, tituloſque retulerit an. MDLXXVIII. Poſt hęc medicinam aliquandiu factitavit in minoribus oppidis, mox à Georgio Emo Patricio Veneto, qui conſul in Ægyptum mittebatur, adſcitus in Medicum, agnoſcendarum ſtirpium exoticarum cauſa munus illud libenter ſuſcepit; ac ſolvens Venetiis an. MDLXXX., difficili, ac periculoſa menſium decem navigatione Alexandriam appulit; inde progreſſus ad gentis metropolim Cairum urbem, quam plerique Babylonem Ægyptiam exiſtimant, commoratus ibi triennio, in eam rei Botanicę cognitionem pervenit, quam ejus ubique ſcripta pręſeferunt, ac profitentur. Reverſus ex Ægypto, aliquandiu vitam egit Venetiis, undè ab Andrea de Auria ad valetudinis curam accerſitus, Melphis, cui oppido Princeps Andreas pręerat, Medicinam fecit; jamque ſcriptis, & libris editis clarus, ac notus Venetis, ad ſedem Simplicium, quę diu vacaverat, Senatuſconſulto vocatus, ęgrè à Principe, in cujus aula vivebat, Patavium veniendi poteſtatem obtinuit. Docuit hìc publicè ab an. MDXCIII. ſimplicium uſum, herbarum verò notitiam expoſuit in horto Botanico poſt Jacobum Cortuſum; tantamque famam comparavit ex penitiſſima rei Herbarię eruditione, ut pręclariſſimi totâ Europâ Botanici ab eo, tanquam è Delphico tripode, in controverſiis, ac dubitationibus certatim ſententiam expectarent, latam venerarentur. Cœlum illi Patavinum ſalubre non fuit, cruciatuſque hìc eſt atrociſ- 1616

(1) Tomaſ. Gym. lib. 4. p. 436. lib. 3. c. 10. p. 298. (2) Tomaſ. d. p. 298.
(3) P. Caſtellan. de Vit. Illuſt. Medic. p. 249. 250. Tomaſ. lib. 3. Gym. c. 10. p. 298. Fheher. T. 2. P. 3. p. 1299.
(4) Tomaſ. Elog. lib. 1. p. 301. Freher. T. 2. P. 3. p. 1337.

atrociſſimâ ſemper arthritide: ſurditatem quoque contraxit graviſſimam, planèque aurium uſum amiſit. Quamobrem ſcribere de ſurditate cœpit, evicturus, neminem unum Medicorum veram affectionis hujuſmodi cauſam, ac naturam fuiſſe aſſecutum. Sed Opuſculum hoc, ne ad umbilicum perduceretur, fatis interdictum eſt, quibus agentibus, lentâ febri conſumptus vivere deſiit IX. Kal. Decembris, teſte Tomaſino, qui eum (1) alibi deceſſiſſe ſcribit Nonis Februarii an. MDCXVI. ætat. LXIII. Patrem privato funere in Antonianâ baſilicâ condidere ſuperſtites filii quatuor, quorum tres an. MDCXXXVII. devixerant cum Alpino Alpino ſimplicium Profeſſore publico poſt Prævotium, ſupererat anno MDCXLIV. Paulus miles, apud quem erant hæc Patris MSS.

Prælectiones habitæ in Gymnaſio.	*Hiſtoria Libri V. variis Plantarum, & Animalium Iconibus exornati.*
De Medicinâ Ægyptiorum libri V.	*De Surditate Tractatus non abſolutus.*
De naturali rerum in Ægypto obſervandarum	

Editi ſunt.

Medicinalium Obſervationum Hiſtorico Criticarum libri VII.	*De Plantis Ægypti.*
De præſagienda vita, & morte Ægrotantium libri VII.	*De Balſamo Dialogus.*
De Medicina Ægyptiorum libri IV.	*De Plantis Exoticis libr. II.*
	De Rhà Pontico liber.

1616 CIX. Humillimis ortum parentibus, ac penè non mendicis Placentiæ JULIUM CASSERIUM virtus annumerare nos jubet clariſſimis Alumnis, ac Profeſſoribus noſtris. Adoleſcens (2) neceſſariis ad ſtudia ſumptibus deſtitutus Patavium venit, clientem, & domeſticum famulum Hieronymo Fabricio ab Aquapendente ſe dedit, atque apud patronum, ac dominum, quem ſibi Magiſtrum obſequio fecit, Medicam, & chirurgicam artem unà cum Anatome didicit feliciter adeo, ut & laurum doctoris meruerit, & curationes Chirurgicas ad ſtuporem artificum ipſorum ediderit, perſanatis creberrimè iis, de quorum ſalute principes in arte, atque ipſe magiſter penitus deſperaverant. Hinc Senatuſconſulto, vivo adhuc preceptori, & ob ſenectutem honeſtâ miſſione donato ſuffectus eſt anno MDCIX. Publicus Profeſſor Chirurgiæ, & Anatomes, quam tamen illc, Aquapendente ſuperſtite aliquandiu privatim tantùm exercuit, abſtinuitque ſe à publicâ cadaverum ſectione, quam in aulâ Præfecti ſolùm exhibuit, donec præceptoris ipſius juſſu eandem in luce Gymnaſticâ edidit magnâ cum auditorum, ac ſpectatorum undequaque concurrentium frequentia ad an. MDCXVI. non autem ad an. MDCXXV. ut ſcribit Freherus. Nam vivo adhuc Aquapendente Caſſerius deceſſit annorum LX. vir planè memorabilis, qui perexiguâ corporis mole vaſtum ingenium, promptum, & ad literarios labores propenſum complexus, eò dexteritatis in arte Chirurgicâ, & Anatomicâ progreſſus eſt, ut magiſtri gloriam æquarit, imò & quadantenus ſuperarit. Sepultus eſt in templo Eremitano ſine titulo.

Edidit *Hiſtoriam Anatomicam de Vocis, & Auditus Organis, iconibus ære inciſis illuſtratam.*
Tabulas Anatomicas LXXVIII., quibus Daniel Bucretius XX. addidit.
Librum inſcriptum Penteſtheſeon de quinque ſenſibus.

1619 CX. HIERONYMUS FABRICIUS, ab Aquapendente patriâ, oppido Etruſco Faliſcorum, quod priſcis Aquila, vel Aquæ Taurinæ dictum eſt, cognomen habet. Ibi natus (3) parentibus obſcuris, & pauperibus, ignoramus, quo fortunæ luſu Patavium venerit. Ineunte adhuc adoleſcentiâ, bono omine intra Lauretanos Venetorum patriciorum lares receptus, inde vitæ ſubſidia habuit, potuitque rudimentis imbui Græcæ, ac latinæ linguæ, mox Logicæ, & Philoſophiæ ſedulò operam dare, acri adeo in re literariâ ingenio, tantoque erga patronos obſequio, ut hos, & ad ſapientiæ ſtudia exemplo provocaret, & confirmaret modeſtiâ in ferendis illi opibus, queis ad Medicinæ gloriam aſſurgeret. Non diu ergo intra latebras pertenuis conditionis ſuæ delituit, ſed inclareſcens paulatim ex induſtriâ, & doctrinâ cœpit ſui nominis famâ omnium animos omnino percellere. Secutus in Medicis praxibus, & in adminiſtranda cadaverum ſectione præceptorem Fallopium, penè non in familiam ejus adſcitus eſt; certè ſenem operis quotidianis, & quidem ſubſidiariis adjuvit in vulneribus curandis, ſecandiſque corporibus. Hinc illi & virtus, & virtutis nomen eximium, ut ex merito doctoris inſignia conſecutus, non jam alienis, ſed ſuis auſpiciis Anatomen exerceret, curaret

(1) Gym. lib. 4. c. 44.
(2) Tomaſ. Elog lib. 1. p. 116. Ghilin. Freher. T. 2. P. 3. p. 1349.
(3) Ghilin. Theatr. Petr. Caſtell. Thomaſ. Elog. T. 1. p. 314. 320. Freher. T. 2. P. 3. p. 1340. & ſeq.

curaret vulnera, morbis inſanabilibus cæterorum judicio ſanitatem inſperatam impertiretur. Fallopio proinde è vivis erepto, unus viſus eſt omnibus dignus, qui mortuo ſuccederet, Senatûſque Conſulto judicium omnium ſancitum eſt, an. MDLXV., ſtetitque in ſede Fallopii Chirurgus, & Anatomicus publicus Gymnaſii, juvenis annorum duodetriginta. Artem utranque fermè per annos quatuor, & quadraginta docuit, quantâ cum famæ celebritate, opinione doctrinæ, praxis felicitate, atque inde lucris ingentibus, honoribus, muneribuſque per Principes, ac Reges Europæ totius in ſinum ejus effuſis, diſces ab aliis, quorum opus fuit elogia ſcribere. Nos, qui brevem hiſtoriam, ad qualem qualem virorum, quos nominamus, notitiam profitemur, hæc tantum addimus. Hoc petente, Theatrum Anatomicum in Gymnaſio decretum, erectum, apertum fuiſſe. Teſtatur id Epigraphe in orbe ſuperiori theatri poſita, quam referunt Tomaſinus (1), & Salomonius (2). Vir in artibus, quas exercebat, laboris indefeſſi, nihil omiſit, quod ad illas illuſtrandas facere videbatur. Quamobrem cum ordinariis quoque Medicis, & Philoſophis depugnavit acerrimè (3), ut ſe, & ſecuturos Anatomicos, & Chirurgos illis præferret; tantâque cum auctoritate munus demandatum ſibi tractavit, ut Germanis quoque, quorum tunc inter Scholaſticos numeroſa, & nobiliſſima Natio erat, non dubitarit illudere, illorumque (4) pronunciationem publicè carpere de linguæ muſculis diſſerens. An. MDCIX. à publicis prælectionibus ob ſenectutis incommoda ceſſavit; datumque præclariſſimæ ejus virtuti, ut, non imminuto ſtipendio, quieſceret, atque extra caſtra Gymnaſtica Miles emeritus ſupraordinarii titulo militaret annos integros decem. Nam an. MDCXIX., duobus octogenario major, cum decubuiſſet brevi morbo, ex quo convaluit, dum rebus conſulit ſuis, dum teſtamentum condit, quo ſibi à cognatis inhiantibus patrimonio proſpiceret, eoſque, à quibus crudeliter violenterque tractabatur, ulciſceretur, iterùm ægrotavit, ac vivere deſiit, ante obitum profeſſus adſtantibus, propinatum ſibi venenum fuiſſe: quippe proximus morti bilem viridem copioſè vomuerat: ſenex cæteroqui robuſtus Rhodomeli Aloe condito remedio, quod ipſe invenerat, ſaniſſimâ vitâ functus. Laudatus in funere à Joanne Thuillio conditus eſt ad D. Franciſci ſine titulo, cujus loco incertus Poeta hæc cecinit,

Martia Fabricio jactat ſe nomine Roma,
Pendula Fabricios tu quoque gignis Aqua.
Nobile Fabricio genus inclyta Roma dediſti,
Pendentem hìc contra nobilitavit Aquam.

Scripſit, & edidit.

Novum Opus Anatomicum, multis obſervationibus raris refertum cum figuris æri inciſis.
Pentateuchum Chirurgicum.
De Muſculi artificio, & oſſium dearticulationibus.
De Oculo, Aure, & Larynge.
De Ovi, & Pulli formatione.
De formato fœtu, de locatione ejus, & inſtrumento, de loquela Brutorum, & venarum oſtiolis.
De gula, ventriculo, & inteſtino Tractatus.
De reſpiratione, & ejus inſtrumentis libri II.
De Integumentis Animalis Opuſculum.
Medicina Practica edita à Bourdelotio Pariſiis.
Opera Chirurgica in duas Partes diviſa.
Acceſſerunt Inſtrumentorum, quæ partim Auctor, partim alii invenerunt, enumeratio.
De abuſu Cucurbitularum in febribus putridis, diſſertatio.

CAPUT

(1) ibid. p. 319. (2) Inſcript. Gymn.
(3) Tomaſ. Gym. lib. 4. p. 435.
(4) idem ibid. p. 429.

CAPUT XXIV.

Vincentius Contarenus. Joannes Franciſcus Coſtæus. Rodericus Fonſeca, Georgius Raguſæus. Angelus Portinarius. Franciſcus Plazzonus.

1619 CXI. VINCENTIO CONTARENO natale ſolum fuere Venetiæ, genus patricio minus. Adoleſcens prima literarum initia Mureto debuit (1), ſibi reliqua eruditionis, & ſapientiæ multiplicis ornamenta. Juvenis acri ingenio, laborioſus, & perſpicax ad Juſti Lipſii, qui tunc literatorum hominum princeps habebatur, gloriam exarſit, ſcrutatuſque diligentiſſimè ejus, quæ manibus terebantur, Opera, multa didicit, quædam reprehendit, omnibus imbutus eſt uſque adeo, ut illi proximus inter Italos videretur, futurus etiam major, ſi propoſito conſtantiùs inſtitiſſet. Patavium venit, ſeque ad Theologica contulit, quæ ita humanioribus literis, & eruditæ Philologiæ immiſcuit, ut has robuſtas fecerit, illa venuſta, & elegantia. Clarus ergo ex his, & par publicæ diſciplinæ ad Gymnaſticam exedram Oratoriæ, deſignatione triumvirali, & Senatuſconſulto provehitur an. MDCIII. ætatis XXVI. In ea extra ordinem diebus vacantibus Poetas omnes, Hiſtoricos, ac præſertim T. Livium tam diſertè, & clarè diſſertationibus eloquentiſſimis explanavit, &, quemadmodum Tomaſinus tradit, omnem ex his medullam, ac penitioris, & reconditæ eruditionis monumenta digeſſit, atque è penu ſuæ memoriæ depromſit, ut fere ex ejus ingenio rariora quæque doctrinæ momenta pendere viderentur. Privatim quoque ſcholam aperuit, in qua doceret nobiliſſimos juvenes, ac Venetos præſertim præcipui generis patricios; inter quos claruere Angelus Contarenus Eques & D. M. P., Hieronymus Lando Eques Triumvirali deinde poteſtate Gymnaſio noſtro præpoſiti, & Abbas Aldobrandinus, qui poſtmodum Romanâ Purpurâ claruit. His licet annumerare Jo. Galvanum Juriſconſultum celeberrimum, qui quæ habuit exoticæ eruditionis ornamenta, debere ſe ſemper profeſſus eſt Vincentio Contareno præceptori. Sed is non pluſquàm annos tredecim profuit Gymnaſio noſtro. Nam cùm an. MDCXV. vel tumore abductus ex ſuâ virtute concepto, vel ſpe fortunæ majoris illectus in eam opinionem abiiſſet, ut crederet, ſibi rudem deberi, & miſſionem honorariam, quamvis juveni, nondum enim annos attigerat quadraginta, hanc ſibi dari, ac fieri à Triumviris poſtulavit, ſalvo quingentorum florenorum ſtipendio, quod obtinebat (2); cùmque Triumviri petitioni tam ineptæ non acquieſcerent, ille ſe publico munere abſtinuit per annum integrum: obſtititque durus, & pertinax reclamantibus amicis, ac ſpes Romanas, quas ex Aldobrandino diſcipulo devoraverat, elevantibus; illuſtrandis autem navigationibus Antenoris fabuloſi intra Sinum Adriaticum totum ſe dedidit. Has ut è proximo accuratiùs agnoſceret menſe auguſto, non anni MDCXVII., ut habet Tomaſinus, cujus graphicum vel typographicum errorem probat egregie nepos noſter eruditiſſimus Petrus Catherinus Zenus in notis ad Vitam Mauroceni à Craſſo ſcriptam, ſed an. MDCXIX. venit in Iſtriam, ibi apud Polam Cœli gravioris inclementiâ tactus febrim contraxit, ſtatimque Venetias translatus in patriâ deceſſit quadragenarius. Scripta, quæ Joanni Galvano diſcipulorum cariſſimo legaverat, cum ſcriniis ſubrepta periere, ipſe in æde D. Benedicti, cujus apud Curionem objerat, honorificè ſepultus eſt: vir ex laudibus, quibus à Lollino cumulatur, vitâ prolixiore, fortunâ, & mente meliore digniſſimus.

Edita ſunt hæc pauca ex multis ejus Opuſcula.

- *Orationes III. De laudibus Virgilii. De eloquentia cum Arte militari ſimilitudine. In funere Joannis Savii.*
- *Variarum lectionum liber.*
- *De Frumentaria Romanorum largitione liber contra Lipſium.*
- *De Militari Romanorum ſtipendio Commentarius.*
- *Epiſtolę Latinę XXXVI.*

1622 CXII. JOANNES FRANCISCUS COSTÆUS natus Laude Pompeja filius Joannis celeberrimi Medici, de quo conſule relata per Freherum (3), ut cum pluribus aliis Riccobono, & Tomaſino ignotus ſit penitus, eodem Frehero teſte, fuit inſignis Medicus, & Philoſophus, docuitque publicè multis annis in Patavino Gymnaſio. Conſerunt monumenta Quæſtoria, in quibus annumeratur in archilycæo noſtro, cui non ſolùm

(1) Tomaſ. Elog. lib. 2. p. 179. 181. Freher. T. 2. P. 4. p. 1511.
(2) Tom. Gym. lib. 3. c. 41. p. 344. (3) T. 2. P. 3. p. 1313.

ſolùm ex munere docendi adſcribendus eſt, verùm etiam ex immenſa cupiditate ſciendi; quippe qui raro exemplo fortè etiam nunquam audito, ex profeſſore, ac magiſtro diſcipulum ſe publicè profitentibus præbuit, atque in eo gymnaſio, in quo docuerat, doceri ſe maluit. Ferunt enim (1), impetratâ veniâ explicandæ Medicinæ, animum appuliſſe ad Inſtitutiones Juriſprudentiæ, quibus apprimè imbutus, ubi laurum doctoris obtinuit, Bononiam rediit patris hæres, atque ibi ad ſedem Juriſprudentiæ publicam evocatus ex ea interpretatus eſt leges egregiè uſque ad mortem, quam videtur obiiſſe circa an. MDCXXII. relicto doctrinæ ſuæ monumento pereruditο, ac Juriſperitis perutili, quod inſcribitur.

De Voluntariis, involuntariis, & non Voluntariis Actibus.

CXIII. RODERICUS FONSECA Luſitanus, natus Ulyſſipone clariſſimus Medicus, 1622
magnique habitus in Italia exeunte ſæculo XVI. & ineunte XVII., poſtquam diu in Gymnaſio Piſano Medicinam publicè docuit, mille Venetorum argenteorum ſtipendio accitus primam Practicæ Medicinæ ordinariam ſedem conſcendit an. MDCVI. devexâ jam ætate. Tum Paravii docendo, tum Venetiis exercendo, Medicinam feliciter, ſi quis alius, fecit ad an. MDCXXII., quo hic deceſſit perſenex. Multa ſcripſit, quæ proſtant, quæque uſui maximo Medicis eſſe dicuntur à Tomaſino (2). Ea ſic recenſet Nicolaus Antonius in Hiſpana Bibliothecâ (3).

Libellus de Hominis excrementis.

Tractat. de Febrium acutarum, & peſtilentium remediis Diætoricis, Chirurgicis, & pharmaceuticis.

Leonardi Jacobini Methodus curandarum Febrium cum Additionibus.

De calculorum remediis, qui in renibus, & veſſicâ naſcuntur.

De tuenda valetudine, & producenda vita Liber ſingularis.

Comment. in legem Hippocr., qua perfecti Medici natura explicatur.

In Hipocratis Prognoſtica.

In ejuſdem Aphoriſmos.

Confutationes Medicę, quibus accedunt de confutandi ratione, & breve compendium, & Conſultatio de Plicâ Polonica.

De Morbis Virginum, qui intra Clauſuram curari nequeunt.

CXIV. GEORGIUM RAGUSÆUM (4) Epidaurus Dalmatica, unde cognomen 1622
habet, ignobili, & non legitimo toro natum edidit ad virtutem, & gloriam. Quo facto Venetias venerit, quorum opibus ibi adoleverit, indeque quibus auxiliis munitus in Patavino Gymnaſio ad omnem bonarum artium, ac ſcientiarum quæſtum verſatus ſit, diſſimulare licet. Hoc noſſe ſupererit, præceptis Eloquentiæ, ac notitiâ rerum variarum imbutum ſedulam Philoſophiæ, ac Theologiæ operam impendiſſe; atque in utraque doctorem, & ſacris ordinibus initiatum, Joannis Baptiſtæ Milani Bergomatis Epiſcopi deinde munificentiâ ditatum opulentis Sacerdotiorum proventibus ad Medicinam ſe, ac Mathematica Theoremata convertiſſe. Expendit deinde curioſis obſervationibus Raymundi Lulli volumina, & eorum arcana non ſine laude produxit in publicum: & ne interim ſacræ ſcientiæ in Sacerdote uſquequaque marceſcerent, eò animum flexit, ut Canonicos S. Georgii in Alga ad S. Mariam in Avantio Cœnobitas in Theologicis inſtitueret. Id agentem auctoritas publica ad ſecundam Philoſophiæ ſedem evexit collegam, & æmulum Cremonini, quem ſiquidem fortunâ, & dignitate æquare non potuit, æquavit attamen doctrinâ, ſi abſit invidia dicto, certè nitore dicendi, eruditione multiplici, ſcriptis etiam editis ſuperavit, ac teſte Tomaſino ſcriptore ſynchrono, ejus de Formis Elementorum ſententiam ſolidis rationum ponderibus, ac momentis fregit. Sed illi non æquè feliciter ceſſit pugna cum Mathematicis, & Aſtrologis, quorum vaniſſimas arres, nec ſibi fauſta vaticinia, dum editis lucubrationibus conatur evertere, confiſuſque ſui corporis viribus conceptam ex labore febrim negligit, ſubitâ morte correptus occubuit an. MDCXXIII. ætat. XLIII. Inteſtati bona cum bibliotheca ceſſere Fiſco, cùm nullus eſſet, qui ea cognationis, agnationiſve jure repeteret. Scripſit multa. Edita ſunt.

Diſputationum Peripateticarum Volumen I. cum Reſponſionibus ad Tractatum Cæſaris Cremonini de Formis elementorum.

Epiſtolarum Mathematicarum, ſeu de Divinatione lib. II.

MSS. extant libri III. Epiſtolarum. De Logica; de Rhetorica; de Scientiis.

Comment. in Artem Raymundi Lulli.

In Univerſam Ariſtotelis Philoſophiam Tomi X.

In Libros Sententiarum, de quibus videndus Tomaſinus (5).

(1) Freher. ibid. Sanſon. Diar. A. 1512. (2) lib. 3. Gym. c. 10. p. 299. (3) Tomo II. p. 215.
(4) Tomaſ. Elog. lib. 1. p. 338. 341. Freher. T. 2. P. 2. p. 1515. (5) ibid. p. 341.

CXV. ANGELUS PORTINARIUS Patavinus, cui multum debemus in hoc opere
1623 noſtro, alumnus Gymnaſii noſtri, atque inde Theologus, & in Theologorum Patavinotum collegium telatus, in ſuâ verò Eremitarum D. Auguſtini religioſa familia magiſter, primus, ut ipſe notat (1), è numero cœnobitarum Philoſophiam naturalem docuit in patrio Lycæo, auſpicatus docendi munus an. MDXCV. perrexitque docens ad an. MDCVI. cùm miſſione cauſatiâ obtentâ, liberali ſe otio dedidit, poliendiſque, quæ multa conſcripſerat, vacavit. Obiiſſe eum, conjecturâ colligimus, non diu poſt an. MDCXXIII., quando ex ejus Operibus nullum nos ad ulteriora tempora protrahit, Quæ ſcripſit enumerat ipſe (2). Sunt autem, Latina.

Comment. in libros Ariſtotelis de Generat, & corrupt.
In libros de Anima.
Volumen latinarum Orationum de diverſis.
Opuſcula Varia Carminum Latinorum.

Italica.

Volumen Orationum Italicarum.
Paraphraſis Poetices Ariſtotelis cum Annotationibus.
Compendium ejuſdem Poetices cum Regulis ad componenda Poemata utilibus.
Tractatus de Romanorum, Græcorum, & Hebræorum Monetâ.
Homiliæ XL. ad XL argumenta Chriſti ſervatoris patibulati.
Tractatus de Jubilæo, & Indulgentiis.
Tridentina Synodus ad loca communia redacta.
Fabula Paſtoralis inſcripta. Felicia Vulnera.
De Patavina Felicitate libri X.

1624 CXVI. FRANCISCUS PLAZZONUS Patavinus celebetrimi nominis Philoſophus, de cujus in re Anatomica laudibus extat luculentum elogium Aurelii Palazzoli, utrunque munus in patrio Gymnaſio publicitus obiit, Anatomici nimirum, & Chirurgi ab an. MDCXIX. ad MDCXXIV., quo eum ad plures abiiſſe æqualis ſcriptor Tomaſinus (3) tradit. Deflevit illum Gymnaſium, florentiſſima ætate, magniſque virtutibus utilitati publicæ proludentem, & maxima utrinque pollicitum. Sepultus eſt ſine titulo ad D. Juſtinæ, nec tamen hoc in Gymnaſio caret, quod ejus nomen æternum voluit in parietibus ſuis, ad Anatomicum Theatrum inſcripto hoc Diſticho (4).

Tot poſt Anatomes ſublimia lumina, primum
Plazzonum dedit bis Urbs Patavina Scholis.

Edidit. *Tractatum de Vulneribus ſclopetorum.*
Libros II. de partibus generationi inſervientibus.

CAPUT XXV.

Paulus Benius. Adrianus Spigelius. Bartholomæus Soverus.

1625 CXVII. QUæ de PAULO BENIO inclementer Tomaſinus tradit (5), & ex eo deprompſiſſe videtur Imperialis (6), dabis primo, ſubirato palam ob reprehenſum alicubi T. Livium Patavinum. Quæ verò incurioſiùs exprobat Ghilinus (7), data exiſtima furfuraceis Grammaticis, quorum ſuperſtitionem in ſermonibus Italicis, & auſus in Taſſum Benius vel retudit, vel eliſit. Natus eſt Eugubii in urbe Umbriæ, Piceno conterminâ Societatis Jeſu ſe Inſtitutis addixit, quæ, inſtructus artibus optimis, Rhetor, Philoſophus, ac Theologus idcirco deſeruit, quòd illi fuiſſet interdictum edendis, quæ in Convivium Platonis conſcripſerat, Commentariis. Sui juris factus cùm variis in urbibus docuiſſet, ſcripſiſſetque multa, ex erudita codicum ſobole clarus, graviſſimo Senatûs Veneti judicio ad Eloquentiæ Patavinam exedram, quam Lipſius recuſaverat, traductus eſt, datuſque Riccobono ſucceſſor an. MDXCIX., cujus neque gloriam æquaſſe, nec opinioni de ſe conceptæ reſpondere videbatur. Homo aſperi moris, animi anguſti, ſermonis languidi, ac jejunæ prorsùs in diſſerendo prælegendoque ſobrietatis laſſabat auditorum animos, torquebat aures, frequentiam avertebat, quæ interim inhians hilari, copioſæ, ac perjucundæ Vincentii Contareni collegæ facundiæ, in

eam

(1) lib. 7. c. 6. p. 256. (2) ibid. c. 7. p. 273. (3) Gym. lib. 1. c. 31. p. 80. 81. & lib. 4. p. 440.
(4) Tomaſ. ibid. p. 494. Salom. Inſcript. Gym. (5) Elog. lib. 1. p. 350.
(6) Muſæi p. 160. (7) Theatr. Vol. 2. p. 184.

eam ſolitudinem Benii ſcholam adegerat, ut plerunque vix illi duo rrelve auditores ſuppeterent, ad quos, contra leges Gymnaſii, declamaret. Queritur de his ipſis vir bonus epiſtolâ data IV. Idus Januarii anno MDCIV. ad Leonardum Donatum Equitem D. M. P., & literarium Triumvirum, ſimul negat ea ſibi eſſe vitio vertenda, ſed invectæ nuper neceſſitati declamandi potiùs, quam docendi. Si, ut olim, non liceat quidquam dictare vel dicere, nihil interſururum loquaces inter, & doctos, quos non verba, quemadmodum circularores, ſed ſcripta probant; edidiſſe ſe, atque editurum, Deo Diviſque propitiis multa, quorum ſi rarus auditòr eſt, nec lectorem pigeat, nec pudeat auctorem; intellecturoſque omnes de ſcripto, à ſe laborem impendi doctrinæ, non plauſibus, ur ſui erroris eos aliquando pœniteat, qui, ex Salluſtii vocabulo, loquentiæ magis, quam eloquentiæ inſtituris aures accomodant. Hæc Benius, quæ utrum illi profuerint, quo poſtquam ſe magiſterio abdicavit Contarenus, ſrequentiore auditorio uteretur, non conſtat. Conſtat ex ipſo Tomaſino (1), eum ſedem, quam Profeſſor Patavinus obtinuit, magna celebritate per annos XXIV. excoluiſſe, in eâque mille nummûm ſtipendium meruiſſe. Quippe indefeſſus operoſioris literaturæ miles, ab hujus laboribus eruditis vel in extrema ſenecture ſe minimè abſtinuir; ſed libros aſſiduâ verſare manu, meditari nova perpetuò, & pugnare de ſcripto cum priſcis, ac recentioribus ſolitus, nihil omiſit, quo ſibi gloriam pararet, utilitarem afferrer poſteris, vindicias diceret libertatis Iralico ſermoni. Maculas illum quaſdam in Livio, quas abſtergeret, obſervaſſe, queritur Tomaſinus: reprehendit Ghilinus, quod in viros doctiſſimos inſurrexerit truculentus, atque maledicus. At neque in ſcriptoribus maximis, adnotaſſe aliqua, quæ caſtiges, piaculum eſt; neque truculentum, & maledicum dixeris, quod ſannis invidorum occurrerit, eorundemque impotenriam ulciſcatur. Sanè hoc præcipuum Benii decus eſt, quo Taſſum tutatus egregiè, mox editâ Anticruſcâ Furfuraceorum conatus retuderit; docueritque vietis, & uni tantùm genti vernaculis vocibus, ac phraſibus amandatis, citra dialectum Etruſcam, poſſe Italos doctè, eruditè, eleganter & ſcribere, & loqui. Jam decrepirus, & capularis ſenex, impetratâ miſſione, ac diminuto ad medietatem ſtipendio cùm vacaſſet biennio, deceſſit Patavii an. MDCXXV. hæredibus inſtitutis ex aſſe Patribus Theatinis; ſepultuſque eſt privato funere ad D. Claræ in tumulo, quem ſibi vivens extruxerat cum hac Epigraphe (2).

Pauli Benii Eugubini,
& Exterorum,
Patavini Gymnaſii
Doctorum,
Quos juverit hoc ſaxo
condi.
Anno Salutis
MDCXI.

Edidit latinè.

Comment. uberrim. in Ariſtotelis Poeticam cum centum Poeticis Controverſiis.
In Ariſtotelis libros Rhetoricorum Tomos II., quibus acceſſerunt C. Oratoriæ diſputationes, & Platonis Rhetorica ex ejus ſcriptis excerpta.
In ſex primos libros P. Virgilii Æneidos.
Platonis Poeticam ex ejus Dialogis collectam.
Orationes LXXV. Epiſtol. XXXV.
De Hiſtoria libros IV.
In Platonis Timæum ſeu Naturalem omnem, ac divinam Philoſophiam, Decadas III.
Diſputationem de Annalibus Eccleſiaſticis Card. Baronii.
Diſputationem Theologicam de Auxiliis. Ea ſuppreſſa eſt, magnaſque Auctori moleſtias attulit.

Edidit Italicè.

Comparationem Torquati Taſſi cum Virgilio, Areoſti cum Homero.
Comment. in Goffredum Torquati Taſſi, cum ejuſdem accurata defenſione.
Reſponſionem ad Conſiderationes Malacretæ in Paſtorem fidum Eq. Guarini.
Apologiam Scenophili.

(1) Gym. lib. 3. c. 40. p. 342. (2) Tomaſ. Elog. lib. 1. p. 153. Salom. Inſcr. Pat. p. 456. n. 3.

Diſſertationes duas de Alluvione Romana Tiberis anni MDXCVIII.

Collationem, ſeu Lapidem lydium lingua Italica libros IV., quibus titulus Anticruſca.

Cavalcantem, ſeu Anticruſcha defenſionem.

Rhythmos, & Orationes, & Epiſtolas varias,

1625 CXVIII. ADRIANUS SPIGELIUS Bruxellenſis (1) Belga cùm in patriâ, & Lovanii humaniores literas didiciſſet, cœpiſſetque Philoſophiæ, ac Medicinæ initia, Patavium commeavit, ubi Aquapendentis diſcipulus (2), artis ejuſdem, atque etiam Chirurgicæ, & Anatomicæ plenam ſibi notitiam comparavit. Ex his laureatus in patriam rediit, functuſque aliquandiu munere Medici per Germaniam, tandem Ordinum Archiatrus fuit apud Quados, & Marcomannos, quos Moravos nunc appellant. Inde poſt obitum Julii Caſſerii, vivo adhuc Aquapendente, & vacante, à Republica Venetâ honeſto accitus ſtipendio, ſedem Chirurgicam, & Anatomicam iniit an. MDCXV, ex qua ſummo cum plauſu, ac doctrinæ, & eruditionis exiſtimatione docere cœpit, atque unà Chirurgiam, & Anatomen adminiſtrare. Simultates (3) acerbas habuit cum Prævotio, quæ vix interventu Germanicæ juventutis, addictæ Spigelio, ſopitæ ſunt. Vir ſummi nominis, & nunquam interituræ famæ in artibus, quas profitebatur, non diu claruit in Gymnaſio, ut ætas ejus, & vividus ſpiritus, & corporis robuſta compago promittebat. Nam cùm in nuptiis filiæ unicæ, ut Gaſpar Hofmannus (4) refert, fractum colligeret vitrum, ſiniſtræ manus indicem vulneravit; ex eo autem vulnere phlogoſis brachium totum invaſit, excitavitque ſub axilla tumorem inſignem, quo vix ad ſuppurationem perducto, quandiu effluxit ſubcruenta, & fætida ſanies, meliuſculè habuit: eâ ceſſante, & ſanioſâ diarrhœa ſuperveniente, omnia in pejus ſublapſa, donec, à decubitu die ſexageſimo, empyematicus è vivis decederet an. MDCXXV. ætat. XLVII. Eadem narrat (5) vir nobilis Benedictus Sylvaticus, additque diſſecto cadavere, occurriſſe abſceſſum in concava jecoris parte. Conditus eſt in Baſilica Eremitana cum hoc Elogio (6).

Adrianus Spigelius Bruxellenſis, Eques D. Marci,
Medicus, Anatomicus, Chirurgus inſignis, qui cum
poſt varias peregrinationes in Gymnaſio Patavino
IX. Annis Anatomiam, & Chirurgiam in primo loco
indefeſſa induſtria adminiſtraſſet, ſummamque
doctrinam variis editis ſcriptis Orbi teſtatam
feciſſet, Requiem hìc reperit, quam vivus non invenit. P. Mœſta Conjux Prudentia.
Obiit VII. Idus Aprilis. Ætatis XLVII. An. MDCXXV.
Prodidit, adiuvit, ſecuit cum laude perenni,
Abdita, languentes, corpora Spigelius.
Cingitur hoc ſaxo corpus, ſed ſpiritus Aſtris.
Hæc ſunt virtutum præmia. Lector, abi.

Edita ſunt ejus Opera.

De humani Corporis Fabrica libri X. tabulis XCVIII. æri inciſis exornati. Opus poſthumum à Davide Bucretio Uratiſlau. juſſu Authoris editum.

De formato fœtu liber æreis figuris exornatus.

De Arthritide Tractatus.

De Semitertiana libri IV.

Cataſtrophe Anatomiæ publicæ in Lycæo Patavino feliciter abſolutæ, acclamatione Nationis Germanicæ excepta.

Iſagoges in rem Herbariam libri II.

De lumbrico lato, cum ejus icone, & notis.

1629 CXIX. BARTHOLOMÆUS (7) SOVERUS Helvetus è Caſtello Corberia apud Friburgum, cum latinas humanioreſque literas, tum vero Philoſophiam avidiſſimè, ac ſtudioſiſſimè didicit in ſcholis Patrum Societatis Jeſu, quorum

(1) Freher. T. 2. P. 3. p. 1350. (2) Tomaſ. Gym. lib. 1. c. 31. p. 80. & lib. 3. c. 13. p. 303.
(3) idem lib. 4. p. 443. (4) Cent. 5. obſervat. 1. Epiſt. ad Fabric. Hildanum.
(5) Cent 3. conſ. 18. (6) Salom. Inſcr. Pat. p. 250. n. 208.
(7) Tomaſ. Elog. lib. 2. à p. 269.

quorum cùm in Ordinem fuiſſet receptus, reclamantibus, intentata quoque lite, parentibus dimiſſus eſt. Ille iratus ob idipſum natali ſolo, ac patri, utrique valedixit, ac Taurinum venit; apertoque privatim ludo nobiles pueros, & adoleſcentes aliquot illuſtriſſimos docuit. Inde Romam profectus, animum altioribus diſciplinis addixit in Romano Societatis Jesu Collegio, illectuſque famâ Chriſtophori Clavii, huic ſe diſcipulum in Mathematicis dedit. Retractus Taurinum bibliothecæ Ducis Allobrogum præfuit; atque interim Mauricio Principi, qui deinde S.R.E. Cardinalis Romanam purpuram magnanimitate, & munificentiâ memorabilem poſteris fecit, à ſtudiis liberalibus fuit, mox ibidem hiſtorias profeſſus eſt in Gymnaſio. Sed cùm per ea tempora continuis bellorum inſultibus Subalpini quaterentur, ſeorſimque diſcipulis dilabentibus, literæ cum Gymnaſii dignitate marceſcerent, Romam rediit, atque in ea Italiæ luce famâ præclarę eruditionis, ac præſertim Mathematicarum diſciplinarum gloriâ clarus Oratori Veneto innotuit. Quærebat is Camillo Glorioſo, qui dudum ſponte ſe Mathematica ſede abdicaverat, ſucceſſorem, atque hunc literariis Triumviris propoſuit. Avidè acceptus, ac honeſto ſtipendio invitatus ſtatim Venetias venit. Mos tunc obtinebat, ut antequam confirmandus ad Mathematicam exedram ſuffragiis Senatûs objiceretur, probaretur problemate ad ingenii experimentum propoſito. Datum eſt Sovero nodoſum, atque difficile, quod cùm ille, præter expectationem aliorum, & ſuam feliciter enodaſſet, exceptus communi plauſu, peculiari verò Nicolai Contareni Senatoris doctiſſimi, qui paulo poſt Dux ſolio Venetæ Majeſtatis inſedit, ſedem ſibi Senatusconſulto decretam iniit ſummâ apud omnes opinione virtutis: cui ſatisfecit abunde, doctè, & elganter præfatus, doctiſſimè munere deſunctus ſuo; atque ita verſatus in Mathematicis, ut plenâ eruditionis Græcæ, & Latinæ varietate, numeroſâ linguarum notitiâ, Geometricis, ac Mechanicis demonſtrationibus auditorum ſibi frequentiam, & commendationem ampliſſimè promeruerit. Triennio docuit deceſſore Glorioſo non minor, futurus major, ni mors obſtitiſſet. Hanc ille ſibi diuturnis obſtinatiſque laboribus acceſſivit, quibus, firmus licet atque robuſtus, ſuccubuit. Quippe ſenſim frequenti deſtillatione vexatus, exulcerata radice linguæ, brevi contabuit, relicto filio, quem paulo poſt peſtis adjecit Patri. Emortuali pridie fertur coram Joanne Prevotio, & Joanne Rhodio extremam ac tremebundam manum impoſuiſſe notiſſimo Operi *de Recti & Curvi proportione*, quod unum, editum à Gullielmo Soiero, auctorem ſuum, poſt fata victurum, conſecrat æternitati. Cętera ejus Opuſcula & docta, & doctis hominibus placitura Bibliotheca Patavii publica cuſtodit anecdota. Mortuus eſt nondum ſenex an. MDCXXIX. Jacet autem ſine titulo in templo S. Georgii. Scribit Salomonius (1) inſtrumenta à Sovero Mathematica fuiſſe fabricata tantę perfectionis, ut circinus, quo maximè utebatur, centum ſexaginta nummis aureis venierit.

CAPUT XXVI.

Philippus Faber. Octavius Rubeus. Joſeph Salandus. Joannes Thuilius.

CXX. PHILIPPI FABRI Minoritę ex iis, quos Conventuales appellant, acta Tomaſinus (2) delibat obiter, juſto deſcribunt elogio Imperialis (3) & Ghilinus 1630
(4). Natus humili genere in ſuburbio Faventię *Spianatâ*, jure ſuo Faventinum ſe dixit. Adſcriptus Ordini Minorum S. Franciſci ab adoleſcentia Scoticis dogmatibus, acuminibuſque ſcholaſticis mentem imbuit Patavii, ubi cùm Theologię præliaris tyrocinium poſuiſſet, Romam traductus, ibi auctoramentum ejuſdem militiæ dixit. Inde Venetiis Philoſophiam docuit, in generalibus comitiis probatus adeo, ut exinde magiſter, adſeſſorque ſupremi præſidis dictus, præclarâ illa dignitate præclariſſimè functus ſit; atque interim variis in urbibus, tutandis, regendiſque cœnobitarum ſtudiis præfuerit. Eam operam cùm dabat Patavii ad Antonianam baſilicam, ſimulque Caſſinenſibus Monachis ad S. Juſtinam difficultates in Theologia ſcholaſticas explicabat, à Gymnaſiarchis Triumviris ad exedram Metaphyſicorum ex mente Scoti, miro favore, plenoque omnium cum plauſu ſubvectus eſt; reſponditque publicæ expectationi tam doctè, tam acutè, tàm ſolidè, ut triennio poſt ad majora vocatus ſublimiorem Theologiæ ſedem, Cæſari Mordano ſucceſſor datus, inſcenderit an. MDCVI. Ab ea, unde Scoti Sententias ſubtiliſſimè interpretatus eſt per annos

(1) Inſcr. Gym. in Miſcell. (2) Elog. lib. 2. p. 299.
(3) Muſæi p. 180. (4) Theatr. Vol. 2. p. 80.

annos ferme viginti quatuor, ut Romam, oblatis non vulgaribus præmiis, invitatus, avelli minimè potuit, ratus tutiùs, florentem in ampliſſimo Gymnaſio pacatis commodis uti, quam ſe ambiguis, & inſidis fluctibus aulæ committere. Hic igitur Deo, Muſis, diſcipulis omnibus charus, acceptus, ac venerabilis, mortalitatem explevit an. MDCXXX. ætat. LXVI. Patavini Patres amantes amanti juſta ſolverunt, poſito in Antonianâ Baſilicâ monumento, quod prolixum, nec præter hæc quæ ſcribimus barbarè ſatis complexum, dabit Salomonius (1) poſt Tomaſinum. Multa ſcripſit ac pleraque edidit, quorum hic index eſto.

De Primatu Petri, & Pontificis Romani adverſus IV. priores de Republica Eccleſiaſtica libros M. Ant. de Dominis damnati Epiſcopi Spalatenſis.
Diſputationes Theologicæ Complutenſes,
Adverſus Atheos.
De Oratione,
De Angelis, de Incarnatione in Genere, & in Specie.
Comment. in IV. libros Sententiarum
In XII. libros Metaphyſicorum,
In Philoſophiam Scoti.
Metaphyſica: Opus Poſthumum.
Philoſophia naturalis Joannis Duns ex IV. libris Sententiarum & Quodlibetis collecta.
Tractatus, De Prædeſtinatione. De Pænitentia. De Peccato
De Sacramento Ordinis, De Cenſuris Eccleſiaſticis.
De Purgatorio, De Indulgentiis. De reſtitutione.
De Extremâ Unctione.
Ariſtotelis Logica, Phyſica, de Cælo, de Anima MSS. extant in Bibliotheca Publica.

1630 CXXI. OCTAVIUS RUBEUS, cui hoc noſtrum Opus multa debet, patriâ Brixienſis, familiâ ex Parmenſibus Rubeis oriundâ, vir è ſententia Voſſii (3) ſummæ doctrinæ, & humanitatis, ac præcellentis eruditionis, humaniores litetas Græcas & latinas, Proſpero Martinengo Monacho Caſſinenſi præceptore, in patriâ didicit, deinde in Patavino gymnaſio, ornamentis animi teliquis, quibus ad certam ſapientiæ gloriam contenditur, inſtructus. Ibidem ipſa effudit in publicum, annorum undetriginta juvenis (4) extraordinariam Philoſophiam profeſſus ab exedra ejus ordinis prima ab an. MDLXXXIX. ad an. MDXCI. Abdicavit poſt hæc ſe munere publico, & ingenio ad Poeſim atque hiſtoriam propenſus, his ſe totum addixit; utque ad eaſdem ſibi ſolidiora inſtrumenta pararet, ad inſpiciendas vetuſtatis teliquias peregrinationes varias ſuſcepit. Et primo Romæ fuit, ubi cum ſe in familiaritatem doctiſſimorum ea ætate Cardinalium, Bellarmini, & Baronii inſinuaſſet, multiplici rerum cognitione, & nota eruditione capacem animum imbuit. Regnum deinde utriuſque Siciliæ luſtravit; mox in Pannoniam conceſſit, & militaris Architecturæ ſeſe præceptis inſtruendum penitùs tradidit. Redux in patriam opes, quas petegrè collegerat, bono publico conferre ſcribendo cœpit, & quamvis, uxore ducta, ex ea pater, & patre è vivis erepto curis domeſticis implicatus, ab eo, quod petunt literæ ſapientis incuriæ, otio diſtineretur; attamen petrexit ſcribens cedro digna, ceſſuraque in patriæ decus eximium. Ex his literariæ teipublicæ notus, & intet eruditiſſimos ætatis ſuæ Scriptores clariſſimus, præclaris horum Elogiis famæ perennitatem emeruit. Nam præter Voſſium laudatum, idem de eo judicium tulere, Cluverius, Pignorius, Bonifacius, Ulmus, Pona, de quibus conſule Tomaſinum (5). Nec minore in pretio fuit apud celſiſſimos Principes. Ferunt enim ab Henrico Condæi Principe expetitum fuiſſe Brixiæ ejus colloquium: ejus conſilia tanti habita ab Henrico Matthia Comite Turriano, militię Venetę Legato, ut eum ad hęc ſibi conciliaverit amplo ſtipendio, nec niſi lautis ac pretioſis muneribus donatum domum tedire paſſus ſit. Rodulfus quoque II. Imperator, ut reliquos pręteręam, ob ſingularem Hettuſcę linguę notitiam, Rubeum uſque adeo probavit, ut eum facere à libellis optaverit: quem ille honorem ſtudiorum deliciis poſthabuit; honeſtiſſimum ratus, honotibus, queis ab auguſta Republica, cui ſuberat, cumulabatur, contentum eſſe. Dudum enim ab hac ampliore titulo, atque honorario Vicem gerentis, quem Collateralem vocant, munere fuerat auctus; deſtinabaturque atcanis Senatûs conſiliis, quibus non ſine publico luctu abreptus eſt. Obiit Septuagenarius in patria A. MDCXXX. jacuitque primum in cęmeterio majoris templi cum hac epigraphe.

Utinam
Mortalibus in hoc Sæculo
Permitterent Immortalitatem
Fata!

Hanc

(1) Inſcr. Pat. p. 366. n. 57. (2) ibid. p. 299. 300.
(3) de hiſt. lat. p. 812. (4) Monum. Gym. apud Tom. Gym. lib. 3. c. 24. p. 319.
(5) Elog. lib. 2. p. 236. 340.

Hanc utique quàm ſuaviſſ. quàm libentiſſ.
Tibi fuiſſent elargita ,
Octavi Roſſi .
H. T.
Obiit multarum Virtutum lumine conſpicuus .
MDCXXX. V.Calend. Octobr.

Ejus Opera Italicè ſcripta, & edita ſunt.

Monumenta Brixienſiâ .
Elogia Hiſtorica Brixienſium Illuſtrium ,
Vita S. Juliæ Virginis & Martyris .
De Sanctiſſima Cruce Brixiæ .
Rythmorum lyricorum Volumen
Epiſtolæ Variæ, & Orationes .
Gloria Gallica .
Hiſtoria Brixienſes diviſa in libros XXXVII.
Templum Sanctorum Brixienſium .
Antiqua Numiſmata .
Epiſtolarum & Rhythmorum Volumen II.
Illuſtria geſta priſca Civitatis Brixiæ . 1630

CXXII. JOSEPHO SALANDO Bergomati bene , & glorioſè actum ſit , quod Profeſſoribus Artium in Patavino Gymnaſio annumeratur à Calvo (1): nam in catalogis noſtris vix per annum notatur Avicennæ primus (2) interpres anno MDXL. Artem deinde medicam profeſſus eſt, nondum ætate major variis in oppidis & urbibus Italiæ: unde migravit ad Styros , apud quos ex felicitate curationum ita claruit , ut extremis Ferdinandi I. annis evocatus in aulam Cæſaris, ſub Maximiliano II. diu Palatinus archiatrus vixerit . Maximiliano mortuo, quod ſtipendia minimè ſolverentur clam ſe inutili dignitati ſubduxit, fecitque Medicinam diu Mediolani : jam ſenex robuſtus Salodium ſe recepit, atque ibi domicilium fixit , ubi & deceſſit centenario major eo ipſo anno , quo filius ejus Ferdinandus , de quo agemus inter alumnos Gymnaſii , ad plures abiit, nempe MDCXXX. Filio teſte ingens *Medicorum Reſponſorum Volumen* edidit Mediolani, Venetiis verò librum ſingularem *de Panacea* , ſive *Elixir Vitæ*, quod ejus mirum inventum fuiſſe memoratur.

CXXIII. PAULO BENIO ſenectute confecto , ac propterea rude donato datus eſt 1630
ſucceſſor JOANNES THUILIUS ; atque ex Senatusconſulto ad humanioris literaturæ publicam ſedem aſcendit (4) anno MDCXXIII. Quo genere , & loco natus ſit , quibus conflictatus adverſis , aut proſperis auctus , quâve fortunæ varietate ad hanc dignitatem emerſerit, ipſe in oratione, quam habuit cùm primùm publicè diſſerendi cœpit auſpicium, ingenuè multis diſſeruit, quorum apocopen exhibet (5) Tomaſinus . Ex ea collige, natum Mariæmontii in vico montano Tiroli, ad fontes Atheſis, intra pueritiam & adoleſcentiam, vitam paſtoritiam & agriculturam egiſſe in prædio & rure paterno: adſpiraſſe jam tum ad literas ex ingenio ardentiùs , quam pro fortunâ , extortoque à matre parvo viatico , OEnipontum ad ſtudia liberalia properaſſe . Ibi vexatum penuriâ, luctantemque cum miſera egeſtate , attamen conſtanter adeò rei literariæ noctes dieſque ſtudendo inſtitiſſe , ut abſoluto feliciter , nec ſine laude Humanitatis, & Oratoriæ curriculo, profectus Friburgum Briſgoviæ, verſatuſque biennio in Philoſophicis, horum lauream meruerit. Convertiſſe poſt hæc animum ad Medicam artem, eâque vix à limine ſalutatâ, favente tunc primùm fortuna, provectum ad ſedem humaniorum literarum, has publicè docuiſſe Friburgi, unde brevi, peſte ac bello depulſus, poſt longas, & ærumnoſas peregrinationes Patavium tandem advenerit. Hìc primùm Julio Caſſerio literariam operam impendit ; mox infructuoſi caſſique , & ad victum minimè ſuffecturi laboris pertæſus , Venetias venit , atque ad emendationem librorum typorumque mercenarius incubuit , cœpitque ex eruditione clareſcere, ſimul carmina factitando clariſſimorum Senatorum ſibi familiaritatem & gratiam conciliare. His commendantibus commercium deinceps illi literarum fuit cum præcipuis Patavinis doctoribus , in primiſque cum Pignorio, & Cremonino, quo curante traductus è Venetis prælis monachorum S. Juſtinæ ſtipendia meruit , artemque dicendi docuit in eorum cœnobio aliquandiu , inde in domum Franciſci Contareni Senatoris ampliſſimi receptus , ejus filium ad bonas literas, moreſque egregios, civilemque prudentiam informavit. Devinxit autem ſibi parentem eorum accuratis officiis adeò , ut , eo Triumviro Gymnaſiarcha , Oſii ſocius , & collega, ſucceſſor autem , ut diximus, Benii ad habendas è publico

(1) Scena literaria in Salando. (2) Tomaſ. Gymn. lib. 3. c. 31. p. 317.
(3) Tractat. de leg. benè Vivendi p. 305.
(4) Tomaſ. Gym. lib. 3. c. 40. p. 342.
(5) Elog. lib. 2. p. 194. 197.

publico ſuggeſtu Oratorias Inſtitutiones pervenerit. Functus eſt egregiè munere ſuo, in excolendis diſcipulis laborioſus, & utilis, non vagus per urbem, aut in officinis, & conclavibus privatorum, otioſus laudator ſuorum, obtrectator impudens alienorum, ſed Muſis amicus, & libris incubans domi; in quam è Germaniâ codices comportandos curaverat, unàque typographiam erexerat elegantem, unde Scriptores lectiſſimi, æternum victuri, ad publicam utilitatem prodirent. Hęc agenti, ne diutius Gymnaſio prodeſſet, mors interceſſit. Nam cùm peſtilentia gliſcere cœpiſſet Patavii, magnoque pretio Medici quærerentur, qui communi malo conſulerent, Thuilius ſponte ſuâ ſe operæ ac diſcrimini obtulit, confiſus antidotis, quorum inter arma vim fuerat expertus. At remediis non eadem ſemper eſt virtus, mediciſque ipſis longæ artis fallax experimentum breviorem vitam quandoque facit. Ipſo ann. MDCXXX, quo ſe periculo conſtantiùs, quàm par erat, obtulerat, periculo ipſi ſuccubuit quadragenarius, prolixiore vitâ dignus. Pauca reliquit eorum, quorum pleraque, eleganter conſcripta, illa calamitate temporum diſcuſſa periere. Extat liber Epigrammaton, & Carminum cedro dignus. Edita eſt Epitome librorum Lipſii ab illo concinnata, ac typis ſubjecta hoc titulo. *Compendium Facis Hiſtoricæ* Conſtantii à Montelaboris. Cœperat & opus inſigne ad explanationem, & iſagogen Anatomes, quod eodem fato interceptus perducere ad umbilicum non potuit.

CAPUT XXVII.

Joannes Prevotius. Aldreghettus Aldreghettus. Felix Oſius. Joannes à Colle.

1631 CXXIV. JOANNES (1) PREVOTIUS Rauracus ex Dilſpergâ, Municipio Baſileenſis ditionis, Dolæ apud Burgundos in Gymnaſiis Patrum Societatis Jeſu humaniores didicit literas, eorundemque Patrum piâ ęque ac doctâ inſtitutione Philoſophicis diſciplinis imbutus triennio eſt Molſhemii ac Dilingæ. Adoleſcens annorum undeviginti ann. MDCIV. moribus & eruditione conſpicuus, cùm ſe ſacris literis deſtinaſſet, munificentiâ Leopoldi Archiducis Auſtriæ, & Argentoratenſis Epiſcopi, iter in Hiſpaniam ſuſcepit; cùmque ex itinere ſubſtitiſſet Patavii, quò æſtatis perfervidæ ſibi aliquandiu caveret ab ęſtibus, aſſiduus in Gymnaſio Saxoniæ auditor, adeò prælectionibus ejus delectatus eſt, ut non modò, quæ publicè differebat penè non ad verbum exceperit, verùm etiam Hiſpanicæ expeditionis ac ſtudii Theologici eum pœnituerit, mutatoque conſilio, hic vivere, ac ſe Medicæ arti dicare decreverit. Obſtabat inopia, quâ vexari cœpit conſumpto viatico. Verùm ob hęc anxio tum amor Saxonię, tum virtus ſuppetias tulit. Nam aperto ludo Rhetoricam docuit, & Philoſophiam, privatoque lucro ſumptui honeſto conſuluit; donec Alexander Vigontia patricius Patavinus, & dives, & literis per otium addictus, eum ſibi à ſtudiis domeſticum contubernalem conciliavit. Tunc majore ſedulitate Saxoniam docentem audire, pręceptoribus uti Euſtachio Rudio, Minadoo, cæteriſque Medicinam publicè profitentibus, quos inter Aquapendenti adeò placuit, ut is moriens teſtamento eum rogarit, ut Anatomica, quæ poſthuma relinquebat, expenſis hæreditariis in publicum ederet. Quod ille præſtitiſſet collatâ ad id gratis operâ ni hæredum avarities juſti operis inſtitutum, interjectis difficultatibus, impediſſet. At Prevotius ann. MDCVII. ætat. XXII. cùm doctoris inſignia in praxi ac ſcientia Medica fuiſſet conſecutus, Vigontia commendante, cœpit facere Medicinam Patavii, & in curandis ęgrotis felix & diligens, in eam artis famam evaſit, ut principibus quoque viris notus, ad ſalutis remedia paſſim expeteretur, charus præſertim Anglis Oratoribus apud Venetos, quibus in adverſa valetudine operarum ſuarum ope præſto fuerat feliciter. Germanicæ quoque Nationi gratiſſimus fuit; eumque loco Spigelii Medicum ſibi nuncupavit adhuc agentem inter familiares Vigontiæ. Ab horum numero receſſit poſt decennium ann. MDCXIII, cum Aldrighetto Aldrighetto ſuffectus eſt Interpres publicus Avicennæ. Auctum illi triennio poſt ſtipendium eſt, atque in eadem ſede cura Horti Botanici, Alpino mortuo, demandata, quam retinuit etiam provectus ad principem extraordinarię Medicinę Practicæ locum ann. MDCXX, ac deinceps pari virtute, & ſapientiæ probatæ omnibus opinione, & Medicinam docuit, & rem herbariam explanavit, oſtenditque uſque ad ann. MDCXXXI, quo graſſante Patavii pe-

(1) Tomaſ. Elog. lib. 2. pag. 224. 236. Freher. T. 2, P. 3. pag. 1361.

peſte amiſſis duobus filiis, quos ex repetito matrimonio genuerat, unà cum duobus reliquis quorum Theobaldum laudat mirificè Tomaſinus (1), in hortum ſe Botanicum abdidit, concluſitque cuſtodiæ cauſâ. Sed fatis impervium nihil eſt, ibi degentem corripuit febris, viribuſque ſolutis ſepulcro privato intulit in Antoniana baſilica ad aram Polonorum. Obiit eo anno ætat. XLVI. III. Non. Auguſti. Vir fuit moris ſuaviſſimi, modeſtiſſimi, tam grati autem animi erga Rempublicam Venetam, quam fortunæ ſuę munificam auſpicem profitebatur, ut publicis Bononienſium literis ad exedram Claudini ſtipendio MCC. coronatorum invitatus modeſtè honorem ac lucrum recuſaverit, dimidio contentus, quod apud nos obtinebat, quodque duplo, ſi ſupervixiſſet, ut ejus temporis liberalitas ferebat, auxiſſet.

Scripta ejus mendosè (2) ac ſubleſtè edita hæc ſunt,

Tractatus IV. quorum I. eſt de Signis. II. de Methodo Medendi. III. Elenchus Medicamentorum, quæ communiter uſurpantur. IV. De ratione præparandi, & componendi Medicamenta.

Tractatus brevis peculiaris de ratione componendi medicamenta in communi.

Methodus Caſuum recitandorum.

Tractatus de Venenis, & Alexipharmacis.

Medicina Pauperum.

Conſilium de Plica Polonica editum à Sennerto in Praxi Medica.

Recenſet alia Tomaſinus, quæ Prevotius morte præreptus abſolvere non potuit.

CXXV. ALDREGHETTUM ALDREGHETTUM Patavinum patricium genus, avita claritas, & nata ad ſapientiam indoles à primis annis eruditioni ac virtuti devovêre. Vix ætate major, emenſus utriuſque ſcientiæ Philoſophiæ, ac Medicinæ curriculum, 1631
in utrâque doctor, & in collegium utriuſque facultatis adſcitus, in patrio Gymnaſio docere cœpit; non quidem inter Tertianos, ut Patavini reliqui, ſed inter Profeſſores publici juris, lectos à Principe, ex altera (3) ſede interpres Avicennæ jam tum diſertiſſimus. Inde meritis ſubvectus ad altiora, traductus eſt ad exedram alteram extraordinariæ Theoricæ Medicinæ ann. MDCXIII. Hanc vir doctus, ut ſynchronus autor Tomaſinus (4) tradit, & variæ lectionis, atque multiplicis, ſummâ cum ſtudioſorum utilitate, ac ſui nominis gloria per annos ſeptemdecim decoravit ad annum ſcilicet MDCXXX. poſt quem ſæviente peſtilentia Patavii, dum aſſiduè operam ſuam curandis ægrotis impendit, nondum ſenex, ſexagenario minor occubuit. Sepultus eſt in templo Monialium, quod S. Mariæ Matris Domini vocant. Ibi ſub icone habet elogium hoc, ſuperbum ſatis ac tumidum, at neque nitidum, nec legibus lapidariæ reſpondens, quod inter poſteros ejus clariſſimus, religioſiſſimæ latinitatis, & Muſarum reipſa Atticarum delicium, Comes Alfonſus Aldreghettus, ſi benè hominem amiciſſimum novi, minimè laudaverit.

Aldreghettum (5) Aldreghettum præ mira dicendi,
docendi, medendi arte Trimegiſtum Thaumaturgum
in Patavino Literarum emporio Æſculapii Apollinis
alumnum
HEM.
Dira Epidemica lues in via obvium omnium ſaluti
ſponte oblatum, multorum redemptione lætum, ſibi
Lethi compenſantem, impavidum, colluctantem ferè ſtrata raptum ſtravit, impia animoſæ pietatis
exemplar. Pia mortalem immortalem exigat Fama.
Deficienti naturæ ſufficiat ars. Imaginem Saxa, memoriam ſcripta ſervent. Tanto defuncto Viro lacrymarum hydria, linteum incombuſtibile, lumen
æternum eſto Elogium hoc.
Vixit ann. LVIII. docuit ann. XXXIV. Obiit An. MDCXXXI.
M. Iulii VI. cal. P.M A.A.A.F.P.C.
hoc eſt poſt Meridiem Ant. Aloyſius Aldreghettus Filius P.C.

Typis vulgavit *Tractatum de lue Venerea* exceptum ex ore Herculis Saxoniæ, clariſſ. Medici, in Patavino Gymnaſio Medicinæ Profeſſoris ann. MDXCVII.

CXXVI. FELIX OSIUS natus eſt Mediolani ex vetuſta ibi familiâ, in cujus origine Græ- 1631

(1) ibid. pag. 229. (2) Vid. Tomaſ. ibid. pag. 234. 235. (3) Tomaſ. Gymn. libr. 3. c. 33. pag. 339.
(4) Idem. ibid. cap. 19. pag. 311. (5) Salom. Inſcript. Pat. pag. 188. num. 14.

Græca aut Ambroſianis temporibus ſuperari, multa ſomniat optimus Tomaſinus (1). Græca didicit magiſtris Olgiato, & Salmaza concivibus, Latina præceptore Cæſare Iſnardo Societ. Jeſu Nicienſi, quem Allegambius memorat (2) quemque fato functum Felix elegiâ deflevit annorum ſexdecim adoleſcens. Ex hac Borromæo Cardinali cùm innotuiſſet, hujus ſumptibus in peculiari collegio Philoſophiæ ac Theologiæ operam dedit, cujus laurum conſecutus, in collegio Helvetico mitiores literas & Rhetoricam docuit. Inde Bergomum evocatus in Collegio S. Mariæ ludum & Gymnaſium aperuit. Bergomo Patavium accitus parem operam civitati præſtitit, puerorum Magiſter publicus; eoque munere præclarè functus inclaruit. Quamobrem cum Paulus Benius accepta ob ſenium rude, ac diminuto ſtipendio vacare cœpit, ea diminutio bifariam ſecta, æquis portionibus conceſſa eſt Oſio atque Thuilio, ut pari honore, ac lucro in Gymnaſio publicè Oratoriam profiterentur ab exedra. Mirandam fuiſſe viri hujus clariſſimi, ac probatiſſimi Rhetoris in docendo facilitatem aſſerit, qui tunc verſabatur Patavii Tomaſinus (3), magnam autem ac ſingularem eruditionis famam, ex qua Gerardi Voſſii judicio commendatus notus laudatuſque Heinſio, Meurſio, Scriverio, Barlæo, Puteano, cæteriſque, quorum ſæculo ſuperiore nomen inter eruditos eximium, juſtum elogium meruit in libris (4) Jo. Antonii Caſtillionei viri clariſſimi; fuitque Pignorio (5) ex multiplici rerum antiquarum notitia, planè mirus helluo librorum. Ex eadem fama, atque aliis animi dotibus, quæ præſentibus dumtaxat patent, noſtratibus, quos latè Tomaſinus idem enumerat, charus, ac Venetis Senatoribus, Dominico præſertim Molino, & literariis Triumviris venerabilis, tantum apud hos potuit, ut illos prævenerit in ſententiam erigendæ publicè bibliothecæ, cui apparandæ, inſtruendæque ipſe adjutor & procurator, paratæ jam & inſtructæ, aucto ſtipendio, utiliter præfuit. Verùm viri tanti nomine & gloria Gymnaſio diù frui non licuit. Nam exacto ſexennio, cum maximè, paucis quibuſdam editis, edendis reliquis, quę plurima lucubraverat, ſedulo vacat, & peſtilentiâ Patavium dirè vexante, pluteis bibliothecę diligentiùs tunc & operoſiùs erigendis, collocandiſque adeſt, morbo illo ſontico afflatus intra ſeptimum diem interiit inteſtatus ann. MDCXXXI. ętatis L. Sepultus eſt in templo PP. Societatis Jeſu, ſine funeris pompa, & Epigraphe tituli.

Ejus Opera eruditionis immenſę pretioſa Κειμήλια partim edita, partim anecdota hæc ſunt.

Albertini Eccerinis, ſive de Tyrannide Eccellini.

Ejuſdem Hiſtoria de Feſtis Henrici VII. emendatiſſima cum notis.

Notæ in Murenę hiſtoriam imperfectæ.

Romano-Græcia, ſeu de communibus utriuſque Populi moribus, & inſtitutis Commentarii II.

Juvenilium Epigrammatum libri VI.

Sacer Helicon.

Funebria in obitum Jo. Cæſaris Iſnardi Præceptoris ſui.

D. Carolus Borromæus Annagrammatum, & Epigrammatum Centuria ſingularis.

Variorum Carminum & Poematum libri II.

Ritus utriuſque reliquiæ ſacri pariter & profani Centuriæ XVI.

De Sepulcris, & Epitaphiis Chriſtianorum libri VI.

De Sepulcris & Epitaphiis Ethnicorum libri VI.

Triumphus Humilitatis. Dramma Jambicum in Apotheoſi D. Caroli Borromæi

Triumphus alter Prætoriæ Majeſtatis, Dramma actum Bergomi: cum Oratione ad idipſum.

Syntagma de Hermis, Hermathenis, Hermerotis, Hermeraclis.

Selectarum Epiſtolarum libri II.

Elogia Scriptorum illuſtrium utriuſque ævi.

Tractatus de Epigrammate Mediolani traditus.

Buſarola Clar. Vir. Octavii Balſami, ubi Miſcellanea veterum Sententiarum, & Progymnaſmata de Felicitate.

Quæſtiones de univerſa Arte dicendi ſimul cum OEconomia Artis in Orationibus Tullii.

Prælectiones Solemnes in omnes M.T. Cicer. Epiſtolas ad T. Pomponium Atticum, Brutum & Q. Fratrem cum Analyſi variâ, & notis.

Poetarum Vindiciæ, & hiſtoricorum, quibus errata potiſſimum quæ in eorum libros Typographorum incuriâ, vel aliorum inſcitiâ hactenus irrepſerunt, ope MSS. Codicum amoventur.

Inſcriptionum antiquitatem inſimulantium liber primus.

Apologia pro Inſcriptione Sacelli Cl. V. Petri Antonii Langoni.

Academiæ Marianæ ab eo Bergomi reſtitutæ an. MDCXVIII. auſpicia, primordia, progreſſus.

Epicedia in Obitum Jo. Baptiſtæ Milani Epiſc. Bergomatis.

Hercules in Bivio, cum Orationibus Virtutis & Voluptatis.

Curæ primæ in T. Calphurnii, & Nemeſiani Eclogas.

Schediaſmus in Veterum Statuas & Monumenta.

Commentariolus de Varia literarum inter ſe latinarum cognatione

Variæ Orationes, Præfationes, & Chrię Vol. II.

Ho-

(1) Elog. libr. 2. par. 244. 246. (2) Biblioth. Societ. (3) ibid. par. 248. 249.
(4) Antiq. Baſilic. Vatica. P. 1. (5) Ep. 32.

Horum pleraque periere, peſtilentiâ depopulante Patavium. titulos Tomaſinus (1) exhibet ex indice ab Auctore ipſo vulgato. 1631

CXXVII. JOANNES à COLLE Medicus παραδοξότατος genus maternum Belluni, quod Tomaſinus deſcribit, nobiliſſimum habuit, nec paternum ignobile. Natus ann. MDLVIII. minorum literarum ornamenta patriæ, debuit majores diſciplinas ſibi ac Profeſſoribus Patavinis. Horum auditor aſſiduus, inſignibus doctrinæ receptis, anno ſexto & vigeſimo ętatis laureatus Medicus tum Patavii tum Belluni apud ſuos praxim Artis, quam profitebatur, exercuit. Inde ſuadentibus amicis Venetias profectus per annos duodecim cum laude medicinam & lucro fecit, & multa in arte Medicâ doctè, & utiliter ſcripſit, ac prælo ſubjecit, ex quibus inter Clinicos clarus à Franciſco Maria II. Urbini Principe VI, cui Opuſcula quædam ſua dicaverat, accitus honeſtâ & amplâ mercede apud eum fuit per annos tres & viginti Archiatrus, & Nobilis à Cubiculo, quo titulo vel etiam extra patriam conſpicuus in civitatem, & urbicum Senatum Senogallię receptus eſt. Ex ea dignitate à Triumviris Literariis Gymnaſio pręfectus ex Senatus conſulto evocatus ad primam Practicę Medicinæ ſedem ſucceſſor Roderici Fonſecæ mille coronatorum ſtipendio prælectiones publicas iniit ann. MDCXXIII. functuſque munere graviter, doctè, ac pacatè, quippe illi pax fuit cum Cremonino, quorum Doctores præcipui contendebant. Ann. MDCXXXI. ætat. LXXII. ſæviente peſtilentia Patavii abreptus inter mortales deſiit eſſe, privatoque funere in Sacellum proximum Antonianæ baſilicæ illatus eſt.

Scripta ejus edita hæc ſunt.

Praxis Univerſalis de omnibus affectionibus malignis & peſtilentibus.
Monumenta Synoptica de peſte præſervanda, & curanda.
Coſmitor Medicus, de exercitiis totius Artis Medicæ Practicæ & Theoricę.
Conſultationes de Morbo Gallico, de Plica, de Senectute protrahenda, de pręſervatione à Venenis, de Tartaro & Vitriolo.
Comment. in lib. Hippocratis de inſomniis.
De Medicina Jucunda. Ars Chymica. Remedia Chymica ad omnes morbos
Elucidarium Anatomicum & Chirurgicum.
Idea omnium facultatum, ſcientiarum, & Artium.
Orationes Academicæ Italicæ.

Promiſcuè edita, & Anecdota.

Principia naturalia Metaphyſica, & Aſtrologica ex Hippocrate.
Anatome Hippocratica. Medicina Theorica, & Practica Hippocratica.
De mortalitate Animæ ex Hippocrate.
De Principiis membrorum.
Medicina Ariſtotelica.
De calido innato.
Vera Opinio Aphrodiſſei de immortalitate Animę.
De Formis Elementorum, & Natura Animalium ex Ariſtotele.
Sententię dilucidatę in Aphoriſmis.
Admonita, & pręcepta dilucidata & conciliata.
De Febribus malignis, benignis, & peſtilentibus.
De Vitiis Capitis, Thoracis, & Ventris inferioris.
De morbis Virginum, Mulierum, & puerorum ex Rhaſi.
Metopoſcopia naturalis.
De Medicina rationali, Methodica, Aſtrologica, Chymica, Empirica, & modo collegiandi, componendi, & adminiſtrandi medicamenta.

CAPUT XXVIII.

Cæſar Cremoninus. Pompejus Caimus, Sanctorius Sanctorius.

CXXVIII. SUmmum, ſi famæ olim multa elocutæ credimus, Philoſophum, & Peripateticæ ſectæ ſua ætate principem oſtentat Gymnaſium noſtrum in Cæſare Cremonino: certè felicem Profeſſorem, & fortunatum præ cæteris. Centi natus, in ditione Ferrarienſi, vel junior apud Ateſtinos Principes Philoſophi nomen emeruit: exeoque ad exedram Ferrarienſis Gymnaſii anno ætatis XXI. ſubvectus, ita verſatus eſt in Ariſtotelis interpretatione per annos fermè ſeptendecim, ut ad ſe quærendum, optandumque Venetorum vota converterit. Vir annorum circiter quadraginta in ſecundam ordinariæ Philoſophiæ ſedem aſcendit ann. MDXC.; atque ita ſtatim ſibi omnium diſcipulorum, Germanorum præſertim, animos conciliavit, ut brevi è minore ſuggeſtu cum majore, quod Franciſcus Piccolomineus honeſtabat, de virtute ac Peripateticæ Philoſophiæ gloria contenderet; *Vir*, ut refert Imperialis (2) ejus diſcipulus, cujus verba damus, *inſi-* 1631

(1) ibid. pag. 251. 254. (2) Muſæi p. 173.

inſigni à natura donatus acumine, graviſſimo judicandi munere pręſtitit: ſolitus nihil expendere leviter, nihil abſque premeditatione conari: ſui compos, in ſuis ſemper collectus conſiliis; vividâ cunctis indole perblandus, nulli tamen fida ſinceri animi conjunctione obſtrictus: de rebus omnibus cum junioribus effari, at in nulla herere diutius, quę ipſorum conferret animis: comitate potiùs, quàm doctrinâ in congreſſibus fructuoſus. Quin & factionibus ipſorum fovendis deditus, perpetua cum Patavinis alere diſſidia, ſeu potiùs cum ſingulis, quos ſuo minus indulgentes arbitrio noſceret. Simulare tamen comptiſſimâ verſutiâ cum ſingulis natus, vel civilia anxius officia exercebat. His artibus, hac verſicolore agendi, loquendique, ac verſandi cum diſcipulis & profitentibus induſtria, quam augebat corporis compago concinna, culta, procera, ſubrigida frons, acres oculi, gravis inceſſus, ac pra reliquis eloquentia, aquè privata conſuetudini, atque publicis diſſertationibus idonea, uſque adeo apud omnes invaluit, ut unus pra omnibus haberetur: praſertim cùm ſtatim ab initio utilem ſe Gymnaſio jactaſſet, & commodorum ejus pra cateris ſtudioſiſſimum. Nam icto fœdere cum Riccobono, cœpit ex improviſo in Scholas Patrum Societ. Jeſu inſurgere, atque una moliri, ne cui fas eſſet de ſcripto docere, aut ea publicè dictando proponere, unde docentium futilitas, dogmatumque vel falſitas vel imbecillitas argueretur. Ipſo inſtigante Univerſitas Artium coacta intra conclave Pontificii collegii, Rectore Gymnaſii in verba omnium præeunte, pridie Kal. Decembris an. MDXCI. ſancivit, ut Oratores ad Senatum Venetum mitterentur, accuſaturi Scholas Jeſuitarum earumque excidium internecinum impetraturi. Tres ad id Profeſſores electi, primæ ſedis Doctores duo Hercules Saxonia & Franciſcus Piccolomineus, ſecundæ unus ipſe Cremoninus; iſque ſe majoribus dignitate præpoſitus, ſtetit coram Venetæ Sapientiæ Collegio, eâ in ſcholas Patrum Societatis Oratione, quam, hæc dum ſcribo, præ manibus habeo, ſi vera fari licet, & ex hiſtoriæ legibus ſcribere, frigidam ſatis, ornatam parum, prorſus ad rem, quam agit, invalidam. Impetravit attamen magna ex parte, quæ petiit, datumque ex Senatusconſulto dignitati Gymnaſii, ut, ſalvâ poteſtate docendi literas humaniores, quam Patavina nobilitas miſſis Oratoribus flagitavit, ab explicandis ſeverioribus diſciplinis ſcholæ ſe Societatis in poſterum abſtinerent. Non ſatis hæc novitas Cremonino fuit; aliam quoque, objectâ iterum dignitate Gymnaſii, clam, palam ex fœdere cum Riccobono obtinuit, ne quis nimirùm deinceps, aut dictaret in Gymnaſio, aut de ſcripto diſſereret. Hæc dicta ſunto, ut poſteri ſentiant, quid Patavinum Gymnaſium debeat Cremonino, quem tanti fecit, cui penè non ut Ariſtoteli novo procubuit, cujus in laudes uſque adeo exarſit, ut ſummum illum Philoſophum, & ſumma inter viros doctos in exiſtimatione habendum eſſe, vel magnis Principibus perſuaſerit. Hinc ejus effigies in regias pinacothecas receptę, hinc illi honores omnes gymnaſtici dati, hinc in illum munificentia Veneti Senatûs effuſa. Decennium in altera Philoſophiæ ordinarię ſede verſatus, extincto Piccolomineo ſuffectus, ad principem evectus eſt an. MDCI. cui militans per annos triginta, bis mille nummùm ſtipendium meruit. Obiitque octogenario major an. MDCXXXI. Dum vixit, omnium clariſſimus; poſt fata, & ſepulcrum in baſilica S. Juſtinæ, cujus Monachos teſtamento dixit hęredes, nec ex editis monumentis clarus, & ſi minus compertus impietatis, certè ſuſpectus. Percrebuerat enim apud omnes opinio, pręſertim apud diſcipulos, non bene eum de animarum immortalitate ſenſiſſe. Sententiam illam chriſtianę fidei repugnantem, re ipſa ut è ſuggeſtu vel diſſimulaverit, vel non palam docuerit ex Aphrodiſſeo, pluſquam ancipiti, cum domi ſcribenda dictabat, inſinuatione firmaverat. Multa quoque de Fato, de Mundo, de Cęlo perperam, nec ad normam, & Canonem Orthodoxę Religionis interpretatum fuiſſe, ſcriptis ejus expenſis conſtitui poteſt. Horum edidit pauca; *librum de Calido innato & ſemine*, quem validiſſimè Pompejus Caimus publicato Commentario confutavit; *librum in Proæmium Phyſicorum Ariſtotelis, qua pertinent ad Pædiam, & deſcriptionem univerſa Naturalis Ariſtotelicę Philoſophię complexum*, cui multa acri judicio objecit Joannes Pręvotius, & alii; Fabulam Paſtoralem ſermone ſcriptam Italico inſcriptamque *Amyntas, & Chloris*, quæ ſemel à Monachis acta, ut ex hiſtrionali actione placuerit, attamen prelo ſubjecta emptorem non reperit. Non ergo, quod notat Imperialis (t), nono poſt obitum Cremonini anno ſcribens, mirandum, jam tum Opera tanti Philoſophi typis excuſa in officinis librariorum vilia fuiſſe. Nec aliud ſcriptorum ejus fatum fuit, quæ quamvis, adhuc vivente, ſcribenteque Imperiali, magni, maximi haberentur, eviluerunt deinceps poſteris uſque adeo, utneque an extent alicubi tinearum pabulum, certò ſcire liceat; neque aliunde Cremoninum fuiſſe magnum Philoſophum, & Principem Philoſophorum, niſi ex obſoleta majorum opinione, & epi-

(t) loc. cit.

epigraphe(1) à Nicolao Benzono, Randuſio Dano, D. Marci Equite inſcripta parieti Gymnaſii noſtri, noſſe poſſimus, & credere.

CXXIX. POMPEJUS CAIMUS Jacobo(2) patre Juriſconſulto gente patricia Utini in Carnia progenitus, Patavii ſtuduit, & lauream Philoſophiæ, ac Medicinæ reportavit, quam in patria honorariâ mercede per annos aliquot factitavit. Indè Romam profectus, in ejus gymnaſio primam Philoſophiæ ſedem obtinuit, ſæpe ad valetudinis conſilia Neapolim à Pro-Rege, Florentiam à Magno Etrurię Duce, aliò quoque ab Italię Principibus evocatus, donatuſque munificè. Etiam Gregorio XV. Pont. Max. prędixiſſe fertur lethalem morbum, quo periit an. MDCXXIII. Hinc latè conſpicuus, & ab Urbano VIII. Comes & Eques dictus, cùm fratri Euſebio Æmonienſes inſulas, agnatis aliis honores, & munera, in eximium familię decus redundatura, impetraſſet, altiùs ſe in artis Medicæ ſecreta vir ſedulus, & laborioſus immiſit. Gręcę ſe in primis linguæ peritiſſimum voluit, nec Aſtrologiæ myſteria contempſit, iiſque ſe ornamentis Encyclopædiæ inſtruxit locupletiſſimè, queis ad exedras Patavinas aptaretur. Nam ad hoc ſapientiæ Theatrum, in quo Piccolomineum, Mercurialem, & Campolongum ſummos Philoſophos, & Medicos ſuſpexerat, reſpexiſſe ſe ſemper alicubi (3) profitetur. Quamobrem cùm jampridem oblata & à Radzivilio Cardinali, & à Piſano Gymnaſio magna ſtipendia recuſaſſet, nec invitatus ad aulicum Archiatri Miniſterium à Paulo V. cupidum gloriæ liberioris animum peculiari ſervitio duxiſſet obligandum, ut à Republica Veneta ad Patavinum Gymnaſium accerſitus eſt, ultrò ſe obſecuturum ſpopondit. Succeſſit Sanctorio Sanctorio an. MDCXXIV. primę ſedis Theoricę Profeſſor inſignis, ſimul Medicinam fecit extra Gymnaſium, in Gymnaſio verò, defunctis Adriano Spigelio, & Franciſco Plazzono, adminiſtravit Anatomen. Refert Joannes Rhodius(4), Caimum vidiſſe Patavii, ſpatio unius diei è naribus cujuſdam ſanguinis octodecim libras effluxiſſe, idque luculentiſſimè notis editis illuſtraſſe. Vir ſtaturæ parvę, ſed igneę, acer autem, ſi quis alius, & virtutis ac doctrinę gloriâ tumidus, diuturnas ſimultates & controverſias habuit cum Cremonino, contra quem librum edidit robuſtum ſatis, credebaturque virulentum Opuſculum editurus, quod tamen non edidit, ne diſcipulorum in ſe ſtudia concitaret, quibus Cremoninus vir blandus librum ſuum de Calido innato, quem Caimus impugnabat, egregiè tuebatur. Diſſolvit has rixas utriuſque mors eodem anno, quo, ſęviente peſtilentia Patavii, Caimus ad Carnos indigetes ſe recepit, ut lucubrationibus variis, quas parabat pręlo, finem imponeret Titiani in prędio ſuo. Ibi febri correptus decubuit, miſſoque Palmam famulo, expectabat pharmacum. Verùm cùm clauſis arcis portis, ob graves quaſdam cuſtodię publicę cauſas, ille diutius fuiſſet moratus, morbo dominus intra dies paucos oppreſſus occubuit, ętate climactericus pridie Kal. Decembr. MDCXXXI. Funus ejus curatum Utini ab Euſebio fratre pręſule Æmonienſi magnificè, cadaver ſepulcro tegitur in templo Deiparę Gratiarum cum hoc Elogio. 1631

D. O. M.
Pompejo Caimo Utinenſi Equiti Aurato
Philoſophiæ ac Medicinæ
In nobiliſſimis Orbis Terrarum
Romano ac Patavino Gymnaſiis,
De Prima Sede Profeſſori,
Scientiarum omnium fonti dulciſſimo.
Euſebius Epiſcopus Æmonienſis
Fratri amantiſſimo P.
Obiit MDCXXXI. ætatis ſuæ LXIII.

Opera ejus anecdota multa, quę erant apud hæredes, recenſet Tomaſinus. Quæ publici Juris facta doctorum teruntur manibus, hæc ſunt.

De calido innato Libri III.
De Febrium Putridarum Indicationibus libri II.
De Nobilitate.
Italicè. *De Ingenio humano libri II.*
Comparatio Politica Rerumpublicarum veterum & recentiorum libri II.
Dialogus de tribus rationibus Vitæ, quæ meliores putantur.

CXXX. SANCTORIUS SANCTORIUS Juſtinopolitanus Iſter, quo genere natus ad verticem gloriæ in arte medica felix emerſerit, neque ſcimus, neque conjectura poſſumus aſſequi; 1636

Hh quippe

(1) Tomaſ. Gym. lib. 4. p. 488. Inſcrip. 196. Salom. Inſcr. Gym.
(2) Tomaſ. Elog. lib. 2. p. 260. & ſeq.
(3) lib. 2. de calid. innat. (4) Ep. ad Tom. 4.

quippe Tomaſinus quam fecit de tertio (1) Elogiorum libro, ad quem Vitam Sanctorii differt, non videtur ſanctè fidem reddidiſſe. Quod certum, Patavii ſtuduit, nam ejus nomen catalogis Tranſmarinorum, ad quos Iſtri pertinebant, ter legitur ab an. MDLXXXIII. Doctoris inſulas conſecutus Venetiis Medicinam fecit, ſi quis alius, feliciſſimè. Claruit non praxi tantùm, ſed etiam Theoreſi, quam probavit edita *Methodo vitandorum errorum*, de qua mentio eſt in Deſcriptione Iſtriæ Nicolai Manzolii Juriſconſulti. Nec dubium, quin plura conſcripſerit, edideritque, quorum ad nos notitia hactenus nulla pervenerit. Ex his porro latè inter celebertimos Medicos, & Archiatros conſpicuus, Horatio Augenio è vivis erepto ſuffectus è prima ſede ordinaria Medicinæ Theoricæ docere cœpit an. MDCXI. Summâ illum docentem frequentiâ Gymnaſium audivit per annos circiter tredecim, quibus cùm paſſim evocaretur Venetias ad praxim, nec utriuſque muneris ferre laborem, ſalvâ corporis incolumitate, poſſet, à publico excuſavit ſe, ut privatę Venetorum utilitati ſerviret. Data illi venia vacandi eſt, ſtipendio non imminuto, ſeceſſitque Venetias climactericus: ibi obiit an. MDCXXXVI. ætatis LXXV. Sepultus eſt in periſtylio cœnobii Servorum, in quorum Templo Simulacrum habet marmoreum. Eum grata poſteritas ex his operibus editis merito celebrabit.

Methodus vitandorum errorum omnium, qui committi poſſunt in Arte Medica.
Statica, liber celeberrimus, quem Commentariis dignati ſunt multi, auxit canonibus additis Baglivus.
Comment. in Aphoriſmos Hippocratis.
In I. Fen Avicennæ.
In Artem parvam Galeni.

Refert Salomonius (2) ſua ætate nomen Sanctorii Gymnaſii parietibus inſcriptum fuiſſe, appictumque illi Symbolum ſtaticæ cum lemmate

Hac ſtat Salus.

Hæc deleta fuiſſe à quodam invido, cujus nomini parcimus.

CAPUT XXIX.

Albertus Campana. Joannes Camillus Glorioſus. Jo. Baptiſta Salicis. Galilæus Galilæi.

1639 CXXXI. ALBERTUS CAMPANA (3) Ordinis Prædicatorum Florentinus, æquè literis politioribus, atque ſacris & Theologicis excultus, annos aliquot in gymnaſio Piſano docuit, unde Patavium ad ſacri Codicis publicam explanationem accitus, quamvis valetudinarius, & penè non gradariis fulcimentis indigens, expectationi tamen omnium ſatisfecit, ſacram interpretationem exorſus an. MDCXXX. Hanc proſecutus eſt ſummâ omnium commendatione conſpicuus, probatuſque plenâ auditorum frequentiâ, quam ſibi conciliabat Eloquentiâ, Philologiâ, omnique ferme doctrinæ genere, ſolitus ſacra profanis lenire, profana ſacris eludere per annos circiter novem. Nam cùm ulcera crurum, quibus illi gradiendi uſus impediebatur, inveterata licet, & quodammodo inſita naturę ductu, mulieris Medicę cujuſdam operâ curaſſet, tranſmiſſâ ad caput excrementorum illa colluvie, quę per ulcera ſalubriter purgabatur, apoplexi, quam Clinici fortem appellant, ictus interiit an. MDCXXXIX. ętat LIII. Scripſiſſe eum multa Tomaſinus (4) refert, quæ longo catalogo Salomonius (5) recenſet. Ea nos omittimus, cùm neque famam hominis æquent, nec publicam lucem aſpexerint, pręter *Lucam Etruſcis verſibus editum*, quem legiſſe minimè pœnitebit.

1643 CXXXII. JOANNEM CAMILLUM Glorioſum Tomaſinus (6) ſucceſſorem Galilęi ſignat in explanandis Patavii Mathematicis diſciplinis, an. MDCXIII. VIII Kal. Octobris. Natus eſt Neapoli. Puer, ut idem Tomaſinus (7) alibi tradit, altiſſimi ingenii, quamvis coloris ſubfuſci, & parvę ſtaturę, viſus eſt ad grandia genitus, ac Theorematibus jam tum mathematicis aptus. Studuit deinde Philoſophię ac Theologię ſedulò, & gnaviter, mox ad Matheſim ingenitâ quadam propenſione animum convertit, profecitque adeo in ea, ut in Geometricis, & ad Algebram pertinentibus ratiociniis longè omnes ſui ęvi Philoſophos ſuperarit: idcirco laudatus à Cremonino, atque is habitus, qui prę cœteris Platonici numeri ſupputationem & Encyclopędiam comperiſſet. Diu per Italiam vagatus ut diſcipulos, in quos quę norat, effunderet, inveniret, tandem ad commune literatorum hoſpitium Venetias venit, cùm, ob reditum in patriam Galilæi, ſedi Patavinę Matheſeos Profeſſor idoneus quærebatur. Muneri ſe ipſe fidenter obtulit; datoque do-

(1) Gym. lib. 3. c. 8. p. 293. (2) Inſcript. Gym in miſcell. (3) Tomaſ. Elog. lib. 2. p. 297. (4) ibid. & Gym. lib. 3 c. 5. p. 286. (5) Inſcr. Gym. miſcell. (6) Gym. lib. 3. c. 39. p. 339. (7) Elog. lib. 2. p. 311.

doctrinæ ſuę documento, binis apoteleſmatibus ipſi propoſitis, & exacte ſolutis, ad illam exedram ſuffragiis Triumviralibus ac Senatuſconſulto provectus eſt. Sedem illuſtravit Problematum tractatione doctiſſimâ, Theorematum explanationibus acutiſſimis, tantoque & fructu & commodo Gymnaſticæ juventutis, ut hæc illi dicenti ſemper adfuerit rarâ frequentiâ. Inde in eum quædam inclementia quorundam, quæ mox abiit in rixas, & controverſias. Nam cùm Cometes ann. MDCXVIII. apparuiſſet, cœpiſſetque inter Profeſſores quęri, num Phænomenon illud ad cælum ſuperius pertineret, an potiùs ad inferius vacui ſpatium ſub Lunâ, Glorioſus recentiorum ſententiam probavit, quam ſtatim Fortunius Licetus editis diſceptationibus aliquot confutavit, quibus Glorioſus cùm reſpondiſſet, res eò devenit, ut ſe Doctores eruditiſſimi, acriùs, quàm par erat, impeterent. Et agebat Glorioſus tumidiùs ſuâ gloriâ, & in re, quam profitebatur, ſcientiâ fretus, exiſtimans ſuo nomini plus deberi, quàm cæteris. Hinc porro cauſa etiam Gymnaſii deſerendi. Cùm enim duplicato ſtipendio auctus circa ann. MDCXX, in ejus ſolutione fuiſſet variè à Miniſtris vexatus, contemptum ſe ratus, & contemptûs impatiens à prælectionibus habendis ſe ſpontè ſubduxit, ac poſt aliquot menſes remeavit Neapolim, ubi quà ſtudendo, quà privatim docendo vixit, edidítque multa, quibus & Licetum, & Soverum ſucceſſorem ſuum, Claramontium, & Maghettum adverſarios ultus eſt acriter. Integrâ oculorum acie vividoque ſemper ingenio, quamvis non integrâ valetudine, ad ſenectutem pervenit, in qua catarrho ingraveſcente inteſtatus occubuit ann. MDCXLIII. Ejus Bibliothecam à nepote Prorex quingentis emptam, tranſmiſiſſe dicitur in Hiſpaniam. Edidit.

Reſponſum ad Theorema à Nobili Viro propoſitum.

Reſponſionem ad Controverſias de Cometis Peripateticas.

Diſſertationem Aſtronomo-Phyſicam de Cometis.

Decadem I. Exercitationum Mathematicarum.

Decadem earundem II. & III.

Reſponſionem ad Vindicias Soveri.

Ad Scholium Liceti.

Ad Apologiam Benedicti Maghetti.

Ad Scipionem Claramontium.

Caſtigationem examinis Scriptionis Claramontii.

CXXXIII. JOANNEM BAPTISTAM SALICEM Brixienſem claris Profeſſoribus Gymnaſii, ex iis maximè probat Salomonius (1), quę colligit ex chartophylacio cœnobii Canonicorum S. Georgii in Algâ, quod ad Vantium vocant, ubi ipſe Theologica dogmata, olim ſtipendio cœnobitarum conductus, explanavit ſodalibus ejus religioſæ familiæ. Diu ſtudiis ac præſertim Medicinæ Patavii operam dedit, ac doctoris adeptus inſignia adjectus eſt albo publicè profitentium, explanavitque in Gymnaſio tertium Avicennæ librum in prima ſede anno MDCXIV. par dignitate Prevotio, quem Tabularium Quæſtorium (2) collegam Jo. Baptiſtæ Salicis Brixienſis nominat anno ſequenti. Sponte tunc ſe publico munere abdicavit, ingreſſuſque Ordinem Canonicorum Sæcularium S. Georgii totum ſe Theologię mancipavit, cujus non ſolùm infulas induit, verùm etiam in collegium cooptatus eſt, in quo Brabeutes inſignia Theologica contulit Tomaſino (3). Poſt hæc iterum ad Gymnaſium revocatus publicè logicam profeſſus eſt primus ex illa Canonicorum (4) familia Lycæi noſtri magiſter an. MDCXLII, par autem dignitate ſedis Franciſco Betotto Minoritæ Bononienſi ab exedra ſecunda docenti. Nec tamen id munus obivit diu veneno ſublatus à ſuis, ipſo die Natali Servatoris Chriſti an. MDCXLIII. Extabant theſes Peripateticæ naturales à Salice conſcriptæ, & aliæ de Cælo, aliæ quoque de Generatione, & de Anima typis paratæ Tomaſino teſte. Has deinde fuiſſe editas cum amplis Commentariis in libros Perihermenias & Analyticos priores, ac poſteriores, aſſerit Salomonius (5) typis Sebaſtiani Sardi, penes quem fides eſto, nam eorum nos nihil vidimus. 1643

CXXXIV. GALILÆUM GALILÆI Vincentius (6) vir nobilis, eruditus, & ex operibus editis Muſices peritiſſimus, Florentiæ genuit. Ab adoleſcentia diſciplinas Mathematicas coluit, quas etiam Ferdinando I. Magno Etruriæ Duce petente, docuit in Piſano Gymnaſio. Inde accitus Patavium Molerio (7) ſuffectus eſt an. MDXCII. Profeſſor Matheſeos ſua ætate omnium celeberrimus, audituſque Patavii mirâ omnium frequentiâ in primis Venetorum patriciorum. Hos cùm aliquando ſalutatum veniſſet Venetias, legit in Adverſariis curioſorum, quibus quæ ubique contingunt, aut dicuntur contigiſſe, nunciantur, Mauritio Naſſovio Arauſionis Principi, qui aliis eſt Auriacus, Princeps, ab ignobili Optico fuiſſe perſpicillum oblatum, quod res longè diſtantes 1644

(1) Inſcr. Gym. miſcell. (2) apud Salom. ibid. (3) ex Privileg. Tomaſ. apud eum Gym. lib. 1. cap. 56. p. 190. (4) Tomaſ. ibid. lib. 3. c. 36. p. 334. (5) in miſcell. ibid. (6) Ghilin. Theatr. Vol. I. p. 68. 69. Vivianus in vita Galilæi præfixa ejus libris. (7) Riccob. Gym. lib. 3. c. 46. p. 78. & lib. 6. c. 20. p. 147. Tomaſ. lib. 3. cap. 39. p. 33.

admoveret obtutibus, & tanquam proximè ſitas oculis per illud perſpicientibus repræſentaret. Id quî fieri poſſet, ſecum ipſe aliquandiu meditatus, ſe uno magiſtro, & artifice, tubum Opticum concinnavit, qui dono oblatus Senatui Veneto admirationem omnium, publicam verò munificentiam promeruit: quâ illi duplicatum ſtipendium eſt, ac Senatusconſulto cautum, ne illi, auctarium illud ſtipendij, donec vita ſuperfuiſſet, deficeret. Legi ego decreti auguſtum apographon, ac Venetæ liberalitatis exemplar ampliſſimum; atque illud exoſculatus, mecum ipſe conſtitui, non alio inter homines numine doctorum virorum ingenia ad maxima prolici. Nec minore cum plauſu & admiratione, quam apud Venetos, tubus ille Opticus, qui ex inventoris nomine nomen habet, per Italiam, totamque prorſus Europam exceptus eſt: fuitque deinceps omnibus uſui ad ſiderum magnitudinem, curſus, & ſpecies indagandas. Hoc Galilæus ipſe, præter alias, novas ſtellas, Planetas quatuor Joviales detexit, ac Mediceos appellavit. Quin & in Sole, ac Luna maculas, nulli ad eam diem notas, aſpexit, aſpiciendaſque propoſuit. Poſt annos fermè unum & viginti, quibus in Gymnaſio noſtro meruit ab anno ſcilicet MDCXIII. accerſitus à Coſmo II. Magno Duce Florentiæ rediit in patriam. Ibi venerabilis omnibus tanti nominis & exiſtimationis apud exteras gentes fuit, ut nullus Princeps Florentiam venerit, vel inde tranſierit, qui non duxerit magni muneris inſtar Galilæi aſpectu & alloquio frui. Vixit ad extremam ſenectutem; quam tamen peregiſſe fertur infeliciſſimè. Nam ex Copernicano Syſtemate reus apud ſacros Quæſitores ſactus, *quod docendo ſcribendoque ſanxiſſet, quæ Paginis Sacris repugnent*, diu vexatus eſt, coactuſque coram tribunalibus ſtare, recantare, quæ dixerat, ſcripſeratque, imo & ſubire ut reus pœnam; ex qua mœrore ac ſenili ſolicitudine tabefactus interiit an. MDCXLIV. ætatis LXXIV. Scripſit multa, quæ typis edita tomis continentur tribus, quorum quæ manibus eruditis teruntur hæc ſunt.

Latina quidem.

Nuncius Sidereus.
Syſtema Mundi.
De luce, & lumine Diſputatio.
De Proportionibus.
De Sacræ Scripturæ Teſtimoniis.
Tractatus de Proportionum Inſtrumento à ſe invento.

Italica.

Apologia contra Calumnias Balthaſſaris Capræ.
Uſus Circini Geometrici & Militaris à ſe inventi.
Diſſertatio de rebus, quæ ſupernatant aquas, aut in iis moventur.
Hiſtoria & Demonſtratio de Maculis Solaribus & iis, quæ Phænomenis hujuſmodi accedant expoſita tribus Epiſtolis ad M. Velſerum.
Opus inſcriptum, Speciminum Index, in quo juſta, & exquiſita lance expenduntur traditæ in libra Aſtronomica, & Philoſophica Lotharii Sarſii.
Dialogi in dies quatuor diviſi, de Maximis Syſtematibus Ptolemaico, & Copernicano.

CAPUT XXX.

Joannes Dominicus Sala, Flavius Querengus. Joannes Weslingius. Thomas Turcus. Hieronymus Bendandus.

1644 CXXXV. FAmilia Sala patricia Patavii à ſtirpe ultimâ magni nominis viros non bello dumtaxat & foro, ſed & Gymnaſio noſtro utiles, ac Profeſſores clariſſimos, & illuſtres alumnos edidit. Celebrat horum aliquos Scardeonius (1), atque in his præcipuè Paganinum publicum juris interpretem, Comitem, & Equitem intra ſeculum XIV. memorandi nominis, æqualem Baldo, cujus reſponſis ſubſcribit, Oratorem ac Legatum Carrarienſium; pro quorum incolumitate & imperio gnaviter laboravit apud Venetos, Auſtriæ Ducem, & Inſubriæ Principes, obtinuitque potens eloquentiâ & induſtriâ quidquid ad Patavinæ ditionis auctarium ſuperba dominorum ſuorum vota expetebant, quorum proinde beneficiis opulentum, quod à Majoribus acceperat patrimonium, tituloſque, & honores avitos mirum Paganinus auxit in modum, ut latè conficit Portinarius (2). Nec defuere deinde alii, tum juris, tum Medicinæ Profeſſores doctiſſimi, quorum nomen in albo Gymnaſtico notatur, atque inter eos Jacobus Abbas & Canonicus Patavinus juris Pontificii primarius Interpres, de quo & alius multa leges in monumentis (3), quæ extant in baſilicâ Antonianâ, nec ad tractatum perti-

(1) lib. 2. Claſſ. 8. pag. 160. & Claſſ. 13. lib 3. pag. 326. (2) libr. 2. cap. 5. p. 246. 247.
(3) Salom. Inſcr. Pat. pag 360. num. 36, 37.

pertinent noſtrum, cùm virorum hujuſmodi nihil exhibeant, quo Scriptoribus Gymnaſticis, ex propoſito hujus Operis, annumerentur. Unum præterire non licet, JOANNEM DOMINICUM SALAM, doctiſſimum, & celeberrimum ſæculo XVII. Medicum. Clarebat maximè an. MDCXX., quo Portinarius (1) ſcribebat, meruitque in gymnaſio noſtro per annos tres & triginta, ſimul privatim artem exercuit ſummâ ſelicitate Patavinorum Medicorum princeps, primùm in primâ ſede Medicinæ Theoricæ extraordinariæ ad an. MDCXXXII., deinde in ſecundâ Theoricæ ordinariæ, quam tanto cum fructu diſcentium, eorundemque frequentia, vir eruditus, & efficax, utiliſſimis explanationibus illuſtravit, ut extincto Caimo, cum provehi ad primas exedras Patavini veterentur, è re Gymnaſii viſum ſit, Salam ſine collega, loco ſcilicet primi in ea claſſe Medicinæ Profeſſoris, eſſe quoad vixit, ad annum (2) ſcilicet MDCXLIV. qua Kal. Martii deceſſit. Sepultus ad D. Antonii in Sepulcro majorum, cenotaphium habet ad D. Laurentii cum Statua marmorea, & hoc elogio (3).

Joanni Dominico Sala Medicorum Principi, qui antiqua Artis miracula revocans, fugientes animas non ſemel repreſſit, membriſque ſuis hærere compulit, & ad demerendos laude poſtera mortales, per ſex & triginta annos ſalutis arcana florentiſſ. Gymn. evulgavit, & id plures docuit, quod penè ſolus poterat. Jacobus & Franciſcus Filii, Parenti optimo PP. Vixit An. LXV. deceſſit An. MDCXLIV.

Edidit Librum doctum, & utilem, inſcriptum: *Ars Medica.*

Commentarios in Artem parvam Galeni.

De Alimentis librum.

Reſponſa Medica ſcripſiſſe dicitur plurima, quæ anecdota apud poſteros hæredes eſſe, memorat Salomonius (4)

CXXXVI. FLAVIUS QUÆRENGUS Antonii, de quo nobis alibi (5), nepos, Comes Poiagii Patavinus, poſt exactam in patria excultamque humanioribus literis adoleſcentiam, Romam evocatus à patruo, & ex itinere detentus officioſè à Duce Parmæ & Placentiæ; ibi Philoſophiæ, Theologiæ, atque etiam Juriſprudentiæ operam dedit: inde adiit Peruſiam, & in illo gymnaſio, rejectis Scotiſtarum tricis, D. Thomæ doctrina ſe penitùs imbuit, pleniuſque ſtadium Juris decucurrit, in quo laurum quoque laborum præmium retulit. Romæ aliquandiu moratus rediit Patavium Eccleſiæ majoris Canonicus, unde mox à Gregorio XV. Pont. Max. iterum Romam accitus inter honorarios à Cubiculo miniſtros Pontificis fuit. Eo è vivis erepto, deſignatus Veglenſis Epiſcopus in Dalmatiâ, recuſatis modeſtè inſulis remeavit Patavium, nec diu poſt Senatusconſulto juſſus ad Ethicam ſedem aſcendere in patrio gymnaſio Moralem Stagiritæ Philoſophiam magna cum laude publicè cœpit interpretari (6) an. MDCXXIV. eruditioni, ac Philologiæ univerſim deditus, quâ ſeveritatem muneris mitigabat & placidæ ſolitudinis amantiſſimus, quâ in ſe ejus Philoſophiæ, quam ingerebat ab exedra, imaginem jucundiſſimam explicaret. Laudat eum peculiarius ex hac vivendi ratione Tomaſinus (7), ac penè non beatum, temploque & arâ dignum exiſtimat Salomonius gratus erga virum Ordini ſuo, atque cœnobio S. Auguſtini munificium, quippe ditem, & pretioſis codicibus opulentam bibliothecam Prædicatorum Patrum Patavino collegio vivens donavit; extatque beneficii memoria inſculpta marmori, in illo cœnobio apud eundem Salomonium (9) videnda. Docuit uſque ad an. MDCXLVI., quam remur illi fuiſſe fatalem. Quando ipſi anno ſequenti ſucceſſor datur Albertinus Bariſonius patricius Patavinus, atque Canonicus, qui deinde Cenetenſis Epiſcopus, vir doctiſſimus, & quem ultrò in hanc ſeriem clariſſimorum Profeſſorum noſter amor, noſtrum obſequium erga præſtantiſſimos Marchiones poſteros ejus deduceret, ſi ſcriptum adeſſet aliquod, ex quo ejus virtus vivis adhuc notiſſima, poſſet ſeris quoque nepotibus comprobari. Scripſit Quærengus. 1646

Epitomen Inſtitutionum Moralium.

De genere dicendi Philoſophorum.

Introductionem in Philoſophiam Moralem Ariſtotelis.

De Honore libros V.

De Conſiliariis Principum Commentarium.

De Affectionibus Animi, librum, quem Chryſopœjam appellavit, ſive Alchimiam.

Tractatum de Poeſi.

CXXXVII. JOANNES WESLINGIUS, immortale nomen, quod, donec ſtabunt, parietes Patavini Gymnaſii, inſcriptione (10) plurimâ celebrabunt, Weſtphalus gente, domo 1649

(1) lib. 7. c. 6. p. 251. (2) Tomaſ. Gymn. lib. 4. p. 459. (3) Salom. Inſcript. Pat. p. 366. n. 55.
(4) Inſcr. Gymn. in Miſcell. (5) P. 2. lib. 4. (6) Tomaſ. Gym. lib. 3. c. 27. p. 323. & lib. 4. p. 447.
(7) in Petrarcha Redi vivo p. 113. 114. (8) Inſcrip. Gym. Miſcel. (9) Inſcrip. Pat. p. 97. n. 305.
(10) Inſcript. Gym. Salom. Tom. Gym. lib. 5.

Mindanus, puer à Patre Vindobonam deductus, ibi literarum rudimenta perdidicit, cępitquę Muſarum conſortio uti (1), quas in adoleſcentiâ deperiit, tanto in eas ſtudiorum labore, ac voluptate, ut ne in menſâ quidem à Poetarum lectione vacaret. Convertit deinde ſe, ſalvâ carminum, & humanioris literaturę familiaritate, ad quæſtum ſeveriorum diſciplinarum, præſertimque Philoſophiæ naturalis, & Medicinæ, quarum ſcientiarum altè adeo ſecreta ſcrutatus eſt, ut ea, ſua ætate, inſpectorem curioſiorem Weſlingio nullum haberent. Hæc rimaturus Orientem pervagatus eſt, atque occaſione illa, cùm Chriſti Servatoris Sepulcrum Hieroſolymis adoraſſet, inde S. Sepulcri Hieroſolymitanus Eques rediit Venetias. Qua in urbe privatis auſpiciis Anatomen adminiſtravit, & Botanicen docuit, tanta cum fama virtutis ac dexteritatis, ut pars maxima diſcipulorum, Germanorum pręſertim, Gymnaſio deſerto, Venetias ad ſpectaculum eruditiſſimum Januario menſe an. MDCXXVIII. conceſſerit. Hinc notus, celebratuſque, Pompejo Caimo è vivis erepto, ad primam Anatomes provectus eſt ſedem an. MDCXXXII. ętatis XXXIV. Hanc iniit anno ſequenti cum Ordinariis, & ad Chirurgiam, Anatomico theatro plaudente, accurrentibus undequaque diſcipulis tantâ frequentiâ, ut copiâ & pondere concionum tabulata fatiſcerent. Functus hoc munere eſt ad an. MDCXXXVIII. quo illi ab onere Chirurgię ſoluto additum eſt onus explicandorum ſimplicium cum Prefectura horti Botanici, qui tanto preſide, magiſtro, atque indice mirum crevit in modum. Quippe obtinuit à Senatu, ut mitteretur in Cretam, qui rariores plantas, tum inde, tum aliunde ex Oriente petitas transferret, & ſtirpium numero exoticarum theoreſim Botanicam augeret. Factum hoc eſt an. MDCXLVIII. ut annotat Tomaſinus (2), apud quem catalogum plantarum hujuſmodi leges. Porro Weſlingius adeo in hoc opere laboravit, ut quamvis addito ſocio, qui feſſo ferret opem aſſiduam ex Senatusconſulto, attamen labori ſuccubuerit an. MDCXLIX., quo maligna febri correptus interiit III. Kal. Septembris annum agens LI. Funus ejus celebri pompa cum Profeſſorum tum Studioſorum ductum eſt: Cadaver jacet in primo periſtylio Antoniani cœnobii ad partem meridionalem ſine titulo. Scripſiſſe eum atque edidiſſe multa Tomaſinus (3) teſtatur, apud quem leges Jambicum (4) & Sapphicum carmen ejus elegantiſſimum, ex quo licet colligere Weſlingium non minorem Philoſopho fuiſſe Poetam. Præſtat *Anatomicum Syſtema* ab eodem, cum Iconibus accuratiſſimè deſcriptum, ac bono publico vulgatum. Deſcriptio quoque brevis Horti Botanici legitur apud Tomaſinum (5) propoſita per Epiſtolam datam ad Petrum Servium V. Clar. nec alio, quam calamo Weſlingii videtur expoſitus *Index Plantarum Cretenſium, & aliarum*, quem edidit Tomaſinus (6)

CXXXVIII. THOMAS TURCUS Cremonenſis Ordinis Predicatorum magiſter clariſ-
1654 ſimus, Metaphyſica Stagiritę docebat Patavii è ſententia D. Thomæ an. MDCXXXVIII. perrexitque aliquandiu in eodem munere gymnaſio noſtro decori ac glorię eſſe, non tamen, ut reor ad an. MDCXLIV., quo in monumentis (7) gymnaſticis ſucceſſor illi datur magiſter Innocentius Pincinus Venetus. Nam claruiſſe illum deinceps Romæ inter Theologos magni nominis, certum eſt, præfuiſſe Provinciis ſacri Ordinis ſui, pręclariſque functum officiis in curia Romana prolixè Salomonius (8) ex eodem Theologus explicat, quæ omnia certè intra decennium vel fieri non poſſunt, vel ut facta credas probandum eſt; præſertim cùm intra hoc ipſum decennium, ad ſummam in ſacra Prędicatorum familia dignitatem evectus, annis aliquot tanti Ordinis principatum tenuerit. Tomaſino (9) teſte, cui profuſiùs & peculiariùs multa ad id more ſuo congerens adſtipulatur Salomonius (10), cùm ex munere ſupremę inter ſuos poteſtatis Hiſpaniam inviſeret, diſputando, ac de rebus difficillimis luculentiſſimè diſſerendo admirationi omnibus fuit. Ejus induſtriâ, conſilio, & auctoritate Alberti Magni Opera omnia Lugduni vulgata ſunt. Redux Romam non diu poſt intempeſtiva morte nondum ſenex pręreptus eſt, circa ann. MDCLIV. Multa Salomonius ab eo ſcripta recenſet pręſertim *de Gratia & libero Arbitrio adverſus Lutheranos, & Calvinianos*, & libellum aureum inſcriptum: *Directorium Officii S. Inquiſitionis*. Horum nos nihil vidimus. Ut nihil ſcripſerit, edideritque, eum claris Profeſſoribus Gymnaſii noſtri ipſa dignitas inſerit.

CXXXIX. HIERONYMUS BENDANDUS Ravennas, humili genere natus, ut Inco-
1657 gniti (11) videntur innuere, Ordinem D. Benedicti profeſſus inter Monachos, Bononię ſtudiit. Ibi vix laurum doctoris adeptus ad Theologicam in gymnaſio ſedem evectus eſt, cooptatuſque in Theologorum collegium, munere demandato tam doctè atque erudite perfunctus peren-

(1) Salom. ibid. Tomaſ. Gym. lib. 1. c. 31. p. 79. 81. lib. 3. c. 14. p. 305. & ſeq. lib. 4. p. 449. 463. (2) ibid. lib. 1. c. 31. p. 80. & c. 35. à p. 99. (3) ibid. lib. 4. p. 463. (4) ibid. lib. 1. c. 48. à p. 165. (5) ibid. c. 32. à p. 76. (6) ibid. c. 33. à p. 90. (7) Tomaſ. ibid. lib. 3. c. 6. p. 288. (8) Inſcript. Gymn. (9) d. p. 288. (10) loc. cit. (11) glor. p. 265.

perennaturum in marmore lycæi Bononienſis parietibus affixo meruerit. Docuit per annos fermè duodecim, non ſolùm ex ſacrâ illa ſcientia clarus, verùm etiam ex pluribus aliis, quas Eloquentiâ condiebat. Hac eum pręſtitiſſe admodum ex eo conſtat, quod, edito Panegyrico de laudibus Reipublicę Venetę, auguſti Senatûs gratiam abundè promeruit, abductuſque à Gymnaſio, ob celeberrimam vetuſtatem jamdudum obſoleto, ad magnificam noſtri lucem accitus eſt: ut qui Theologos Bononię inſtituerat, tyronibus hic noſtris januam ſcientiarum, atque veſtibulum aperiret. Explanandæ Logicæ in prima ſede Profeſſor docere apud nos cępit an. MDCXLIV. Triennio poſt jam titulo Prioris apud ſuos ornatus, & ad Hagiographas Inſtitutiones traductus, ſedit in Exedra S. Scripturę ab ann. MDCXLVII, vir, ut ſcribit Tomaſinus (1), eloquentiâ & ſubtilitate ingenii rariſſimus, cujus variâ eruditione, & conquiſitâ ſermonis elegantiâ mirum in modum ea ſedes illuſtrabatur ſub annum MDCLV. quo eum Abbatis titulus honeſtabat. Vixerit ad biennium ultra annum proximè notatum. Nam neque alibi eum deinceps docuiſſe ſcimus, & illi ſucceſſor in monumentis Gymnaſticis (2) datur Jacobus Rachia ann. MDCLVIII.

Edita erat eo tempore ejus *panegyrica de laudibus Reipublicæ Venetæ Oratio*, *& Declamationes duodecim*, parabanturque pręlo libri duo *in Poſteriores Ariſtotelis libros*. *Orationes quinque & viginti* habitę cùm laurum Theologicam dabat Bononiæ. *Curſus Theologicus* quater confectus, & *Hiſtoria Belli geſti à Romano Pontifice adverſus Principes Fœderatos*, ejus nimirum, quod Baptiſta Nanius deſcribit libro XII.

CAPUT XXXI.

Andreas Argolus: Fortunius Licetus. Joannes Cottunius. Carolus Emmanuel Vizzanus.

CXL. ANDREÆ ARGOLO natale ſolum fuit Taleacotium, oppidum ſive Mar- 1657
ſorum ſive potius Æquorum in Latio, quod quibuſdam Geographis Carſeoli novi eſſe cenſetur, non longe à Fucino lacu. De ejus proſapia multa Tomaſinus (3). in elogio Pauli Argoli. A prima juventute Medicis, Mathematicis, & Aſtrologicis diſciplinis imbutus, his ſe pręſertim addixit penitus eo ſucceſſu, ut brevi peritiſſimus Medicus, Mathematicus, & Aſtrologus celeberrimus haberetur. Verùm ex Aſtrologi nomine multa paſſus, flexit animum, ut tutum à periculis ſeceſſum optaret; invitatuſque à Republica Veneta nummûm quingentorum ſtipendio, munus docendi Matheſim in Gymnaſio noſtro ſuſcepit poſt Soverum anno MDCXXXII. ętatis LXIV. jampridem expetitus ab omnibus, quos Joannis filii virtus, qui ante annos aliquot apud nos laurum Juriſprudentiæ receperat, ad ſpem decorum ex patre majorum erexerat. Nec expectatio, ut ſolet, evanuit. Statim enim tantum ſibi apud Senatum & nominis & gratiæ, libris editis, conciliavit, ut ordine equeſtri, & aureo torque donatus nondum exacto ſexennio pluſquam duplicatum ſtipendium acceperit, quod ei auctum eſt iterum ann. MDCLI. perrexitque exinde ſuæ ac Gymnaſii glorię vivere integro corpore, atque uno dumtaxat jam ſenex morbo tentatus, & quidem difficili, quem eluctatus eſt, non ſanè medicamentis, ſed abſtinentiâ & D. Antonii, quem voto concepto ſibi propitium invocaverat, patrocinio. Hoc ſibi parato, nec alio remedio uſus, niſi pillulis ex aloe, ac juſculis ex cichorea, convaluit, votique reus colorem Minoritarum in veſtibus detulit. Id quod ut ſatis ridiculum videatur Georgio Hieronymo (4) Welſchio Medico Lutherano, pium fuit & utile, paſſimque apud Orthodoxos uſu religioſo receptum. Quidquid enim cultum corporis diminuere videtur, bonum eſt, ac ſępè optimum: proinde piè vovetur Deo Diviſque, & piè votum exolvitur. Obiit Argolus Patavii ex Chronico Monteroſſi ſcriptoris ſynchroni an. MDCLVII. ętatis LXXXIX. Falliturque relatus Medicus Lutheranus, unde ſua habet Freherus (5), qui eum deceſſiſſe ſcribit an. MDCXLIII; fallitur etiam Salomonius (6) emortualem Argoli annum ſignans an. MDCXLVIII. ex monumento (7), quod habet in Antoniana baſilica: nam preterquam quod palam inſcriptio illa viventem Argolum exhibet, cui pręſides noſocomii D. Franciſco dicati, ad quos cum Turchettę gentis hereditate jus ſacelli illius pervenerat, viro preſtantiſſimo ac celeberrimo locum monumenti ſummo aſſenſu concedunt an. Sal. MDCLXVIII. Kal. Junii, Ghilinus (8) anno illo de Argolo ſcribit, ut adhuc ſuperſtite, & ex monumentis gymnaſticis receptis etiam à Tomaſino (9) auctum Argolo proponitur ſtipendium an. MDCLI. Quid quod notum eſt an. MDCLIV. prognoſticon ab Argolo editum de eclypſi Solis futura certo die, toti propemodum Europę formidanda, tantoque cum luminis defectu, ut ſine lychno legi

(1) Gym. lib. 3. c. p. 288. (2) Tomaſ. ibid. (3) Elog. lib. 2. p. 306. 307. (4) in Obſervat. Medicis
(5) T. 2. P. 4. p. 1543. (6) in Inſcript. (7) Salom. Inſcript. Pat. p. 374. num. 91. (8) Theatr. Vol. 2. p. 15. 16.
(9) Gim. lib. c. 3 & 39. p. 340.

legi non poſſet: ob quam cauſam candelabra, & candelæ in Senatu Veneto fuerint præparatæ, quæ tamen fuerunt inutiles ob vanitatem prognoſtici.

Opera ejus vulgata hæc ſunt.

Ephemerides ad altitudinem almæ Urbis Romæ ab an. 1621. ad 1640. ex Prutenicis Tabulis

Ephemerides aliæ ad eandem longitudinem ab an. 1620. ad 1640.

Ephemerides Copernicanæ ab an. 1620. ad an. totum 1660.

Ephemerides Tychonicæ ab an. 1600. ad 1660.

Tabulæ primi Mobilis, quibus Directiones facilè componuntur,

Iſagoge, & Canones abſolutiſſimi præcepta omnia Aſtrologiæ complectentes

Aſtronomicorum libri III.

Problemata Aſtronomica.

Comment. in Elementa Euclidis.

in libros IV. Ptolomæi cum textu Græco & latino.

Tabulæ Secundorum Mobilium ſecundum Tychonis Hypotheſes.

Catholicæ & probatæ Aſtronomiæ Epitome.

De novis Stellis noſtro ævo genitis, aliiſque Phænomenis.

De diebus criticis, & decubitu Ægrorum.

Practica Medicinalis.

CXLI. FORTUNIUS LICETUS ſuâ famâ notiſſimus tum in Patavino tum in Bono-
1657 nienſi Gymnaſio, gente Ligur, domo Genuenſis, vir, quem ab adoleſcentiá ſtipata omnium bonarum artium deliciis Philoſophia & Medicina omnibus per Italiam lycæis optandum, expetendumque præbuerant, primo Medicinam Piſis publicè docuit; unde Patavium accitus extra ordinem in prima ſede Philoſophiam profeſſus eſt ab anno MDCIX. ad an. MDCXXII., quo ad ejuſdem Philoſophiæ ordinariam ſedem ſecundam translatus, in ea millenos meruit; mox invitatus Bononiam majore ſtipendio per ſeptennium ſummâ nominis gloriâ rem utranque & Philoſophicam, & Medicam pertractavit: inde rediit revocatus Patavium an. MDCXLV. ampliore ſtipendio, communi cum ſtudioſorum tum civium, ac patriciorum applauſu ordinariam Theoricæ Medicinæ ſedem implebat, jam tum plurimorum librorum ſcriptor eruditiſſimus, rixas habuit literarias, at literariis acriores cum Georgio Raguſæo, contra quem de cometis philoſophantem acerbiſſimo ſtylo pro ſcitis Ariſtotelis depugnavit. Mortalitatem explevit Patavii XVI. Kal. Junias an. MDCLVII. ætatis LXXIX. Sepultus in Baſilica D. Auguſtini, in ſarcophâgo, quem filio Federico ante annos tredecim non unâ epigraphe conſpicuum paraverat. Quinto eum & ſeptuageſimo vitæ anno totidem, quot annos agebat ſenex, volumina Tomaſino (1) teſte; eundemque ſcriptis quamplurimis ac probatiſſimis altiora naturæ myſteria complectentibus peramplos ſuæ mentis theſauros oſtentaſſe tradit Imperialis (2). Sparſim hæc edita ſunt, nec in unam ſeriem collecta. Nos ea legimus, quæ de *Cometis & Meteoris* ad mentem Ariſtotelis edidit, & *Scholia, ac reprehenſiones Sententiarum Raguſæi. De Naturæ* quoque *Myſteriis* aliqua; & eloquentiſſimas *Diſſertationes*. Extat Opuſculum Liceti *de his, qui diu vivunt ſine alimento*, & aliud inſcriptum *Propriorum Operum Hiſtoria*. Inſerta eſt à Tomaſino Commentariis de Petrarcha redivivo (3) ejus prolixa ſatis Epiſtola, nec erudita minus in re prorſus inutili, hoc eſt de pronunciatione litteræ H.

CXLII. Debet Græciæ Gymnaſium Patavinum ſæculo ſuperiore ſummum Philoſophum Joannem Cottunium. Is ortus Berrhoeâ ex urbe Macedoniæ, quâ Emathiam continet, & nunc græca pronuntiatione *Veria* vulgo dicitur, falſoque aſſeritur mille duntaxat paſſibus Stagirâ diſtare, cum hæc in provincia ſit Amphaxitide prope ſinum Strymonicum, ut benè notat Baudrandus (4). Romæ ab adoleſcentia bonis artibus operam dedit in collegio Græcorum, ibique præter opulentiſſimum literaturæ totius cenſum, ſibi plenam notitiam paravit Hellanicæ linguæ, quam in eodem collegio docuit diu, ad id etiam, depoſito ſcientiarum tyrocinio jam doctor, à præfectis collegio detentus, ut olim uſuveniebat, atque etiam ætate meâ magna cum utilitate alumnorum, qui ſub peritiſſimis linguæ noſtræ magiſtris egregie Græcis literis aptabantur. Româ Bononiam accitus, humaniores literas profeſſus eſt per annos circiter tresdecim; inde ad docendam Philoſophiam in eodem Gymnaſio admiſſus, tanto cum plauſu atque exiſtimatione doctrinæ in utrâque exedra omnibus ſatisfecit, ut monumentum in ipſo lycæo meruerit, quod adhuc extat, in atrio ad dexteram introeuntibus. Poſt annos ſexdecim Bononienſis Magiſterii evocatus à Veneto Senatu, dictuſque Philoſophiæ ordinariæ Profeſſor primarius, Patavium venit Cremonini ſucceſſor an. MDCXXXVII. & quidem manifeſtâ ſupremi Numinis providentiâ, & opportunâ cum utilitate Gymnaſticæ juventutis, quam ſenſim afflaverat clam palam ingeſta per Cremoninum Pomponatii ſententia de animarum mortalitate. Hanc Cottunius ita inſe-

(1) Salom. Inſcr. Pat. p. 75. 76. n. 189. 190. (2) Gym. lib. 3. c. 8. p. 294.
(3) In muſæi Parergo p. 207. (4) p. 249. 270.
(5) ad Lex Geogr. Ferrar. T. 2. p. 185.

inſectatus eſt, ut planè contriverit. Nam magnâ nominis, ob ſapientiam, famâ Philoſophicam exedram iniit, nec procuravit minore; accurrentibus undequaque diſcipulis, præſertim exteris, Germanis, & Græcis, ac nobilibus Venetis; ut non ſit mirum, ſummum illum fuiſſe Philoſophum habitum, maximoque ſtipendio nongentorum, & mille florenorum à Venetis honoratum. Hoc ille non ad ſui cultum vertebat: dabat egeſtati diſcentium, quorum non paucos alebat, inſtituebat, & ad lauream ſuis ſæpe ſumptibus provehebat. Vir verè Philoſophus, ſive inhærentes Ariſtotelico ſenſui opiniones ejus conſideres, ſive vitæ Socraticam ſobrietatem, quâ factum, ut morienti ſuperfuerit, quo Græciam ſuam inſtitueret hæredem, extructo, dotatoque collegio Cottuniano, alendis octo diſcipulis Græcis idoneo. Huic Hilarionem Cicalam, poſtea Metropoliten αὐτοκέφαλον Cypri, tunc Hieromonachum ex urbe Epiri Caſſiope accerſitum præfecit, virum ſanctiſſimum, Romæ inſtitutum, jejuniis exercitum, & ſacris vigiliis; peritum verò tum linguæ tum Græcæ Poeſeos adeò, ut illi pares perpauci priſcis temporibus fuerint, nemo poſt priſcos illos Græcè carmina ſcripſerit elegantiùs ad verſuum Myriadem. In hoc porro pium opus, & charitate, quam erga Græciam ſuam flagrabat, dignum Cottunius ſua contulit omnia, opeſque ſepoſitas ex frugalitate, atque muneribus Principum, queis opulentiſſimè ſæpè cumulatus eſt. Obiit Patavii an. MDCLVIII. elatuſque celebri pompâ in Antonianam baſilicam, ibi à funere peracto magnificè in periſtylio primo cœnobii ſepultus eſt cum hac epigraphe (1), quam illi Jacobus Caimus inſcripſit.

Ioanni Cottunio Verienſi Equiti Phil. Medicinæ & Sacræ Theol. Doctori Bononiæ primùm, mox Patavii Profeſſori Publico eruditiſſ. Primæ Sedis Philoſopho, qui Græcæ Juventuti, Muſiſque Atticis domicilium liberaliter fixit; Veterum verò Sapientiæ gloriam ingenii Monumentis vel æquavit, vel exceſſit. Iacobus Caimus Utinenſis Com. Juris Civilis veſpert. horis Interpres Primarius Amico Incomparabili P.C.

Opera Cottunii edita ſunt.

Logica.
Phyſica, cum Epiſtola præfixa ad Principem & Archiepiſc. Saliſburgenſem.
De Anima ubi confutat Cremonini Sententiam.
De triplici ſtatu Animæ rationalis. Opus eruditiſſimum, & internecinum Sententiæ Cremonini.
De Cælo, & Mundo.
De Meteoris.
De Virtutibus & Vitiis, Opus Theologicum.
Epigrammatarium Græcum cum latina ad verbum interpretatione Ludovico XIV. Gallorum Regi dicatum.
Tractatus de Conficiendo Epigrammate.
De Generatione, & Corruptione.
Proluſio in ſolemni inauguratione Primaria ad Philoſophiam Exedra.

CXLIII. CAROLUS EMMANUEL VIZZANUS nobiliſſima gente Cattaneorum caſtri Vezzani Bononiæ natus eſt. Indole ad litteras propenſus, harum tyrocinium à primis annis in patria poſuit, ubi mox & Græca didicit, & in Dialecticorum anfractibus operoſè verſatus Philoſophica ſpatia emenſus eſt; retulitque laborum præmium, virtuti debitam laurum: atque interim ſubſecivis operis ad Juriſprudentiæ ſecreta pervaſit, quibus tamen ſepoſitis maluit Philoſophiam, cujus in patrio gymnaſio tum collegium, tum ſedem obtinuit. Ex ea cùm acutè, ac doctè Peripateticas aliquandiu ſententias explanaſſet, ex iiſdem clarus, Veneti Senatûs conſulto invitatus Dialecticam docuit in Archilyceo noſtro ab an. MDCXXXVIII. ad an. MDCXLIII., quo ad alteram extraordinariæ Philoſophiæ ſedem traductus, claruit maximè tum ex prælectionibus ingenioſiſſimis, tum ex multiplici mitiorum literarum, ac Græcarum præſertim ornamento. Non diu tamen Gymnaſio Patavino profuit, nam vix anno muneri dato, Romam ad rerum ſuarum domeſticarum tutelam evocatus, ibi domicilium fixit, ac juris lauream adeptus cauſas agere in foro Romano cœpit, eâ nominis ex legum ſcientiâ cum laude, ut eum Innocentius X.P.M. inter advocatos Conſiſtorii Sacri numerandum cenſuerit. Eam dignitatem retinuit etiam regnante Alexandro VII., ſub quo congeſtis honoribus auctus S. Inquiſitionis Adſeſſor, Utriuſque Signaturæ Referendarius, tandemque Vaticanæ Baſilicæ Canonicus dictus eſt. Celeri fato præreptus mortalitatem exuit Romæ an. MDC. LXI. ætat. XLIV. & in eadem baſilica ſepultus hac notatur epigraphe 1661

Carolo

(1) Salom. Inſcr. Pat. p. 414. n. 195.

Carolo Emmanueli Vezzanio Patricio Bononien.
Domi & Patavii eximio juris & Philoſophiæ Conſulto,
In Urbe S. Conſiſtorialis Aulæ Advocato,
Ab Alexandro VII. P.M.
Ad munus Aſſeſſoris S. Officii vocato,
Utriuſque Signaturæ Referendario, &
Vaticanæ D. Petri Baſilicæ Canonico,
Omnibus in muneribus negotiiſque ſingularem
Fidei, Prudentiæ, & efficacis induſtriæ laudem
Sapientiſſimi Principis judicio aſſecuto,
Cum maximè de eo proſperi ſermones eſſent,
Et ſummâ expectatio,
De medio Virtutis, bonorumque curſu
Morte ſublato.
Filibertus Vizzanius Comes Bononien. Senator
Fratri optimè de ſe merito
Poſuit.
Obiit Anno Salutis MDCLXI.
Ætatis ſuæ XLIX.

De Vizzanio plura tum Incogniti Academici Veneti (1), tum Gelati Academici Bononienſes (2), ex quibus colliges multa ab eo ſcripta. Duo hæc edita nota nobis ſunt;

Notæ & Scholia in Ocellum Lucanum Philoſophum,
Commentarius de Mandatis Principum.

CAPUT XXXII.

Claudius Berigardus. Antonius Molinettus. Raymundus Zanfortius. Hieronymus Vergerius. Sertorius Urſatus Eq.

1663 CXLIV. CLAUDIUS BERIGARDUS Gallus, qui Salomonio (3) Lugdunenſis eſt, diu in Gallia juriſprudentiæ operam dedit, mox ad Philoſophos naturæ inſpectores tranſitum fecit, & inter hos doctor, eandem ſcientiam privatim primò, deinde publicè docuit tum Lugduni, tum Avenione. Accitus ad Gymnaſium Piſanum primas ibi tulit, & in prælectionibus præ cæteris placuit. Senſim aeris inclementiâ tactus, dum de reditu in Galliam cogitat, invitatus à Venetis ad alteram ordinariæ Philoſophiæ ſedem, quòd primam Joannes Cottunius obtineret, non alia conditione annuit, quàm ſi æqualis Cottunio in honore ſedis declararetur. Quod ubi ſancitum eſt, Patavium venit, atque exedram iniit an. MDCXXXIX. Fortunii Liceti ſucceſſor; meruitque octingentorum ſtipendium, quod an. MDCXLVI. auctum ad mille, excrevit ad mille, ac ducentos an. MDCLIII. mox ad mille, & quadringentos, eoque ad primam ejuſdem claſſis evectus, ac ſucceſſor Cottunii anno MDCLX. triennio ſupervixit, ereptus è vivis an. MDCLXIII. Scripſiſſe eum multa, quæ viderit, teſtatur Salomonius (4) æqualis ſcriptor. Editi ſunt *Commentarii* doctrinæ reconditæ *in univerſam prope Philoſophiam naturalem*, ut notat Tomaſinus (5).

1675 CXLV. ANTONIUS MOLINETTUS (6) magnum ex arte Medica in Gymnaſio noſtro noſtris temporibus nomen, Venetiis honeſto genere natus, vix depoſito Medicinæ tyrocinio lauream adeptus in patriam rediit, cœpitque in ea vel juvenis clarere adeo, ut à Florio Medico Veneto celeberrimo dignus habitus ſit, quocum affinitatem contraheret Sedulus curandarum ægritudinum artifex, & in ſecandis cadaveribus periſſimus paulatim in eam nominis gloriam aſſurrexit, ut nemo illo feliciùs morbos compeſ-

(1) Glor. p. 89. 91. (2) p. 99. 102. (3) Inſcr. Gym. in Miſcell. (4) ibid.
(5) Gym. lib. 3. c. 16. p. 309. (6) ex Salom. Inſcr. Gym. in Miſcell.

compeſceret, nemo dexteriùs in corpora mortuorum inquiteret. Hinc ad Anatomicam, & Chirurgicam exedtam ite Patavium juſſus, datus eſt ſucceſſor Weslingio (1) an. MCXLIX. conſtituto octingentorum ſtipendio, quod ſæpiùs auctum ad mille ſexcentos, & quinquagiuta tandem excrevit. Vit fuit planè in arte, quam profitebatut, doctus & felix, quæ duo Medicum maximè venerabilem faciunt, ac neceſſatium vel invitis. Quamobrem Molinettus, quamvis naturâ dicax, & indole ad quamlibet aliorum cenſuram liberrimus, paſſim in uſu fuir, evocatuſque extra Italiam ſæpè, muneribus ac beneficus ſemper, præſertim à Duce Bavariæ cumulatus (2) Patavium redirt, atque hìc ab an. MDCLXVII. raro exemplo duas in Gymnaſio dignitates, & quidem ſummas geſſir Anatomicus primus, primuſque Theoricæ Medicinæ ordinariæ poſt obitum Liceti Profeſſor; in utrâque conſenuit, deceſſitque Venetiis circa an. MDCLXXV. Scripſit atque edidit magni habitum librum *de ſenſibus, & eorum organis:* alium quoque *de Arte Anatomica*.

CXLVI. RAYMUNDUS JOANNES FORTIS, vulgo *Zanfortius* Veronenſis, nata- 1678
lium humilitatem virturis & ſapientiæ ſplendore deterſit. Puer (3) indolis experrectæ, magnaque, ſi coletetut, pollicitæ, diviti cuidam magno fortunæ beneficio placuit; effecitque, ut is puerum in patrocinium ſuſciperet, erudiendum inſtituendumque minoribus literis curaret, ſuis ſumpribus Patavium ad quæſtum ſcientiarum tranſmitteret, & ibi uſque ad exitum tyrocinii gymnaſtici ſuſtentaret. Relatâ docttinæ lauto, cùm pattonus obiiſſet, Venetias venit; paulatimque ita ex Medicinæ praxi in eâ urbe frequentiſſimâ inclaruit, ut omnium ſuffragio inter Medicos principatum habuerit, atque à praxi privatâ ad primum Practicæ Medicinæ ſubſellium an. MDCLVIII. mille quingentorum ſtipendio evectus fit. Reipſa vir fuit in hac arte peritiſſimus, quem ſuæ curatorem ſalutis ſummi Principes experierint, Leopoldus Cæſar ad id Vindobonam evocaverit, doniſque ac titulis honorificentiſſimis onuſtum, & adlectum in Archiattum aulæ Cæſareæ Patavium temiſerit, ubi Veneti Senatûs Eques, auctuſque honorario ad mille, & octingentos, impetratâ miſſione cauſariâ ob ſenecturem, quam duxit magnificè, ac plane baſilicè, cum ſupraotdinarii titulo, Patavii devixit an. MDCLXXVIII. V. Kal. Martii. Sepulcrum ſibi paraverat (4) in templo Servorum Deo ſacrum Trino & Uni, ac B. V. M. ibi jacet; Hæredes ibidem patieti appoſuete (5) ejus effigiem cum hac Epigtaphe.

Raymundo Jo. Fortì Veron. Venet. Senat. Equ.
Leopoldi Cæſaris Archiatro Medic. Profeſſ. emerito,
cujus nomen optimè de humano genere meritum
poſteritati diutiùs, quam marmori hærebit Anno
MDCLXXIX. hæres Mon. P.

Fetunt eum dicere ſolitum, Medicinam una praxi conſtare, ratiociniis, & cauſarum perquiſitione corrumpi. Se certò ſciſſe non alio temedio, quàm quod dictabat, morbum curari poſſe, cauſam, ex qua ea vis ineſſet à ſe dictato remedio, pletunque neſciſſe.

Editum eſt, teriturque Medicorum manibus ingens Volumen *Reſponſorum ejus Medicinalium*.

CXLVII. Vergeriam familiam apud Iſtros nobiliſſimam diximus non uno in loco 1678
Operis hujus. Ejus decora HIERONYMUS auxit ætate noſtrâ perſpicaciſſimæ mentis acumine, & ingenii ad omnes diſciplinas dexteritate. Has ubi hauſit tum in patriâ Juſtinopoli, tum in Patavino Gymnaſio, peculiatiùs ſe Philoſophiæ, ac Medicinę devovit: in utrâque autem adeò vel adoleſcens excelluit, ut nondum ætate major, ad laureata ſtudiotum premia vocatus graviſſimorum parrum ſuffragio majora meritus, & maxima metiturus inter unanimes plauſus cenſeretut. Ferunt, Bartholomeum Silvaticum, ex virtute preſenti juvenis ptęſagientem fututa petenti conſilium ad ineundum diſcrimen examinis dixiſſe: *Vade, age, Doctor eris ſupra Doctores:* addidiſſe: *futurum illum ſuę inſtitutionis partem eximiam*. Vaticinio teſpondit exitus, firmavitque, quę Thomas Caneveſius Profeſſor Cracovienſis de illo cecinit, ſumma tantis initiis & maxima pollicitus, ni eum Deę atrę bonis ſępe inferentis vim ferocitas pręripuiſſet. Reipſa annorum XXXIII. juvenis Medicinam publicè docuit an. MDCLV. accitus Piſas magno ſtipen-

(1) Monum. Quæſt. ad an. 1649. (2) Patin. Lycæ. p. 130. (3) Salom. Gym. Inſcript. in miſcell.
(4) Salom. Inſcr. Pat. p. 464. n. 11. (5) ibid.

ſtipendio, quod illi auctum an. MDCLXII. non ſine ſpe majoris auctarii, ni eum Piſis Patavium evocaſſet auctoritas Veneta. Huic, ut par erat, obſecutus extraordinariæ Medicinæ Theoricæ primam ſedem conſcendit an. MDCLXV., ut ex publicis monumentis ſuo (1) loco ſignavimus, recipitque idipſum Proſper Petronius (2) in Monumentis Iſtricis. Translatus deinde eſt ad alteram Practicæ Medicinæ ordinariæ ſedem an. MDCLXXVI., quod Petronius omittit, qui fallitur etiam in eo, quod aſſerit, juſſu publico fuiſſe Vergerium provocatum, ut ſedem peteret in ea claſſe principem, mortuo Zanſortio. Nam certiſſimum eſt, eodem anno Vergerium mortuum fuiſſe, quo deceſſit ipſe Zanſortius, cui ſcilicet ſi diu fuiſſet ſuperſtes, non ædepol acciviſſet ab Angliâ Senatus Venetus Carletonum, qui tandem publicæ auctoritatis decreta longis ambagibus diſtulit, eluſitque, ut alibi diximus (3). Fuit enim Vergerius vir doctiſſimus, & cui Zanſortii ſucceſſio debebatur, ni præmatura mors votis communibus interceſſiſſet. Ferunt, eum mœrore contabuiſſe, quod poſteritate careret; quippe maximum hoc ipſi malum videbatur, cùm privatis hominibus, meo ſanè judicio, nihil optabilius ſit, quam honeſtam familiam honeſto fine concludere, nec ſatagere nimis poſteritatis, quam ſuperi negant, quibus ex dicto Satyrici (4) — *notum,*

Quid pueri, qualiſque futura ſit uxor.

Vivere deſiit non planè ſenex an. MDCLXXVIII. ſcripſit

Diſputationes varias pro Circulo Piſano.

Novam Methodum recitandi caſus in almo Patavino Collegio.

Prælectiones in I. Fen I. Canonis Avicennæ.

Prælectiones in librum de Febribus.

Prælectiones in Artem Medicinalem Galeni.

Tractatum de Urinis. De Morbis Particularibus in I. & II. Sect. Aphoriſm.

Syntaxim Medicamentorum omnium tum internorum, tum externorum, ſimplicium, & compoſitorum.

Duos Medicinæ fontes, Chirurgiam, & Pharmaciam in univerſali.

Prælectiones pro Ingreſſu in Cathedras.

Tractat. de Formulis Medicamentorum uſitatioribus.

1678 CXLVIII. Urſatam Familiam patriciam Patavii, & ab ultima ſtirpe nobiliſſimam ex publicis documentis nitidiſſimo ſtylo vir clar. Jo. Antonius Vulpius Profeſſor Anatomes publicus deſcripſit in Vitâ SERTORII (5), quem claris Profeſſoribus noſtri Gymnaſii annumeramus. Natus Patavii Kal. Febr. an. MDCXVII. à puero bonis artibus ætatem excoluit, mox ſe philoſophum dixit, eoque in ordine adoleſcens annorum octodecim lauream conſecutus an. MDCXXXV. claruit jam tum libris editis, ac nobili virgine in uxorem ductâ receptus in Philoſophorum collegium ad notitiam antiquitatis ita animum convertit, ut ex hac maximè notus literariæ reipublicæ antiquariorum ſuâ ætate princeps audierit, fueritque, præſertim cùm hoc ipſum noſcendæ illuſtrandæque vetuſtatis nobile ſtudium tum Muſarum deliciis ornaverit, tum politicis virtutibus auxerit. Nam & Muſis litavit ſæpiſſimè, feliciſſimè, & ad munia civium nobiliſſimorum præcipua lectus, ſummâ & fide, & integritate patriæ honoribus egregiè functus eſt. Ab his ad exedram in Gymnaſio evocatus Meteora publicè docuit ab an. MDCLXX. ſucceſſor datus Gaſpari Venturæ Lonigo Profeſſori honorario; ſtatimque, quem receperat, titulum operoſiorem reddidit, eumque ad explanationem parvorum Ariſtotelis librorum vir magnanimus compulit, unde illi decus eximium, quod uberior in dies ac laborioſior antiquaria ſcientia longè glorioſiùs amplificavit. Ex ea multum illi debet Patavinum Gymnaſium, cujus nomen apud exteras gentes tanti Profeſſoris eruditiſſimis laboribus illuſtrius perennabit; debebit familia, cui præter avitam, partamque Majorum geſtis gloriam Equitum Comitumque honores inhæſuros poſteris comparavit. At & patria debebit, donec ſteterit, plurimum: quippe quam libris doctiſſimis editis Europæ toti, ac ſeris gentium exterarum nepotibus æternùm victuram exhibuit. Deceſſit dyſuriâ oppreſſus ſexagenario major V. Nonas Julii an. MDCLXXVIII. ſolemni pompa in funere, atque publica oratione ad D. Antonii laudatus à Laurentio Malacreda ex decreto Collegii Ricovratorum, illatus majorum ſepulcro eſt. Opera ejus edita hæc ſunt, recenſenturque in calce Vitæ ejus (6), quam proximè laudavimus.

Sertum

(1) P. 1. lib. 4. c. 34. n. 3. (2) P. 1. p. 721.
(3) P. 1. lib. 4. c. 28. n. 3. (4) Saty. 10.
(5) Præfix. Marmor. eruditis p. V. — VIII. (6) p. XV.

Sertum Philoſophicum ex variis ſcientiæ naturalis floribus conſertum, editumque auctore nondum annum ætatis duodevigeſimo emenſo.
Monumenta Patavina, collecta, digeſta, explicata ſuiſque iconibus expreſſa.
De Notis Romanorum Commentarius recuſus Tomo XI. Theſauri Antiquitatum Romanarum à Jo. Georgio Grævio collecti,

Italicè vulgata ſunt.

Excelſa Decora D. Antonii Patavini, notata in tranſlatione pretioſæ particulæ lipſanorum ejus, Sereniſſimo Venetorum Principi ab Urbe Patavina conceſſæ.
Carmina genialia.
Chronologia Pretoria Patavinæ urbis ab initio ad an. MDCLXIX.
Pars prima Hiſtoriæ Patavinæ ab Urbe Condita ad Annum Chriſti MCIXXIII.
Marmora erudita, ſeu epiſtolæ de quibuſdam priſcis Inſcriptionibus. Mantiſſam his addidit, editis nuper Epiſtolis XIII. eodem titulo, cum annotationibus eruditiſſimis, nitidiſſimis, Jo. Antonius Sertorii ex filio nepos, Caſſinenſis Monachus S. Juſtinæ, vir clariſſimus, & in Lycæo noſtro Sacrarum Paginarum Interpres doctiſſimus.

Leges in eadem Vita MSS. Sertorii alia, quæ apud poſteros imperfecta ſervantur.

CAPUT XXXIII.

Leo Matina. Franciſcus Macedo. Octavius Ferrarius. Ioſeph Maraviglia. Seraphinus Picenardus.

CXLIX. LEO MATINA Neapolitanus, bonis artibus, & humanioribus literis imbutus à puero adoleſcentiam Deo conſecravit in ampliſſima S. Benedicti familia Congregationis Caſſinenſis. In ea tum eloquentiæ, tum verò maximè ſacrarum literarum pernoſcendis arcanis laborem eruditum, atque operas liberales impendit. Vixit Venetiis (1) diu, patriciæque nobilitatis gratiam ſibi conciliavit adeo, ut peregrinus licet Veneta tamen civitate donatus ſit. Anno demum MDCLXIII. Jacobo Rachiæ ſuffectus Patavinam S. Scripturæ ſedem obtinuit, quam cum acutiſſimis interpretationibus, tum præfationibus eloquentiſſimis illuſtravit ad an. MDCLXXVIII., quo (2) III. Idus Februar. abiit ad plures conditus apud ſuos ad D. Juſtinæ. Opus ejus notiſſimum ſunt *Principum Venetorum Elogia cum Iconibus*. Extant editæ Venetiis ejuſdem *Declamationes ſex* habitæ in ipſo Gymnaſio noſtro. Ubique ſtylus aſper eſt, retorridus, ſubobſcurus. 1678

CL. FRANCISCUS MACEDO Luſitanus (3) patriâ, domo Conimbricenſis, annum agens XIV. in Societatem Jeſu venit. Complures annos in ea Rhetoricam docuit, chronologiam aliquot, uno Philoſophiam. Vir planè eruditus, & in pangendis carminibus feliciſſimus, venæque, ut ajunt, uberrimæ. In Societate vixit annos plus minus triginta, in eoque Vota quatuor ſolemnia profeſſus eſt; atque illâ ſerie annorum Matriti hæc edidit; 1681

Theſes Rhetoricas.
Theſaurum Eruditionis pro Sole Zodiacum percurrente.
Parnaſſi nemus Poeticis arboribus conſitum.
Viridarium Eloquentiæ Rhetoricis floribus diſtinctum.
Apotheoſim S. Eliſabethæ Reginæ Luſitanorum libro unico Lyricorum.
Epitomen Chronologiæ ab O. C. ad Chriſtum natum.
Volumen de Arte Poetica.
Elegias VII. in obitu P. Franciſci de Mendozæ.
Vitam D. Ludovici de Ataide Indiarum Proregis. Hiſpanicè.

Scripſit præterea, & edidit *Apotheoſim S. Franciſci Xaverii* Lyrico carmine.

Quæ omnia recenſet Allegambe (4), ſubditque reliqua ab eo ſcripta petenda ab iis, ad quos tranſivit, à Minoritis nimirum, quos vocant de Obſervantia. Unde illi contigerit, ut à Societatis Jeſu Inſtitutis, ac legibus ad horum caſtra tranſiret, non comperi: in iis tamen vixit deinceps, ac brevi in Italia verſatus, ſcientiarum videri, vocarique *Monſtrum* meruit, non aliunde id nominis adeptus, quàm ex theſibus habitis in urbe Veneta, quas inſcripſit, *Leonis S. Marci Rugitus literarios*. In his publicè de Dogmatibus diſputavit, tantâ, tam ſtupendâ memoriæ ad omnia paratæ cum pompâ, ut miraculo fuerit omnibus non tunc ſolùm, verùm etiam deinceps ſemper. Nam ex fama plauſuque Theſium hujuſmodi ad exedram Philoſophiæ Moralis Patavi-

(1) ex Declam. ejus, & Miſcell. Salom. (2) Necrolog. Magiſt. Sanit. Pat.
(3) Allegamb. Biblioth. Societ. p. 126. (4) Biblioth. Soc. p. 126.

Patavinam provectus eſt an. MDCLXVII., cùm die ultimo habitę diſputationis, extemporarius ex Theologo Poeta, mille verſus effudiſſet in publicum, addito Epigrammate de laudibus Venetorum, quorum decreto ejus iconi ſuppoſitum in Marciana bibliotheca meruit oculis poſterorum exponi: ipſi verò pręter exedram Patavinam, Venetam quoque civitatem promeruit. E ſede gymnaſtica viſus eſt ſe major eſſe, quamvis pręlectiones ſuas Epigrammate clauderet, quod exceptum ab auditoribus vulgabatur. Quę deinceps de Moralibus & Dogmaticis edidit, nec magni habita ſunt, nec magni habenda videntur, Philologica potiùs quam Theologica & Philoſophica: in ipſa Philologia nec acuminis admodum eſt, & Critices vitio laborant pleraque; ubique multa dicit, conficit parum. Vixit annos XC. devixit Patavii an. MDCLXXXI. Kal. Maii. Sepulto ad D. Franciſci Sodales Minoritę ſupra januam ſacrarii vultum ęreum erexere cum hac Epigraphe.

D. O. M.
Patri Franciſco Macedo Luſitano, hujus Domus
Patres Contubernali ſuo, iſtam ex ære imaginem,
pro aurea illa, quam in Patavino Gymnaſio moralis Philoſophiæ Doctor, & undique lingua & calamo
Vir doctiſſimus, protulit, unanimiter decrevere.
Obiit Anno Domini MDCLXXXI. die prima Maii
Ætatis XC.

CLI. OCTAVIUS FERRARIUS celeberrimus ſæculo, quod proximè elapſum eſt,
1682 eloquentiæ in hoc noſtro Gymnaſio Profeſſor, natus eſt Mediolani nobili genere, cujus decora mirum in modum auxere viri doctiſſimi Octavianus agnatus, Franciſcus Bernardinus patruus Octavii, de quibus conſule, ſi vacat, Ghilinum (1). Ab hoc (2) annus natalis Octavii poſtremus ponitur ſæculi XVI. cùm Patinus (3) coram ipſo, imo, ut videtur, ipſo dictante quę ſcriberet, annum MDCVII. ſignet. Quadrimum puerulum patre orbatum uterque ſcribit, educatumque diligentiſſimè à patruo, mox, Friderico Borromæo Cardinali commendante, humanioribus literis Græcis & latinis in Ambroſiano Gymnaſio imbutum, inde in arena Philoſophicorum ac Theologicorum certaminum inſudaſſe, hiſque gnaviter defunctum anno undevigeſimo ætatis, ac biennio poſt in collegium Ambroſianum adſcitum, ac ſacris initiatum, cùm præ diſciplinis reliquis, quas ſibi paraverat, ad amæniorem literaturam ex ingenio propenderet, docendæ Rhetoricæ fuiſſe præfectum. In eo munere magnæ juvenem expectationis, fuiſſe maxima pollicitum, nec pauca reddidiſſe, certum eſt: quando fama eum inter Oratores clariſſimos, & linguæ utriuſque peritiſſimos celebrante, ſui deſiderium Venetæ Reipublicæ fecit, à qua, Triumviris curantibus, evocatus ſedem Oratoriæ publicam in Gymnaſio noſtro conſcendit an. MDCXXXIV. ætat. XXII. Elanguerat ab annis aliquot exedra illa. Nam fato ſublatis Oſio, & Thuilio, nec mors præpropera Georgium Camerarium Scotum Poetam egregium accedere ſiverat ad roſtra Gymnaſtica: & qui ſuffectus eſt illi, Caterva Diamantinus Picenus Septempedanus purus Grammaticus, nil pręter phraſiculas docere nobilem juventutem gnarus, illuſtre deceſſorum ſuorum nomen ſuſtinere non poterat; linguæ quoque Græcæ præceptor Julianus Riccius Florentinus Minorita, cùm quæ profitebatur, neſciret, verſatili ingenio dulcem ſe auditoribus & facetum feſtivis ſermonibus exhibebat. Redemit decus, ac majeſtatem tanti muneris Ferrarius; atque ita ſe ad omnia paratum præſtitit, ut horum omnium oneta ſibi ſuſtinenda ſuſceperit; planèque ſcholam eloquentię Gręcę, & latinę pręter ſpem & erexerit, & extulerit, ut benè notat Patinus (4). Quippe aptè, diſertè, & eruditè è ſuggeſtu pręcipuorum ſcriptorum monumenta, locoſque difficiles doctiſſimè enucleans, non ſcurrili dicacitate, & ineptâ obtrectandi licentiâ (id quod Scioppianum livorem & venenum infelix eructat) ſed gravitate ſententiarum, & utilitate docendi Oratorię artes auditoribus propinabat, quorum & frequentiâ mirâ cultus, & pręconiis perpetuis commendatus apud Venetos patres tanti fuit, ut novis, crebris, certiſque, ac munificis ſtipendiorum auctariis donatus in ampliſſimo bis mille Marcianorum nummûm honorario deceſſerit. De ſcriptis ejus varia varii. Ex his illum alii Oratorem ſummum ęquandumque priſcis cenſuerunt, alii deſpexerunt adeo, ut vix mediocribus ęquipa-

(1) Theatr. Vol. 2. p. 204. & ſeq. (2) Vol. 1. p. 178. & ſeq. (3) in Lycæ. Pat. p. 14. (4) ibid. p. 15.

æquiparandum exiſtimarint: rati ne opus quidem illud de Re Veſtiaria, quod inter opera ejus potiſſimum eſt, ab eo fuiſſe conſcriptum, ſed ex hæreditate patrui, viri eruditiſſimi delibatum, ut in publicum nomine nepotis procederet; conſcribi enim illud minimè potuiſſe, ſine plena Græcæ linguæ notitia, qua certe carebat Octavius, cujus ne latinum quidem ſtylum opus illud exhibebat. Utcunque de his, quæ dubia ſunt, & incerta, judicandum eſſe conſtituas; ire inficias poterit nemo, dum vixit Octavius, & ab exedra doctè copioſèque diſſeruit, eum maximi factum ab omnibus: exteris quoque urbibus, & Principibus fuiſſe ſpectabilem, evocatum & invitatum invidioſis ſtipendiis, donis munificentiſſimis cumulatum. Nam & Chriſtina Svecorum Regina eum collato mille aureorum torque decoravit, & Ludovicus Magnus Gallorum Rex memorandus, quingentorum aureorum honorario per quinquennium auxit. Ipſa ejus patria Mediolanum, ſcito Decurionum ad Hiſtorias Mediolanenſes poſterorum memoriæ commendandas oblato, ac ſoluto ſtipendio aureorum mille ſibi auctoravit, donec ipſe ſponte ſe munere illo abdicavit ætate ſeſſus, atque impar oneri ob crebros morborum aſſultus, quibus etiam datum eſt, ut rarò ſubiret in exedram. Senex annorum LXXV. anno octavo & quadrageſimo publici muneris, cùm de literis Græcis, Latiniſque, earumque utilitate fuiſſet in Gymnaſio præfatus, ac poſtridie prælectionem habuiſſet de Manibus, & Umbris, Sontico Morbo correptus decubuit, ac ſeptimo die, quem Nonæ Martiæ ſignavere, vivere deſiit Æræ communis MDCLXXXII. In templo SS. omnium ſibi ac ſuis vivens ſepulcrum extruxit (1) an. MDCLXXV. Titulum habet, & ornatiſſimum monumentum à filio Julio in Antoniana baſilica erectum (2) magnificè an. MDCLXXXIII. Aliud apud Ghilinum (3) habet elogium à neſcio quo ſcriptum inficetum ſatis, & in verbis ludens ineptè. Poeſim, ut apparet, non attigit; juvenis dicitur latinitate donaſſe Commentarium Euſtachii in Homeri Odyſſeam, quod Opus veriùs patrui fuerit, nec editum eſt.

Opera ejus vulgata ſunt (4).

De re Veſtiaria libri VII.
Proluſiones XXVI. Epiſtolæ.
Formula ad capienda Doctoris Inſignia, & Inſcriptiones.
Proluſionum & Epiſtolarum Pars Tertia.
Panegyricus Ludovico Magno Francorum Regi dictus.
Electorum libri duo.
Epiſtola & Inſcriptiones aliæ.
Origines linguæ Italicæ.
De laudibus Patavii, Oratio.
Satyra Varroniana.
Epiſtola de Obitu Dominici Molini.
Elogia diverſa præſertim Hominum literatorum.

CLII. JOSEPHUM MARAVIGLIA laudavimus alibi, hìc profeſſoribus claris annumeramus. Gente Inſuber, domo Mediolanenſis, Ordini Clericorum Regularium adſcriptus, vir fuit æquè literis atque pietate noſtrâ ætate conſpicuus. A' Senatu Veneto ad publicas Gymnaſii noſtri exedras vocatus, ex his Ariſtotelis Philoſophiam Ethicam explanavit ab anno MDCLI. vir, inquit Tomaſinus (5), diſertiſſimus, eruditiſſimus. Præfuit deinde univerſo Ordini ſuo Præpoſitus Generalis, mox Eccleſiæ Novarienſi ejus Epiſcopus an. MDCLXVII. In ea diem ultimum obiit an. MDCLXXXIV. de quo plura Picinellus (6) & Silos (7). Scripſit multa, quæ recenſentur à Cotta (8); nos ex multis unum Opuſculum Italicum vidimus *de Erroribus virorum doctorum*. 1684

CLIII. SERAPHINUM PICENARDUM nobili genere Brixiæ natum, excultumque amænioribus literis, & Muſarum deliciis innutritum in patria (9) facer D. Dominici cætus recepit in ſocium, tranſmiſitque Bononiam ſeverioribus diſciplinis imbuendum. 1686
Ibi acuto, ac celeri & ad omnem eruditionem idoneo adoleſcens ingenio Philoſophiæ Thomiſticæ theoremata, ſtatario, ſi fas ita loqui, curſu ſtudiorum emenſus, nondum ætate major, coram Legato Bononiæ Card. Lomellino, nullo Magiſtrorum fultus auxilio propugnatorem eorundem ſe præbuit, mox coram Card. Farneſio Lomellini ſucceſſore univerſam D. Thomæ Theologiam ſolus, nullo itidem aliorum præſidio munitus tanta cum gloria, plauſuque, & acuminis robuſtiſſimi pompâ defendit, ut alter à P. Monſtro (quo nomine. Nicolaus Riccardus S. Palatii Apoſtolici Magiſter ob inſignem eruditionem cenſebatur) viſus ſit omnibus, atque ipſi in primis Legato. Revera jam tum ex hac vaſta Scientiarum, quas animo continebat, notitia cœperat miraculo eſſe. Quamobrem raro exemplo, ne ad examen quidem doctrinæ vocatus Profeſſoris laurum obtinuit, regreſſuſque Brixiam, ibi Philoſophiam glorioſiſſimè docuit, quam continuata muneris

(1) Salom. Inſcr. Pat. p. 285. n. 2. (2) Idem ibid. p. 360. n. 35. (3) Vol. 1. Theatr. p. 181.
(4) Patin. loc. cit. (5) Gym. lib. 3. c. 27. p. 324. (6) in Theatro.
(7) in Hiſtor. Cler. Reg. T. 3. p. 603. (8) in Muſæo Novarien. p. 203. (9) Patin. Licæ. d p. 126.

dignitate in præcipuis Italiæ urbibus, Veronæ, Genuæ, Mediolani, Bononiæ profeſſus eſt: promeruitque ipſo ætatis anno trigeſimo Magiſtri decus ac titulum, quo dum pacatiſſimè fruitur, vacatque Muſis in patriâ, ad labores gymnaſticos evocatur Patavium; & Metaphyſicorum Profeſſor Thomiſticus vacuam exedram ab anno MDCLXII. implere jubetur an. MDCLXIX. Docuit ex ea ſummâ cum laude, & auditorum frequentiâ & utilitate uſque ad an. MDCLXXVIII. quo eum à munere, quod ipſi ſupremæ apud ſuos Theologicæ ſedi oblatæ licet ac ingeſtæ prætulerat, morborum infeſta congeries abduxit, ac patriæ reſtituit valetudini ſuæ vacaturum. Hac intra triennium recuperatâ cùm Archangelum Rivettam mors vivis eripuiſſet, novo Veneti Senatûs decreto dictus eſt primarius in Doctrinâ D. Thomæ Theologus an. MDCLXXXI. Eam exedram iniit eloquentiſſimâ diſſertatione, quâ Patavium Græcas Athenas variis errones caſibus translatas facundiſſimè, & eruditiſſimè viſus eſt comprobare. Vir fuit non Theologus dumtaxat maximus, & inter majores ſui Ordinis doctiſſimi numerandus, ſed etiam Orator, ac Philologus ætatis noſtræ ſummatibus accenſendus, tantæ verò ac tam felicis memoriæ, ut falſa apud pleroſque opinio invaluerit, quâ creditum eſt, mirum illum memoris animi ſenſum ex arcanis quibuſdam medicaminibus, quibus ad id ipſum uteretur, illi obveniſſe; nondum exacto ſexennio, ut ſcribit Salomonius (1) auctor æqualis, iiſdem, quos pacaverat, morbis tentatus publico muneri nuncium remiſit, & in patriam reverſus iiſdem ſuccubuit anno MDCLXXXVI. Edidit

Proluſiones, *& Orationes varias*, doctas, eruditas, facundas, quibus unam ſinceræ latinitatis gloriam optaveris.

Philoſophiæ Dogmaticæ Tomos III.

De Approbatione Doctrinæ D. Thomæ Aquinatis lib. VII.

Opuſcula Theologica.

Metaphyſicam in Patavino Archigymnaſio prælectam.

CAPUT XXXIV.

Joannes Cicala. Geminianus Montanarius. Dominicus de Marchettis. Georgius à Turre.

1687 CLIV. JOANNEM CICALA (2), cùm Latina ſcripta, quæ ſparſim edita, ſigillatim enumerari nequeunt, ad hanc clarorum ex editis Profeſſorum claſſem non revocent, attamen & ingenua librorum Ariſtotelis græcè loquentium ac peritiſſima interpretatio, & Græca Poeſis, quâ maxime claruit, albo eum eorundem inſerunt, dignumque prædicant, qui decorum gymnaſticorum numerum augeat. Gente Cyprius Leucoſiæ, quam Nicoſiam vocant, natus eſt Matthęi filius chronographi Græci apud noſtrates notiſſimi ex edito veteri Kalendario, vulgatiſque aliis libris vernaculâ linguâ noſtrâ res ſacras tractantibus. Studuit Romę in collegio Gręcorum cum fratribus Demetrio poſtmodum Conſtantinopoli Medico, & Hieronymo, qui deinde Monachus Hilarion ad αὐτοκεφάλους inſulas Cyprias provectus eſt, ut diximus in Cottunio. Ipſe Joannes emenſus ſtudiorum curriculum Romę, indeque Philoſophię ac Theologię doctor Venetias regreſſus, aliquandiu patronum ſe forenſibus cauſis prębuit, verùm cùm religioſiore animo metiretur omnia, morbiſque ſuis ab illo munere timeret, Patavium ſeceſſit, ubi primùm quidem alteram Logicę (3) ſedem obtinuit an. MDCLXVIII., denique in eodem ordine primam an. MDCLXXXVII. quo poſt unam alteramve pręlectionem occubuit Nonis Novembris, ſepultus in baſilica Eremitanorum. Vir fuit moris probatiſſimi, ſummęque pietatis, Philoſophus optimus, nec minor Theologus, ſed in primis Gręcę linguæ inter paucos peritiſſimus, quem proinde Nicolaus Bubullius Cretenſis amicus noſter, & in eadem lingua, muſiſque Gręcis, ſi quis unquam priſcorum, recentiorumve ex gente noſtra verſatiſſimus, ἀττικὴν μέλισσαν nobis ſcribens appellat, adjecto ad ejus iconem nitidiſſimo hoc diſticho Gręco, quod etiam latinè vertit.

> ᾧ Κυπρίων χάριτες τὴν αἱμυλίην ἀνέχουσαν,
> Γλώσσῃ Μαιονίδην, τῷδε Πλάτωνα φέρει.

Cui

(1) Gym. Inſcription. in Miſcell.
(2) Nicol. Bubull. Epiſt. ad me ſcripta.
(3) Monum. Gymn. P. 1. lib. 4. hujus Operis.

Cui Charites Cyprios inſtillavere lepores,
Mæonidem lingua, mente Platona refert.

Extat Cicalę *Prælectionum erudita Synopſis*, ex qua noſces non alieno nomenclatore uſum in pertractando Ariſtotele; nec ejus aliunde ſententias proſecutum, quàm ex ipſo Philoſophi fonte nativis, & ingenuis fluente rivis, unde illum plurimi barbaris, & perplexis interpretationibus contenti deſipuiſſe, certè erraſſe, contendunt. Ejuſdem Cicalæ ſparſim quædam *Epigrammata Græca* nitidiſſima elegantiſſima legimus, inter quæ principem locum ſibi vindicat, judicio ejuſdem Bubulii, & noſtro, quod præfixum eſt Hiſtoriæ Pelagianæ Patavii editæ à Noriſio, poſtea Cardinali.

CLV. Quantus in Mathematicis, Aſtronomicis, & Mechanicis fuerit GEMINIANUS MONTANARIUS, colliges ex iis, quę refert Patinus (1), quę congerunt Gelati (2) Academici Bononienſes, quęque breviùs, ſed & nitidiùs exponit vir clariſſ. Franciſcus (3) Blanchinus Veronenſis Romę Canonicus. Nos horum apices damus. Ortus Mutinę honeſtâ & vetuſtâ familiâ humaniorum literarum, Philoſophię ac Juriſprudentię ſtudiis pueritiam, & adoleſcentiam excoluit, tum anno ętatis vigeſimo Florentiam venit, ut apud N.V. Jacobum Federighium, clarum ibi per ea tempora Juriſconſultum Juriſprudentię operam daret, & ad fori tricas experrectam indolem efformaret. Subactus imbutuſque nomicis inſtitutis Florentię, indeque in Germaniam profectus, in Salisburgenſi Gymnaſio juris utriuſque lauream obtinuit; jamque doctor, Philoſophiam privatis, ut videtur, auſpiciis Vindobonæ docuit. Quo tempore cùm in Paulum de Bono Florentinum patricium, Galilæi diſcipulum & Cæſaris Mathematicum incidiſſet, animum ad res Mathematicas propenſum ita convertit ad ejuſmodi diſciplinas, ut Philoſophus, & Juriſconſultus Matheſeos ſe diſcipulum dixerit, ſecutuſque doctorem ſuum, Bohemicas, Pannonicas, ac Styrias Metallorum ſodinas, ad quas inviſendas ille Cæſaris juſſu ibat, comes curioſus, & accuratus inſpector adierit, luſtrarit, expenderit. Evocatus ad res domeſticas cùm in Italiam remeaſſet, iterum Florentiam adiit, ubi forenſibus aliquandiu jurgiis non ignobilis cauſarum patronus ita vocem conceſſit & calamum, ut neutro à meditationibus Phyſico-Mathematicis avocaretur, ex quibus clarior in dies non ſolùm à Mediceis Principibus ad Aſtronomicas obſervationes adhibitus eſt, verùm etiam ab Alfonſo IV. Mutinæ Duce in patriam revocatus, decoratuſque dignitate, ac titulo aulici Philoſophi, & Mathematici, unà natale ſolum reviſit, & Juriſprudentiæ valedixit anno MDCLXI. At Anno ſequenti, Alfonſo immaturâ morte prærepto, in familiam Marchionis Cornelii Malvaſiæ receptus, ſuas illi operas utiliſſimè præſtitit in edendis Ephemeridum calculis. Hoc quoque intra biennium extincto, quòd jam ex libris editis, ac diſſertationibus habitis apud Bononienſes inclaruiſſet, Mathematicam ad ſedem ſubvectus eſt an. MDCLXIV. Quanto conatu, Phyſicis, Aſtronomicis, cæteriſque in Naturæ notione poſitis artibus, mentem ad has ipſas factam, & ad has ipſas explanandas idoneam addixerit, diſces ex iis ſcriptoribus, quos ſuperiùs nominavimus: ut hi taceant, docebunt opera ejus, inſtitutæ ab eo Academiæ, extructæ machinæ, vulgatę diſquiſitiones Aſtronomicę, Mathematicę Phyſicę. Harum ea per Italiam fama percrebuit, quâ factum, ut literarii Triumviri Gymnaſio noſtro prefecti tanti nominis virum Archilycęi ſui Magiſtrum optaverint. Quamobrem (4) cùm obitu Sertorii Urſati Equitis Patavini Meteororum vacaret ſedes, hanc novo onere ac nova nomenclatione Aſtronomicæ ſedis auctam Montanario accito Bononiâ ex Senatuſconſulto ſanciendam curarunt anno MDCLXXVIII. ex illa docuit per annos circiter novem Senatoribus Venetis ſummo in pretio habitus, Europæ Principibus notus, cultus probatuſque, ac regiâ liberalitate donatus, tantæ in ea parte ſapientiæ quam tractabat, apud omnes exiſtimationis & gloriæ, ut pares habuerit ſua ætate paucos, majorem neminem. Vir cæteroqui pius, ſummæque erga Deum religionis, comis, affabilis, plenæque erga amicos fidei, & charitatis. Obiit crebrâ ictus apoplexi Patavii anno MDCLXXXVII. ætatis LV. ejus exuvias templum habet D. Benedicti, adſtructum cœnobio P. P. Olivetanorum. His v. clar. Laurentius Bachettus Juriſconſultus, & doctor Medicinæ, atque Profeſſor publicus ejus diſcipulus lapidem impoſuit cùm elogio hæc ipſa quæ diximus complexo. Scripta Montanarii multa ſunt; Latina quidem (5). 1687

(1) Licæi p. 109. (2) in Montanario. (3) Vita Montan.
(4) Monum. Gym. hoc op. P. 1. lib. 4. (5) Patin. ibid. p. 113. 114.

Cometes Bononiæ obſervatus an. MDCLXIV. & ſequenti Aſtronomo-Phyſica diſſertatio.

De uſu Reticulę in Teleſcopio ad cęleſtia, & terreſtria adhibendę. Tractatus Aſtronomo-Geometricus.

Meteorologia Phyſico-Aſtronomica in lib. Ariſtot. Meteor. IV.

Italica.

Noemata Phyſico-Mathematica circa effectus liquorum vaſis vitreis aliiſque exceptorum.

Epiſtola ad Abb. Samperium, quà Noemata ſua ab objectis difficultatibus tuetur.

Speculationes in effectus vitrorum quorundam, quæ fracta in cineres abeunt.

Diſſertatio Academica de Stellis, quæ apparere deſierunt, deque aliis recèns obſervatis in Cœlo.

Libella Dioptrica à ſe inventa ad libranda exactiùs Teleſcopia.

Flamma volans, ſive ſpeculationes Phyſico-Aſtronomicæ circa magnum Meteori Phænomenon in Italia pridie Kal. Aprilis Anni 1676.

Diſſertatio habita Taurini de Controverſiis cum Mathematico Taurinenſi.

Tuba loquenſ. Diſſert. de effectibus Tubæ, quæ ſermo propagatur ad longè diſſitos. In ea de natura Soni & Echûs.

Enchiridion Bombiſtarum ad eos, qui Mortaria bellica tractant.

Machinator Civilis, ſive de Scientiis Mathematicis ad Peritum publicum pertinentibus libri VI.

Machinator Militaris libri VI. de Machinis Bellicis, & Ignibus artificioſis.

Machinator Aquarius, ſive de menſurâ Aquarum fluentium, natura Fluminum, & Arte hac dirigendi, cohibendique.

De Natura, pondere, æquilibrio fluidorum Corporum. Tract. Phyſico-Mathematicus.

Venatio, quæ Frunioli dicitur, adversùs Aſtrologiam Judiciariam.

Dialogi quinque inſcripti, Examen Cometarum.

Tractatus de Cauſis, ob quas valor Monetarum creſcit, decreſcitque, de damno inde publico, & ad illud remediis.

Theoremata Dioptrica, Opus Geometricum ad Teleſcopii, & Microſcopii cognoſcendos effectus.

De inconſtantia Firmamenti, Obſervationes Aſtronomicæ.

Dialogus inſcriptus, Vires Æoli. Opus poſthumum de Typhone an. 1686.

Diſſertatio de Vacuo. Opus Poſthumum.

Epiſtola ad Problema: cur advenæ Venetiis Cymbularum laſſentur motu, cùm eo non laſſentur Veneti. Opus Poſthum.

1688 CLVI. DOMINICUS DE MARCHETTIS nob. Patavinus (1), quâ magis parte Medicinæ claruerit, non facilè ſtatues. Chirurgus, Anatomicus, Phyſicus undequaque maximus, ita priſcorum æquavit gloriam, ut peritos harum artium ſui temporis omnes, virtute, induſtriâ, dexteritate, famâ ſuperaverit. Petri Equitis Chirurgi & Chirurgiæ, atque Anatomes Profeſſoris publici celeberrimi filius, ſic inſtitit à prima ætate parentis doctiſſimi veſtigiis, ut nullam Medicinæ partem deſpexerit, omnes percurrerit, quò ex omnibus eam ſibi firmitatem in praxi pararet, quâ præſtitit omnibus. Hinc poſtquàm adoleſcens patri in adminiſtranda publicè Anatome miram diligentiam adhibuit, laureatus juvenis publicæ utilitati tam citò opportunus viſus eſt, ut anno ætatis trigeſimo auditor patris, poſt ſexennium patre major ad primam Chirurgię ſedem, à qua ſe Antonius Molinettus excuſaverat, Triumvirali deſignatione, ac decreto Senatûs aſcenderit. Hoc munere perfunctus egregiè per annos circiter duodeviginti, an. MDCLXXX. ad primam exedram Medicinæ practicæ Extraordinariæ translatus eſt, adjecto onere ſecandi cadavera, auctoque ad id peculiarius honorario, ut ſubſidiarius operis Profeſſores Anatomicos quaſi magiſter & auſpex adjuvaret. Extincto (2) Pighio tandem Anatomicorum princeps, dicendi perſpicacitate ſumma, ſummaque facilitate docendi ſtudioſis omnibus utiliſſimus fuit: tanti verò apud exteras gentes ex feliciſſimis morborum, ac vulnerum curationibus nominis, ut inſtar oraculi inter Jatrochirurgos haberetur. Teſtabantur hoc plurimæ ad eum ſcriptæ à Magnatibus & Principibus viris Epiſtolæ, quas propediem ſe publici facturum juris Carolus Torta promiſerat (3), quaſque certè non edidit, perierintque eo brevi morte ſublato, ut ea quæ idem Torta ſe collegiſſe jactabat ad hoc, cui laborem impendimus, Opus, quod certè nullus juvit, mihi quidem ſubleſtæ fidei, obſequii verò neglecti reus Triumvirali Magiſtratui, cujus juſſu, nec ſine mercede aucti ſtipendii, Legulus datus eſt. Deceſſit Dominicus (4) in patria anno MDCLXXXVIII. IV. Idus Julii ætat. LXII. Scripſit multa, unum edidit ſolùm, quòd [illegible] plurimis cuſum, ac recuſum inſcribitur.

Anato-

(1) Patin. Lycæ. p. 39. & ſeq. (2) Monum. Gym. hujus Op. P. 1. lib. 4.
(3) Patin. ibid. p. 40. (4) Necrolog. Sanit. Patav.

Anatomia; cui Reſponſiones ad Riolanum Anatomicum Pariſienſem in ipſius animadverſionibus contra Weslingium adjectæ ſunt.

CLVII. GEORGIUS A TURRE nob.(1) Patavinus Medicus in patria, ac tota Italia 1688
celeberrimus natus an. MDCVII. adoleſcentiam humaniori literaturæ latinæ & Etruſcæ ſacravit in ſolidum; juventutem verò Philoſophię, ac Medicinæ eo utrobique profectu, ut Anno ætatis trigeſimo inter claros olores Cœli Euganei numeraretur, ac Medicorum, Botanicorumque peritiſſimus haberetur. Sufficitur ergo magni nominis in utraque ſcientiâ Profeſſori Joanni Weslingio, jam tum laudatus à Tomaſino, ut medendi ſcientiſſimus, deditusque tum amænioribus literis, tum antiquitatis ex re nummaria notitię. Crevit deinde, uti famâ & nomine, ita in Gymnaſio etiam dignitate, ſuffectuſque eſt Hieronymo Comiti Frigimelicæ in prima ſede Medicinæ practicæ Extraordinariæ cum onere rei Botanicæ procurandæ an. MDCLXVI. quo onere non abſolutus, & idcirco auctus amplo centum & quinquaginta ſupra mille florenorum ſtipendio translatus eſt ad alteram Medicinæ Practicæ ordinariæ ſedem an. MDCLXXX. Hieronymi Vergerii ſucceſſor, nec triennio peracto ad exedram ejuſdem ordinis principem aſcendit, quam cùm vix biennio vir præſtantiſſimus, & venerabilis omnibus impleſſet, octogenario major an. MDCLXXXVIII. mortalitatis exuvias poſuit ad D. Auguſtini in tumulo, quem ſibi & uxori vivens extruxerat. Edidit

Eruditum *Catalogum Plantarum Horti Botanici Patavini novo ſtirpium incremento locupletati.*

Junonis, & Neſtis Vires Opus Botanicum.

Driadum & Amadriadum, Chloridiſque Triumphum, quo Hiſtoriam Botanicam argutè complectitur.

CAPUT XXXV.

Nicolaus Arnù. Carolus Patinus. Stephanus de Angelis. Carolus Renaldinus,

CLVIII. NICOLAUS ARNU' Lotharingus, ex ea(2) Galliæ Belgicæ parte, quæ 1692
olim Auſtraſia dicta eſt, vivere cœpit in oppido Merocurtio, quod Viroduno ſex millibus paſſuum diſtat. Vix pueritiam attigit, & patrem amiſit, receptusque in tutelam avunculi, inſtitutioni litterariæ Patrum Societatis Jeſu Viroduni commiſſus eſt. Verùm tutoris inhumanâ auſteritate vexatus, ab hac ſibi fugâ conſuluit, venitque Pariſios, ubi cum nulla conſtitiſſet ratio proſequendi ſtudia, quæ fuerat aggreſſus, adhęſit equiti Gothalano, eúmque ſecutus, in Ruſcinonem, Galliæ Narbonenſis Comitatum profectus eſt, ac Perpiniani Societatis Jeſu ſe iterum ſcholis addixit, in quibus humaniore literaturâ ſatis imbutus philoſophicas quoque diſciplinas cœpit excolere. Hæc agentem pietas, & chriſtianæ perfectionis amor ad clariſſimum PP. Prædicatorum Ordinem evocavit, atque hunc profeſſus Perpiniani, in cœnobiis Gerundenſi, & Podiceritanenſi curriculum Philoſophicum ac Theologicum abſolvit, tanti ab exitu ſtudiorum apud ſuos habitus, ut ſtatim Philoſophiam Urgellis, mox Tarracone, & in Perpinianenſi Gymnaſio docere publicitùs juſſus ſit, annos natus tres & viginti. Ibidem primam ſedem Theologiæ veſpertinam obtinuit, ex eâque D. Thomæ Sententias per ſeptennium interpretatus Gymnaſio præfuit, ſimul concionibus habitis per majora jejunia ſummâ cum laude, atque populorum utilitate præconem Evangelicum egit. Ex his clarus, atque Ordini ſuo inter paucos ſpectabilis à Generali Magiſtro Jo. Thoma de Roccaberti, qui deinde Valentinas infulas geſſit, Romam accitus dictus eſt ſtudiorum præfectus in Urbano Collegio D. Thomę, unde triennio poſt invitatus Veneti Senatûs conſulto, vir annorum quinque & quadraginta Theologos cœpit interpretari, eoque munere, Theologorum ſuo tempore facilè princeps, non diu functus eſt. Nam cùm ex gymnaſticis feriis animi relaxandi cauſâ Bononiam commeaſſet, ad ſuperos evolavit an. MDCXCII. Edidit

Philoſophiæ curſum in Tomos IV. diſtributum.

Lucidiſſimos Comment. in XIII. priores Quæſtiones I. partis ſummæ Theologicæ D. Thomæ.

CLIX. De viro clariſſimo CAROLO PATINO Equite iis, quæ ipſe de ſe contra græcum, 1693
quod probat(3), Adagium λαθε βιώσας plurima ſcripſit(4), quibus plenè planèque ſe noſcendum

(1) Patin. Lycæ p. 27. 29. (2) Patin. Lycei p. 121. & ſeq.
(3) Lycæ. p. 77.
(4) ibi à p. 77. ad 104.

dum poſteris dedit, aliquid peculiariùs addere, & neſas eſt, & ſit ſupervacaneum. Summæ horum capita delibabimus, ne à propoſito penitùs declinemus. Natus eſt Pariſiis an. MDCXXXIII. patre Guidone Medico, à quo latinè audire & fari ab infantia inſtitutus, bonis artibus operam dedit Gontero Medico præceptore: hiſque ſatis imbutus ad Rhetorum artem acceſſit in collegio Preleo-Bellovaco. Brevi autem curriculo Poetarum atque Oratorum ſpatia emenſus Philoſophiæ biennium tribuit, quo itidem & ad Græca ſe contulit, duce Cyrillo Rhodocanace Chiò, quem poſtmodum Sacris Byzantinis prepoſitum falsò illi fama nunciavit; cum præter Cretenſem, & Berrhoenſem, Cyrillus nullus Conſtantinopoli ſederit ſæculo ſuperiore. Poſt hæc, hortante avunculo, ægrè ferente patre, ipſe invitus Juriſprudentiæ ſe diſcipulum preſtitit, atque intra ſexdecim menſes doctoris laurum conſecutus eſt. Ea receptâ, cum ſpes, quas avunculus pollicebatur, ſenſim evaneſcerent, hortatu patris, ac ſuo ipſe ingenio ad Medicinam ſe convertit, eique adheſit ſedulò ac feliciter adeo, ut intra triennium non inſignia modo doctrine retulerit, cooptatuſque fuerit inter proceres facultatis Pariſienſis, verùm etiam, ut ipſe teſtis eſt, Medicinam Pariſiis fecerit incredibili planè frequentiâ, indeque fructu, & lucro ad curationes omnis generis undequaque evocatus. Quin & Pathologica in ipſa Facultate ſedes illi ſortitò obtigit, profeſſuſque publicè partem Medicine potiſſimam, Anatomen in publico Scholarum theatro non vulgari cum laude celebravit. Sed eum feliciter ad magna & maxima contendentem fortuna repentè deſtituit. Quid illud fuerit, quo Ludovici Magni Gallorum Regis odium promeruit, cùm ipſe voluerit occultum, ſcire nefas. Valedicendum illi fuit patriæ, vel amittenda libertas; viſumque primum conſultius: quamobrem longas ac diuturnas peregrinationes ſuſcepit per Germaniam, ac luſtratâ deinde Italiâ Baſileæ ſubſtitit aliquandiu, unde proximitate belli Gallos inter atque Germanos exorti territus, Patavium venit, exceptuſque ampliſſimis ædibus, & gratuitò conceſſis à Joanne Comite de Lazara, munificentiſſimo doctorum hominum hoſpite, ipſe clarus cum ob Medicam artem, tum ob Philologiam, maximè verò ex priſcorum Numiſmatum hiſtoria, cultus, laudatus, amatus ab omnibus pacatiſſimè vixit, donec an. MDCLXXXI. illi utrunque feliciſſimè contigit, ut & à Rege ſuo in gratiam, ex qua quondam exciderat, reciperetur, & ad primam Chirurgiæ ſedem duplicato ſtipendio proveheretur. Hanc vix biennio Patinus obtinuit, provectuſque eſt ad primam Extraordinarie Practicæ Medicinæ. In ea conſenuit, innato maſſe ſanguinis polypo vitæ ereptus an. MDCXCIII. Jacet in templo urbis majore cum hoc Elogio (1).

D. O. M.

Carolo Patino Pariſ. Equ. D. M. Priſc. Numiſmat. ſtudiis clariſſ. famam celeberrimi Patris æmulato, è Patrio in Patav. Lycæum excepto, poſt totam Europam luſtratam, præmiis & majorum Principum gratia aucto, cum calumnia feliciter luctato, ac pro fundamento virtutis fortunæ ruinis uſo, ob veterem eruditionem erectam poſterorum cultum promerito, Magdalena Ommetz Pariſ. Uxor, Gabriel Carola Santa-Paulina, & Carola Cath. Filiæ extremo amoris argumento, annuente Capitulo, Parentant. Obiit An. MDCXCIII. VIX. Octob. ætat. ſuæ Anno LIX. Menſ. VIII. D. X.

Vivebat anno pręterito uxor. Vivunt filiæ duæ, quarum altera junior, libero cęlibatu Virginitatem tuetur in cætu nobilium fœminarum, quas citra obligationem Deo & caſtitati mancipat pia voluntas. Altera diu vidua, nuperrimè nupſit viro nobili Franciſco Roſe, matrona ex literarum conſuetudine ſupra ſexum docta, ex gentis ingenio facunda, ex paternæ virtutis gloria venerabilis. Fuit enim reipſa Patinus Gymnaſii noſtri, ætate noſtra, grande decus, & ornamentum eximium, ea præſertim in parte, qua notitiam Numiſmatum magno eruditionis compendio, profeſſus eſt. Edita ſunt hæc ejus Opera latina

Itinerarium Comitis Brienna.
Imperatorum Romanorum Numiſmata.
Theſaurus Numiſmatum.
Svetonius Illuſtratus.
De Numiſmate antiquo Auguſti & Platonis.
De Numiſmate antiquo Horatii Coclitis.
De Optima Medicorum Secta.
De Febribus. De Avicenna. De Scorbuto.
Quod optimus Medicus debeat eſſe Chirurgus.
Encomium Moriæ Eraſmi cum figuris Holbenianis.

Ju-

(1) Salom. Inſcript. Pat. p. 18. ſub n. 88.

Judicium Paridis, & Natalitia Jovis.
Lycæum Patavinum, ſive Icones & Vitæ profeſſorum docentium an. 1682.

Gallica.

Tractatus de globis combuſtibilibus.
Iſagoge ad Hiſtoriam Numiſmatum.
Narrationes quatuor hiſtoriç.

Italica.

Praxis Numiſmatum.
De Feriis magnificis Vicentinis.

CLX. Anno ab obitu Argoli quarto exponendç rei Mathematicæ in Gymnaſio noſtro admotus eſt STEPHANUS DE ANGELIS Venetiis natus ann. MDCXVII. Adhuc ephebus (1) ei ſe Ordini Cucullatorum addixit, quos Jeſuatos appellabant; emenſuſque curriculo ſtudia Philoſophię ac Theologiæ, in his probè verſatus eſt adeò, ut vix agreſſus annum ætatis alterum à vigeſimo, diſciplinam utranque Sodales ſuos docuerit Ferrarię. Inde gravi ejus urbis cœlo depulſus, Bononiam venit, ſeque in Mathematicis inſtituendum dedit Bonaventurę Cavalerio, publico Profeſſori in Bononienſi Gymnaſio, quo variis, gravibuſque morbis impedito, Stephanus, ſe Magiſtro uſus in eam Mathematicorum Theorematum ſcientiam evaſit, ut par viſus ſit, ac planè dignus, qui ad Exedram præceptoris ſucceſſor invitaretur. Recuſavit ille modeſtè dignitatem oblatam Urbis videndæ deſiderio, ad quam profectus eâdem diligentia quinquennio Matheſim excoluit; ex eâque inter ſuos clarus, tum Romæ, tum Venetiis, omnibus ſui Ordinis honoribus integerrimè functus eſt: non interim neglectis Mathematicis diſciplinis, quas non uno Opere Venetiis edito cùm luculentiſſimè illuſtraſſet, deſignatione Triumvirali, ac Senatuſconſulto juſſus eſt in Patavino Gymnaſio ab exedra publicè interpretari ann. MDCLXII. Raro exemplo geometricas demonſtrationes impeditiſſimas Profeſſor cucullatus expoſuit per annos ſex, poſt quos an. MDCLXVIII. cùm Pontificio decreto Jeſuatorum ordo fuiſſet abolitus, Religionis auctoramento ſolutus, certo ſtipendio retento, ſacris militavit presbyter nulli Eccleſiæ obligatus, docuitque in toga & abollà gymnaſtica, vir comis, facilis, affabilis, morigerus omnibus, ſed & ex rei Mathematicæ notitiâ latè conſpicuus. Deceſſit Patavii ann. MDCXCVII. ætat. LXXIV. Opera ejus edita hæc ſunt; 1697

Problemata Geometrica LX.
De infinitis Parabolis libri IV.
Miſcellaneum Hyperbolicum, & Paraboliсum,
De infinitorum Spiralium Spatiorum Menſurâ.
De infinitarum Cochlearum Menſuris.
Acceſſionis ad Steriometriam, & Mechanicam.
De Superficie ungulæ.
De infinitis Parabolis liber quintus.
De infinitis Spiralibus inverſis.

Italicè.

Conſiderationes de vi quarundam rationum Phyſico-Mathematicarum P. Jo. Baptiſtæ Riccioli, adverſus Syſtema Copernicanum.
Conſiderationes Secunda, Tertia, Quarta ad idipſum.
De gravitate Aeris Dialogi V.

CLXI. CAROLUM RENALDINUM è Comitibus Montagnoli ſummum noſtra ætate in hoc Gymnaſio Philoſophum Ancon Dorum nobilis in Piceno ad oram Adriatici Maris, & antiqua Colonia bonis artibus edidit an. MDCXV. Avitum ejus genus oriundum Senis, & priſca nobilitate præclarum multis comprobat Patinus (2) quo auctore Carolus à primis annis in doctrinæ ac ſapientiæ ſinu plenis uberibus altus, experrectam indolem, & robuſtum ingenium ſeverioribus Philoſophiæ ac Theologiæ (3) diſciplinis mancipavit: vertit deinde ſe ad Mathematicas Meditationes, in iiſque profecit adeò, ut pari nominis gloriâ ſummus Philoſophus, Theologus præſtantiſſimus, acutiſſimus Mathematicus haberetur. Hinc ab Imperatore exercitus Pontificii Thaddæo Barberino inter præcipuos militiæ miniſtros cooptatus ſtrenuam Matheſi militari operam præſtitit, quâ egregiè defunctus ab Urbano VIII. pronepoti Carolo, qui poſtmodum Romanâ purpurâ claruit, pręceptor datus eſt, & morum atque adoleſcentiæ formator. Notus ex his aulæ Romanæ ab Innocentio X. ad excitanda in agro Ferrarienſi, muniendaque propugnacula mittitur; mandatique ſibi partes officii tam probè, tam utiliter implevit, ut vel à moroſo Pontificè ac perdifficili laudes extorſerit. Eo defuncto, pertæſus laborum aulæ, cujus plerunque ſpes longæ ſunt & ancipites, flexit animum ad ſtipendia Ferdinandi II. Magni Ducis Etruriæ, à quo Piſas accitus ejus Gymnaſii primam in Philoſophia ordinaria Sedem obtinuit, quam cùm integro decennio doctiſſimis prælectionibus honeſtaſſet, evocatus Florentiam eſt, ut Coſmum III. in Philoſophicis & Mathematicis erudiret. 1699

(1) Patin. Lycæi p. 41. 44. (2) p. 52. 55. Lycæi. (3) ibid. & p. 56.

ret. Quantum inde illi decus acceſſerit, ex eo noſces, quòd vix abſoluto eo officio ad Archilycæum noſtrum illuſtrandum primæ ſedis ordinariæ Philoſophus dictus eſt Senatuſconſulto, quo illi mille, ac ducentorum florenorum ſtipendium decretum eſt an. MDCLXVII. Docuit hìc per annos duos & triginta, meruitque ſtipendium octingentorum & mille ad an. MDCXCVIII., quo rude donatus, ſeceſſit in patriam, atque ibi circa finem ſæculi ſuperioris, ſenex annorum circiter quinque & octoginta, fato conceſſit. Scripſit & edidit

Opus Mathematicum Analytica Elementa complectens,

Artem Analyticam Mathematum in Tomos III. diſtributam.

Philoſophiam Rationalem continentem Diſſertationes Dialecticas, Rhetoricas, & Poeticas.

Philoſophiam Naturalem, continentem Phyſicas, & Methaphyſicas Diſſertationes, itemque Curſum Mathematicum.

Commentarios in Ariſtotelis Opera unà cum quæſtionibus.

Diſſertationes Theologicas.

Opuſcula Varia,

CAPUT XXXVI.

Felix Rotundus. Nicolaus Calliachius.

1702 CLXII. FELIX ROTUNDUS Minorita gente Sabinus ſcholæ Scoticæ noſtrâ ætate decus & ornamentum, honeſtis parentibus ortus Mutuſcæ (1) ſeu Trebulæ in Sabinâ, ab exitu pueritiæ ſe Deo ac D. Franciſco inter Fratres cœnobitas, quos Conventuales appellant, devovit Auguſtæ Peruſiæ. Eâ in urbe liberalibus ac ſeverioribus diſciplinis imbutus, has multis in oppidis juſſu ſummorum Præſidum ſuorum docuit, Logicam, Metaphyſicam, Sacros Canones, Theologiam, quas itidem explicavit Fani, & Peruſię tantâ cum laude, ut Peruſini Patres eum in ſuorum numerum ambitioſâ ſuffragatione cooptaverint. Adſcriptus deinde collegio urbano D. Bonaventuræ, inde ab omnibus, ob inſignem in re Theologica ſcientiam commendatus ad inſulas doctoris proceſſit, eaſque in comitiis generalibus Aſſiſii habitis ritu ſolemni recepit an. MDCLVIII. Accitus deinde Bergomum cœnobitarum ſuorum ſtudiis præfuit, & à venerabili Cardinali Gregorio Barbadico ejus tunc urbis Epiſcopo, Bergomenſis Eccleſiæ in tota diœceſi Theologus dictus eſt; atque unà Philoſophiam docuit, amplo à Bergomatibus ſtipendio decoratus. Per annos circiter octo his muneribus glorioſè perfunctus majoribus videbatur idoneus. Quamobrem Venetias evocatus an. MDCLXII. cœnobitarum itidem ſuorum Gymnaſia moderatus eſt S. Theologiæ doctor, & præceptor neque barbarus, neque rixoſus. Quippe ſcholaſticas ſalebras leniebat Muſarum ac Suadæ deliciis, ad quas patriciam juventutem evocabat vel inter philoſophicas tricas, & Peripatetica jurgia. Summates viros ac Senatores ampliſſimos ex ejus ſchola prodiiſſe cùm ætati noſtrę notiſſimum ſit, ſi cœteri deſint, poſteritati quoque noſtræ notiſſimum erit, ex uno Joanne Cornelio, qui heroum ac principum hæres virtute ac meritis ad avitum ac planè domeſticum viam ſibi fecit imperium, ſeditque nuperrimè in ſolio publicæ libertatis Dux Majeſtati quoque Venetæ venerabilis. Ab hoc Felix in familiam Corneliam adoptatus ſtemma ſibi Cornelium adſcivit; mox ex adagio [illegible], in Trophonio dormiens, ea ex facetiſſimis genealogiis de regia Corneliorum ſtirpe ſomniavit, quæ illam ab ignobili oppidulo Mutuſcæ Venetias tranſmitterent. Sed illum & ſua virtus & patrocinium Cornelium non diu poſt ad ſedem Theologiæ Patavinam tranſmiſit, ut Matthæo Ferchio, qui dudum ſe ſe abdicaverat, ſucceſſor eſſet. Hac ſede potitus ſcientiam, quæ caput inter ſcholaſticas exerit ferox ac præliare, ita evocata in Conuultitium Dogmaticâ temperavit ac mitigavit, ut non doceret ſolùm, ſed etiam delectaret. Unde illi plauſus & gloria, ex qua apud nos in Gymnaſio Theologorum eruditiſſimus & iucundiſſimus haberetur. Nec aliud de eo judicium fuit in ſacro Theologorum collegio, cui nova dignitatis inſignia, colorem veſtium togarumque & pellita Scapularum indumenta, honoris indicia, decernenda curavit Majeſtatis publicæ auſpex & Societatis, quam augebat ſapientiâ ſuâ, tutor diligentiſſimus. Morum apud ſuos ac religionis exactor accuratiſſimus, communi bono, ſatagebat omnium felici ſemper eventu, ac planè ſuo: ut non ſit mirum, ſi quidquid eſt muneris, & honoris inter Minoritas, grande, ſingulare, conſpicuum conſecutus, illud & inierit bonis avibus, & impleverit optimis, Præfectus Provinciis, Præſidum Generalium Adſeſſor, tandemque & ipſe ſupremus Ordinis Præſes, ac Generalis Minoritarum Magiſter. Qua dignitate omnium maxima defunctus, poſtquam luſtravit Italiam cœnobiorum ſuorum inſpector laborioſus, Patavium redux, hic obiit XIII. Kal. Marti ann. MDCCII. Ætat. LXXII. Scripſit

Phi-

(1) Patin, Licæi p. 47. 58.

Philoſophiæ contemplatricis & Moralis Curſum, quo Atomiſtas refellit, Peripateticos tuetur.

Tractatus Theologicos in IV. libros Sententiarum, quibus oſtendit Scotum fuiſſe Dogmaticum.

Synopſin Profeſſorum Conventualium, qui in Patavino Archilyceo Metaphyſicam diverſis annis & S. Theologiam ab an. 1396. hactenus docuere.

Elogia Virorum & Mulierum Peruſiæ ex S. Minorum Conventualium Ord. vel Sanctitate, vel doctrina, vel rebus præclarè geſtis inſignium.

Orationes ad laurus Inſignia habitas.

Prologos & Diſſertationes Theologicas.

Ex his vir doctus cenſendus eſt: nam ex editis, nimirum *Enchiridio Rhetorico, Dialectico, ſacro & Profano; Poematiis ſacris Italicis*, admodum friget.

CLXIII. Triennio à morte Ferrarii, eloquentiæ in Patavino Gymnaſio ſedes conceſſa eſt NI- 1707
COLAO CALLIACHIO, de quo cum & Patinus (1) aliqua, & plura M. Antonius (2) Maderò nepos ejus Marcianæ bibliothecæ Cuſtos V. Clar. & eruditiſſimus dederint, ſupervacaneum erit viri ex his agnoſcendi, & noſtrâ ætate notiſſimi acta pluribus proſequi. Natus in Cretenſis regni metropoli honeſto genere, conterraneus meus, patriâ à Turcis obſeſſa, adhuc puer Romam venit eruditionis gratiâ, primaſque & humaniores Græcas atque Latinas literas in collegio Græcorum à Gregorio XIII. Pon. Max. erecto, dotatoque, apud Patres Societatis Jeſu didicit. Ibidem & iiſdem inſtitutoribus, in collegio Romano toto pectore Philoſophiæ ſinceris dogmatibus operam dedit, mox animum convertit ad Theologica, quæ altè ſcrutatus, plenè adeo, ſed & celeriter hauſit, ut nondum emenſus ſtatum addiſcendæ Theologiæ tempus, ante annum ætatis vigeſimum, ſolido die ipſe ſolus, ne adſidente quidem ad ſuppetias Magiſtro, totam univerſim Theologiam in concione doctiſſimorum virorum defenderit. Raro id exemplo etiam in urbe fuit, & in eâ ætatulâ novum, quòd vel ipſos contemptores Græcorum fateri coegit, nihil non etiamnum quantunvis maximum expectandum à græcis ingeniis, ſi excolantur. Eram tunc ego Romæ, atque hæc ſanctè teſtari poſſum, ac virtuti Calliachii, quo concive, amico, patrono, & myſtagogo ad ſtudiorum initia uſus ſum, debiti amoris, & grati animi penſum ex officio veritatis exſolvere. Quamquam non indiget teſtimonio meo prima juventus viri clariſſimi, quam judicium longè majus ad publica munera obeunda abſentem licet, & ſecurum accivit. Nam cùm propediem erectum ſumptibus Thomæ Flangini Græcæ juventuti Gymnaſium Venetiis eſſet aperiendum, Triumviralis auctoritas ad ejus Collegii Præfecturam Calliachium, cujus caput lautea Philoſophiæ ac Theologiæ dudum ornaverat, Româ evocavit Venetias. Suſcepit ille provinciam ex diſcipulo ſtatim præceptor, & inſtitutor egregius, atque eam per annos circiter undecim ita probè ac ſolerter adminiſtravit, ut ſpem de ſe conceptam non æquaverit modo, ſed ſuperaverit. Hinc Triumvirali deſignatione ac Senatuſconſulto juſſus ad illuſtrandum Gymnaſium noſtrum accedere Jo. Baptiſtæ Nigronio Cyrneo è vivis erepto ſucceſſor datus eſt an. MDCLXXVII., ut in prima Logicæ ſede libros Ariſtotelis Analyticos explicaret. Præſtititque tanta cum laude, quam muneri oppignoraverat, operam vir naturâ, ingenio, inſtitutione doctus explanare, quæ græcè Stagirites philoſophatur, ut ab exedra Ariſtotelis dogmara docente Calliachio, & barbaries Philoſophica manſueverit, & quæ Neoterici Ariſtotelicam doctrinam profeſſi adverſus Ariſtotelem, ne lectum quidem deblaterant, conticuerint. Ergo ut hoc ipſum efficaciùs è ſede majore tueretur ad primam extraordinariæ Philoſophiæ nondum quadriennio exacto provectus Comiti Petro Franzano vita functo ſucceſſit an. MDCLXXXI., deſtinabaturque ordinariæ Philoſophiæ, ut è loco principe Peripateticæ doctrinæ ſententias interpretaretur, ni eum ad ſe Muſæ rapuiſſent. Harum ſacris, poſt obitum Ferrarii cum Myſtes idoneus quæreretur, unus inter omnes par tanto muneri viſus eligitur an. MDCLXXXVI. Nec ille expectationi defuit, ſi vera volumus, etiam ſuperfuit. Nam ad Græcam, Latinamque Eloquentiam illuſtrandam, & ad inſtituendos in elegantioribus literis auditores ſuos, non à Grammatica, aut à promercalibus Pædotribarum ineptiis ſibi argumenta dicendi levia, inutilia, atque in rixas, ſanorum hominum ingratiis, eruptura paraverat; ſed altè omnia rimatus, rationes, cauſas, progreſſus, ac perfectionem elocutionis ingenuæ, robuſtæ, & ad perſuadendum, delectandumque aptiſſimæ demonſtrabat, eleganti quidem ac nitido ſed & philoſophico prorſus ingenio, quod Oratori quidem Tullius, Poetæ vero Ariſtoteles perneceſſarium exiſtimant. Aſſerere citra invidiam licet; nemo in hoc noſtro Gymnaſio latina uberius ſolidiuſve, nemo græca tractavit certius ſcientiuſque. Neque enim hæc aut ex Nomenclatore lexiciſve aſſuebat opportunè importunè prælectionibus

ſuis

(1) Lycæi p. 107. 108. (2) Vita præfixa Oper. Poſthum. de ludis Scenicis &c.

ſuis emendicatarum hinc inde vocum ac ſententiarum oſtentator inutilis; ex noſtro Adagio ἐκ τῶν ἰδίων ἐρεύγεται, ex imo ſuoque pectore Græcus homo græca eructabat, quę Romæ grẹcos ipſos docuerat, quę ad utilitatem efferret, non ad jactantiam, quęque non in caſſum apud eorum prorſus ignaros ipſe vix à limine ſalutata produceret, ſed appoſitè, in loco, ac tempore, rebus, quas docebat, accomodaret. His addebat profundam, plenamque Philologię notitiam, vir, ſi quis alius Grẹcorum ac Latinorum monumentorum peritiſſimus, & in his verſandis, penſitandiſque diligentiſſimus. Scilicet his incubabat aſſiduus lector quantum per ægritudines continuas, quibuſcum conflictabatur, licuit; ſecedebatque propterea rus, quod ſibi annali penſione quæſierat ad colles Euganeos, ut ibi ſub cęlo liberiore Hygię ac Muſis litaret. Nec tamen ætatem ad plenam ſenectutem producere potuit: quippe ingraveſcentibus morbis, ſontica febri correptus Patavii vivere deſiit ann. MDCCVII. Ætatis LXII. Sepultus eſt ſine titulo in tumulo Robertorum ad S. Nicolai. Philoſophiæ, Theologię & humanioris literaturę doctor eximius, cui Gymnaſium noſtrum parem quęrit, quæret diu, nec facilè inveniet. Scripſit plurima ſparſim edita, ſuperſunt alia non edita, quorum pleraque legi, ipſo benignè concedente; nec pudebit fateri, quod verum eſt, me ex his admodum profeciſſe, præſertim quod attinet ad Græcę vetuſtatis notitiam. Ea cum ejus lectiſſima Bibliotheca, & qualicunque hæreditate apud ſe ſervat laudatus proximè Cl. Maderò nepos ejus, qui edito ejus ſyntagmate poſthumo *de ludis ſcenicis Mimorum & Pantomimorum*, in ea, quam luculentiſſimam prẹmittit Operi, præfatione, ſpem nobis facit, fore, ut aliquando in lucem prodeant ad majores Eruditorum delicias, tanti Oratoris, ad Philologi, quæ apud ipſum aſſervantur autographa.

CAPUT XXXVII.

Dominicus Guglielmini. Bernardinus Ramazzinus.

CLXIV. DOMINICI GUGLIELMINI vitam luculentiſſimo commentariolo complexus eſt v. clar. Philoſophus, Medicus, & primę ſedis apud nos Anatomicus
1710 noſtra ætate notiſſimus Jo. Baptiſta Morgagnus. Ea edita eſt in appendice Centurię *III.* & IV. ephemeridum Academię Curioſorum. Inde curioſus lector pleniora, & tanti viri gloriam ęquantia deſumet. Nos pauca intra inſtituti noſtri fines hic damus. Natus eſt Guglielminus Bononię honeſto genere, Novatiâ oriundo, attigitque in adoleſcentia varia genera doctrinarum, ingenio tamen ad Matheſin, & Medicinam propenſo, his ſe tandem totum addixit auditor aſſiduus, ac diſcipulus inter pręcipuos clariſſimorum virorum Geminiani Montanarii, & Marcelli Malpighii, quorum inſtitutioni reſpondit ubere fructu celeriter adeo, ut vix annum vigeſimum primum ingreſſus, ſcriptis editis illuſtrare Mathematica cœperit. Doctoris inſignia conſecutus anno ſequenti in ampliſſimo Philoſophorum, ac Medicorum Bononienſium collegio, ſtatim cum laude domi foriſque Medicinam fecit, eorumque virorum principum eorum ſaluti pręfuit. Mox nondum ætate major Anatomen in patrio ſcholæ theatro profeſſus ſectionem humani corporis feliciter adminiſtravit; atque inde porro Cuſtos datus muſæo Ulyſſi Aldovrandi, ſimul Cenſor librorum cum Philoſophicorum, tum Medicorum, ita in his muneribus ſe geſſit, ut præclarum ubique ſibi nomen, ac nominis gloriam comparaverit: præſertim cùm præter hæc, ipſa Mathematica Theoremata, quorum laude florebat, factis uberrimè comprobaret vel ipſis celebetrimis Mathematum Profeſſoribus, quibus comes datus & Meridianam lineam inſtauravit, & à Placentinis mœnibus, quibus labefactandis in dies inſtabat Eridanus, imminentem perniciem, & caſum proximum, objectis molibus abſtinuit. Ex his jam per Italiam clarum, cum patria nondum annis triginta majorem rei Aquariæ præfeciſſet, dein cumulatis honoribus provexiſſet ad munus Mathematum publicè docendorum, eique & Kalendarii conficiendi, & Hydrometriam profitendi, novos titulos dignitatum adjunxiſſet, Senatus Venetus amplis conditionibus ad exedram Mathematicam, defuncto Stephano de Angelis vacuam implendam accivit anno MDCXCVIII. Audivimus illum doctiſſimè de re, quam profitebatur, differentem, cùm ſedem plenâ omnium expectatione iniit, fatemurque ita nobis, olim Matheſeos plus nimio ſtudioſis, quæ dixit placuiſſe, ut exinde ſummi beneficii loco fuerit, aliquando cum illo colloquia miſcere, ſicubi nobis, & illi pro diverſitate munerum occupatis licuiſſet. Neque enim diu morabatur Patavii, quippe vel à Republica Veneta miſſus ad graviſſima in re Aquaria, & in inſpectione propugnaculorum, atque arcium negotia, vel à ſummis Principibus evocatus ad hæc ipſa inſpicienda, decernenda, curanda, ita in iis verſabatur, ut vix illi ſuppete-

peteret tempus ad publicas prælectiones, nedum ad otioſa cum amicis colloquia. Quò magis mihi mirabile viſum, quòd tot undequaque graviſſimis occupationibus, itineribus, & conſultationibus Mathematicis circumſepto repente ſubierit in animum ad Medicinæ Theoricæ extraordinariæ principem ſedem aſcendere anno MDCCII. & Pompeii Sacci Parmenſis clariſſimi Medici famam non dicam æquare, verùm etiam ſuperare. Sed Guglielminus non minor erat Medicus qùam Mathematicus, parique virtutis eximiæ merito in utraque ſcientiâ Italiam peragrabat in graviſſimis morbis virorum principum evocatus ad conſilium, à Magno Etruriæ Principe magnis præmiis, & honoribus ad curam ſuæ valetudinis invitatus. Quid quod apud exteras quoque Nationes ex editis lucubrationibus notus tanti habitus eſt, ut Academias toto orbe præcipuas ſuo nomine impleverit, collega additus Cæſareæ N. Germanicæ, Regiarum Pariſienſis, Londinenſis, Berolinenſis. Scripſit multa, & quidem omnia doctiſſimè. Plura ſcripturo, & quæ nondum ediderat, expolituro intempeſtiva mors interceſſit, quam ipſi accerſiviſſe viſus eſt labor aſſiduus, & ne in morbo quidem intermiſſa diſcendi cupido, cujus nos teſtes ſumus, qui amiciſſimum virum decumbentem, inviſentes ea obſervavimus, quæ deſcribit clariſſimus Morgagnus. Obiit morbo vario, difficili, nec ſatis comperto Patavii an. MDCCX. ætat. LIV. Sepultus eſt ad D. Maximi impoſito marmore quadrato cum hac epigraphe.

Hic jacet
Dominicus Guglielmini,
Bononienſis
In Patavino Gymnaſio
Publicus Theoricæ Medicinæ
Profeſſor Primarius.
Obiit die XII. julii Anno MDCCX.
Ætatis ſuæ LIV.

Prolixius elogium cenotaphio ejus in baſilicâ Antoniana à ſe extructo impoſuit Felix Abbas Viale publicus Botanices Profeſſor, hortique Medici Patavini præfectus, quod vide propoſitum in relato vitæ commentariolo, ex quo hæc Guglielmini Opera titulo tenus recenſemus omiſſis, quæ ibi notantur, editionibus.

Epitropeja I. Volantis Famæ Opticè, Geometricè propugnata, propoſitis, & comprobatis Concluſionibus.
Epitropeja II. ſive Propoſitiones Geographico-Aſtronomico-Geometrico-Optica demonſtratæ.
Epiſtolica diſſertatio de Cometarum naturâ, & ortu, occaſione Cometæ Anni 1680.
Obſervatio Solaris Eclypſis Anni 1684.
Conſiderationes Philoſophicæ, deductæ ex Salium figura; Italica Diſſertatio.
Aquarum Fluentium Menſura nova Methodo inquiſita Pars I.
Ejuſdem Menſuræ Pars II.
Epiſtolæ duæ Hydroſtaticæ, altera Apologetica ad Obſervationes factas adverſus Menſuram Aquarum à Dionyſio Papino, altera de Velocitate, & motu fluidorum in Siphonibus recurvis Suctoriis.
Exercitatio Phyſico-Medica de Sanguinis natura, & conſtitutione.
Prælectio habita Patavii pro Theorica Medica adverſus Empiricam.
Diſſertatio Epiſtolaris Phyſico-Medico-Mechanica de Salibus.
Epiſtolæ G. Deſnoües, & Guglielmini de variis recentioribus notionibus Gallicè ex Italico redditæ.
Sympoſium Medicum de uſu Mathematum in Medicinâ editum ſuppoſito nomine Joſephi Donzellini Ant. Filii Coſentini.
De Principio Sulphureo diſſertationes cum Mantiſſa de Æthere; Opus poſthumum.
Epiſtola ad GG. Leibnitzium de Aquarum fluentium menſura, ſeu Reſponſio ad Epiſtolam Dionyſii Papini ad Hugenium.

CLXV. De celeberrimo ætatis noſtræ Medico BERNARDINO RAMAZZINO integrum opuſculum edidit lectiſſimus juvenis Bartolomæus Ramazzinus Philoſophiæ, ac Medicinæ doctor, ejus ex fratre nepos, nobilis tanti patrui diſcipulus. Hujus opuſculi ſumma capita dabimus, quæ viri noſtrâ ætate verè clariſſimi qualemcunque notitiam poſteris faciant. Natus eſt Carpi, quæ urbs eſt Ciſpadanæ Provinciæ Ateſtinorum Principum ditioni ſubjecta. Ibi & Parmæ apud Patres Societatis Jeſu, quos maximi ſemper fecit, cum literas humaniores, tum Philoſophiam ad annum ætatis undevigeſimum coluit. Inde ad Medicam artem appulit animum, incubuitque ſedulò ad Jatrophiloſophica Theoremata in Parmenſi Gymnaſio, in quo ætate major, anno MDCLIX. lauream retulit Medicinæ, quam ut conferret ad uſum, cui ex inſtitutione addicta eſt, Romam profectus imbuendum ſe praxi dedit Jo. Antonio Rubeo Medico in urbe claro. Eo præceptore in morborum curationibus habendis, & Medicâ experientiâ ad prudenter medendum ſatis inſtructus Caſtrum in op- 1714

pidum

pidum Tranſtiberinæ olim Etruriæ ſe contulit, unde à Populo Canini & Martę ſtipendio evocatus per annos aliquot Medicinam feliciter fecit. Rediit deinde Carpum in patriam, quod aeris gravitas imbecillam juvenis valetudinem, contracto ex iteratis Quartanę febribus morbo Regio, acriùs inficeret: nec diu poſt uxore ducta ita convaluit, ut praxi Medicinę aſſiduis laboribus exercendę ſufficeret; unde illi & claritas nominis, & apud Mutinenſes proceres non vulgaris exiſtimatio. Ab his cum ſępiſſimè Mutinam ad curationes evocaretur, tandem in eâ urbe domicilium poſuit, convertitque ſtatim ad ſe oculos omnium, atquę unà Profeſſorum, ut mos habet, invidiam: quâcum aliquandiu, quà liberalium ſtudiorum uſu, quà ſcriptis Medicis congreſſus ita paſſim utrinque enituit, ut, cum Franciſcus II. Dux Mutinę Gymnaſium ibi, quod obſoleverat, ſumma beneficentiâ inſtauraſſet, Ramazzinus omnium votis deſignatus circa annum MDCLXXXII., datus ſit primus Theoricę Medicinæ Profeſſor publicus, celebraritque anno ſequenti ſolemnem ejus Archilycæi inſtaurationem oratione luculentiſſima. Fuit deinde illi pugnandum cum multis tum ſcripto, tum pręlo editis lucubrationibus, ex quibus in dies clarior, non minore in humaniore Literatura, Muſarumque conſuetudine, gloriâ, quam fama longè latèque ad exteros propagavit; ad alteram Medicinę Practicæ ſedem in hoc noſtro Gymnaſio implendam invitatus acceſſit an. MDCC. Vix credi poteſt, quanta illum pręiverit expectatio, quàm ſanctè ille reſponderit expectationi. Quantâ omnium utilitate, ac frequentiâ ſuo munere functus ſit, dicent omnes, quorum etiamnum in hoc noſtro lyceo ſumma fides & auctoritas, quique Cl. Ramazzinum, quandiu apud nos vixit, mirâ religione venerati ſunt. Ab altera ordinaria Medicinę ſede, ad principem, quam ſpontè Franciſcus Spoleti dimiſerat, cum Ramazzinus reditum parabat in patriam, fractuſque crebris ægritudinibus rudem reſpiciebat, evectus eſt an. MDCCIX. & quidem ampliſſimo Senatusconſulto, quo virtuti ejus, ac ſapientię auguſtum ac regium teſtimonium perhibetur. Addidere Triumviri Literarii dignitati tantæ glorioſius ἐπίβλημα, cùm aſſerenti ſe imparem prælectionibus quotidianis ob ſenectutem, & imbecilliorem in dies valetudinem corporis, reſcripſere, arbitratu ſuo, & cum benè valeret, ut Auditores ſuos inſtitueret: Reipublicæ ſatis eſſe, Ramazzinum in Patavino Gymnaſio Practicæ Medicinæ Profeſſorem habere primarium. His honoribus, hac gratia, hoc publici amoris præconio confirmatus, non ſecus atque antea inſtitit muneri ſuo, docendoque & ſcribendo ſuæ, ac Patavini lycæi gloriæ conſtantiſſimè militavit: quamvis ætate deinceps, & viribus corporis perpetua vi morborum fractis, quamvis altero primùm, mox utroque oculo captus, ac planè cœcus. Vir ſanè ſæculo noſtro illuſtrando natus, ſive politiores literas, ſivę muſas, & in primis Æſculapium conſulas. Quippe horum omnium decus complexus eſt, ſummus Medicus, elegantiſſimus Scriptor, Poeta caſtiſſimus. Carmina ejus feruntur multa, unum legi, quod ad ſe laborantem Eryſipelate ſcriptum Abbas Michael Capellarius vates noſtri ſæculi clarus laudabat, quodque, quia brevę eſt, brevitati, quam profitemur, non obſtat, quin hìc edatur.

Ad Michaelem Capellarium
Poetam Celeberrimum Eryſipelate laborantem
Conſilium Medicum.

Crura Tibi, ut ſcribis, dirum Eryſipelas adurit.
Vir bone, nec reperis, qui levet Arte malum.
Plurima promittent Medici: namque hoc Medicorum eſt;
Sed tu ne fidas: nam dare verba ſolent.
A' pingui & oleo, veluti cane, & angue caveto;
Unguina ſuccenſo dant alimenta foco.
Pinguia quin faciunt partem putrere peruſtam;
Naſceturque ulcus, quod cacoethes erit.
Nec minus herbarum ſuccos apponere tentes,
Crura nec, ut mos eſt, lacte fovere velis.
Talia quippe nocent, coguntque recurrere morbum,
Qui ex imo ad ſummum policiendus erat.
Quid faciam ergo, inquis? Tu ſuſtine, & abſtine, tali
Decubitus Criſeos eſt, mihi crede, loco.

Interea

Interea in lecto recuba, & ſuffuſa rubore
Aere ab externo membra tuere precor.
Sic enim poterit ſenſim expirare, quod urit:
Hæc ſat nota Coi ſunt documenta Senis.
Tu Te ergo obſerva, ac triſtes animo expue curas;
Sitque bene ut valeas unica cura Tibi.
Noli, dum langues, Muſis Phœboque videri
Tam charus, quin ſis charior ipſe Tibi:

Obiit Patavii octogenario major validiſſimâ apoplexi correptus Nonis Novembris an. MDCCXIV. Sepultus eſt in templo B. Helenę ſine titulo. Inſcriptionem hanc addidit nepos.

Bernardino Ramazzino
Carpenſi
Philoſopho ac Medico
In Mutinenſi Academia
Primo Medicinæ Theoricæ Profeſſori;
Poſtremo
In Patavino Lycæo Practicæ Medicinæ
Profeſſori Primario,
Qui ſumma literarum jactura
Octogenario Major
è vivis exceſſit
Nonis Novembris Anno Salutis noſtræ MDCCXIV.
Inſcriptionem hanc poſuit
Amantiſſimus ex Fratre Nepos
Bartholomæus Ramazzinus
Medicinæ Doctor.

Ramazzini Opera edita.

De bello Sicilię, Cento ex Virgilio ad Ludovicum XIV. Galliarum Regem.
Exercitatio Iatro-Apologetica ad Scriptum Annibalis Cervi.
Oratio in ſolemni Mutinenſis Academiæ inſtauratione, dicta Franciſco II. Mutinæ Duci.
De Partu, & Obitu Marchioniſſæ Bagneſiæ Apologeticæ Reſponſiones Italicæ ſex ad Jo. Andream Monilium Medicum Floren.
Parcarum Colloquium in Obitu Lauræ Eſtenſis.
Ad Franciſcum II. M. Ducem de Rinaldi I. & Carlottę Felicitatis Brunſuicenſis nuptiis Carmina.
Elogium pro Nuptiis Joſephi Cæſaris, & Amaliæ Brunſuicenſis.
De Fontibus Tractatus Hydroſtaticus.
Ephemerides Barometricæ.
Commentarius, & Verſio nova Vitę ſobriæ Cornelii.
De Petroleo Agri Mutinenſis cum Epiſtola Franciſci Areoſti ejuſdem Argumenti.
Diatriba de Morbis Artificum.
Orationes Jatrici Argumenti habitæ Patavii.
Commentatio de Principum valetudine tuenda.
Supplementum ad Diatribam de Morbis Artificum.
Diſſertatio de Morbis Sacrarum Virginum.

Extant etiam ab eo ſcripta & edita multa *circa conditiones, & Criſes Annorum quorundam. De Acerrimo Frigore A. 1709. De Contagio, ſeu Epidemico Boum morbo.*

C A P U T XXXVIII.

Michael Angelus Fardella. Joſeph Pompejus Sacco.

CLXVI. MICHAEL ANGELUS FARDELLA Siculus nobili genere, Drepani natus, bonis artibus imbutus à pueritia, Ordinem tertium Fratrum S. Franciſci, quem à Regula vocant, profeſſus eſt; in eoque maximi ob polymathiam habitus, cum ageret Meſſanæ eo tempore, quo Meſſanenſes ab Hiſpanis deſciverunt ad Gallos, ſe ſe politicis plus nimio negotiis, ut erat ingenio ex 1718

indole

indole gentis præſervido, immiſcuit. Hinc exilium cum fratre paſſus, cum iterum Hiſpani Siculos in ſuam poteſtatem redegerunt, Venetias venit: unde fratrem ſecutus, quem Juſtinopolitani Gymnaſii ſui Rectorem elegerant, aliquandiu in Iſtria fuit; indeque cum fratre Venetias rediit, receptuſque inter domeſticos ab ampliſſimo Senatore Hermolao Delphino, poſt fratris obitum inſtituendo Leonardo Hermolai filio, qui, dum hæc ſcribimus, Præfectus ac Pro-Prætor Patavio præeſt, operam ſuam oppignoravit. Hoc patrocinio tutus clarere cœpit Venetiis primùm, deinde Patavii, quo ſe contulit contubernalis, & in eodem privatæ inſtitutionis munere, cùm Hermolaus huic urbi præfectus eſt an. MDCXCII. Cum eodem regreſſus Venetias, quòd ibi ritè probaſſet, ſe Ordinem, quem veſte profitebatur, non rectè fuiſſe profeſſum, ab obligatione votorum ſolemnium ſolutus eſt: nec diu poſt, anno ſcilicet MDCXCIV. publicum in Gymnaſio Patavino docendi munus obtinuit ab exedrâ Meteororum & Aſtronomiæ. Hoc perfunctus egregiè per annos ſex exeunte ſæculo XVII. ad principem ordinariæ Philoſophiæ ſedem evectus eſt, unde Recentiorum ſectator, Empiricæ Philoſophiæ auſpex fervidè adeo, atque etiam ferociter in Ariſtotelem, cujus explanationem profitebatur, declamabat, ut mediâ hyeme, horrente gelu, non niſi ſudore defluens, ac toto corpore madefactus, peractis prælectionibus è ſede deſcenderet. Poſt annum decimum, multa meditatus adverſus Gallos, quorum ſe hoſtem acerrimum prædicabat, docendi ſe munere abdicavit, atque impetratâ diſcedendi veniâ, Barchinonem profectus eſt ad Carolum, qui tunc Hiſpanias magna ex parte obtinebat, nunc Cæſar Auguſtus hujus nominis VI. felici omine ſaluti, ac libertati Chriſtianorum imperat. Ab hoc Regis Theologus, ac Mathematicus dato diplomate perhonorifico, adjectoque ſtipendio dictus, dum majora ſperat, hemiapoplexi ictus an. MDCCXII. ſecedere Neapolim coactus eſt, atque otiari ſexennio, quo exacto, fortiore morbi percuſſus ictu interiit anno MDCCXVIII. ætat. LXXIV Sepultus eſt in templo S. Mariæ, cui nomen *ab omni bono*.

Scripta ejus edita.

Univerſæ Philoſophiæ Syſtema, in quo novâ quadam, & extricatâ Methodo Naturalis Scientiæ, & Moralis fundamenta explicantur Tom. I.

Univerſæ Uſualis Mathematicæ Theorea Tom. I.

Philoſophia Charteſiana, oppugnata in quibuſdam principiis à Doct. Matthæo Georgio Januenſi, defenſa ab Abb. Michaele Angelo Fardella Aſtronomiæ, ac Meteororum in Patav. Gym. Profeſſore. Italicè.

De Animæ Humanæ Naturâ ab Auguſtino detecta in libris De quantitate Animæ, Decima de Trinitate, & de Animæ immortalitate.

De his, & Catalogo aliorum Operum Fardellæ conſule Diaria Literatorum Italiæ.

1718 CLXVII. JOSEPH POMPEJUS SACCUS nobiligenere Parmæ natus eſt patre Flavio Medico, & Chirurgiæ peritiſſimo, quam in Parmenſi Gymnaſio profeſſus eſt diu. Excultus cum minoribus tum majoribus ad ſapientiam literarum ſcientiarumque inſtitutionibus, prætulit omnibus Medicinam, cujus in patriâ lauream retulit ann. MDCLII. Provectuſque mox eſt à Duce Ranuccio II. ad publicam ſedem Theorices in eodem Gymnaſio an. MDCLXI. Claruit ex ea tum Theoreſi, tum Praxi iatricâ, editiſque doctiſſimis libris gloriam ſibi apud ſuos atque exteros non mediocrem, nec vulgarem conciliavit. Hinc à Venetis ad hoc Gymnaſium accitus docere cœpit ex prima Medicinæ Practicæ extraordinariæ ſede an. MDCXCIV. unde poſt annos ſex ad primam ordinariæ Theoricæ translatus Gymnaſio noſtro non diu profuit. Nam cùm an. MDCCII. obſequi poſtulatis Franciſci Parmenſium Ducis Sereniſſimi, æquum viſum eſſet, rediit in patriam publicâ civium ac lycei Patrii gratulatione receptus, habuitque parem ſingularibus præclariſque meritis titulum Lectoris eminentis in ſede principe diu pridem vacuâ collocatus. Ex ea vividiſſimè diſceptavit ad obitum uſque, quamvis capularis ſenex, & captus oculis. Deceſſit Parmæ biennio antequam hæc, quæ feſtinamus, aggredi cogeremur, nempe VIII. Kal. martii an. MDCCXVIII. ætat. LXXXIV. non integro.

Edita ſunt ejus Opera, quorum ſubjicimus Titulos.

Iris Febrilis.

Methodus nova febres curandi fundamentis Al Kali, & acidi ſuperſtructa.

Novum Syſtema Medicum ex unitate doctrinæ recentiorum, & Antiquorum.

Medicina Practica-Theorica, ad ſaniorem Sæculi mentem centenis & ultra conſultationibus digeſta, quibus penè omnium morborum cauſæ illuſtrantur, & Optima ex Optimis medicamen- componuntur &c.

Medicina Practica Rationalis Hippocratis, Sanioribus Neotericorum doctrinis illuſtrata.

FINIS PRIMI TOMI.

Legatoria
R. SALVAREZZA
Via Val Sassina, 55
Tel. 825.823 — ROMA

Digitized by Google